Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

C 649.7.5

Harvard College Library

VE RI TAS

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS VI

IN PSALMOS (XLIV-CL)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVIII

Digitized by Google

Digitized by Google


DOCTORIS ECSTATICI

DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

6

IN PSALMOS (XLIV-CL)

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVIII





Digitized by Google

C649.7.5
✓

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN PRIMAM QUINQUAGENAM
PSALTERII

ARTICULUS LXXXVII

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI QUARTI : ERUCTAVIT COR MEUM.

PSALMUS jam elucidandus, tali titulo A
1 prænotatur : *In finem, pro his qui commutabuntur filiis Core, ad intellectum, canticum pro dilecto*. Psalmus iste gloriosus ac nobilis, de duplici Christi natura, ac divina generatione ipsius, et de unitate personæ ipsius, de conjunctione quoque Christi sponsi et sponsæ suæ Ecclesiæ, seu Virginis gloriosæ, aut fidelis animæ, excellenter evidenterque tractat : et ideo appellatur epithalamium, id est carmen thalami, nuptias Sponsi ac Sponsæ collaudans. Sensus ergo tituli talis est : *Canti-* B
cum, in finem, id est psalmus iste, qui dicitur canticum, tendens in Christum, qui est principium nostræ creationis, et finis nostræ recreationis : canticum, inquam, scriptum *pro his qui commutabuntur,* id est pro electis, qui non solum resurgent, sed etiam immutabuntur, id est, beatam immortalitatem adipiscentur, videlicet pro *filiis Core,* id est imitatoribus Christi in loco Calvariæ crucifixi. Core enim interpretatur Calvaria. *Pro dilecto :* id est, canticum istud etiam scriptum est pro Christo, ad C
quem Pater dixit : Tu es Filius meus carissimus. Sic ergo canticum istud est pro Christo et fidelibus ejus, id est, de Sponso Ecclesiæ et ipsa Ecclesia loquitur. *Ad intellectum,* id est, quatenus Christi fideles sapienter intelligant Christum, et ejus mysteria, scilicet incarnationem, et conjunctionem cum Ecclesia, fideliter contemplentur. Hieronymus autem in translatione sua juxta Hebræum, ponit hunc titulum : Victori, pro liliis filiorum Core, eruditionis canticum amantissimum : et redit in idem cum titulo præinducto. Per lilia enim intelliguntur fidelia Christi membra, quæ sunt filii Sponsæ.

Matth. III, 17; XVII, 5; *Luc.* III, 22, IX, 35.

PORRO exordium psalmi hujus, videlicet primi duo versus, dupliciter exponuntur. Primo, ut sint verba Dei Patris, in cujus persona loquens Propheta, ait :
(1) *Eructavit cor meum verbum bonum :* id 2
est, mens mea paterna, seu ego ipse qui aliud nihil sum nisi mens paterna simplicissima atque purissima, vel intellectus meus æternus, sive memoria mea fecunda, de plenitudine suæ infinitæ fecunditatis ac bonitatis, et de ipso fonte meæ essentiæ infinitis divitiis pleno, intellectualiter protuli, æternaliter dixi, vereque genui unicum Filium mihi consubstantialem, qui est Verbum bonum. De quo scri-

Digitized by Google

Eccli. I, 5. ptum est : Fons sapientiæ Verbum Dei in A
Joann. I, 1. excelsis ; et, In principio erat Verbum,
et Verbum erat apud Deum, et Deus erat
Verbum. De quo superius dictum est :
Ps. XXXII, 6. Verbo Domini cœli firmati sunt. Sapiens
Sap. XVIII, 14, 15. quoque : Dum quietum silentium tenerent
omnia, et nox in suo cursu medium iter
haberet, omnipotens sermo tuus, Domine,
de cœlo exsiliens, a regalibus sedibus venit.
Dico ego, Pater æternus, *opera mea,*
id est quæcumque ago, *regi,* id est Christo
Apoc. XIX, 16. Filio meo amantissimo, qui est Rex regum
et Dominus dominantium. Hoc est quod B
Joann. V, 20. Christus ait : Pater diligit Filium, et omnia
demonstrat ei quæ ipse facit. Quidquid
enim Pater in se ipso cognoscit, hoc in
Verbo suo exprimit, ita ut quidquid in
Patris essentia continetur, hoc plane resplendet
in Filio. Ipse namque Unigenitus,
est mentis paternæ Verbum æternum, intelligentiæ
dictio, et sapientiæ ejus plena
expressio. Denique quidquid Pater in ordine
rerum a principio condidit, hoc æternaliter
in Verbo suo dixit, atque per ipsum
congruo tempore fecit. Propter quod C
Ibid. I, 3. Joannes testatur : Omnia per ipsum facta
Ibid. 3, 4. sunt; et iterum, Quod factum est, in ipso
vita erat.

Deinde ait Pater æternus : (2) *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis :*
id est, intellectus meus similis est stilo
hominis cito scribentis. Et hoc propter
duo. Primo, quoniam sicut verbum quod
stilo scribitur, non est sonans ac transiens,
sed silens, firmum ac permanens ; sic
Verbum Dei Patris non est transiens, sonans
atque instabile, sed secretum, firmum, D
immobile et æternum. Secundo, quoniam
sicut stilus velociter scribentis, sine
labore ac mora notabili verbum exarat;
sic intellectus divinus ad intra loquens,
vel Deus Pater, sine motu, labore et mora
Verbum suum produxit in ipso æternitatis
momento, quemadmodum Sapientia
æterna, quæ est Verbum ac Filius Dei,
Prov. VIII, 22-24. ait : Dominus possedit me in initio viarum
suarum, antequam quidquam faceret a
principio ; ab æterno ordinata sum. Nondum
erant abyssi, et ego jam concepta
eram.

Secundo exponi potest hic locus, ut sint verba Prophetæ; eritque sensus : *Eructavit cor meum verbum bonum :* id est, ex plenitudine divinæ illuminationis, et ex abundantia prophetalis notitiæ, intellectus meus protulit, intra se dixit et ore expressit psalmum præsentem, qui est verbum bonum et salubre, ac optimus sermo. *Dico ego opera mea regi :* id est, scripturam istam et alia cuncta quæ ago, dico, canto, et scribo ad gloriam regis Messiæ, de cujus nuptiis in hoc psalmo tractabo. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis :* id est, lingua oris mei in scribendo hunc psalmum fuit calamus, stilus, penna, seu graphium scriptoris cito scribentis, id est mei ipsius, qui psalmum istum sine proprio studio scripsi et sine labore, secundum quod Spiritus Sanctus me docuit. Lingua enim Prophetæ fuit instrumentum animæ suæ, quemadmodum penna instrumentum est manus scribentis. Scripsitque Propheta hunc psalmum velociter, sicut
apud Jeremiam habetur : Dixit Baruch ad Jer. XXXVI, 18.
principes Juda : Ex ore suo loquebatur Jeremias, quasi legens omnes sermones istos ad me, et ego scribebam in volumine atramento. Vel sic : Lingua mea calamus fuit scribæ velociter scribentis, id est Spiritus Sancti, qui quos ad scribendum inspirat, velociter scribere facit. Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia, teste Ambrosio. Et huic sensui consonat quod David
alio loco fatetur : Spiritus Domini locutus II Reg. XXIII, 2.
est per me, et sermo ejus per linguam meam.

Prima autem expositio horum versuum, melior est atque profundior, et ei concor-
dat quod per Isaiam ait Deus Pater, Egre- Is. XLV, 23.
dietur de ore meo justitiæ verbum, et non
revertetur ; illud quoque Ecclesiastici, Ego Eccli. XXIV, 5.
ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Non solum autem dixit, Eructavit cor meum verbum; sed, Verbum bonum : ad insinuandum quod Verbum istud sit verus Deus. Nam Christo testan-

Digitized by Google

Marc. x, 18. te, Nemo bonus nisi Deus. Ipse enim Deus A est naturaliter atque quomodolibet bonus; et secundum Dionysium, natura ejus est bonitas; primumque Dei nomen est, bonum.

Consequenter prorumpit Propheta in laudem regis istius, et primo commendat eum
3 propter pulchritudinem, dicens : (3) *Speciosus forma præ filiis hominum.* Triplex speciositas in Christo fuit. Una æterna, divina et infinita : quæ convenit ei ratione divinæ naturæ, estque essentialiter idem cum divina essentia, atque in tribus Personis una ac indivisa. Et de hac pulchri- B tudine Christi, qui est sapientia Patris, *Sap.* VII, 25, 26. scriptum est : Sapientia emanatio quædam est omnipotentis Dei sincera. Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis il- *Hebr.* I, 3. lius. Et Apostolus : Qui quum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Unde sanctus Hilarius appropriata divinarum personarum designans : Æternitas, inquit, est in Patre, species in imagine, usus in munere. Quid autem est, Species in imagine, C nisi, Pulchritudo convenit Filio tanquam per omnia simili Deo Patri? Propter quod *Joann.* XIV, 9. Filius contestatur : Qui videt me, videt et Patrem. Hoc enim ait, non propter identitatem personæ, ut asserebat inimicus sanctæ Trinitatis Sabellius, sed propter omnimodam similitudinem utriusque, se- *Coloss.* I, 15. cundum quod ait Apostolus : Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. De hac increata pulchritudine Dei Dionysius pulcherrime loquitur. Propter hanc quoque speciositatem ait de Christo D *I Petr.* I, 12. Petrus apostolus : In quem desiderant angeli prospicere.

Alia est speciositas Christi creata et spiritualis, quæ consistit in perfectione suæ sapientiæ, in excellentia gratiæ, et in eminentia suæ caritatis atque virtutum. Et ista speciositas Christi, summa et incomparabilis fuit, imo et major quam omnium *Joann.* III, 34. simul electorum : quia scriptum est, Non ad mensuram dat Deus spiritum, subintelligendum est, Christo homini.

Tertia autem speciositas Christi, fuit creata et corporalis, quæ consistit in debita proportione, situ et quantitate membrorum, et in congrua superfusione vivacis coloris. Et ista pulchritudo Christi magna ac vehemens fuit. Primo, quoniam nulla naturalis perfectio defuit ei. Secundo, quia decebat ut anima illa sanctissima atque pulcherrima proportionatum sibi corpus, utpote pulchrum ac nitidum, sortiretur. Tertio, quoniam corpus Christi sumptum erat ex purissima materia, scilicet ex mundissimis sanguinibus dignissimæ Virginis. Quarto, quia formatum compactumque fuit ab agente infallibili, non errante, puta a Spiritu Sancto. Verum an ista corporalis speciositas Christi fuerit simpliciter major, quam aliqua unquam alterius hominis speciositas fuerit, de hoc diversimode dicitur. Ego autem pie credo quod Dominus meus Jesus Christus, etiam quantum ad corporalem pulchritudinem, ceteros omnes, imo et Absalonem excesserit, propter *II Reg.* XIV, 25. rationes prædictas. Non tamen semper (ut arbitror) æque pulcher in vultu apparuit, quoniam ea quæ pulchritudinem corporalem ornant atque conservant, non curavit, sed sprevit. Pulchritudo autem ejus spiritualis semper æqualis fuit, quia in gratia non profecit. Pulchritudo vero corporis sui, tempore passionis in tantum evanuit, ut de ipso ab Isaia dictum sit : Non est ei *Is.* LIII, 2. species, neque decor; et vidimus eum, et non erat ei adspectus. De hac autem multiplici pulchritudine Sponsi cœlestis ac regis Messiæ, ait Sponsa : Dilectus meus *Cant.* V, 10. candidus et rubicundus, electus ex millibus; et, Ecce tu pulcher es, dilecte mi, *Ibid.* I, 15. et decorus. Sic ergo, o Christe, tu speciosus es forma præ filiis hominum. Quod enim id ipsum ad litteram de Christo dicatur, patet ex translatione Chaldaica, apud Hebræos authentica, quæ sic habet : Pulchritudo tua, rex Messia, major quam filiorum hominum.

Porro in libris annalibus Romanorum legitur, quod Christus fuit staturæ proceræ, mediocris et spectabilis, vultum ha-

Digitized by Google

bens venerabilem, quem possent intuentes diligere et formidare ; capillos habens coloris nucis avellanæ præmaturæ, planos fere usque ad aures, ab auribus cincinnos crispos aliquantulum cæruliores et fulgentiores, ab humeris ventilantes ; discrimen habens in medio capitis juxta morem Nazaræorum, frontem planam ac serenissimam sine macula ac ruga, quam rubor moderatus venustavit ; nasi et oris nulla prorsus reprehensio ; barbam habens copiosam, capillis concolorem, non longam, sed in mento parum bifurcatam, adspectum simplicem et maturum, oculis glaucis, variis et claris exsistentibus ; in increpatione terribilis, in admonitione blandus et amabilis, hilaris servata gravitate ; aliquando flevit, sed nunquam risit ; statura corporis propagatus et rectus, brachia vero et manus visui delectabiles, alloquio

A gravis, rarus et modestus : talis utique per omnia, ut merito diceretur, Speciosus forma præ filiis hominum [1].

Deinde Christus laudatur ab eloquentia. *Diffusa est gratia in labiis tuis :* id est, fructuosa et efficax eloquentia data est tibi. Unde per Isaiam Christus ait : Posuit *Is.* XLIX, 2.
Dominus os meum quasi gladium acutum. Et ipsi quoque adversarii Christi, compulsi sunt dicere : Nunquam sic locutus *Joann.* VII, 46.
est homo, sicut hic loquitur. Sed et de ipso apud Lucam legitur : Mirabantur omnes *Luc.* IV, 22.
B in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus. Efficaciam autem Christi in loquendo pandit Evangelista dum ait : Erat do- *Matth.* VII, 29.
cens sicut virtutem habens, non sicut Pharisæi et Scribæ. Sciendum quoque, quod Christus habuit donum linguarum, sicut et ceteras gratias gratis datas : non tamen legitur usus hoc dono, quia non prædica-

[1] In præcedentibus editionibus, hic insertæ sunt epistolæ Lentuli et Pilati de Christo : quæ tamen (juxta editionem anni 1558) non reperiuntur in archetypo Auctoris.

Publius Lentulus Senatui Romano S.

Apparuit temporibus nostris, atque adhuc nobiscum est homo magnæ virtutis, quem ejus discipuli Filium Dei vocant, suscitans mortuos et languidos sanans. Homo quidem statura procerus, mediocris et spectabilis : vultum habens venerabilem, quem intuentes possint et diligere et formidare ; capillos in modum coloris nucis avellanæ præmaturæ, planos fere usque ad aures, ab auribus vero usque ad humeros, cincinnos crispos aliquantulum cæruliores et fulgentiores, ab humeris ventilantes. Discrimen habet in medio capitis, juxta morem Nazaræorum ; frontem planam et serenissimam, cum facie sine ruga aut macula aliqua, quam rubor moderatus venustat. Nasi et oris nulla prorsus est reprehensio. Barba copiosa et capillis concolor, non longa, sed in medio bifurcata. Adspectus simplex et maturus, oculis glaucis, variis et claris exsistentibus. In increpatione est terribilis, in admonitione blandus et hilaris, servata ubique maturitate. Hic nunquam visus est ridere, flere autem persæpe. Statura corporis propagatus et rectus, brachia vero et manus visui delectabiles. In colloquio gravis, rarus et modestus, ac speciosus inter filios hominum, Jesus Christus, Mariæ filius, etc.

Pontius Pilatus Claudio Tiberio Cæsari S.

Nuper accidit, quod et ipse probavi, Judæos per invidiam in se suosque posteros crudeli damnatione arsisse. Nam quum promissum haberent patres eorum, quod Deus ipsorum illis in terras unicum suum per Virginem nasciturum mitteret Filium, qui eorum Rex merito diceretur et Messias : iste, me præside, Hebræorum Deus quum venisset, et vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ex hominibus fugasse, mortuos suscitasse, ventisque imperasse, ac siccis pedibus super undas maris ambulasse, multaque alia miracula fecisse ; unde quum omnis populus hunc Filium Dei diceret, invidiam contra eum passi sunt sacerdotes sacerdotumque principes et mihi eum occidendum tradiderunt. Aliaque aliis mentientes, dixerunt eum magum esse, et omnia contra ipsorum agere legem. Ego ita esse credens, eumdem flagellatum et coronatum tradidi arbitrio eorum. At illi crucifixerunt eum, et sepulcro ejus custodiam fortissimam adhibuerunt. Ille vero, militibus meis sepulcrum custodientibus, quum tertia die a mortuis resurrexisset, in tantum nequitia exarsit Judæorum contra Christum, ut copiosam custodibus darent pecuniam, quatenus populo dicerent quia discipuli ejus noctu venientes, corpus ipsius rapuerunt. Verum milites mei quum accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt. Nam et illum resurrexisse, publice coram omni populo testati sunt, et se a Judæis accepisse pecuniam ut silerent quod factum fuit. Hæc ideo tibi scripsi, ne quis aliter mendaciis credat Judæorum, qui de Christo omne malum mentiuntur. Vale.

Digitized by Google

Matth. xv, 24. vit nisi in Hebræo. Unde ipse ait : Non A
sum missus nisi ad oves quæ perierunt
domus Israel. Denique, sicut manus est
organum intellectus practici, sic lingua est
organum seu instrumentum intellectus speculativi.
Quemadmodum ergo Christus habuit
summam sapientiam, sic decuit eum
habere summam eloquentiam. Ideo de gratia
labiorum Christi sponsi sui ait Spon-
Cant. v, 6. sa : Anima mea liquefacta est, ut dilectus
locutus est. *Propterea benedixit te Deus in
æternum.* Benedictio Dei, est collatio seu
infusio gratiæ Dei ac divinorum donorum, B
et multiplicatio eorumdem. Christus autem
in gratia non profecit, nec sibi ipsi aliquid
de essentiali præmio meruit, sicut
ubertim præhabitum est. Quomodo ergo
propter gratiam labiorum suorum benedictus
a Deo asseritur? Et respondendum,
quod benedictio ista intelligenda est quantum
ad accidentale præmium Christi. Nam
per prædicationem suam sanctissimam meruit
sibi corporis sui glorificationem et
ascensionem. Potest quoque benedictio ista
referri ad fructum eloquentiæ Christi, at- C
que ad mysticum corpus ipsius. Dicimus
enim terram seu arborem benedici, dum
fert copiosum fructum. Similiter quoniam
per Christi doctrinam multi salutem sortiti
sunt, ipse Christus ratione suæ eloquentiæ
benedici asseritur.

4 (4) *Accingere gladio tuo super femur
tuum, potentissime :* id est, o rex Christe,
qui es salvator omnipotens et debellator
aeriarum potestatum fortissimus, accingere,
id est, te ipsum accinge, vel a tota
Trinitate accingaris, gladio tuo, id est præ- D
dicatione divina, verbo Dei, sermone justitiæ,
ita ut gratiam in labiis tuis diffusam
effundas, eaque ad mundi informationem
utaris : accingere, inquam, super femur
tuum, id est super intellectum tuum, ita
ut sapienter loquaris, et efficaciter doceas.
Bene equidem per gladium intelligitur verbum
Dei seu prædicatio Evangelii, juxta il-
Ephes. vi, 16, 17. lud divini Apostoli : In omnibus sumentes
scutum fidei, et gladium spiritus, quod est
Hebr. iv, 12. verbum Dei. Et iterum : Vivus est, inquit,
sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni
gladio ancipiti. Dicitur enim verbum Dei
gladius ratione sui effectus, quoniam intima
mentis penetrat, peccata occidit, dæmonemque
exsuperat. Unde ad Jeremiam
Dominus ait : Numquid non verba mea Jer. xxiii, 29.
sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens
petram? Et Ecclesiastes ait : Verba Eccle. xii, 11.
sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in
altum defixi.

Convenienter quoque per femur accipitur
intellectus. Quemadmodum enim femur
corporis est seminarium generationis,
secundum illud, Non auferetur sceptrum Gen. xlix, 10.
de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat
qui mittendus est; sic intellectus est
seminarium spiritualis procreationis. Nam
ut Christus in Evangelio asserit, Semen Luc. viii, 11.
est verbum Dei. Verbum autem ab intellectu
procedit, sicut ait Philosophus. Sunt
ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt
in animo passionum notæ. Intellectus itaque
per verbum oris spiritualiter generat,
prout ad Galatas dicit Apostolus : Filioli Galat. iv, 19.
mei, quos iterum parturio, donec formetur
Christus in vobis. De hoc femore intellectuali,
cui supercingitur gladius verbi,
ait Jeremias : Converte me, Domine, et Jer. xxxi, 18, 19.
convertar. Postquam enim convertisti me,
egi pœnitentiam; et postquam ostendisti
mihi, percussi femur meum. De potentia
autem Christi, in præcedentis psalmi elucidatione
multa inducta sunt : quibus hoc
adjici potest, quod apud Michæam de ea
commemoratur : Exaltabitur manus tua Mich. v, 9.
super hostes tuos; et omnes inimici tui
interibunt. Et Apostolus de Christo loquens
: Quum sit, inquit, splendor gloriæ, Hebr. i, 3.
portansque omnia verbo virtutis suæ. Unde
Christus Dei sapientia inquit : Omnium Eccli. xxiv, 11.
excellentium et sublimium colla calcavi.

(5) *Specie tua* creata, *et pulchritudine* 5
tua increata, *intende prospere,* id est, feliciter
respice, et ad nostram æternam prosperitatem
pie considera genus humanum,
ut illud salvifices; *procede* de sinu Patris
in uterum Virginis, de cœlo summo in inferiores
partes terræ, de utero Matris in

Digitized by Google

præsepe, de præsepi in publicum, deinde A
in crucem, et tandem in cœlum. Sic ergo
Cant. II, 8. procede, quemadmodum Sponsa ait : Ecce
iste venit saliens in montibus, transiliens
colles. *Et regna* in militanti Ecclesia per
fidem et gratiam, atque in triumphanti Ec-
clesia per visionem beatam. Itaque, o Chri-
Zach. XIV, 8, 9. ste, regna, quatenus impleatur illud, In
die illa erit Dominus rex super omnem
Abdiæ 21. terram ; et illud, Erit Domino regnum. De
hoc Christi regno etiam ait Apostolus :
Philipp. II, 9, 10. Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen
quod est super omne nomen, ut in nomine B
Jesu omne genu flectatur, cœlestium et
terrestrium et infernorum. Et iterum :
Ephes. I, 20, 21. Deus, inquit, constituit illum ad dexteram
suam in cœlestibus, super omnem princi-
patum et potestatem et virtutem et domi-
nationem. Propter quod in Evangelio etiam
Matth. XXVIII, 18. Christus affirmat : Data est mihi omnis
potestas in cœlo et in terra. Consideran-
dum autem, quod Christus hoc dixit post
resurrectionem suam : sed non est hoc ita
intelligendum, quasi tunc primum data sit
Christo homini prædicta potestas ; imo a C
primo suæ humanæ conceptionis instanti,
data est ei omnis potestas in cœlo et in
terra. Nam eo ipso quo Christi humana na-
tura unita est Deo unione personali, subje-
cta est ei omnis creatura. Ideoque Baptista
Joann. III, 35. de Christo ante passionem ejus dixit : Pa-
ter diligit Filium, et omnia dedit in manu
Ibid. V, 19. ejus. Et Christus ait : Quæcumque facit
Pater, hæc et Filius similiter facit. Et in
hoc Christus insinuat unam atque eam-
dem essentiam et potentiam sui ac Patris,
quia a diversis seu distinctis suppositis D
emanare non potest operatio eadem nume-
ro, nisi in natura et potestate conveniant :
imo in verbis his fatetur se Christus ve-
rum Deum. Nisi enim esset verus Deus,
ipse non faceret quæ facit Pater, similiter
Patri, vel similiter sicut Pater. Nam si pu-
ra creatura esset, ut Ariani mentiti sunt,
Pater faceret principaliter, et Filius instru-
mentaliter.

(6) *Propter veritatem et mansuetudinem
et justitiam :* id est, quia in veritate et
mansuetudine atque justitia confirmatus
fuisti, o Christe, ex utero matris ; idcirco
et deducet te mirabiliter, id est, in omni
conversatione tua sine culpa, et omnino
irreprehensibiliter diriget te *dextera tua,*
id est divina tua natura, quæ tua huma-
nitate dignior atque robustior est, sic-
ut dextera nobilior potentiorque consistit
quam sinistra. Christus enim sine omni
peccato inter homines conversatus est :
quod utique super hominem est, et mi-
rabile nimis, præsertim quum justus sep- Prov. XXIV, 16.
ties cadat in die. Vel sic : Propter verita-
tem et mansuetudinem et justitiam, id est
propter actus harum virtutum et merito
earum, videlicet quia vita et doctrina ve-
rus fuisti, et in adversis mitis ac patiens,
atque in omnibus justus, non propriam,
sed Patris gloriam, hominumque salutem
quærens ; propterea deducet te mirabiliter
dextera tua, videlicet elevans te de terra
ad cœlos, et statuens te judicem univer-
sorum. Ascensionem enim et judiciariam
potestatem Christus sua exinanitione et
sancta conversatione promeruit. Christus
enim in omnibus veritatem dixit et obser-
vavit, secundum quod ipse coram Pilato
testatus est : Ego in hoc natus sum, et ad Joann. XVIII, 37.
hoc veni in mundum, ut testimonium per-
hibeam veritati. Erat etiam mansuetus,
quemadmodum ait : Discite a me quia mi- Matth. XI, 29.
tis sum et humilis. Erat et justus, sicut
ad Judæos Stephanus ait : Quem Prophe- Act. VII, 52.
tarum non sunt persecuti patres vestri ?
Et occiderunt eos qui prænuntiaverunt de
adventu Justi, cujus vos nunc proditores
et homicidæ fuistis.

(7) *Sagittæ tuæ acutæ :* id est, verba 6
prædicationis tuæ, o Christe, sunt pene-
trativa cordis, et interiora animæ expur-
gantia, atque timorem salubrem incutien-
tia ; *populi sub te cadent :* id est, infideles
qui ante tibi inobedientes rebellesque fu-
erant, audita prædicatione tua ac discipu-
lorum tuorum, convertentur ad fidem, et
tibi obedient. Cadent autem sub te *in cor-
de,* id est in medio, *inimicorum regis,* id
est gentilium qui erant hostes tui, qui es

Digitized by Google

rex summus et verus. In toto enim mundo A
ceciderunt spiritualiter, id est, Christo per
fidem subjecti sunt, qui tempore incredu-
litatis inimici exstiterant. Unde Apostolus
Rom. v, 8, 9. ait : Commendat autem caritatem suam
Deus in nobis, quoniam quum adhuc ini-
mici essemus, ille pro nobis mortuus est.
Ephes. II, 14. 16. Et : Christus est pax nostra, qui fecit utra-
que unum, per crucem dissolvens inimi-
citias in semetipso. Cui consonat quod de
Mich. v, 5. Christo prædictum est : Et erit iste pax
Assyriis, quum venerit in terram nostram,
et quando calcaverit in domibus nostris. B
Huic autem expositioni concordat quod
Ps. CIX, 2. infra de Christo habetur, Dominare in me-
dio inimicorum tuorum; id quoque quod
Mich. v, 4. ait Michæas, Convertentur (ad ipsum), quia
nunc magnificabitur in medio universæ
terræ. De hoc autem casu populorum sub
Christo et regno ejus super inimicos suos,
Dan. II, 44, 45. pulcherrime vaticinatus est Daniel : Sus-
citabit, inquiens, Deus cœli regnum, quod
in æternum non dissipabitur; secundum
quod vidisti, quod de monte abscissus est
lapis sine manibus, et comminuit testam C
et ferrum et æs et argentum et aurum.
Lapis enim abscissus de monte sine ma-
nibus, est Christus, natus de Virgine sine
viri seminibus : et hic lapis comminuit
prædicta metalla, per quæ designantur
mundi regna, dum Apostoli virtute Christi
ad fidem atque obsequium ejus univer-
sum mundum converterunt, idololatriam
exstirpantes. Et hoc est quod a Sophonia
Soph. II, 11. inducitur : Horribilis Dominus super im-
pios, et attenuabit omnes deos terræ, et
adorabunt eum viri de loco suo, omnes D
insulæ gentium. Propter quod rursus ait
Is. II, 18. Propheta : Idola penitus conterentur. Vel
sic : Populi sub te cadent in corde, id est,
casus iste erit spiritualis per obedientiam
mentis, non corporalis.

7 (8) *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi :*
id est, thronus gloriæ tuæ atque judicia-
ria tua potestas, o Christe, qui es Deus
verus, æternaliter stabit, nec unquam de-
ficiet : quemadmodum ab alio dictum est,
Dan. VII, 14. Potestas ejus, potestas æterna, quæ non
auferetur, et regnum ejus quod non cor-
rumpetur; et per alium, Ipse portabit glo- Zach. VI, 13.
riam, et sedebit et dominabitur in solio
suo. *Virga directionis, virga regni tui :*
id est, lex seu doctrina tua, quæ est virga
regni tui, id est Ecclesiæ, per quam ipsa
fideles regit et judicat, est virga directio-
nis, id est justa directio et rectum judi-
cium, quia neminem palpat, et personam
non accipit. Christus enim præfixit Eccle-
siæ suæ justitiæ regulas, per quas dirigit
Christianos. De hac virga Christi Isaias
ait : Percutiet terram virga oris sui, et Is. XI, 4.
spiritu labiorum suorum interficiet impi-
um. Vel sic : Virga regni tui, id est ipsum
regimen tuum, quo regis et judicas Eccle-
siam, quæ est regnum tuum, est virga di-
rectionis, id est justa correctio, æqua re-
tributio, et gubernatio omnium directiva.
Christus namque in se ipso justus est ju-
dex, et singula rectissime atque justissime
dirigit. Unde de hac virga Christi judici-
aria apud Isaiam legitur : Non secundum Ibid. 3, 4.
visionem oculorum judicabit, neque se-
cundum auditum aurium arguet; sed ju-
dicabit in justitia pauperes, et arguet in
æquitate pro mansuetis terræ. Unde et
Christus in Evangelio ait : Nolite secun- Joann. VII, 24.
dum faciem judicare. Sed et de virga hac
regiminis Christi apud Jeremiam dicitur :
Regnabit rex et sapiens erit, et faciet ju- Jer. XXIII, 5.
dicium et justitiam in terra.

Hunc autem versiculum cum sequenti
allegat Apostolus ad Hebræos de Christo Hebr. I, 8, 9.
prædictum. Unde liquet psalmum istum ad
litteram esse de Christo conscriptum. Po-
stremo diligentissime advertendum, quod
sanctus Propheta in versu hoc aperte insi-
nuat Christum esse Deum. Nam de eodem
de quo prædixit, Speciosus forma præ fi-
liis hominum, etc., usque ad hunc ver-
sum : de eo nunc addit, Sedes tua, Deus, in
sæculum sæculi. Et quod hoc de Christo
dicatur, evidentissime patet ex eo quod
protinus de eodem, de quo prælocutus est,
subdit :

(9) *Dilexisti justitiam, et odisti iniqui-* 8
tatem : propterea unxit te Deus. Hoc enim

Digitized by Google

de Deo secundum naturam divinam non A
dicitur, quia secundum eam unctus non
est : de Deo igitur incarnato ista dicuntur.
Quamvis enim Christo secundum utramque
naturam conveniat diligere justitiam, odio-
que habere iniquitatem ; tamen præsenti
loco ista dicuntur de Christo secundum
humanitatem assumptam, quia subjungit,
Propterea unxit te Deus. In præcedenti ver-
su vocavit Christum Deum, nunc dicit
eum unctum a Deo. Innuit ergo persona-
lem esse distinctionem in Deo ; et est sen-
sus : Quia, o Christe, dilexisti justitiam, B
et odisti iniquitatem, propterea unxit te
Deus omnium, *Deus tuus* singularissimo
modo, *oleo lætitiæ,* id est gloria resurre-
ctionis et ascensionis accidentalique præ-
mio, *præ consortibus tuis,* id est prius et
plenius quam alios homines, quoniam tu
Coloss. I, 18. es primogenitus ex mortuis. Alii aliter ex-
ponunt, dicentes : Propterea unxit te Deus,
Deus tuus, oleo lætitiæ, id est dulcedine
seu plenitudine gratiæ et conservatione
ab omni peccato. Sed his obviare videtur,
quod Christus a primo suæ conceptionis C
humanæ instanti, plenus erat omni virtu-
te et gratia, nec aliquo modo meruit per
actum præcedentem gratiæ infusionem.
Posset tamen, ni fallor, dici ad hoc, quod
ista vox, Propterea, non dicit causam, sed
signum. Nam quod Christus dilexit justi-
tiam, signum est quod Deus unxit eum
oleo gratiæ, secundum quod ante indu-
Ps. XX, 4. ctum est : Prævenisti eum in benedictioni-
bus dulcedinis. Et per Isaiam ipse Chri-
Is. LXI, 1; stus : Spiritus, inquit, Domini super me, eo
Luc. IV, 18. quod unxerit me. D
9 (10) *Myrrha et gutta et casia a vestimen-*
tis tuis, a domibus eburneis. Per myr-
rham, quæ amara est, et a putrefactione
præservat cadavera, vermesque arcet, mor-
tificatio carnis accipitur : quæ concupi-
scentiarum fœtores ac vitiorum squalores
expellit, secundum quod ait Apostolus :
Rom. VIII, 1. Nihil damnationis est his qui sunt in Chri-
sto Jesu, qui non secundum carnem am-
Ibid. 13. bulant. Et iterum : Si secundum carnem
vixeritis, moriemini ; si autem spiritu fa-
cta carnis mortificaveritis, vivetis. Per
guttam vero, quæ aromatica est, et infla-
turas ac duritias tollit, humilitas designa-
tur. Unde Salomon ait : Qui mentis est *Prov.*
duræ, corruet in mala ; sed humilem spi- XXVIII, 14; XXIX, 23.
ritu suscipiet gloria. Per casiam vero, quæ
in locis humidis nascitur, et altissime cre-
scit, intelligitur Baptismus seu fides.

Est igitur sensus : *Myrrha et gutta et*
casia, id est virtutes per has species aro-
maticas significatæ, *a vestimentis tuis,* id
est a natura tua humana, o Christe, quæ
fuit quasi vestimentum divinæ tuæ natu-
ræ, procedunt et dantur Ecclesiæ tuæ :
omnis enim sufficientia ejus ex te est. Et II *Cor.* III, 5.
hæ virtutes, quantum ad actum suum, sunt
non solum a vestimentis tuis, sed etiam
a domibus eburneis, id est a castis atque
constantibus fidelium mentibus. Oportet
enim nos cooperari gratiæ Dei, et ideo
actus virtutum sunt simul a te, et ab ho-
minibus virtuosis : quibus ait Apostolus,
Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei *Ibid.* VI, 1.
recipiatis. Et ad Timotheum : Noli negli- I *Tim.* IV, 14.
gere gratiam quæ in te est, quæ data est
tibi. *Ex quibus* virtutibus *delectaverunt*
te, id est, tibi complacuerunt, *filiæ re-* 10
gum, id est animæ religiosæ, mundo et
carni atque dæmonibus dominantes, *in*
honore tuo, id est, ad honorem nominis
tui opera bona agentes. Solæ enim virtu-
tes faciunt intellectualem creaturam Deo
acceptam et gratam. Ad litteram quoque
multæ filiæ regum, videlicet Catharina,
Barbara, atque sacratissima Ursula cum
suis felicissimis ac præamandis sodalibus,
Christo propter prædictas virtutes delecta-
biliter placuerunt, ita ut ejus deliciæ sint *Prov.* VIII, 31.
esse cum talibus regum filiabus.

(11) *Adstitit,* o Christe, *regina,* id est
sponsa tua sancta Ecclesia, *a dextris tuis,*
id est in potioribus gratiæ tuæ muneribus,
et in prospero beneplacito tuo, *in vestitu*
deaurato, id est, in caritate divina sanctis
operibus adornata, *circumdata varieta-*
te, id est, undique perornata diversis cha-
rismatibus gratiæ Spiritus Sancti, atque
diversis generibus populorum, statuum, of-

Digitized by Google

ficiorum ac graduum. Adstat quippe Chri- A
sto sancta Ecclesia tanquam parata obedi-
re ejus imperio, et cooperans gratiæ sui
Sponsi, filios suos docendo, corrigendo,
perficiendo. Stat quoque a dextris ejus, et
non a sinistris, tanquam Sponso suo ca-
rissima, quemadmodum dicit et Aposto-
Ephes. v, 25-27. lus : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit
semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret,
mundans illam lavacro aquæ in verbo, ut
exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non
habentem maculam neque rugam. De hac
Christi sponsa, matre Ecclesia et regina, B
Apoc. xii, 1, 2. in Apocalypsi scriptum est : Signum ma-
gnum apparuit in cœlo : mulier amicta
sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite
ejus corona stellarum duodecim ; et cla-
mavit parturiens ut pareret. Hæc enim
mulier amicta est sole, id est Christo, sicut
Rom. xiii, 14. ait Apostolus, Induimini Dominum Jesum
Christum ; et luna, id est defectus et incon-
stantia, sub pedibus ejus. Aitque in Apo-
Apoc. xix, 7. calypsi Joannes : Venerunt nuptiæ Agni, et
uxor ejus præparavit se. Hæc autem regi-
na induta est vestitu deaurato. Nam per C
Ibid. iii, 18. aurum intelligitur caritas, juxta illud : Su-
adeo tibi emere aurum ignitum, proba-
tum. Hoc enim tepido dicitur.

Deinde huic reginæ Christique sponsæ
11 dicitur : (12) *Audi* verbum Dei : Beati enim
Luc. xi, 28. qui audiunt verbum Dei, et custodiunt il-
lud ; o *filia* in Christo, ex aqua et Spiritu
Sancto regenerata ; *et vide*, id est, per fi-
dem considera omnia quæ Christo spon-
so tuo sunt placita, *et inclina aurem tu-
am*, ut ei obedias ; *et obliviscere populum
tuum*, id est, inordinatum affectum ho- D
minum tibi notorum depone, *et domum
patris tui*, id est, societatem pravorum fu-
ge, et propinquos carnaliter diligere ces-
sa, quatenus Deo tota adhæreas. Quod si
12 feceris, tunc (13) *Et concupiscet rex deco-
rem tuum*, id est, Christus pulchritudinem
mentis tuæ amabit, *quoniam ipse est Do-
minus Deus tuus*, cui soli debes velle pla-
cere, nec alium sponsum ei præferre ; *et
adorabunt eum* omnes in ipsum credentes :
quemadmodum in Daniele scriptum est,

Omnes populi, tribus, et linguæ servient Dan. vii, 14.
ei. Ecce hic rursus testatur Psalmographus,
regem de quo nunc loquitur, scilicet Chri-
stum, esse Deum, imo et verum Deum, in
eo quod ait, Et adorabunt eum. Adoratio
namque proprie sumpta, convenit soli ve-
ro Deo. Propter hanc autem amorosam
concupiscentiam, qua Christus amat de-
corem Sponsæ suæ, in Canticis ipse ait :
Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, Cant. iv, 9.
vulnerasti cor meum ; et, Aperi mihi, soror Ibid. v, 2.
mea, amica mea, columba mea ; et, Pone Ibid. viii, 6.
me ut signaculum super cor tuum, ut si-
gnaculum super brachia tua, quia fortis
est ut mors dilectio.

(14) *Et filiæ Tyri in muneribus*. Tyrus 13
civitas erat famosa ac nobilis, vicina Ju-
dææ atque pagana : idcirco per Tyrum
designantur gentiles. Et est sensus : Non
solum ex Judæis conversi Christum ado-
rabunt, sed et filiæ Tyri in muneribus, id
est gentiles ad fidem conversi, Christum
adorabunt, munera offerendo, id est se
ipsos et sacrificium novæ legis, ac alias
oblationes tempore novæ legis consuetas
ac licitas. Et hoc est quod Isaias ait : Co- Is. xix, 21.
gnoscetur Dominus ab Ægypto, et cogno-
scent Ægyptii Dominum, et colent eum in
hostiis et muneribus. Per hæc enim atque
similia insinuatur tota gentilitas conver-
tenda ad Christum, secundum quod le-
gitur : In die illa radix Jesse qui stat in Ibid. xi, 10.
signum populorum, ipsum gentes depre-
cabuntur, et erit sepulcrum ejus glorio-
sum. Hæc in Jesu Nazareno verissime sunt
impleta. Nam et Tyrus illa multo tempore
christiano cultui dedita fuit.

*Vultum tuum deprecabuntur omnes di-
vites plebis :* id est, te ipsam seu tuam
participationem atque præsentiam, o Ec-
clesia Christi, orabunt omnes gentes ad
fidem conversæ : quæ spiritualiter divites
sunt in caritate et gratia. Jam enim vide-
mus, quod magni et parvi omnesque fi-
deles, deprecantur pastores ac sacerdotes
Ecclesiæ, quatenus orent pro se, et verbum
Dei sacramentaque Christi sibi communi-
cent, sicut apud Malachiam habetur : Labia Malach. ii, 7.

Digitized by Google

sacerdotis custodiunt scientiam, et legem A
ex ore ejus requirent. Vel sic : Vultum
tuum, o Ecclesia, deprecabuntur omnes
divites plebis, ita ut vultus tuus erit id
quod petent, non id a quo petent. Ut sit
sensus : Deprecabuntur a Deo vultum tu-
um, quatenus pertineant ad gregem cre-
dentium, quoniam extra Ecclesiam non est
Gen. VII, 23. alicui salus, sicut nec extra arcam Noe
quisquam a diluvio salvatus est.
14 (15) *Omnis gloria ejus*, utpote *filiæ re-
gis*, quæ nunc regina vocata est, et sponsa
Christi atque Ecclesia, *ab intus :* id est, B
tota perfectio fidelium in interiori mentis
decore consistit, non in exterioribus rebus
I Reg. XVI, 7. caducis ac vanis. Deus enim intuetur cor,
et mentem scrutatur; homo autem ea quæ
foris sunt adspicit. Sed quia virtus inte-
rior procedere debet in exteriores sanctas
operationes, quemadmodum Christus ait,
Luc. VI, 46. Quid vocatis me, Domine, Domine, et non
facitis quæ dico? ideo addit, *in fimbriis*
15 *aureis, circumamicta varietatibus :* id est,
gloria seu vitæ excellentia etiam consistit
in operibus caritatis ; et gloria seu perfe- C
ctio ista circumamicta est varietatibus, id
est actibus diversarum virtutum ornata :
I Cor. XIII, 4, 5. quia, ut ait Apostolus, caritas patiens est,
benigna est, non æmulatur, non agit per-
peram, non inflatur, non quærit quæ sua
sunt. Perfectio ergo christianorum animo-
rum, in interioribus maxime sita est. Pro-
Ephes. IV, 23, 24. pter quod monet Apostolus : Renovamini
spiritu mentis vestræ, et induite novum
hominem, qui secundum Deum creatus est.
II Cor. VII, 1. Et iterum exhortatur : Mundemus nos ab
omni inquinamento carnis et spiritus, per- D
ficientes sanctificationem in timore Dei.
(16) *Adducentur regi virgines post eam :*
id est, post primitivam Christi Ecclesiam
adducentur ad Christum per prædicatores
sanctos, homines mente et corpore conti-
nentes et integri ; *proximæ ejus*, id est
conjugati ac ceteri qui virginibus appro-
pinquant, quoad hoc quod voluptatibus
carnis non adhærent finaliter, *afferentur
tibi*, o Christe, per fidem et cultum devo-
tum. In ipsa enim Ecclesia congregantur
virgines et conjugati ; et omnes Christo
uniuntur per fidem et gratiam. De his
namque virginibus Christus in Evangelio
dicit : Sunt eunuchi qui se castraverunt Matth. XIX, 12.
propter regnum Dei. De quibus scriptum
est : Non dicat eunuchus, Ego lignum ari- Is. LVI, 3-5.
dum : quia hæc dicit Dominus eunuchis,
Qui custodierint fœdus meum, et elegerint
quæ volui, dabo eis in domo mea et muris
meis locum et nomen melius a filiis ac
filiabus. (17) *Afferentur in lætitia et exsul-* 16
tatione, id est, cum gaudio mentis et cor-
poris ad Christum accedent, et ei deservi-
ent ; *adducentur in templum regis*, id est
in triumphantem Ecclesiam seu regnum
cœlorum post hujus exsilii incolatum.
(18) *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii :* 17
id est, loco Patriarcharum et Prophetarum
orti sunt tibi, o Ecclesia Dei, Apostoli at-
que discipuli Christi, qui patribus suc-
cesserunt, et ex eorum semine nati sunt ;
constitues eos, o Christe, *principes super
omnem terram :* nam in illis terris, quas
sancti Apostoli ad fidem converterunt,
principatum sortiti sunt, sicut Joannes in
Asia, Andreas in Achaia, Petrus et Paulus
in Italia, Thomas et Bartholomæus in In-
dia. De hac enim missione et principatu
Apostolorum ait Christus per Isaiam : Mit- Ibid. LXVI, 19.
tam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes
in mare, in Africam, in Lydiam, tenentes
sagittam ; in Italiam et Græciam, ad insu-
las longe, ad eos qui non audierunt de
me ; et annuntiabunt gloriam meam gen-
tibus.
(19) *Memor ero* ego Propheta, auctor psal- 18
mi istius, vel ego Ecclesia, *nominis tui,
Domine* rex Christe, *in omni generatione
et generationem.* Quamdiu enim psalmus
iste a fidelibus legitur, tamdiu Propheta
Domini recordatur, quia alios ad Dei re-
cordationem inducit. Ecclesia quoque in-
desinenter nomen Christi prædicando an-
nuntiat. (20) *Propterea populi* christiani
confitebuntur tibi, id est, laudabunt te,
atque ad honorem nominis tui peccata sua
aperient, *in æternum*, id est usque ad fi-
nem mundi, quamdiu fides christiana du-

Digitized by Google

raverit, *et in sæculum sæculi :* id est, laus A
ista in præsenti vita incipitur, et in futu-
ro sæculo sine fine continuabitur.

Expositiuncula quædam alia. POSTREMO pensandum, quod triplex est
Christi sponsa, videlicet : universalis, quæ
est Ecclesia ; particularis, scilicet anima
fidelis ; et singularis, utpote Virgo divina.
Quemadmodum ergo Cantica canticorum
de hac triplici Christi sponsa exponi pos-
sunt, ita quæ nunc dicta sunt de sponsa
Christi universali, exponi possunt de spon-
sa ejus particulari ac singulari. Quælibet B
namque anima pia atque fidelis, Christo
per fidem unita, per caritatem desponsata,
atque a Christo bonis operibus fecundata,
dici potest regina, tanquam summi regis
filia, Christi coheres ac sponsa, a Spiritu
Sancto lumine gratiæ impraegnata. Et ista
regina adstat a dextris Christi in vestitu
deaurato, secundum intellectum exposi-
tum. Cetera quoque faciliter applicari pos-
sunt ad quamlibet animam sanctam.

Rursum alia expositio. Propriissime autem conveniunt ista Vir-
gini benedictæ. Ipsa est enim unica illa C
ac summa Regina adstans semper a dex-
tris Filii sui : quæ ineffabiliter delectat
Patrem æternum, et placet incomparabili-
ter Sponso ac Filio suo, quemadmodum
Cant. vi, 3. ait ad eam Sponsus cœlestis : Pulchra es,
amica mea, suavis et decora ; et iterum,
Ibid. 8. Una est columba mea, perfecta mea. Adstat
vero Regina hæc Regi gloriæ in vestitu de-
auratissimo, splendidissimo, ac rubicun-
dissimo : quoniam ipsa caritate Dei et
proximi ineffabiliter atque excellentissi-
me æstuabat, et æstuat, ardentissimo op- D
tans affectu Christi Filii sui mortem et
sanguinem fructificare in nobis, eratque
sanctis operibus penitus superplena. Pro-
Ibid. ii, 5. pter quod ipsa in Canticis proclamat : Ful-
cite me floribus, stipate me malis, quia
amore langueo. Unde de ea in Proverbiis
Prov. xxxi, 25. habetur : Fortitudo et decor indumentum
ejus. Erat etiam circumdata varietate uni-
versarum virtutum, sicut de ea Salomon
Cf Cant. iv, 11. est locutus : Inæstimabilis odor in vesti-
mentis ejus, id est mira fragrantia spiri-
tualis dulcedinis in virtutibus atque ope-
ribus suis. Nam et de tali odore Paulus
testatur : Christi bonus odor sumus in om- II Cor. ii, 14, 15.
ni loco. Et Moyses dicit : Odoratus est Gen. viii, 21.
Dominus odorem suavitatis, id est piæ de-
votionis.

Denique huic Filiæ dicitur : *Audi, filia,* 11
quæcumque in lege et Prophetis conscri-
pta sunt, et quæ loquitur in te Dominus Ps. lxxxiv, 9.
Deus ; audi etiam salutationem angelicam ; Luc. i, 28-33.
et vide, quæ, quanta et qualia Deus pro-
misit hominibus per Prophetas ; *et incli-
na aurem tuam,* ut divinæ inspirationi in
omnibus acquiescas, atque angelicæ an-
nuntiationi credas, assensumque præbeas ;
et obliviscere populum tuum, id est Israe-
lem secundum carnem et litteram, non
secundum spiritum et spiritualem inter-
pretationem, *et domum patris tui,* a quo
carnaliter genita es, quatenus patri spiri-
tuum in cunctis adhæreas. Tunc enim *con-* 12
cupiscet rex Messias Unigenitus Dei *deco-
rem tuum* interiorem, scilicet humilitatem,
castitatem, caritatem. Concupivit enim tam
vehementer Filius Dei decorem Mariæ, ut
exsultaret quasi gigas ad currendam vi- Ps. xviii, 6.
am, descenderetque in uterum ejus puris-
simum atque dulcissimum, assumens sibi
ex ea corpus humanum, ac partem virgina-
lis substantiæ suæ divinitati uniret. Hinc
namque in Canticis ait ad eam : Ostende Cant. ii, 14.
mihi faciem tuam ; sonet vox tua in auri-
bus meis. Vox enim tua dulcis, et facies
tua decora. O quantum dilexit te Deus,
Virgo dignissima ! Quam beatissima es,
Domina mea, quæ Deum verum concipere,
nutrire, parere, contrectare, lactare, oscu-
lari, amplecti, et ad incrementa usque
perducere meruisti ! Bene dicere poteras
illud Salomonis, Ego dilecto meo, et ad me Ibid. vii, 10.
conversio ejus ; illud quoque, Fasciculus Ibid. i, 12.
myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera
mea commorabitur. Nam utique frequen-
ter adolescentulus ille candidissimus puer
Jesus tecum in lectulo florido conquievit,
dormivit, et ubera tua virginea suxit, te
blande adspiciens, dulciter osculans, reve-
rentissimeque complectens.

Digitized by Google

13 *Vultum tuum,* o Domina, *deprecabun-* A
Luc. I, 48. *tur omnes divites plebis.* Beatam enim te
dicunt omnes generationes, misericordiam
tuam implorant, et ad te sicut ad beni-
gnissimam Advocatam in omni necessitate
15 confugiunt. *Adducentur regi virgines post*
eam. Omnes enim virgines ad Christum
accedentes in via per fidem, et in patria
per spem, Mariam tanquam primam et
summam sequuntur, et ejus exemplo Chri-
sto obsequuntur.

Ecce quam præclarissimus et gloriosissimus est psalmus iste. Et quæ lingua ejus B præconium digne evolvat? Sed quoniam satis difficilis est, studeamus eum clare intelligere, itemque cum devotione decenti cantare.

PRECATIO.

Fac nos, quæsumus, Deus Pater æterne, speciem et pulchritudinem unigeniti Filii tui diligere, ipsumque speciosum forma præ filiis hominum toto corde desiderare; et ut uncti oleo Sancti Spiritus, ipsius gratia semper tuis in oculis placeamus.

ARTICULUS LXXXVIII

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI QUINTI : DEUS NOSTER REFUGIUM ET VIRTUS.

Habet denique psalmus modo tractan-
1 dus, hunc titulum : *In finem, filiis Core,*
pro arcanis : id est, psalmus iste in Chri-
stum finem nostrum nos dirigens, convenit
filiis Core, id est Christi fidelibus crucifixi
vestigia digne sectantibus; pro arcanis, id
est, psalmus iste tractat de secretis Christi
mysteriis, scilicet de ejus adventu et in-
carnatione.

In horum persona loquens Propheta, ait :
2 I *Deus noster :* de quo Moyses dicit : C
Deut. VI, 13. Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli
Ibid. XXXII, 39. servies. Qui et alibi testatur : Videte quod
ego sim solus, et non sit alius Deus præter
me. Itaque iste Deus noster est *refugium,*
ad quod in omni necessitate atque periculo fiducialiter accedere debemus, ut protegamur ab ipso. Ipse enim solus, et alius nullus, salvare nos potest ab omni discrimine : ideo sequitur, *et virtus,* id est, Deus noster est fortitudo nostra, seu forte atque omnipotens refugium ad se confugi-
Is. LIX, 1. entium, quemadmodum inducitur : Ecce D
Prov. XVIII, 10. non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit. Turris enim fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus et salvabitur. Quidam autem ad eos confugiunt, qui nec se ipsos, neque ad se confugientes valent salvare. De quibus scriptum est : Oculi impiorum deficient, et Job XI, 20.
effugium peribit ab eis, et spes illorum abominatio erit. Tu ergo, propriam pensans insufficientiam, totam spem tuam in Domino fige, recolens quod Dominus ait : Perditio tua, Israel, ex te; in me tantum- Osee XIII, 9.
modo auxilium tuum. Ideo autem Job : Ecce, inquit, non est auxilium mihi in Job VI, 13.
me. Insuper Deus noster est *adjutor in tribulationibus,* sicut asseritur : Bonus Do- Nahum I, 7.
minus et confortans in die tribulationis. Unde et infra habetur : Invoca me in die Ps. XLIX, 15.
tribulationis, et eruam te. Deus igitur est adjutor noster in tribulationibus, *quæ invenerunt nos nimis,* id est, quæ abundanter venerunt super nos. Omnes enim qui II Tim. III, 12.
volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Et : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis Job XIV, 1.
miseriis. In tribulationibus namque pronissimus est Deus ad succurrendum.

Porro quæ sequuntur, multipliciter ex-

ponuntur. Possunt autem litteraliter ita
3 exponi : (2) *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris :* id est, quoniam Deus noster est nostrum refugium, nostra virtus, et noster adjutor, idcirco non timebimus, quamvis terra moveatur vehementer, et montes transferantur in profundum abyssi seu medium pelagi violenter : quia (ut
Rom. VIII, 31. ait Apostolus) Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Et scriptum est : Qui timet Deum,
Eccli. XXXIV. 16. nihil trepidabit. Ecce quanta est securitas mentis in Deo sperantis, quanta stabilitas cordis in Deum credentis. In nullo enim eventu pavebit, cujus animus in Deo veraciter fixus est. — Secundo sic : *Non timebimus,* nos in Deo confisi, *dum turbabitur terra,* id est homines terreni, qui temporalia damna atque tormenta corporalia timent : qui et in die judicii turba-
Sap. V, 1, 2. buntur timore horribili, quando justi in magna constantia stabunt : secundum quod
Job XXI, 30, 20. scriptum est, In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur, et de furore Omnipotentis bibet. *Et transferentur montes in cor maris :* id est, nec tunc timebimus, quando superbi projicientur in lacum inferni, quum dicet eis Judex,
Matth. XXV. 41. Ite, maledicti, in ignem æternum. Tunc enim justi cum securitate et gaudio au-
Ibid. 34. dient, Venite, benedicti Patris mei.

Tertio sic, ut ea quæ dicta sunt, sint verba primitivæ Ecclesiæ, quæ totam fiduciam suam in Domino collocavit, et ait : *Propterea non timebimus,* timore carnali, humano et inordinato, *dum turbabitur terra,* id est Judæa seu populus Judæorum, qui Christi discipulos ex irrationabili perturbatione passionum conabantur omnino delere et exstirpare. Unde de primitiva Ecclesia legitur, quod ita orabant, quum principes sacerdotum prohibuissent præ-
Act. IV, 29, 31. dicari nomen Domini Jesu : Da servis tuis, Domine, cum omni fiducia loqui verbum tuum. Et quum orassent, motus est locus in quo erant ; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Et transferentur montes in cor maris :* id est, nec tunc metuemus dum Apostoli, qui propter altitudinem vitæ et sapientiæ montes dicuntur, Judæam relinquent, et ad gentiles convertendos transibunt. Gentiles enim in corde maris, id est in medio mundi, habitabant : de quo infra habetur, Hoc mare magnum et Ps. CIII, 25.
spatiosum manibus ; et iterum, Veni in Ps. LXVIII, 3.
altitudinem maris. Patet itaque quod tempore divisionis Apostolorum, Christiani in Jerusalem cum Jacobo permanentes, securi atque imperterriti permanserunt, certi quod Christus protector eorum esset. Unde et beatus frater Domini Jacobus, sæculares homines parvi pendens, et Christi famulos omnia contemnentes beatificans, ait : Agite nunc, divites, plorate ululantes Jacob. V, 1, 3.
in miseriis quæ advenient vobis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. Deinde fidelibus loquens : Patientes, in- Ibid. 7, 8.
quit, estote usque ad adventum Domini, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquabit.

(3) *Sonuerunt* montes prædicti, id est, 4
sancti Apostoli Evangelium Christi prædicaverunt, *et turbatæ sunt aquæ eorum :* id est, gentes ad quas missi erant Apostoli, audita prædicatione eorum, turbatæ sunt : quædam ad impatientiam et persecutionem, quædam ad pœnitentiam et imitationem, sicut in Actibus Apostolorum frequenter narratur. *Conturbati sunt montes,* id est principales inter homines, *in fortitudine ejus,* scilicet Christi, id est ex potenti prædicatione et miraculosis operibus Apostolorum, ac aliorum Christi discipulorum. Hæc autem conturbatio accipi potest in bono et in malo. Nam quidam potentes et magni ad fidem conversi sunt, tam ex Judæis quam ex paganis, quemadmodum scriptum est : Multa etiam turba Act. VI, 7.
sacerdotum obediebat Evangelio. Quidam quoque timore ingenti turbati sunt, teste Luca : Multa, inquit, prodigia et signa Ibid. II, 43.
fiebant per Apostolos in Jerusalem, et metus magnus erat in universis. Quidam et plures prioribus conturbati sunt conturbatione maligna, videlicet perversi prin-

Digitized by Google

cipes Judæorum atque tyranni gentilium. A
Pro majori equidem parte montes sæculi, id est potentes ac nobiles, in sua malitia permanserunt. Propter quod Apostolus
I Cor. I, 26. ait : Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobi-
Jacob. II, 5. les sunt inter vos. Et Jacobus : Nonne, inquit, Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide? Omnes autem montes, id est superbi Deo rebelles, turbati sunt vel in præsenti, vel in futuro, imo et utrobique : quoniam nusquam veram pacem ha- B
Job IX, 4. bent, qui Deo resistunt, juxta illud : Sapiens corde est Deus et fortis robore. Quis restitit ei, et pacem habuit? Et per Isaiam
Is. XLVII, 3. Dominus dicit : Ultionem capiam, et non
Jer. XLIX, 19. resistet mihi homo. Et alibi : Quis similis mei? et quis sustinebit me? ait Dominus. Et quis est iste pastor qui resistat vultui meo?

Si autem quis velit ista ad litteram in sensu grammaticali accipere, tunc palam est quod etiam divina virtute montes terræ suo modo turbantur, et de locis suis C transferuntur ac comminuuntur, secun-
Job IX, 5, 6. dum quod in libro Job legitur : Qui transtulit montes, et commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutientur. Et Sal-
Marc. XI, 22, 23. vator ait : Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere, et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia
Ibid. IX, 22. quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Omnia enim (sicut scribit Marcus) possibilia sunt credenti.

5 (4) *Fluminis impetus,* id est fons sacri D Baptismatis, *lætificat,* spirituali lætitia, *civitatem Dei,* id est militantem Ecclesiam Christi. Gaudent enim fideles de sacramento ac beneficio tanto, in quo omnia peccata donantur, gratiæ infunduntur, et homo spiritualiter regeneratur. De hoc
Ezech. XLVII, 1, 9. fluminis impetu scriptum est : Ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem; et omnis anima vivens quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet. *Sanctificavit tabernaculum suum,* id est Ecclesiam electorum, seu ipsos electos, *Altissimus*
Deus, qui solus potest facere mundum de Job XIV, 4.
immundo. De hoc tabernaculo ait Apostolus : Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit II Cor. VI, 16.
Dominus : Quoniam inhabitabo in illis. Et Lev. XXVI, 12.
iterum ait : Templum Dei sanctum est, I Cor. III, 17.
quod estis vos. (5) *Deus in medio ejus non* 6
commovebitur. Hoc dupliciter legitur. Primo sic : *Deus in medio ejus,* subaudi, est, id est in ipsa civitate seu militanti Ecclesia, juxta illud : Ubi sunt duo vel tres con- Matth. XVIII, 20.
gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum; *non commovebitur,* id est, Ecclesia non cadet a fide, eo quod Christus in medio ejus sit, nec tentationibus dejicietur, secundum quod Christus Petro in persona Ecclesiæ dixit : Ecce Satanas expetivit vos Luc. XXII, 31, 32.
ut cribraret sicut triticum; ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua. *Adjuvabit eam,* scilicet Ecclesiam, *Deus mane,* id est statim quum ad eum clamaverit, *diluculo,* id est in spirituali aurora, utpote in infusione gratiæ, seu Spiritus Sancti illuminatione.

Denique locus iste potest anagogice explanari, ut sit sensus : *Fluminis impetus,* id est fons sapientiæ, seu inundatio Spiritus Sancti, vel ipsemet Deus, qui (ut scriptum est) est fluvius gloriosus *, exsi- *universus Amos VIII, 8.
liens in terram sitientem, *lætificat,* lætitia beatificæ fruitionis, *civitatem Dei,* id est triumphantem Ecclesiam. *Sanctificavit tabernaculum suum,* id est corda Beatorum, *Altissimus :* nil enim impuritatis esse potest in patria. *Deus in medio ejus* est : quia in triumphanti Ecclesia Deus facie ad faciem cernitur, quemadmodum Isaias
ait, Erit tibi Dominus in lucem perpetuam : Is. LX, 19.
idcirco *non commovebitur* Ecclesia triumphans a suæ beatitudinis statu, sed æternaliter Deo fruetur. *Adjuvabit eam,* id est civitatem cœlestem, *Deus mane diluculo,* id est, mox quum aliquem Sanctorum ad cœlos susceperit, confirmabit eum in bono, ut amplius peccare non queat.

Præterea exponi potest hic passus de Virgine gloriosa, hoc modo : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei :* id est, Ver-

Digitized by Google

bum Dei, in quo est omnium sanctarum A
deliciarum fontalis atque immensa afflu-
entia, sanctam Mariam exsultare fecit, præ-
sertim quando in uterum ejus cum omni
sua plenitudine descendit, eamque super-
implevit, atque humanam naturam ex ea
vere assumpsit. *Sanctificavit tabernacu-
lum suum Altissimus.* Nam Christus Ma-
trem quam sibi elegit et condidit, ab omni
immunditia culpæ purissimam præserva-
vit, et eam in utero suæ matris sanctifi-
cavit, ac Spiritu Sancto implevit multo
Jer. I, 5; sublimius quam Jeremiam aut Joannem Ba- B
Luc. I, 15. ptistam. *Deus in medio ejus :* nam Chri-
stus Deus et homo in sacratissimo Virginis
utero novem mensibus requievit. Ideo Vir-
go Christifera *non commovebitur* a bono in
malum, sed stabilis erit in Deo atque im-
mobilis. *Adjuvabit eam Deus mane dilu-
culo,* id est, ex utero matris suæ stabilivit
eam in omni perfectione ac gratia secun-
dum actum vel habitum, seu dispositio-
nem propinquam.

Quod vero dictum est, Deus in medio
ejus non commovebitur : secundo sic legi- C
tur, ut nihil subaudiatur, ut sit sensus :
Deus non commovebitur in medio Eccle-
siæ militantis, triumphantis, seu Mariæ
virginis. Quamvis enim Deus in se ipso
omnino impassibilis immobilisque consi-
stat, solent tamen ei adscribi quædam ad
passionem ac motum spectantia : quia cir-
ca rationalem creaturam ita se habet, qua-
si talia sibi vere competerent. Hinc enim
Malach. II, 17. apud Malachiam legitur : Laborare fecistis
Dominum in sermonibus vestris. Sequenti
Ibid. III, 9, 13. quoque capitulo Dominus : Me, inquit, D
configitis gens tota. Invaluerunt super me
verba vestra. Apostolus vero apertius ait :
Ephes. IV, 30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei. Si-
mili modo dicitur Deus commoveri, quando
a peccatore contemnitur et recedit ; dum
vero incessanter in aliquo per gratiam
manet, dicitur non commoveri.

7 (6) *Conturbatæ sunt gentes* ex prædica-
tione atque miraculis discipulorum Salva-
toris, ad pœnitentiam salutarem et admi-
rationem ; quædam vero ad obstinationem
et resistentiam. *Et inclinata sunt regna :*
id est, incolæ regnorum humiliati sunt ad
fidem et sanctam conversationem, discen-
tes a Christo quia mitis est et humilis cor- *Matth.* XI, 29.
de. Hoc est quod beatissimus Isaias de
Christo prædixit : Quia incurvabit habi- *Is.* XXVI, 5.
tantes in excelso, civitatem sublimem hu-
miliabit. Per civitatem autem sublimem
intelligit Romam, quæ tunc erat domina
mundi. De qua Propheta idem subjungit :
Conculcabit eam pes pauperis, gressus ege- *Ibid.* 6.
norum. Per pedem pauperis, Petrum pi-
scatorem intellige ; per gressum egeno-
rum, prædicationem Petri et Pauli, nihil
in hoc mundo possidere volentium. Horum
enim prædicatio, infidelem gloriam Roma-
norum atque pomposam eorum sublimita-
tem, ad christianæ humilitatis profundita-
tem perduxit. *Dedit vocem suam* Christus,
per se ipsum et prædicationem servorum
suorum ; *mota est terra* ad fidem et admi-
rationem, vel etiam ad perturbationem et
indurationem, maxime quoad Judæos : de
quibus per Isaiam Christus testatur, Israel *Ibid.* I, 3.
me non cognovit, et populus meus non in-
tellexit. Hoc quoque quod ait, Mota est
terra, convenienter refertur ad versum se-
quentem, quo dicitur :

(7) *Dominus virtutum nobiscum :* id est, 8
Christus rex gloriæ, virtus et sapientia *I Cor.* I, 24.
Patris, venit ad nos, et habitavit nobiscum
per assumptionem carnis et animæ ratio-
nalis. Et ideo subdit, *susceptor noster,* id
est, qui nostram naturam assumpsit, nos-
que redemit, est *Deus Jacob* patriarchæ, id
est verus Deus, non pura creatura, ut hæ-
retici asseruerunt. Huic autem expositioni
concordat quod Dominus asserit : Adhuc *Agg.* II, 7, 8.
unum modicum, et ego movebo cœlum et
terram, et mare et aridam ; et veniet Desi-
deratus cunctis gentibus. Circa adventum
enim et in adventu Christi motum est cœ-
lum, quando angelo pastoribus Christi na-
tivitatem annuntiante, facta est cum eo *Luc.* II, 13, 14.
multitudo cœlestis exercitus, laudantium
Deum et dicentium, Gloria in excelsis Deo ;
quando etiam stella ceteris radiantior Ma- *Matth.* II, 2, 9, 11.
gis apparuit, eosque ad Creatorem cœlo-

Digitized by Google

rum hominem factum perduxit. Terra vero A
Luc. II, 18. mota est, quando omnes mirabantur propter ea quæ a pastoribus dicebantur. Mare vero et arida mota sunt ante Christi adventum, quando per dispensationem divinam potestati Romanorum subjecta sunt regna mundi et insulæ maris. Tunc igitur venit Desideratus cunctis gentibus, id est
Gen. XLIX, 10. Christus : de quo Jacob prædixit, Ipse erit exspectatio gentium; de quo nunc quoque dicitur, Dominus virtutum nobiscum; de
Is. VII, 14; Matth. I, 23. quo alibi scriptum est, Vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus. B

Moraliter denique, *Dominus virtutum,* id est Deus Trinitas, est *nobiscum,* quando per caritatem et gratiam in nostris cordibus manet; et *susceptor noster,* id est orationum nostrarum auditor, est *Deus Jacob,* id est supplantatoris vitiorum. Qui enim vitiis reluctantur, exaudiri merentur, non quorum propositum in vitio manet. Propter quod cæcus apud Joannem
Joann. IX, 31. aiebat : Scimus quoniam peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et C voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Cui
Job VIII, 20. consonat quod alibi ait Scriptura : Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis.

9 (8) *Venite,* non tam gressibus pedum, quam fide affectuque cordium; *et videte* oculo mentis, o omnes qui vultis salvari, *opera Domini, quæ posuit prodigia super terram,* id est mirabilia opera Creatoris facta in terris. De quibus subjungitur :
10 *auferens bella usque ad finem terræ.* In Christi enim adventu inaudita pax erat in D mundo omnibus populis Romano imperio subditis : quod utique non humana, sed divina ordinatione atque potentia factum est, non propter meritum Romanorum tunc exsistentium, sed propter futuros electos. (9) *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni :* id est, pax ista insolita tam diu durabit, quod usus armorum ultra solitum tempus cessabit; sicque Deo disponente, homines bellica instrumenta in alios usus convertent, sicut quotidie fit in terris in quibus bella longo tempore conquiescunt. Et hoc est quod alibi dicitur : De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Hoc enim dicitur eo modo, quo de aliqua re ultra solitum perdurante dicimus, Istud nunquam habebit finem, quum tamen quandoque infra diem vel mensem seu horam habiturum sit finem. Is. II, 3, 4; Mich. IV, 2, 3.

Potest autem hic locus spiritualiter interpretari, ut sit sensus : *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram,* id est, incarnationem Filii, partum Virginis, passionem et resurrectionem Salvatoris : qui est *auferens bella usque ad finem terræ,* id est, qui tentationes a nobis excludit, et homines Deo reconciliavit. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, id est, gentiles atque Judæos in unitate fidei congregavit : quemadmodum legitur, Pax erit inter duos illos; et secundum Apostolum, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Ephes. II, 14. Zach. VI, 13. II Cor. V, 19. *Arcum conteret,* id est, Christus occultas malorum insidias condemnabit ac destruet, *et confringet arma,* id est persecutiones apertas ac invasiones diabolicas; *et scuta,* id est defensiones fallaces, quibus perversi suos conantur errores defendere, *comburet igni* infernali, damnando perversos, vel igne Spiritus Sancti, illuminando fideles ad resistendum errantibus.

(10) *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus.* Ecce quam pie ac dulciter exhortatur nos Dominus Deus noster. Vacate, inquit, id est, a rebus vanis et malis ac inutilibus abstrahite corda vestra, et mihi tota mente adhærete, mihi intendite, in me vestra desideria figite, in me vestras occupationes simplificate ac colligite; et videte per affectuosam contemplationem, experimentalemque gustum, quoniam ego sum Deus creator, provisor, salvator et rector vester, qui incessabilem curam de vobis habeo, vobisque semper succurrere, et 11

Digitized by Google

consolationem infundere paratus exsisto, A ita ut experimentaliter agnoscatis me esse Deum vestrum. Qui enim ista gustare et *Prov.* IV, 23. Deo sincere intendere cupit, indiget omni custodia cor suum servare, concupiscentias fugere, voluptates contemnere, dissolutiones vitare, occupationes superfluas propulsare, loquacitates abjicere, et illud *Luc.* X, 42. unum quod solum necessarium est, indesinenter appetere. Ideo Jeremias præcipit: *Jer.* IV, 3, 4. Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum.

Exaltabor in gentibus, id est, ego Unigenitus Dei ac mundi Salvator a gentibus agnoscar, et honorabor per prædicationem Apostolorum : secundum quod Isaias præ- *Is.* LII, 15. dixit : Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt ; et qui non audierunt, con- *Ibid.* 10. templati sunt. Et iterum : Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et de- *Ibid.* XXIV, 15, 16. nuo : In doctrinis glorificate Dominum. A finibus terræ audivimus laudes, gloriam Justi. Et per alium Prophetam Christus *Malach.* I, 11. ait : Ab ortu solis usque ad occasum, ma- C gnum est nomen meum in gentibus. De *Mich.* V, 4. quo et Michæas prædixit : Magnificabitur in medio universæ terræ. *Et exaltabor in terra,* id est in populo Judæorum *Rom.* XI, 25, 26. in fine sæculi. Quum enim plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus fiet. Nam usque ad finem mundi durabit Judæorum cæcitas, atque captivitas, *Dan.* IX, 26, 27. juxta illud : Finis ejus vastitas, et usque ad finem perseverabit desolatio. Circa finem autem sæculi convertentur advenien- te Elia, quemadmodum Dominus ait : Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, *Malach.* IV, 5, 6. antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ; et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.

(11) *Dominus virtutum nobiscum,* etc. 12
Versus iste propter significationis suæ dulcedinem ac dignitatem repetitur : qui jam satis declaratus videtur.

Ecce quam plenus est hic psalmus sa- B cramentis : in quo fides roboratur, spes in Deo stabilitur, fortitudo excitatur, nascentis Ecclesiæ primordia explicantur, Baptismi gratia commendatur, beneficia Dei recoluntur, Christi incarnatio designatur, fideles ad considerationem divinorum operum invitantur, divina potentia prædicatur, dulcissima atque paterna Dei admonitio continetur, Salvatoris magnificentia prædicatur, atque ad primum ac summum et suavissimum Dei beneficium, scilicet ad incarnationem ipsius, reditur : et in hoc beneficio psalmus finitur, ne aliquo modo oblivioni tradatur. Enitamur ergo psalmum tam fecundum ac pulchrum devotissime decantare.

PRECATIO.

Deus Jacob et Domine virtutum, arcum nobis adversantium contere, et eorum arma nequissima contra nos confringe : ut tua virtute ablatis bellis, perenniter tibi vacemus, et videamus quoniam tu es Deus.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXXIX

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI SEXTI : OMNES GENTES, PLAUDITE MANIBUS.

1 Titulus psalmi est : *In finem, pro filiis* A *Core, psalmus David :* cujus intellectus ex expositione titulorum præcedentium clarus est. Propheta autem in hoc psalmo fideles ad congratulandum Christo ascendenti invitat, et ad laudandum Dominum pro beneficiis ejus, et ait :

2 (1) O*MNES gentes* ad fidem conversæ, *plaudite manibus :* id est, tam cordialiter exsultate, ut ex copia interioris lætitiæ exteriora membra ad Dei honorem ac laudem extendantur, interioremque hi- B laritatem ostendant, sicut Apostolus Timo-
I Tim. II, 8. theum docens ait : Levantes puras manus
Thren. II, 19; III, 32. sine ira et disceptatione. Et Jeremias, Leva, inquit, ad Deum manus tuas, et miserebitur tui. Vel sic : Plaudite manibus, id est, bonis operibus Deum laudate et honorate. Hoc enim est optimum genus laudandi Altissimum, actibus virtuosis venerari majestatem ipsius. Propter quod scriptum
Jacob. III, 13. est : Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Ju-* C *bilate Deo,* id est, ad gloriam Dei ineffabiliter eum laudate, *in voce exsultationis,* id est cum jucundo præconio oris. Jubilus enim est inexpressibile gaudium cordis, quod nec occultari potest in toto, nec exprimi valet ex integro. Vult ergo Propheta, ut tantam Dei laudem concipiat anima nostra, quod eam ore explicare non possit.

3 (2) *Quoniam Dominus excelsus,* id est incomprehensibilis, sublimis, atque immensus ; *terribilis,* quum sit judex infallibilis, districtus, et justus ; *rex magnus* D
Esther XIII, 9. *super omnem terram :* in ditione enim ejus cuncta sunt posita, et omnia elementa ei subjecta sunt. De hac excellentia ad sanctum Job dicitur : Excelsior cœlo est, et Job XI, 8-10.
quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. Si subverterit omnia vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? Et rursus : Columnæ, inquit, cœli contremi- Ibid. XXVI, 11.
scunt et pavent ad nutum ipsius. Et alibi ait sermo divinus : Ecce cœlum et cœli Eccli. XVI, 18, 19.
cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur, montes simul et colles ; et quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Quam magnus vero et liber ac potens rex sit Deus super omnem terram, ostenditur ubi Dominus ait ad Job : Ubi eras quando ponebam fundamenta ter- Job XXXVIII, 4-6.
ræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus? et quis tetendit super eam lineam? aut super quo bases ejus consolidatæ sunt?

Potest tamen hic locus convenientius exponi, hoc modo : *Quoniam Dominus* Jesus, qui est princeps regum terræ ; *excel-* Apoc. I, 5.
sus, quia secundum divinitatem est Patri æqualis, secundum humanitatem vero dedit ei Deus nomen quod est super omne nomen creatum, videlicet esse mediatorem Dei ac hominum, dicente Apostolo, Deus Philipp. II, 9.
exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen ; *terribilis,* propter futurum judicium, sicut ipse testatur : Erunt signa in sole et luna et stellis, et in Luc. XXI, 25-27.
terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi ; et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. Ecce quam vere et inæstimabiliter terribilis Christus, qui potestatem habet et corpus et ani- Matth. X, 28.

mam perdere in gehennam ignis. *Rex ma-* A
gnus super omnem terram : id est, Jesus
Christus in toto mundo ad ipsum converso,
est rex magnus et præpotens, quemadmo-
Num. xxiv, 17, 18. dum Balaam prophetavit : Orietur stella ex
Jacob, et exsurget homo de Israel ; et erit
Idumæa possessio ejus. Per Idumæam au-
tem gentilitas designatur. Unde alia trans-
latio habet : Et erit omnis terra possessio
ejus. Propter quod Christus per Malachiam
Malach. i, 14. prophetam ait : Nomen meum horribile in
gentibus.
4 (3) *Subjecit populos nobis, et gentes sub* B
pedibus nostris. Hæc est vox Apostolorum
seu primitivæ Ecclesiæ : quibus Christus
subjecit populos, id est Judæos ad fidem
conversos, et gentiles credentes : imo Deus
vult totum mundum esse subjectum Ec-
clesiæ militanti ; et non subjectos, æterna-
liter cruciabit, quemadmodum in Isaia Ec-
Is. lx, 12. clesiæ dicitur : Gens et regnum quod non
servierit tibi, peribit.
Deinde Ecclesia electorum summum Dei
5 beneficium commemorans, dicit : (4) *Ele-*
git nobis hereditatem suam : id est, Chri- C
stus decrevit nobis dare bona cœlestia,
non terrena, felicitatem vitæ æternæ, non
prosperitatem vitæ mundanæ ; magisque
Rom. viii, 17. voluit nos facere heredes Dei, coheredes-
que sui, quam dare nobis temporalia bona,
quæ esse possunt malis ac bonis commu-
nia. Sic ergo elegit nobis, id est ad nostram
salutem, hereditatem suam, id est felicita-
tem æternam, videlicet *speciem Jacob,* id
est pulchritudinem electorum vitia sup-
plantantium, *quem* Jacob, seu designatos
per Jacob, Deus *dilexit.* Nam et sanctum D
Jacob Deus dilexit, sicut Malachias fate-
Malach. i, 2, 3. tur : Nonne frater erat Esau Jacob ? et
Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Ele-
ctos quoque per Jacob significatos dilexit
Christus, quemadmodum legitur in Apoca-
Apoc. i, 5. lypsi : Qui dilexit nos, et lavit nos a pec-
catis nostris in sanguine suo. Hereditas
itaque Dei, quam Deus elegit dare electis,
est species Jacob, id est summus ornatus
ac decor pulcherrimus electorum, quum
sit summa eorum perfectio. Propter quod
superius dictum est : Domine, dilexi de- Ps. xxv, 8.
corem domus tuæ, id est beatitudinem
patriæ.
(5) *Ascendit Deus,* id est Dei Unigenitus 6
Jesus Christus, super omnes cœlos, *in ju-*
bilo, id est in ineffabili laude et gaudio
tam sui ipsius, quam sanctæ multitudinis
quæ ipsum ascendere vidit, quam angelo-
rum sanctorum, qui ipso ascendente di-
cebant : Dominus fortis et potens, Dominus Ps. xxiii, 8, 10.
potens in prælio ; et, Dominus virtutum
ipse est rex gloriæ : sicut in expositione
psalmi vicesimi tertii plenius dictum re-
cordor. Christus quippe cum jubilo pro-
prii cordis ascendit, dicens ad angelos
sanctos : Ego qui loquor justitiam, et pro- Is. lxiii, 1.
pugnator sum ad salvandum. De Apostolis
quoque et aliis qui Christum ascendentem
videbant, scriptum est : Eduxit eos Jesus Luc. xxiv, 50-53.
foras in Bethaniam, et benedixit eis, et
ferebatur in cœlum ; et ipsi adorantes,
regressi sunt in Jerusalem cum gaudio
magno, laudantes et benedicentes Deum.
Dominus in voce tubæ : id est, Christus
ascendit cum voce tubali angelorum disci-
pulos consolantium, secundum quod in
Actis scriptum est : Quumque intuerentur Act. i, 10, 11.
in cœlum euntem illum, ecce duo viri (id
est duo angeli in forma virili) adstiterunt
juxta illos in vestibus albis, qui et dixe-
runt : Viri Galilæi, quid statis adspicientes
in cœlum ? Vel, Dominus ascendit in voce
tubæ, id est cum sonora altaque voce sui
ipsius, quia (ut dicit Lucas) elevatis mani- Luc. xxiv, 50, 51.
bus benedixit eis, et recessit ab ipsis. Et
alia multa atque sublimia dixit discipulis
ascensurus, ut in Actibus dicitur. Act. i, 3-8.
Quum ergo sit ita, o omnes fideles,
(6) *Psallite Deo nostro,* videlicet Jesu Chri- 7
sto creatori, salvatori, ac judici nostro,
psallite, id est, bonis operibus ipsum lau-
date ; *psallite regi nostro,* scilicet Christo,
qui cœlum terramque regit, et Ecclesiam
suam non deserit, *psallite.* (7) *Quoniam* 8
rex omnis terræ Deus : id est, Christus
est Dominus totius mundi in ipsum cre-
dentis. Unde dixit Apostolis : Eritis mihi Ibid. 8.
testes in Jerusalem, et in omni Judæa et

Digitized by Google

ARTICULUS LXXXIX

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI SEXTI : OMNES GENTES, PLAUDITE MANIBUS.

1 Titulus psalmi est : *In finem, pro filiis Core, psalmus David :* cujus intellectus ex expositione titulorum præcedentium clarus est. Propheta autem in hoc psalmo fideles ad congratulandum Christo ascendenti invitat, et ad laudandum Dominum pro beneficiis ejus, et ait :

2 (1) O*MNES gentes* ad fidem conversæ, *plaudite manibus :* id est, tam cordialiter exsultate, ut ex copia interioris lætitiæ exteriora membra ad Dei honorem ac laudem extendantur, interioremque hilaritatem ostendant, sicut Apostolus Timotheum docens ait : Levantes puras manus (I *Tim.* II, 8.) sine ira et disceptatione. Et Jeremias, Leva, inquit, ad Deum manus tuas, et miserebitur tui. (*Thren.* II, 19; III, 32.) Vel sic : Plaudite manibus, id est, bonis operibus Deum laudate et honorate. Hoc enim est optimum genus laudandi Altissimum, actibus virtuosis venerari majestatem ipsius. Propter quod scriptum est : Quis sapiens et disciplinatus inter vos? (*Jacob.* III, 13.) Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. *Jubilate Deo,* id est, ad gloriam Dei ineffabiliter eum laudate, *in voce exsultationis,* id est cum jucundo præconio oris. Jubilus enim est inexpressibile gaudium cordis, quod nec occultari potest in toto, nec exprimi valet ex integro. Vult ergo Propheta, ut tantam Dei laudem concipiat anima nostra, quod eam ore explicare non possit.

3 (2) *Quoniam Dominus excelsus,* id est incomprehensibilis, sublimis, atque immensus ; *terribilis,* quum sit judex infallibilis, districtus, et justus ; *rex magnus super omnem terram :* (*Esther* XIII, 9.) in ditione enim ejus cuncta sunt posita, et omnia elementa ei subjecta sunt. De hac excellentia ad sanctum Job dicitur : Excelsior cœlo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. (*Job* XI, 8-10.) Si subverterit omnia vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei? Et rursus : Columnæ, inquit, cœli contremiscunt et pavent ad nutum ipsius. (*Ibid.* XXVI, 11.) Et alibi ait sermo divinus : Ecce cœlum et cœli cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur, montes simul et colles ; et quum conspexerit illa Deus, tremore concutientur. (*Eccli.* XVI, 18, 19.) Quam magnus vero et liber ac potens rex sit Deus super omnem terram, ostenditur ubi Dominus ait ad Job : Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus? et quis tetendit super eam lineam? aut super quo bases ejus consolidatæ sunt? (*Job* XXXVIII, 4-6.)

Potest tamen hic locus convenientius exponi, hoc modo : *Quoniam Dominus* Jesus, qui est princeps regum terræ ; (*Apoc.* I, 5.) *excelsus,* quia secundum divinitatem est Patri æqualis, secundum humanitatem vero dedit ei Deus nomen quod est super omne nomen creatum, videlicet esse mediatorem Dei ac hominum, dicente Apostolo, Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen ; (*Philipp.* II, 9.) *terribilis,* propter futurum judicium, sicut ipse testatur : Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi ; et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. (*Luc.* XXI, 25-27.) Ecce quam vere et inæstimabiliter terribilis Christus, qui potestatem habet et corpus et ani- (*Matth.* X, 28.)

mam perdere in gehennam ignis. *Rex magnus super omnem terram :* id est, Jesus Christus in toto mundo ad ipsum converso, est rex magnus et præpotens, quemadmodum Balaam prophetavit : Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel ; et erit Idumæa possessio ejus. Per Idumæam autem gentilitas designatur. Unde alia translatio habet : Et erit omnis terra possessio ejus. Propter quod Christus per Malachiam prophetam ait : Nomen meum horribile in gentibus.

Num. XXIV, 17, 18.

Malach. I, 14.

4 (3) *Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris.* Hæc est vox Apostolorum seu primitivæ Ecclesiæ : quibus Christus subjecit populos, id est Judæos ad fidem conversos, et gentiles credentes : imo Deus vult totum mundum esse subjectum Ecclesiæ militanti ; et non subjectos, æternaliter cruciabit, quemadmodum in Isaia Ecclesiæ dicitur : Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit.

Is. LX, 12.

Deinde Ecclesia electorum summum Dei
5 beneficium commemorans, dicit : (4) *Elegit nobis hereditatem suam :* id est, Christus decrevit nobis dare bona cœlestia, non terrena, felicitatem vitæ æternæ, non prosperitatem vitæ mundanæ ; magisque voluit nos facere heredes Dei, coheredesque sui, quam dare nobis temporalia bona, quæ esse possunt malis ac bonis communia. Sic ergo elegit nobis, id est ad nostram salutem, hereditatem suam, id est felicitatem æternam, videlicet *speciem Jacob,* id est pulchritudinem electorum vitia supplantantium, *quem* Jacob, seu designatos per Jacob, Deus *dilexit.* Nam et sanctum Jacob Deus dilexit, sicut Malachias fatetur : Nonne frater erat Esau Jacob ? et Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Electos quoque per Jacob significatos dilexit Christus, quemadmodum legitur in Apocalypsi : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Hereditas itaque Dei, quam Deus elegit dare electis, est species Jacob, id est summus ornatus ac decor pulcherrimus electorum, quum sit summa eorum perfectio. Propter quod

Rom. VIII, 17.

Malach. I, 2, 3.

Apoc. I, 5.

A superius dictum est : Domine, dilexi decorem domus tuæ, id est beatitudinem patriæ. *Ps.* XXV, 8.

(5) *Ascendit Deus,* id est Dei Unigenitus 6
Jesus Christus, super omnes cœlos, *in jubilo,* id est in ineffabili laude et gaudio tam sui ipsius, quam sanctæ multitudinis quæ ipsum ascendere vidit, quam angelorum sanctorum, qui ipso ascendente dicebant : Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio ; et, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ : sicut in expositione B psalmi vicesimi tertii plenius dictum recordor. Christus quippe cum jubilo proprii cordis ascendit, dicens ad angelos sanctos : Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. De Apostolis quoque et aliis qui Christum ascendentem videbant, scriptum est : Eduxit eos Jesus foras in Bethaniam, et benedixit eis, et ferebatur in cœlum ; et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno, laudantes et benedicentes Deum. *Dominus in voce tubæ :* id est, Christus C ascendit cum voce tubali angelorum discipulos consolantium, secundum quod in Actis scriptum est : Quumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri (id est duo angeli in forma virili) adstiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum ? Vel, Dominus ascendit in voce tubæ, id est cum sonora altaque voce sui ipsius, quia (ut dicit Lucas) elevatis manibus benedixit eis, et recessit ab ipsis. Et alia multa atque sublimia dixit discipulis D ascensurus, ut in Actibus dicitur.

Ps. XXIII, 8, 10.

Is. LXIII, 1.

Luc. XXIV, 50-53.

Act. I, 10, 11.

Luc. XXIV, 50, 51.

Act. I, 3-8.

Quum ergo sit ita, o omnes fideles,
(6) *Psallite Deo nostro,* videlicet Jesu Christo creatori, salvatori, ac judici nostro, 7
psallite, id est, bonis operibus ipsum laudate ; *psallite regi nostro,* scilicet Christo, qui cœlum terramque regit, et Ecclesiam
suam non deserit, *psallite.* (7) *Quoniam* 8
rex omnis terræ Deus : id est, Christus est Dominus totius mundi in ipsum credentis. Unde dixit Apostolis : Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et

Ibid. 8.

Digitized by Google

Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et A
Hebr. I, 1, 2. Apostolus ait : Novissime diebus istis locu-
tus est nobis Deus in Filio, quem constituit
heredem universorum. *Psallite sapienter :*
id est, cum interiori mentis sapore cordi-
alique gustu, verba psalmodiæ proferte,
Deum laudate ac honorate, non cum vago
et arido corde : quatenus sicut gustus cor-
poris singulas alimenti particulas discer-
nit, sapit, ac digerit ; ita interior animæ
gustus singula verba Spiritus Sancti atten-
dat, gustet, atque revolvat. Hoc modo psal-
lere, est vere sapienter psallere : quoniam B
sapientia dicitur quasi sapora scientia.
Quidam vero insipienter psallunt et orant.
De quibus Dominus per Prophetam ait :
Is. XXIX, 13. Populus hic labiis me honorat ; cor autem
eorum longe est a me. Et talis laudatio si-
ve oratio infructuosa est, juxta illud Apo-
I Cor. XIV, 14. stoli : Si orem lingua, mens mea sine fru-
Ibid. 15. ctu est. Ideo subdit : Orabo spiritu, orabo
et mente ; psallam spiritu, psallam et men-
te. Quod quam salubre fructuosumque sit,
Ibid. 19. pandit subjungens : In Ecclesia volo quin-
que verba loqui sensu meo, quam decem C
millia in lingua. Studeamus ergo psallere
sapienter : quod ad nos solitarios tanto am-
plius pertinet, quanto præ ceteris ad ma-
jorem mentis puritatem tenemur. Vel sic :
Psallite sapienter, id est, Christum laudate
et colite, non solum ut hominem, sed etiam
ut verum Deum : secundum quod ait Apo-
II Cor. V, 16. stolus, Et si Christum secundum carnem
cognovimus, tamen jam nunc non no-
vimus.

9 (8) *Regnavit* * *Deus super gentes,* ad se
* Regnabit per fidem et cultum conversas. *Deus sedet* D
super sedem sanctam suam, id est, Chri-
stus sedet ad dexteram Patris in throno
majestatis. Vel, Super sedem sanctam suam,
id est in mente omnium Beatorum, secun-
Ps. LXXIX, 2. dum quod infra habetur : Qui sedes super
Cherubim, manifestare. Unde Propheta ait :
Dan. VII, 9. Adspiciebam donec throni positi sunt, et
Antiquus dierum sedit, etc. Thronus ejus
flammæ ignis, id est angeli sancti : de
Ps. CIII, 4. quibus in sequentibus scriptum est, Qui
facis angelos tuos spiritus, et ministros
tuos ignem urentem. Apostolus vero ita
allegat hunc versum : Qui facit angelos Hebr. I, 7.
suos spiritus, et ministros suos flammam
ignis.

(9) *Principes populorum congregati sunt* 10
cum Deo Abraham. Hoc communiter ita
exponitur : Principes populorum, id est
quidam ex principalibus plebis, sicut Cen-
turio et alii principes conversi, congregati
sunt cum Deo Abraham, id est, Christo,
qui est Deus Abrahæ, per fidem conjuncti
sunt. Sed convenientius magisque proprie
ad litteram de Apostolis exponendum vi-
detur : quibus Christus in Evangelio ait,
Beati oculi qui vident quæ vos videtis ; et Luc. X, 23.
iterum, Vobis datum est nosse mysterium Ibid. VIII, 10.
regni Dei ; rursusque, Non possunt filii Matth. IX, 15.
Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Spon-
sus. Ipsi enim corporaliter cum Deo Abra-
hæ, id est cum Filio Dei incarnato in
mundo, conversati sunt ; inveneruntque
pretiosissimam illam margaritam, per quam Ibid. XIII, 45, 46.
Christus in Evangelio se ipsum significat.
Et quod ista expositio sit magis ad litte-
ram, constat ex eo quod in nataliciis Apo-
stolorum cantantur verba prædicta de
Apostolis loco antiphonæ.

Quoniam dii fortes terræ, id est sancti
Apostoli per excellentiam gratiæ deificati,
et terræ (id est hominum) dii effecti, eos
regendo et instruendo, et quasi salvando,
vehementer elevati sunt : quia primitias Rom. VIII, 23.
Spiritus Sancti receperunt, tam in donis
gratum facientibus quam gratuitis, et ipsi
constituti sunt principes super omnem Ps. XLIV, 17.
terram, sicut in alio psalmo tractatum est.
Si autem scire optamus quam vehementer
elevati sunt dii terræ, id est sancti Apo-
stoli, pensemus quid eis in Evangelio Chri-
stus dicat : Quorum, inquit, remiseritis Joann. XX, 23.
peccata, remittuntur eis ; et quorum re-
tinueritis, retenta sunt. Et denuo : Vos Matth. XIX, 28.
qui secuti estis me, sedebitis super sedes
duodecim, judicantes duodecim tribus Is-
rael. Itemque : Vos estis lux mundi ; et, Ibid. V, 14, 13.
Vos estis sal terræ. Et iterum : Ecce dedi Luc. X, 19.
vobis potestatem calcandi super serpentes
et scorpiones, et supra omnem virtutem

Digitized by Google

inimici; et nihil vobis nocebit. Et rursus : A
Matth. x, 8. Mortuos suscitate, infirmos curate, lepro-
sos mundate, dæmones ejicite. Unde tales
ac tantos futuros esse Apostolos prævi-
dens Isaias, vehementer admiratus est, di-
Is. LX, 8. cens : Qui sunt isti qui ut nubes volant, et
quasi columbæ ad fenestras suas? Vola-
bant enim ut nubes, sublimiter contem-
plando, velociter per mundum currendo,
atque altissime prædicando. De quibus
Thren. IV, 7. accipi potest illud in Threnis : Candidio-
res nive, nitidiores lacte, rubicundiores
ebore antiquo. Erant nempe Apostoli can- B
didiores nive, propter splendorem sapien-
tiæ sibi infusæ; nitidiores lacte, propter
innocentiam atque munditiam vitæ; rubi-
cundiores quoque ebore antiquo, propter
ardorem caritatis divinæ atque fraternæ.
Merito ergo dii terræ dicuntur, quia do-
ctores et judices hominum facti sunt, ali-
isque excellenter prælati. Unde Dominus
ait ad Moysen : Ecce constitui te Deum *Exod.* VII, 1.
Pharaonis.

Ecce psalmus iste eloquio brevis, quam vere amœnus est, pulcher, et dulcis ac sententiosus, in quo tam repetitis vicibus ad Dei laudem excitamur : nam quinquies in eo psallere Deo admonemur.

PRECATIO.

Rex omnis terræ Deus, sedens super sedem sanctam tuam, elige nos tibi in hereditatem : ut tecum regnantes in æterna gloria, te præstante exsultemus coram te lætitia inenarrabili et glorificata : qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in omnia sæcula. Amen.

ARTICULUS XC

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI SEPTIMI : MAGNUS DOMINUS ET LAUDABILIS NIMIS.

PRÆPONITUR demum psalmo nunc expo- C
1 nendo hic titulus : *Psalmus cantici, filiis*
Core, secunda sabbati : id est, psalmus iste,
qui canticum appellatur quoniam agit de
rebus divinis, in quibus solis vera ac san-
cta exsultatio est habenda, convenit filiis
Core, id est imitatoribus Crucifixi; secun-
da sabbati, id est, tractans de his quæ
facta sunt in secunda sabbati. Prima enim
Gen. I, 1, 4. sabbati fecit Deus cœlum et terram, di-
visitque lucem a tenebris : et per hanc
mystice intelligitur dies dominicæ resur-
rectionis, in quo Christus omnia creavit. D
Ibid. 7. Secunda vero sabbati seu hebdomadæ fecit
firmamentum : per quam spiritualiter de-
signatur constitutio Ecclesiæ, quæ post
Act. II. Christi resurrectionem, adveniente Spiritu
Sancto, in Christo fundata atque firmata
est : et de hac fundatione Ecclesiæ psal-
mus iste ad litteram loqui videtur.

AIT ergo sanctus Propheta, cui Christi
mysteria excellentissime claruerunt :
(1) *Magnus Dominus et laudabilis nimis :* 2
quod licet de tota Trinitate, qualibetque
Persona divina accipi possit, propter se-
quentia tamen de Christo specialiter di-
ctum est. Ipse enim est magnus Dominus,
imo immensus et laudabilis nimis, utpote
in infinitum. Quantum enim res habet de
bonitate, in tantum laudabilis est. Quum
ergo Dei natura sit bonitas incircumscri-
pta ac pura, patet quod ipse in infinitum
laudabilis sit, nec digne, nec satis a crea-
tura laudari queat. Propterea alibi scri-
ptum est : Terribilis Dominus et magnus *Eccli.* XLIII,
vehementer, et omnipotens super omnia 30-33.
opera sua. Glorificate Dominum quantum-
cumque potueritis, supervalebit adhuc :
major est enim omni laude. *In civitate*
Dei nostri, id est in Jerusalem divino cul-

Digitized by Google

tui deputata, quam evangelista Matthæus A
Matth. xxvii, 53. appellat sanctam civitatem; specialiter tamen *in monte sancto ejus*, id est in templo
II *Par.* iii, 1. ædificato in monte Moria, seu altiori loco urbis istius. Vel, In monte sancto ejus, id
Luc. xxii, 12. est in cœnaculo, in quo ipse Christus novissimam Cœnam cum Apostolis fecit. Hoc enim cœnaculum situm fuit in monte prædicto, non longe a templo. Itaque Christus dicitur magnus et laudabilis nimis in civitate et monte prædictis, quoniam majestas atque laudabilitas ejus in hac civitate præcipue monstrata est, sicut patebit. Pro- B
Matth. xxi, 10, 11. pter quod apud Matthæum legitur : Quum intrasset Jesus Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic? Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. Maxime vero apparuit Christi majestas et laus in monte sancto hujus civitatis, id est in templo atque cœnaculo : quia in templo multa miracula fecit, quemadmodum evangelista
Ibid. 14. Matthæus ibi subjungit : Accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit omnes. C

3 (2) *Fundatur exsultatione universæ terræ :* id est, civitas sancta Jerusalem ædificata est ad magnam lætitiam omnium in toto mundo credentium : quia in ea fuit primitiva Ecclesia Christi, cœpitque fides catholica primo in ea per Apostolos prædicari, et exinde diffusa est fides Christi per omnes gentes. Propter quod per Isaiam
Is. ii, 3; *Mich.* iv, 2. scriptum est : De Sion exibit lex (haud dubium quin evangelica), et verbum Domini de Jerusalem. Ex hoc autem gaudium magnum ortum est omnibus gentibus ad Chri- D stum conversis, secundum quod legitur
Act. xiii, 46. Paulus ad Judæos dixisse : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repulistis illud, ecce convertimur ad gentes,
Ibid. 48. etc. Audientes autem gentes, gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini. Hinc quo-
Luc. ii, 10, 11. que angelus ad pastores dixit : Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Hæc enim nativitas primo prædicata est publice in Jerusalem. *Mons Sion,* qui est ex uno latere Jerusalem, *latera aquilonis,* id est pars huic monti opposita, sunt *civitas regis magni,* id est Dei altissimi. Ex extremitatibus enim partium suarum constituitur civitas; et partes simul acceptæ, sunt idem quod totum.

Potest quoque spiritualius hic locus explanari, et redit quasi in idem. *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri,* id est in Ecclesia militanti, quæ per fidem et gratiam fundata est *in monte sancto ejus,* id est in Christo, qui est mons magnus, propter omnium divinorum charismatum eminentiam. De quo in Daniele scriptum est : Lapis qui ab- *Dan.* ii, 34, 35.
scissus est de monte sine manibus, crevit in montem magnum, et implevit universam faciem terræ. Vel quod dicitur, In monte sancto ejus, est idem quod prædixit, In civitate Dei nostri : quia Ecclesia Christi est mons magnus propter altitudinem gratiæ. Propter quod apud Isaiam de ea scriptum est : Erit in novissimis diebus *Is.* ii, 2.
præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Per dies autem novissimos intelligunt tempus gratiæ atque evangelicæ legis, quæ est lex finalis ac ultima. Hoc itaque tempore fuit mons Domini, id est Ecclesia Christi, in vertice montium, id est sublimior in donis ac gratiis Spiritus Sancti Synagoga et omnium electorum ecclesia quæ a principio mundi fuit usque ad Christi adventum. Vel mons domus Domini appellatur mons Sion : qui tempore Christi fuit in vertice montium, id est altior monte Sinai et Thabor, non propter situm localem, sed propter præsentiam et prædicationem atque miracula Christi, qui in monte Sion, id est in templo et in domo cœnaculi, præsentialiter apparuit, prædicavit, et miracula maxima fecit : præsertim in cœnaculo seu concla- *Joann.* xx, 26; *Matth.* xxvi, 26 *et seq.*; *Act.* ii, 1-4.
vi, in quod ingressus est januis clausis, in quo consecravit corpus et sanguinem suum, in quo etiam misit Apostolis Spiritum Sanctum in signo visibili, dans eis omnium linguarum ac divinarum Scriptu-

Digitized by Google

rarum præclaram notitiam. *Fundatur ex-*
sultatione universæ terræ : id est, primiti-
va Ecclesia in Christo fundata stabilitaque
est ad omnium exsultationem fidelium. Ex
hoc enim quod primitiva Ecclesia tantam
a Christo gratiam et virtutem recepit, to-
tus mundus ad Christum conversus est :
ex qua conversione electi summe gavisi
sunt. *Mons Sion,* id est populus ex Judæis
conversus, *latera aquilonis,* id est genti-
les, vitiis torpidi, affectu insipidi, et in
bonis operibus frigidi. Aquilo enim est
Eccli. XLIII, 22. plaga frigida, juxta illud Ecclesiastici, Fri-
gidus ventus Aquilo flavit, et gelavit cry-
stallus ab aqua. Hi ergo sunt *civitas regis*
magni, id est Ecclesia Christi : quia in
Ephes. II, 20, 21. Christo sicut in lapide angulari, conjuncti
sunt Judæi atque gentiles, ad constituen-
dam unam civitatem seu templum, in quo
Deus per gratiam habitat. De quo templo
Zach. VI, 12, 13. in Zacharia scriptum est : Ecce vir, Oriens
(id est Messias) nomen ejus ; et ædificabit
templum Domino, id est militantem Ec-
clesiam, et consilium pacis erit inter duos
illos, id est inter montem et latera aquilo-
nis, secundum expositionem jam habitam.
Ephes. II, 12-16. Et hoc est quod ait Apostolus : Qui eratis
sine Christo et sine Deo in hoc mundo ;
nunc in Jesu Christo, qui aliquando eratis
longe, facti estis prope in sanguine ipsi-
us. Ipse enim est pax nostra, qui fecit
utraque unum, et medium parietem ma-
ceriæ solvens, inimicitias in carne sua ;
legem mandatorum decretis evacuans, ut
duos condat in semetipso in unum novum
hominem, faciens pacem per crucem, in-
terficiens inimicitias in semetipso.
4 (3) *Deus in domibus ejus,* id est a civi-
bus seu habitatoribus Jerusalem, *cogno-*
scetur, quum suscipiet eam, id est, quum
per gratiam suam vocaverit eam ad fidem
et gloriam tantam. Cognitus est namque
Luc. II. Christus a Simeone et Anna et aliis mul-
tis, in civitate Jerusalem. Vel : In domi-
bus ejus, id est in Ecclesiis particularibus
seu singulis Christi fidelibus, cognoscetur,
quum suscipiet eam, id est, quum Eccle-
siam ita illuminaverit, ut cognoscatur ab
A omnibus, quemadmodum per Isaiam præ-
dictum est : Repleta est terra scientia Do- Is. XI, 9.
mini, sicut aquæ maris operientes.
Sed quia habitatores Jerusalem inducti
sunt ad cognoscendum Christum esse na-
tum, ex adventu trium Magorum in Jeru-
salem venientium atque dicentium, Ubi Matth. II, 2.
est, qui natus est, rex Judæorum ? idcir-
co subjungitur : (4) *Quoniam ecce reges,* 5
videlicet tres Magi, *congregati sunt* cor-
poraliter, *convenerunt in unum* spiritu-
aliter, scilicet in una fide et intentione
B adorandi Christum natum. (5) *Ipsi,* id est 6
habitatores Jerusalem, scilicet Herodes et
principes sacerdotum, ac alii multi, *viden-*
tes sic Magos venire cum tanto comitatu
et gloria, *admirati sunt, conturbati sunt,*
id est inquietati propter sollicitudinem,
commoti sunt ad invidiam ; *tremor ap-* 7
prehendit eos, quia Herodes timuit regno
privari, et ex hoc ceteri Judæi timebant
magnas sibi persecutiones instare. Unde
legitur : Audiens autem Herodes rex, tur- Ibid. 3.
batus est, et omnis Jerosolyma cum eo.
C Vel sic : *Ipsi,* id est tres Magi, *videntes sic*
stellam sibi apparere, et postea disparere,
ac iterum apparere, *admirati sunt ; con-*
turbati sunt per tristitiam, quando stel-
la disparuit ; *commoti sunt* ad interro-
gandum ubi Christus nasceretur ; *tremor*
apprehendit eos, id est, timor reverentia-
lis intravit mentem eorum, ex eo quod
Spiritu Sancto revelante, cognoverunt pu-
erum quem viderunt et adoraverunt, esse
verum Deum. Unde cum metu et reveren-
tia maxima offerebant ei munera, secun-
D dum quod Isaias prædixit : Reges videbunt Is. XLIX, 7.
et consurgent principes, et adorabunt pro-
pter Dominum Deum tuum. Hoc tamen in-
telligi potest de omnibus terræ principi-
bus ad fidem conversis. (6) *Ibi,* scilicet in
terra Judææ, *dolores ut parturientis :* quia
genitrices infantium qui ab Herode occi-
debantur, tantum affligebantur de filio-
rum suorum interitu, sicut partu. *In spi-* 8
ritu vehementi, id est in ira impetuosa,
conteres, Domine Deus, id est, ab Herode
comburi permittes, *naves Tharsis.* Videns

Digitized by Google

enim Herodes se a Magis illusum, iratus A est valde; fecitque destrui naves Tharsis, eo quod audierat per eas redisse Magos ad propria.

Deinde Propheta ait in persona primitivæ Ecclesiæ, quæ Christi mysteria vidit impleri, seu omnium Christianorum, qui facta Christi fideliter contemplantur :
9 (7) *Sicut audivimus* in Scripturis divinis, *sic vidimus* oculo mentis aut corporis, *in civitate Domini virtutum,* utpote *in civitate Dei nostri,* id est in Jerusalem, quia in ea Christus apparuit, sicut Prophetæ vati- B cinati erant. Vel, In civitate Domini virtutum, id est in Ecclesia, quæ est civitas Dei, qui est Dominus virtutum, id est angelorum. *Deus fundavit eam,* id est Ecclesiam, *in æternum,* quia fides Ecclesiæ usque in finem mundi durabit, quemadmodum Christus Apostolis in persona Ecclesiæ dixit : *Matth.* XXVIII, 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

10 (8) *Suscepimus,* o *Deus* Pater, in die Purificationis, *misericordiam tuam,* id est C Christum Filium tuum nobis misericordissime missum ac natum : de quo per Isaiam *Is.* LVI, 1. dixisti, Prope est ut veniat salus mea; et *Ibid.* XLVI, 13. denuo, Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam; *in medio templi tui :* *Luc.* II, 22 *et seq.* quia tunc Virgo beata obtulit Christum in templo, suscepitque eum Simeon in ulnas suas, et Anna sancta confitebatur eidem, loquens de eo omnibus qui exspectabant consolationem Israel, quemadmodum apud Lucam legitur.

Hanc autem repræsentationem Christi D in templo, etiam Malachias propheta clarissime prædixit. Loquens enim in Christi *Malach.* III, 1. persona, Ecce, inquit, ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam : quod certum est de Christi præcursore esse prædictum. Deinde subjungit *Ibidem.* de Christi adventu, Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Porro et Aggæus propheta de eodem pulchre locutus est. Quum enim dixisset, Veniet Desideratus cunctis gentibus, *Agg.* II, 8. statim subjecit, Et implebo domum istam gloria, dicit Dominus. Scientibus autem Scripturas certum est, quod loquitur de templo in Jerusalem ædificato post reditum a captivitate Babylonica : *I Esdr.* V, 1, 2; VI, 14. ad cujus reædificationem ipse et Zacharias hortabantur Judæos. De hujus autem templi gloria subdit : *Agg.* II, 10. Magna erit gloria domus istius novissimæ, plus quam primæ, dicit Dominus. Hæc vero excellentia domus novissimæ ultra templum a Salomone ædificatum, in nullo fuit nisi quod Christus in propria persona in ea apparuit, docuit, atque miracula fecit. Alias enim templum illud novissimum, nullius erat reputationis ad templum primum a Salomone constructum. Propter quod scriptum est, quod ædificato templo secundo, illi qui viderant *I Esdr.* III, 12, 13. templum primum, vehementer lugebant; qui vero illud non viderant, multum gaudebant. Ex quibus accipi potest evidens argumentum, quod rex Messias jam venit, et in templo illo apparuit quod jam diu a Romanis destructum est.

(9) *Secundum nomen tuum, Deus, sic et* 11
laus tua in fines terræ : id est, secundum magnitudinem tuam seu nominis tui majestatem, diffusa est fama sublimitatis tuæ, et publicata dignitas tua, exhibeturque reverentia tibi in omnibus partibus mundi. Deo enim impenditur latriæ cultus, qui ei soli debetur : et ita secundum nomen suum ipse ubique honoratur, quamvis nemo possit ipsum laudare, amare, aut honorare, quantum ipse dignus exsistit. Et hoc est quod ipse Dominus apud Isaiam protestatur : *Is.* XLII, 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Quod autem secundum hoc nomen suum laudetur Deus in finibus terræ, ostendit Propheta protinus subdens : *Ibid.* 10. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ. Et iterum : *Ibid.* 12. Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. Hoc Paulus apostolus impletum esse denuntians, ait, gentibus scribens : *I Thess.* I, 9. Conversi estis ad Deum

Digitized by Google

a simulacris mutis, servire Deo viventi. A
Justitia plena est dextera tua : id est, gra-
tiosa præsentia tua, pia protectio tua, seu
propitiatio tua, o Domine, plena est æqui-
Ps. CXLIV, 17. tate. Inferius enim scriptum est, Justus
Dominus in omnibus viis suis : quia dum
impiis miseretur, juste facit ex parte suæ
bonitatis, quoniam ipse tam bonus est, ut
justum sit ipsum etiam indignis beneface-
re, ingratisque misereri; dum autem bonis
gratiam dat, justum est tam ex parte sui,
quam justorum. Vel sic : Justitia plena
est dextera tua : id est, tu ipse omnino ju-
stus es, quoad illos qui in die judicii erunt
Matth. XXV, 34. ad dexteram tuam, quibus dicturus es, Per-
cipite regnum quod vobis paratum est :
in quibus omnia bona etiam minima re-
munerabis.

12 (10) *Lætetur mons Sion,* id est primiti-
va Ecclesia in monte Sion instituta et il-
luminata, sicut jam patuit, *et exsultent
filiæ Judæ,* id est omnes successores pri-
morum fidelium, seu omnes Ecclesiæ filii,
qui sunt filiæ Judæ, id est filii confessio-
nis laudis divinæ ac propriæ culpæ. Solent
enim sancti Prophetæ nomine filiæ, vel in
singulari, vel in plurali, totum populum
Is. XLVII, 1. designare. Unde Isaias ait : Descende, sede
in pulvere, filia Babylon ; et Zacharias,
Zach. IX, 9. Exsulta satis, filia Sion ; et Sophonias,
Soph. III, 14. Exsulta in omni corde tuo, filia Jerusa-
lem. Ita hoc loco nomine filiarum Sion,
intelligitur totus fidelium populus. Hi ergo
exsultent *propter judicia tua, Domine :*
Rom. IX, 18. quibus, cui vis misereris, et quem vis
induras ; quibus justos salvas, et impios
damnas ; quibus nihil inordinatum relin-
quis ; quibus in præsenti vita bonos a ma-
lis discernis ac separas gratia, voto et me-
rito, in futuro separaturus eosdem loco ac
præmio. Hæc autem judicia Dei, sunt ipse-
met Deus omnia judicans, vel effectus di-
vinæ justitiæ.

13 (11) *Circumdate Sion :* id est, Ecclesiam
Christi verbo et opere defensate, nullum
scandalizantes, pervertentes, aut oppri-
mentes, sed fidem atque fideles totis viri-
bus protegentes, confirmantes ac veneran-
tes, ut vobis conveniat quod Habacuc ait :
Super custodiam meam stabo, et figam *Habac.* II, 1.
gradum meum super munitionem, et con-
templabor, etc. Hoc modo circumdedit Sion
sacratissimus Isaias, qui ait : Super specu- *Is.* XXI, 8.
lam Domini ego sum stans jugiter per
diem, et super custodiam meam ego sum
stans totis noctibus. Hoc ad prælatos Ec-
clesiæ potissimum pertinet. *Et complecti-
mini eam :* id est, cordiali affectu amate
Ecclesiam, et omnia membra ipsius. Qui *Rom.* XIII, 8, 10.
enim diligit proximum, legem implevit :
B quoniam plenitudo legis est dilectio. Pro-
pter quod Christus ait : Mandatum novum *Joann.* XIII, 34.
do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi
vos. Et iterum : In hoc cognoscent omnes *Ibid.* 35.
quia discipuli mei estis, si dilectionem ha-
bueritis ad invicem. *Narrate in turribus
ejus :* id est, in Ecclesiis prædicate Evange-
lium Christi. Vel : Narrate in turribus ejus,
id est, principibus atque prælatis fidelium
annuntiate Christi doctrinam, o prædicato-
res verbi Dei, quatenus secundum Christi
præcepta vivant, aliosque gubernent. Se-
C cundum quod Paulus Ecclesiæ turribus, id
est aliorum pastoribus, dicit : Attendite *Act.* XX, 28.
vobis et universo gregi, in quo posuit vos
Spiritus Sanctus episcopos, regere Eccle-
siam Dei, quam acquisivit sanguine suo.
Et Petrus : Seniores (inquit) obsecro, pasci- I *Petr.* V, 1-3.
te qui in vobis est gregem, forma gregis
effecti ex animo.

(12) *Ponite corda vestra in virtute ejus :* id 14
est, applicate mentem vestram ad cogno-
scendum ac imitandum perfectionem, seu
caritatem Ecclesiæ, ut sitis viva ac digna
D Christi membra, et non servi inutiles, ne *Matth.* XXV, 30.
projiciamini in tenebras exteriores ; *et dis-
tribuite domos ejus,* id est, ipsos Ecclesiæ
filios ordinate, et unicuique proprium of-
ficium deputate : quatenus, sicut ait Apo-
stolus, omnia decenter et secundum ordi- I *Cor.* XIV, 40.
nem fiant in vobis ; sicque unusquisque
digne ambulet ea vocatione qua vocatus *Ephes.* IV, 1.
est. Unde Moyses ait : Non transferes termi- *Deut.* XIX, 14.
nos, quos fixerunt priores in possessione
tua. Quod planius allegari solet hoc modo : *Prov.* XXII, 28.
Non transgrediaris terminos antiquos, quos

Digitized by Google

posuerunt patres tui. Et Dionysius sæpe A
affirmat, quod angeli sancti nequaquam
præsumunt aliquid agere, nisi secundum
quod eis a lege divina præfixum est. Et
nos ergo custodiamus ordinem nostrum,
faciatque unusquisque quod sibi incum-
bit; nec occupet se cum his quæ ad ip-
sum non pertinent, quia nec aliter veram
ac stabilem pacem habere poterimus.

Hæc itaque agite, o doctores, et aliorum
rectores, *ut enarretis in progenie altera,* id
est, quatenus successores vestros instrua-
tis, quum audierint vitam vestram laudabi- B
lem salutaremque doctrinam. Quid autem
15 enarrare posteris debeant, subdit: (15) *Quo-
niam hic,* id est Christus qui propter nos
incarnatus ac passus est, *est Deus* omni-
um, tanquam creator, *Deus noster,* tan-
quam noster salvator, *in æternum et in
sæculum sæculi,* id est in præsenti sæculo
et in futuro sine fine; *ipse reget nos in
sæcula,* id est, quamdiu fuerimus. Regit
enim Christus nos per sacram Scripturam,
in qua docemur quid agere debeamus;
item per angelorum custodiam, per vica- C
rios quoque suos Ecclesiarum pastores; et
etiam per semetipsum, gratiam et dona
Sancti Spiritus infundendo, per quæ in
omnibus scimus quid Deo sit placitum.
Propter quod in libro Sapientiæ dicitur:
Justum deduxit Dominus per vias rectas, *Sap.* x, 10.
et ostendit illi regnum Dei. Quod autem
in hoc versu jam dictum est, hoc idem Ec-
clesiæ Christi promittitur alibi: Lauda, *Soph.* III.
filia Sion; jubila, Israel; lætare et exsulta 14, 15, 17.
in omni corde, filia Jerusalem. Abstulit
Dominus judicium tuum, avertit inimicos
tuos; Dominus Deus tuus in medio tui
fortis, ipse salvabit te; gaudebit super te
Dominus in lætitia, silebit in dilectione tua.

Ecce psalmus iste, in profunditate sen-
suum plenus, quam copiose ac splendide
describit mysteria Christi, exordiumque
Ecclesiæ.

PRECATIO.

Qui es magnus Dominus et laudabilis
nimis in omnibus creaturis tuis, suscipe
nos ad te respirantes in misericordia tua;
pone corda nostra in virtute tua: et tu,
Deus noster, rege nos in æterna sæcula,
qui in Trinitate perfecta vivis et regnas
Deus.

ARTICULUS XCI

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI OCTAVI: AUDITE HÆC, OMNES GENTES.

Elucidandi nunc psalmi titulus talis est: D
1 *In finem, filiis Core, psalmus:* id est, psal-
mus præsens, in finem, id est in Chri-
stum et veram felicitatem nos dirigens,
convenit filiis Core, id est, imitatoribus
Christi occisi, qui Christum sequentes,
temporalem prosperitatem contemnunt, et
veram beatitudinem patriæ quærunt. Lo-
quitur namque hic psalmus contra eos,
qui tunc scandalizantur et cadunt, dum
aliquid adversitatis eis occurrit; dum vero
omnia prospera sibi succedunt, Deum glo-
rificant. De quibus ait Salvator: Quum *Luc.* VIII, 13.
audierint verbum Dei, cum gaudio susci-
piunt illud: et hi radices non habent, quia
ad tempus credunt, et in tempore tenta-
tionis recedunt. Cujus recessionis causam
Christus assignans, alibi ait: Ærumnæ *Marc.* IV, 19.
sæculi et deceptio divitiarum et circa re-
liqua concupiscentiæ, introeuntes in cor,
suffocant verbum Dei, et sine fructu effi-
citur. De prædictis quoque per Malachiam
scriptum est: Dixistis: Vanus est qui ser- *Malach.* III,
vit Domino; et quod emolumentum, quia 14, 15.

Digitized by Google

custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino? Ergo beatos nunc dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt, facientes impietatem.

CONTRA hos igitur locuturus Propheta, præmittit procemium, quatenus atten-
2 tos nos reddat, et dicit : (1) *Audite hæc,* quæ sequuntur, *omnes gentes,* quia ad omnium vestrum salutem respiciunt, nec ignorantia horum vos excusat ; *auribus* cordis et corporis *percipite, omnes qui habitatis orbem,* id est homines universi.
3 (2) *Quique terrigenæ et filii hominum.* Idem frequenter resumit, ut omnino nos sollicitos efficiat. *Simul in unum dives et pauper,* quia commune bonum vobis pro-
4 ponam. (3) *Os meum loquetur* in psalmo isto *sapientiam,* id est notitiam de rebus divinis. Tractat enim in psalmo isto quædam de Deo et beatitudine vera, quæ est vita æterna. *Et meditatio cordis mei* loquetur per os corporis *prudentiam,* id est moralem scientiam. Aliqua namque in psalmo præsenti tractantur ad formatio-
5 nem morum spectantia, sicut patebit. (4) *Inclinabo in parabolam aurem meam :* id est, ad intelligendum occultas seu mysticas inspirationes atque aliorum Sanctorum scripturas parabolice traditas, applicabo ingenium meum. Unde in Ecclesiastico
Eccli. xxxix, 1. habetur : Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. *Aperiam in psalterio,* id est in præsenti psalmo hujus libri, qui Psalterium nuncupatur, *propositionem meam,* id est cordis mei conceptum. Vel, In psalterio, id est in bona operatione, ita quod non solum dicam, quæ dicturus sum, ore et lingua, sed opere et veritate. Hoc enim necesse est, ut vita concordet doctrinæ. Nam cujus vita despicitur, ejus quoque instructio vilipenditur.

Hucusque procemium : et utique nisi quæ sequuntur valde notabilia essent, nequaquam Propheta tam præclarum prologum induxisset.

Narrationem ergo incipiens, quæstionem
A proponit : (5) *Cur timebo in die mala?* id 6
est, quid poterit mihi in die judicii esse causa timoris? vel, cur tunc timebo, si pœnitentiam modo non egero? Et hanc quæstionem proponit in persona universorum, maxime peccatorum. Et respondet : *Iniquitas calcanei mei,* id est operationis meæ (per calcaneum enim seu pedem, gressus et conversatio seu operatio designatur), *circumdabit me,* id est, undique objicietur mihi, et redundabit in me. In die namque judicii accusabitur homo a
B dæmonibus, ab angelis, a conscientia propria : imo et a Judice ipso, quemadmodum Dominus ait per Malachiam : Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris, et qui calumniantur et opprimunt pauperem, et non timuerunt me. Et Isaias ait : Ecce nomen Domini venit de longinquo ; ardens furor ejus et gravis ad portandum. Labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans ; spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas
C gentes in nihilum. Hæc ergo est causa timendi futurum judicium, quia operationum nostrarum iniquitas tunc circumdabit nos. Propter quod in Apocalypsi dicitur : Opera illorum sequuntur illos. Et Salvator ait : Amen dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Dicitur autem dies judicii mala, non a malitia culpæ, quum sit dies justissimæ remunerationis, prudentissimæ discretionis, et districtissimæ examinationis; sed a malitia pœnæ, quia multa mala pœna-
D lia erunt in eo, quemadmodum Sophonias testatur : Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. Ecce quam horrenda ac horribilissima dies, cujus horrorem tot nominibus Propheta explicare curavit.

(Malach. iii, 5. — Is. xxx, 27, 28. — Apoc. xiv, 13. — Luc. xiii, 3. — Soph. i, 15, 16.)

(6) *Qui confidunt in virtute sua,* id est, 7
qui propriis viribus se posse salvari præsumunt, et in sæculari, naturali, seu corporali potentia sperant, non in misericor-

Digitized by Google

dia et gratia Creatoris, *et in multitudine* A
divitiarum suarum gloriantur, id est, in
possessionibus seu propriis meritis atque
justitiis inordinate lætantur, non omnium
largitori gratias referendo, sed in se ipsis
quasi non acceperint, jucundando, aut
alios contemnendo. Hi tales timeant, quia
in die mala evadere non valebunt : quod
consequenter ostendit.
8 (7) *Frater non redimit,* id est, nullus
consanguineus seu propinquus alium libe-
rare poterit in die judicii, secundum quod
apud Ezechielem Dominus protestatur : B
Ezech. xiv, 13, 14, 16. Terra quum peccaverit, interficiam de ea
hominem et jumentum. Et si fuerint tres
viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job,
ipsi in justitia sua liberabunt animas suas,
filium autem et filiam non liberabunt. Et
Ibid. xviii, 20. rursus ait idem Propheta : Justitia justi
erit super eum, et impietas impii erit
super eum. Quum ergo sit ita, *redimet*
homo? Quod interrogative legendum est,
ut sit sensus : Si propinquus et frater
non redimet peccatorem, multo minus
homo, id est alius quicumque extraneus, C
seu remotus et minus propinquus, redi-
mere poterit alium. Unde et alibi Domi-
Jer. xv, 1. nus ait : Si steterint Moyses et Samuel
coram me, non est anima mea ad popu-
lum istum. *Non dabit Deo placationem*
suam : id est, peccator in die judicii Deum
placare non poterit, quia post mortem non
patet precum meritorumve locus, nec est
tunc pœnitentia fructuosa : secundum quod
Christus innuit de virginibus fatuis sero
Matth. xxv, 11, 12. venientibus atque dicentibus, Domine, Do-
mine, aperi nobis : quibus ipse respondet, D
Amen dico vobis, nescio vos. Hæc quippe
vita, est via ad vitam futuram : idcirco
hac vita finita, cessat modus merendi ac
demerendi, sicque ad aliam vitam pertin-
gendi ; sed per mortem ponitur homo in
termino motus. Unde Damascenus : Quod
angelo, inquit, est casus, hoc hominibus
9 est mors. (8) *Et pretium redemptionis ani-*
mæ suæ : id est, peccator post mortem nul-
lo genere satisfaciendi poterit animam
suam a debita pœna eruere.

Ecce quam terribilis Deus post mortem,
qui ante mortem tam misericordissime
præstolatur, sicut et Isaias ait : Propterea *Is.* xxx, 18.
exspectat Dominus, ut misereatur vestri.
Nemo igitur nostrum in sua virtute confi-
dat, nemo in sua sapientia, nemo in suis
meritis glorietur, ne sibi conveniat quod
ait Jeremias propheta : Arrogantia tua et *Jer.* xlix, 16.
superbia cordis tui decepit te. Illud quo-
que Isaiæ : Væ qui sapientes estis in ocu- *Is.* v, 21.
lis vestris. Qui iterum ait : Sapientia tua *Ibid.* xlvii, 10.
et scientia tua deceperunt te. Sed et in
spiritualibus divitiis glorianti, Joannes ait
in Apocalypsi : Dicis, Quia dives sum, et *Apoc.* iii, 17.
nullius egeo ; et nescis quia tu es miser,
et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nu-
dus. Divitibus vero, in corporalibus divi-
tiis gloriantibus, apud Lucam dicitur : Væ *Luc.* vi, 24.
vobis divitibus qui habetis consolationem
vestram.

Deinceps ponitur pœna malorum, qui in
finali judicio damnabuntur. *Et laborabit*
in æternum : id est, impius æternaliter af-
fligetur, et laboriosissima pœna torquebi-
tur, quemadmodum scriptum est : Crucia- *Apoc.* xiv, 10, 11.
bitur iniquus igne et sulfure in conspectu
angelorum sanctorum ; et fumus tormen-
torum ejus ascendet in sæcula sæculorum,
et requiem non habebit die ac nocte. *Et* 10
vivet adhuc in finem, id est, naturalem vi-
tam nunquam amittet, quamvis eam amit-
tere cupiet, sed æternaliter vivet in natu-
ra, ut incessabiliter perseveret in pœna.
Propter quod Joannes ait : In diebus illis *Ibid.* ix, 6.
quærent homines mortem, et non inve-
nient eam ; et desiderabunt mori, et fu-
giet mors ab eis. Nec dissonat quod alibi
legitur : Eligent magis mortem quam vi- *Jer.* viii, 3.
tam, omnes qui residui fuerint de genera-
tione hac pessima. Quamvis enim, secun-
dum philosophos, omne ens naturaliter
appetat esse, omneque vivens naturaliter
appetat vivere, tamen reprobi in inferno
appetent non esse, et non vivere : quo-
niam propter miseriæ vehementiam supe-
rabitur appetitus naturalis ab appetitu
sensitivo seu intellectivo. Quod vero de
peccatore jam dictum est, Laborabit in

Digitized by Google

æternum, et vivet adhuc in finem, consonat A
ei quod de reprobis in Daniele scriptum
Dan. xii, 2. est, Evigilabunt de pulvere in opprobrium ut videant semper. O quanta miseria, et quam odibile esse, semper esse, et nunquam bene esse, æternaliter permanere, et non ob aliud nisi ut æternaliter compellatur tormenta sentire! Unde ob tam infelicem ac pœnalissimum statum maledicti in inferno Deum verum et sanctum incessanter blasphemant, sicut in Apocalypsi legi-
Apoc. xvi, 10, 11. tur : Commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli B præ doloribus et vulneribus suis.

11 (9) *Non videbit interitum,* id est, peccator non considerabit post mortem temporalem instare et esse mortem æternam malignis, *quum viderit sapientes,* id est homines doctos et virtuosos, *morientes* corporaliter, sicut et ceteri moriuntur. Multi enim, ex hoc quod vident bonos et malos, sapientes et insipientes, quoad præsentem statum corporalemque vitam, æqualiter pertransire ac mori, putant non esse vitam aliam quam præsentem. Ex quo- C rum persona in libro Sapientiæ scriptum
Sap. ii, 1, 2, 6. est : Non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus, et post hæc erimus quasi non fuerimus. Venite ergo, fruamur bonis quæ sunt, etc. Et ali-
Is. xxii, 13. bi : Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.

Simul insipiens, id est divina non cognoscens, sed diabolice vivens, *et stultus,* id est nec sciens, nec operans bona, *peribunt* morte perpetua, sicut Apostolus ait :
I Cor. xiv, 38. Qui ignorat, ignorabitur. (10) *Et relinquent* D *alienis divitias suas,* id est, insipiens et stultus dimittent possessiones suas extraneis. Unde de peccatore superius dictum
Ps. xxxviii, 7. est : Thesaurizat, et ignorat cui congre-
12 gabit ea. *Et sepulcra eorum, domus illorum in æternum :* id est, impii secundum suam perfidiam æstimabunt se nunquam de terra surrecturos, sed in terra penitus relinquendos : quia non credunt quod
Dan. xii, 2. apud Danielem legitur, Qui in pulvere dormiunt, evigilabunt; et quod sanctus Job profitetur, Scio quod Redemptor meus vi- Job xix, 25.
vit, et in novissimo die de terra surrecturus sum. (11) *Tabernacula eorum in progenie et progenie :* id est, domus ab impiis ædificatæ, manent per generationes successorum suorum. Construunt enim sibi nonnunquam magna palatia, quatenus tamdiu maneant in memoriis hominum, quamdiu durant eorum structuræ. Quoniam enim non ponunt vitam futuram post istam, desiderant saltem in memoria hominum permanere. Ideo subditur, *vocaverunt nomina sua in terris suis,* id est, memorialia aliqua studuerunt relinquere posteris, ne oblivioni tradantur. Unde in Genesi filii hominum dixisse leguntur : Venite, Gen. xi, 4.
construamus turrem, cujus altitudo usque ad cœlos pertingat, et celebremus nomen nostrum super terram.

(12) *Et homo quum in honore esset,* 13
non intellexit : id est, peccator quum ad Creatoris sui imaginem factus esset, propriam dignitatem non advertit, nec rationaliter vixit, nec cœlestem atque angelicam beatitudinem concupivit, sed in rebus temporalibus atque carnalibus se immersit, nec per rationem passionibus suis prævaluit : idcirco *comparatus est jumentis insipientibus,* factus sicut equus et mulus, Ps. xxxi, 9.
in quibus non est intellectus, *et similis factus est illis,* sequendo concupiscentiæ impetum et vitiorum impulsum, non rectæ rationis imperium, neque divinæ legis censuram. De tali homine in Genesi ait Dominus : Non permanebit spiritus meus Gen. vi, 3.
in homine in æternum, quia caro est. Non enim adimplet quod Dominus ait : Sub te Ibid. iv, 7.
erit appetitus ejus, id est concupiscentia mala, et tu dominaberis illius. O quam multi sunt hodierna die prælati et doctores, ac alii multi, qui proprium honorem non intelligunt, sed inhonestissime coram Deo et turpiter atque carnaliter vivunt, et Deo ingrati rebellesque sunt!

(13) *Hæc via illorum,* id est, prædicta 14
opinio et mala conversatio, est via seu operatio impiorum, *scandalum ipsis,* id est, ad casum et mortem æternam eos per-

Digitized by Google

dia et gratia Creatoris, *et in multitudine* A
divitiarum suarum gloriantur, id est, in
possessionibus seu propriis meritis atque
justitiis inordinate lætantur, non omnium
largitori gratias referendo, sed in se ipsis
quasi non acceperint, jucundando, aut
alios contemnendo. Hi tales timeant, quia
in die mala evadere non valebunt : quod
consequenter ostendit.
8 (7) *Frater non redimit,* id est, nullus
consanguineus seu propinquus alium libe-
rare poterit in die judicii, secundum quod
apud Ezechielem Dominus protestatur : B
Ezech. xiv, 13, 14, 16. Terra quum peccaverit, interficiam de ea
hominem et jumentum. Et si fuerint tres
viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job,
ipsi in justitia sua liberabunt animas suas,
filium autem et filiam non liberabunt. Et
Ibid. xviii, 20. rursus ait idem Propheta : Justitia justi
erit super eum, et impietas impii erit
super eum. Quum ergo sit ita, *redimet
homo?* Quod interrogative legendum est,
ut sit sensus : Si propinquus et frater
non redimet peccatorem, multo minus
homo, id est alius quicumque extraneus, C
seu remotus et minus propinquus, redi-
mere poterit alium. Unde et alibi Domi-
Jer. xv, 1. nus ait : Si steterint Moyses et Samuel
coram me, non est anima mea ad popu-
lum istum. *Non dabit Deo placationem
suam :* id est, peccator in die judicii Deum
placare non poterit, quia post mortem non
patet precum meritorumve locus, nec est
tunc pœnitentia fructuosa : secundum quod
Christus innuit de virginibus fatuis sero
Matth. xxv, 11, 12. venientibus atque dicentibus, Domine, Do-
mine, aperi nobis : quibus ipse respondet, D
Amen dico vobis, nescio vos. Hæc quippe
vita, est via ad vitam futuram : idcirco
hac vita finita, cessat modus merendi ac
demerendi, sicque ad aliam vitam pertin-
gendi ; sed per mortem ponitur homo in
termino motus. Unde Damascenus : Quod
angelo, inquit, est casus, hoc hominibus
9 est mors. (8) *Et pretium redemptionis ani-
mæ suæ :* id est, peccator post mortem nul-
lo genere satisfaciendi poterit animam
suam a debita pœna eruere.

Ecce quam terribilis Deus post mortem,
qui ante mortem tam misericordissime
præstolatur, sicut et Isaias ait : Propterea *Is.* xxx, 18.
exspectat Dominus, ut misereatur vestri.
Nemo igitur nostrum in sua virtute confi-
dat, nemo in sua sapientia, nemo in suis
meritis glorietur, ne sibi conveniat quod
ait Jeremias propheta : Arrogantia tua et *Jer.* xlix, 16.
superbia cordis tui decepit te. Illud quo-
que Isaiæ : Væ qui sapientes estis in ocu- *Is.* v, 21.
lis vestris. Qui iterum ait : Sapientia tua *Ibid.* xlvii, 10.
et scientia tua deceperunt te. Sed et in
spiritualibus divitiis glorianti, Joannes ait
in Apocalypsi : Dicis, Quia dives sum, et *Apoc.* iii, 17.
nullius egeo ; et nescis quia tu es miser,
et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nu-
dus. Divitibus vero, in corporalibus divi-
tiis gloriantibus, apud Lucam dicitur : Væ *Luc.* vi, 24.
vobis divitibus qui habetis consolationem
vestram.

Deinceps ponitur pœna malorum, qui in
finali judicio damnabuntur. *Et laborabit
in æternum :* id est, impius æternaliter af-
fligetur, et laboriosissima pœna torquebi-
tur, quemadmodum scriptum est : Crucia- *Apoc.* xiv, 10, 11.
bitur iniquus igne et sulfure in conspectu
angelorum sanctorum ; et fumus tormen-
torum ejus ascendet in sæcula sæculorum,
et requiem non habebit die ac nocte. *Et* 10
vivet adhuc in finem, id est, naturalem vi-
tam nunquam amittet, quamvis eam amit-
tere cupiet, sed æternaliter vivet in natu-
ra, ut incessabiliter perseveret in pœna.
Propter quod Joannes ait : In diebus illis *Ibid.* ix, 6.
quærent homines mortem, et non inve-
nient eam ; et desiderabunt mori, et fu-
giet mors ab eis. Nec dissonat quod alibi
legitur : Eligent magis mortem quam vi- *Jer.* viii, 3.
tam, omnes qui residui fuerint de genera-
tione hac pessima. Quamvis enim, secun-
dum philosophos, omne ens naturaliter
appetat esse, omneque vivens naturaliter
appetat vivere, tamen reprobi in inferno
appetent non esse, et non vivere : quo-
niam propter miseriæ vehementiam supe-
rabitur appetitus naturalis ab appetitu
sensitivo seu intellectivo. Quod vero de
peccatore jam dictum est, Laborabit in

Digitized by Google

æternum, et vivet adhuc in finem, consonat A
ei quod de reprobis in Daniele scriptum
Dan. xii, 2. est, Evigilabunt de pulvere in opprobrium
ut videant semper. O quanta miseria, et
quam odibile esse, semper esse, et nun-
quam bene esse, æternaliter permanere, et
non ob aliud nisi ut æternaliter compella-
tur tormenta sentire ! Unde ob tam infeli-
cem ac pœnalissimum statum maledicti in
inferno Deum verum et sanctum incessan-
ter blasphemant, sicut in Apocalypsi legi-
Apoc. xvi, 10, 11. tur : Commanducaverunt linguas suas præ
dolore, et blasphemaverunt Deum cœli B
præ doloribus et vulneribus suis.

11 (9) *Non videbit interitum,* id est, pecca-
tor non considerabit post mortem tempo-
ralem instare et esse mortem æternam
malignis, *quum viderit sapientes,* id est
homines doctos et virtuosos, *morientes*
corporaliter, sicut et ceteri moriuntur.
Multi enim, ex hoc quod vident bonos et
malos, sapientes et insipientes, quoad præ-
sentem statum corporalemque vitam, æqua-
liter pertransire ac mori, putant non esse
vitam aliam quam præsentem. Ex quo- C
rum persona in libro Sapientiæ scriptum
Sap. ii, 1, 2, 6. est : Non est qui agnitus sit reversus ab
inferis. Quia ex nihilo nati sumus, et post
hæc erimus quasi non fuerimus. Venite
ergo, fruamur bonis quæ sunt, etc. Et ali-
Is. xxii, 13. bi : Manducemus et bibamus, cras enim
moriemur.

Simul insipiens, id est divina non co-
gnoscens, sed diabolice vivens, *et stultus,*
id est nec sciens, nec operans bona, *peri-
bunt* morte perpetua, sicut Apostolus ait :
1 Cor. xiv, 38. Qui ignorat, ignorabitur. (10) *Et relinquent* D
alienis divitias suas, id est, insipiens et
stultus dimittent possessiones suas extra-
neis. Unde de peccatore superius dictum
Ps. xxxviii, 7. est : Thesaurizat, et ignorat cui congre-
12 gabit ea. *Et sepulcra eorum, domus illo-
rum in æternum :* id est, impii secundum
suam perfidiam æstimabunt se nunquam
de terra surrecturos, sed in terra penitus
relinquendos : quia non credunt quod
Dan. xii, 2. apud Danielem legitur, Qui in pulvere dor-
miunt, evigilabunt; et quod sanctus Job
profitetur, Scio quod Redemptor meus vi- Job xix, 25.
vit, et in novissimo die de terra surrectu-
rus sum. (11) *Tabernacula eorum in pro-
genie et progenie :* id est, domus ab impiis
ædificatæ, manent per generationes suc-
cessorum suorum. Construunt enim sibi
nonnunquam magna palatia, quatenus tam-
diu maneant in memoriis hominum, quam-
diu durant eorum structuræ. Quoniam
enim non ponunt vitam futuram post is-
tam, desiderant saltem in memoria homi-
num permanere. Ideo subditur, *vocaverunt
nomina sua in terris suis,* id est, memo-
rialia aliqua studuerunt relinquere poste-
ris, ne oblivioni tradantur. Unde in Genesi
filii hominum dixisse leguntur : Venite, Gen. xi, 4.
construamus turrem, cujus altitudo usque
ad cœlos pertingat, et celebremus nomen
nostrum super terram.

(12) *Et homo quum in honore esset,* 13
non intellexit : id est, peccator quum ad
Creatoris sui imaginem factus esset, pro-
priam dignitatem non advertit, nec ratio-
naliter vixit, nec cœlestem atque angeli-
cam beatitudinem concupivit, sed in rebus
temporalibus atque carnalibus se immer-
sit, nec per rationem passionibus suis præ-
valuit : idcirco *comparatus est jumentis
insipientibus,* factus sicut equus et mulus, Ps. xxxi, 9.
in quibus non est intellectus, *et similis
factus est illis,* sequendo concupiscentiæ
impetum et vitiorum impulsum, non re-
ctæ rationis imperium, neque divinæ legis
censuram. De tali homine in Genesi ait
Dominus : Non permanebit spiritus meus Gen. vi, 3.
in homine in æternum, quia caro est. Non
enim adimplet quod Dominus ait : Sub te Ibid. iv, 7.
erit appetitus ejus, id est concupiscentia
mala, et tu dominaberis illius. O quam
multi sunt hodierna die prælati et docto-
res, ac alii multi, qui proprium honorem
non intelligunt, sed inhonestissime coram
Deo et turpiter atque carnaliter vivunt, et
Deo ingrati rebellesque sunt !

(13) *Hæc via illorum,* id est, prædicta 14
opinio et mala conversatio, est via seu
operatio impiorum, *scandalum ipsis,* id
est, ad casum et mortem æternam eos per-

Digitized by Google

ducens. Est enim eis talis via, ruinæ ac A
damnationis occasio. Unde Salomon dicit :
Prov. iv, 19. Via impiorum tenebrosa ; nesciunt ubi
corruunt. *Et postea in ore suo complacebunt :* id est, peccatores postquam divitias
congregaverint, et temporalia fuerint bona sortiti, sibi invicem complacebunt, se
mutuo beatificantes, collaudantes, et blan-
Ps. x, 3, sec. Hebr. dientes : sicut superius dictum est, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ
Ps. cxliii, 15. suæ ; et infra, Beatum dixerunt populum
Prov. ii, 14. cui hæc sunt. Hi enim gloriantur, quum
malefecerint, et exsultant in rebus pes- B
simis. Verumtamen ipsi miserrimi sunt,
et se mutuo fallunt, sicut Dominus per
Is. iii, 12. Isaiam contestatur : Populè meus, qui te
beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam
15 gressuum tuorum dissipant. (14) *Sicut oves in inferno positi sunt :* id est, quemadmodum oves repente et improvise ad mortem
ducuntur, et occiduntur, ita maligni subito et inopinate condemnabuntur. Quum
I Thess. v, 3. enim (ut Paulus ait) dixerint, Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet in-
teritus. Propter quod Christus hortatur : C
Marc. xiii, 35, 36. Vigilate ; nescitis enim quando Dominus
veniet, sero an media nocte, an galli cantu, an mane : ne, quum venerit repente,
Luc. xxi, 36. inveniat vos dormientes. Et, Vigilate, inquit, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia quæ ventura sunt, et
stare ante Filium hominis. *Mors depascet eos :* id est, ipsa pœna inferni, quæ morte
amarior est, erit cibus impiorum ac damnatorum : ita quod sicut esuriens cibo
impletur, sic ipsi pœnis perpetuis imple-
buntur ; et sicut per cibum conservatur D
anima in esse, sic pœna infernalis servabit
injustos in esse, semper eos torquendo, et
nunquam consumendo. Unde apud Jere-
Jer. xxiii, 15. miam Dominus ait : Ecce ego cibabo eos
absinthio, et potabo eos felle.

(15) *Et dominabuntur eorum justi in matutino :* id est, electi in resurrectione be-
Sap. v, 1. ata prævalebunt injustis. Stabunt enim in
Ibid. iii, 8. magna constantia adversus eos ; et, Judicabunt Sancti nationes, et dominabuntur
populis. Tunc namque maligni in nullo
resistere Sanctis, aut eorum felicitatem
minuere poterunt, nec ad eos ascendere,
aut eorum gloriam intueri. Justi vero,
si eis placuerit, ad damnatos descendere
poterunt, et eorum miseriam cernere, eisque justissime insultare. *Et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum :*
id est, fortitudo et spes ac omne subsidium, quæ impii habent in vita præsenti
in rebus caducis ac transitoriis, omnino
peribunt, cessabunt, et ad instar veteris
panni deficient in inferno, a præsumptione et vana exsultatione quas habuerunt in
hoc mundo : quia tunc nihil proderunt eis,
quemadmodum in libro Sapientiæ ipsi pro-
testantur : Quid nobis profuit superbia? aut Sap. v, 8, 9.
quid divitiarum jactantia contulit nobis?
Transierunt omnia illa tanquam umbra.
Et hoc est quod Dominus ad peccatores
per Ezechielem terribiliter ait : Ecce com- Ezech. xxii, 13, 14, 21.
plosi manus meas super malitias tuas.
Numquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ in diebus quos ego faciam tibi? Et conflabo et succendam vos
in igne furoris mei.

(16) *Verumtamen Deus redimet animam* 16
meam de manu inferi, id est de causa ac
merito cadendi in pœnas inferni, id est de
peccato mortali ac servitute diaboli, *quum acceperit me,* id est, quum gratiose ac misericorditer egerit mecum, vitia ignoscendo, et gratiam infundendo. Vel : Redimet
de manu inferi, id est de omni potestate
diaboli ac pœnis inferni, quum acceperit
me ad immortalem ac impassibilem statum, videlicet in die judicii, quando di-
cturus est justis : Venite, benedicti Patris Matth. xxv, 34.
mei.

(17) *Ne timueris,* timore humano et tur- 17
bulento, *quum dives factus fuerit homo*
in temporalibus ac sensibilibus bonis, *et quum multiplicata fuerit gloria domus ejus,* id est fama, honor, voluptas, fortitudo, prosperitas, atque similia, quæ sæpe in hoc mundo reprobis conceduntur.
(18) *Quoniam quum interierit, non sumet* 18
omnia, id est, nihil horum secum portabit ; *neque descendet* ad pœnas inferni,

Digitized by Google

cum eo jam mortuo et judicato, *gloria ejus*, A
id est temporalis atque mundana prospe-
I Tim. vi, 7. ritas. Unde ait Apostolus : Nihil intulimus
in hunc mundum ; haud dubium quia nec
auferre quid possumus. Et sanctus Job di-
Job xxvii, 19, 20. cit : Dives quum dormierit, nihil secum
auferet ; aperiet oculos suos, et nihil inve-
niet ; apprehendet eum quasi aqua ino-
pia. Nihil ergo sequitur morientem, nisi
merita aut demerita ejus. Propterea Salo-
Eccle. ix, 10. mon jubet : Quodcumque potest facere
manus tua, instanter operare : quia nec
opes, nec ratio, nec sapientia, nec scientia B
erunt apud inferos, quo tu properas. Et
Prov. xi, 7. rursum : Mortuo homine impio, nulla erit
ultra spes.

19 (19) *Quia anima ejus in vita ipsius bene-
dicetur :* id est, ideo non debes timere
quum dives factus fuerit homo, quia ani-
ma non benedicetur a Deo propter divi-
tias, sed propter justitiam suam : quam si
non habuerit, non benedicetur divinitus.
Vel sic : Anima ejus in vita ipsius benedi-
cetur, id est, peccator in præsenti vita ab
adulatoribus et vanis hominibus beatifica- C
bitur atque laudabitur, sicut prædictum
Ps. x, 3. sec. Hebr. est, Quoniam laudatur peccator in deside-
riis animæ suæ, et iniquus benedicitur. Po-
nit enim partem pro toto, videlicet animam
pro homine. *Confitebitur tibi*, id est, gra-
tias tibi, Domine, aget, teque laudabit,
quum benefeceris ei, id est, quum omnia
ei ad nutum succedunt, quum adversa non
sustinet, quum temporaliter prosperatur.
Sed numquid peccatum est, in prosperis
Domino confiteri ? Nonne Apostolus ait,
II Cor. ix, 15. Gratias ago Deo super inenarrabili dono D
Ibid. i, 3, 4. ejus ? Et iterum : Benedictus Deus qui con-
Is. lxiii, 7. solatur nos. Et Isaias : Miserationum, inquit,
Domini recordabor ; laudem Domini super
omnibus quæ reddidit nobis. Cur ergo opus
justi gratique hominis appropriatur nunc
impio, nisi quod justus in prosperis et ad-
versis Domino confitetur, malus autem
in prosperis tantum ? Et ideo confessio seu
gratiarum actio hominis mali, non oritur
ex caritate divina, sed ex amore privato
aut naturali, videlicet quia naturaliter
amat homo se ipsum. Naturale est enim
benefactorem laudare atque diligere. Si
autem amaret se homo in Deo ordinato
amore, tunc in omni eventu gratias age-
ret dispensationi divinæ, gloriareturque in
adversis, in quantum per talia a peccatis
purgatur, ad gratiam coaptatur, Christo
conformatur, atque ad æternam felicitatem
perducitur. Quidquid ergo nobis acciderit,
maneamus fixi in Domino. Si spiritualis
consolatio subtrahitur, si gratia secundum
desiderium nostrum non augmentatur, si
tentationes gravantur et multiplicantur,
perseveret spes nostra in Domino stabili-
ta, et faciamus quod in nobis est, sine in-
termissione ad Deum gementes, clamantes
et obsecrantes.

(20) *Introibit usque in progenies patrum* 20
suorum : id est, peccator dum morietur,
colligetur ad reprobos in inferno : qui
sunt patres ejus, quoniam opera eorum
ipse secutus est. Duæ enim sunt genera-
tiones : una bonorum, alia malorum. Quem-
admodum itaque frequenter in sacra Scri-
ptura justi dicuntur collecti ad patres, seu
ad populum suum, id est additi societati
electorum ; sic mali, dum moriuntur, ge-
nerationem seu societatem damnatorum
ingrediuntur. Sic quippe scriptum est :
Venerunt filii Israel in montem Hor, et Num. xx, 22-24.
dixit Dominus ad Moysen : Pergat, inquit,
Aaron ad populos suos. *Usque in æternum
non videbit lumen*, id est, nunquam visu-
rus est gloriam Beatorum : juxta illud,
Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Et Is. xxvi, 10, juxta LXX.
sanctus Job de tali homine ait : Oblivisca- Job xxiv, 20, 23.
tur ejus misericordia, et dulcedo illius ver-
mis. Dedit enim illi Deus locum pœniten-
tiæ, et ipse abutitur eo in superbiam. In
inferno enim nulla redemptio est, sed fle- Matth. viii, 12; xiii, 42, 50; xxii, 13, etc.
tus et stridor dentium atque palpabiles te-
nebræ ; nec unquam assurgere poterunt
condemnati ad lumen gratiæ, claritatem-
que gloriæ.

(21) *Homo quum in honore esset, non in-* 21
tellexit, etc. Versus iste propter sententiæ
suæ decorem ac utilitatem repetitur : qui
jam satis elucidatus videtur.

Digitized by Google

Ecce psalmus iste, quam pulchre temporalem prosperitatem et gloriam reprobat, atque futura impiorum tormenta demonstrat; quam pulchre peccatricis animæ ignobilitatem et cæcitatem ostendit, justorumque futurum dominium pandit. Conemur ergo temporalia cuncta despicere, florentem mundum cum omni sua voluptate
I Joann. II, 17. ac vanitate respuere, quoniam mundus transit et concupiscentia ejus. Et, sicut
Is. XL, 6, 7. Isaias asserit, Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni; exsiccatum est fœnum, et cecidit flos. Paremusque nos indesinenter ad lætam mortis susceptionem : quam secure exspectat, atque lætanter recipere potest, qui nil carnale, sæculare, aut transitorium diligit, sed toto affectu cœlestia quærit, et Deum sanctum A ac benedictum, omnis sanctæ lætitiæ fontem dulcissimum, summe desiderat, illud sapientissimi Salomonis efficaciter pensans : Nescit homo finem suum; sed sicut *Eccle.* IX, 12.
pisces capiuntur hamo et aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit.

PRECATIO.

Pie redemptor Christe, qui pro salute mundi in ligno crucis innocens pependi- B sti, et moriendo populum Sanctorum ad imperium revocasti cœlorum : tuæ, quæsumus, miserationis operatione, quum nos acceperis, animas nostras de manu inferi redime, atque eas partem beatæ resurrectionis fac obtinere.

ARTICULUS XCII

EXPOSITIO PSALMI QUADRAGESIMI NONI : DEUS DEORUM DOMINUS LOCUTUS EST.

Brevis autem est titulus psalmi præsen-
1 tis, videlicet : *Psalmus Asaph.* Secundum Hieronymum vero et Hebræorum doctores, Asaph erat propheta, et auctor psalmi istius. Secundum Augustinum autem, David est auctor psalmi hujus, et adscribitur
I Par. XXV, 1, 2. Asaph sicut cantori, quoniam erat unus de principalibus cantoribus a David in templo dispositis. Secundum Cassiodorum quoque, Asaph ponitur hic pro titulo propter nominis sui interpretationem : interpretatur enim congregatio. De congregatione autem fidelium tractat hic psalmus. Denique psalmus iste mysteriis Christi plenus est, de novæ legis institutione ac veteris Testamenti cessatione, et duplici Christi adventu, multisque aliis loquens.

Ait ergo Propheta : (1) *Deus deorum Dominus,* id est Christus Unigenitus Dei, Deus verus angelorum, hominumque sanctorum Dominus, *locutus est* nobis in C carne assumpta per se ipsum, sicut ait Apostolus : Novissime diebus istis locutus *Hebr.* I, 1, 2.
est nobis in Filio. Quemadmodum Filius Dei per Isaiam promisit : Propter hoc sci- *Is.* LII, 6.
et populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Dicuntur autem angeli sancti et homines virtuosi, dii, quoniam excellentius divinæ naturæ perfectionem participant, et de talibus diis Moyses ait : Diis non detrahes. *Exod.* XXII, 28.
Et Salvator, Illos (inquit) dixit deos, ad *Joann.* X, 35.
quos sermo Dei factus est. *Et vocavit terram,* id est, Christus per se ipsum atque D discipulos, homines vocavit ad fidem et cultum suum. Et hoc, (2) *A solis ortu usque ad occasum,* id est ex omnibus partibus mundi : sicut prædictum est, quia in omnem terram exivit sonus eorum. Et *Ps.* XVIII, 5.
Christus alibi ait : Convertimini ad me, et *Is.* XLV, 22.
salvi eritis, omnes fines terræ. Et : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos *Matth.* XXVIII, 19.
in nomine Patris, et Filii, et Spiritus San-

Digitized by Google

Marc. xvi, 15. cti. Quod alibi clarius dicitur : Euntes in A mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

2 *Ex Sion species decoris ejus :* id est, ex monte Sion et civitate sancta Jerusalem prædicata ac publicata est primo pulchritudo seu claritas evangelicæ legis, seu humanæ naturæ Christi, divinitatisque ejus. Jam enim in præcedentium psalmorum explanatione ostensum est, quomodo evangelica lex instituta est a Christo in die Cœnæ et Pentecostes, seu aliis certis temporibus, in monte Sion; et quomodo in B Jerusalem primo prædicata est resurrectio atque Evangelium Christi, quemadmodum
Is. ii, 3. ab Isaia prædictum est, De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. De hac autem datione ac institutione novæ legis,
Jer. xxxi, 31, 33. Jeremias apertissime prophetavit : Ecce, inquiens, dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda pactum novum; et scribam leges meas in corde eorum.

3 (3) *Deus manifeste veniet.* Hic tractat Propheta de secundo Christi adventu, qui C erit in majestate et gloria, sicut primus erat in humilitate et pœna. Quia enim primo Christus venit ut judicaretur ac pateretur, oportuit primum suum adventum
I Cor. ii, 8. quodammodo esse occultum : quoniam si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quia vero secundo Christus venturus est ut judicet mundum, idcirco secundus ejus adventus erit omnibus manifestus. Propter quod Christus Judæis di-
Matth. xxvi, 64; Luc. xxi, 27. xit : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem D in nubibus cœli cum potestate magna et
Luc. xvii, 24. majestate. Et : Sicut fulgur coruscans de cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget; ita erit adventus Filii hominis. *Deus noster,* videlicet Jesus Christus, qui est verus Deus, æternus, immensus et supersubstantialis; *et non silebit* in secundo adventu sicut in primo. In secundo enim adventu cuncta discutiet, sententiam proferet, et pœnas infliget. Sic autem in primo adventu non habuit se, secundum quod ipse in Evangelio asserit : Non misit Deus Filium Joann. iii, 17. suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et hoc est quod ipse per Isaiam testatur : Tacui, sem- Is. xlii, 14. per silui, patiens fui; sicut parturiens loquar; dissipabo et absorbebo simul. Et per Amos : Ecce ego stridebo subter vos, Amos ii, 13, 14. sicut stridet plaustrum onustum fœno; et peribit fuga a veloce, et fortis non salvabit animam suam.

(4) *Ignis in conspectu ejus exardescet.* Sicut mundus primo per diluvium periit, sic ultimo peribit per ignem conflagrationis : qui terram et mare exuret, aeremque purgabit, ac peccatores durante judicio inflammabit, et eos prolata sententia simul involvet, atque cum eis in infernum descendet, quantum ad id quod caliditatis fumositatisque habebit; quod vero claritatis ac lucis in ipso exstiterit, ad superiora ascendet. Secundum Basilium, tam alte quoque ascendet ignis conflagrationis ut aqua diluvii, scilicet quindecim cubitis Gen. vii, 20. super omnes montes, ut creditur. De isto itaque igne nunc ait : Ignis in conspectu ejus exardescet. Præcedet enim Christi descensum, et durabit usque ad finem judicii. *Et in circuitu ejus,* scilicet Christi judicis, erit *tempestas valida,* id est strepitus ingens, gemitus vehemens, ululatus atque ploratus. Videntes enim impii Judicem venientem ac discutientem, turbabuntur timore horribili, dicentes : Montes, ope- Osee x, 8; rite nos; et, colles, cadite super nos, et Luc. xxiii, 30; Apoc. vi, 16. abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. De hujus diei tempestate horrenda apud Joelem scriptum est : Conturbentur omnes habitatores ter- Joel ii, 1-3, 6, 10. ræ, quia veniet dies Domini, dies tenebrarum et caliginis. Similis ei non fuit a principio, et post eum non erit. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum exurens flamma. Omnes vultus redigentur in ollam. A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli, sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.

(5) *Advocabit cœlum desursum :* id est, 4
Christus ad judicium veniens, convocabit

et secum adducet omnes cœlestis patriæ
cives, scilicet angelos sanctos, omnesque
Beatos, qui etiam visibiliter tunc omnibus
apparebunt, secundum Gregorium. Unde
Zach. xiv, 5, 6. in Zacharia legitur : Veniet Dominus Deus
meus, omnesque Sancti ejus cum eo. Et
erit in die illa : non erit lux, sed frigus et
gelu, id est tempestas (ut dictum est) vali-
da. Nam et Christus in nocte venturus est.
Is. iii, 14. Hinc per Isaiam dicitur : Dominus ad ju-
dicium veniet cum senibus populi sui et
Judæ 14, 15. principibus ejus. Unde et Judas ait : Pro-
phetavit autem de his septimus ab Adam
Enoch, dicens : Ecce veniet Dominus in
sanctis millibus suis facere judicium, et
arguere omnes impios de omnibus operi-
bus impietatis eorum, et de omnibus du-
ris quæ locuti sunt contra Dominum. *Et
terram :* id est, Christus ad judicium vo-
cabit habitatores terræ, videlicet omnes
homines, eos potissimum qui per ignem
conflagrationis consumpti erunt, et omnes
quorum corpora suscitabit. Propter quod
Joann. v, 28. in Evangelio testatus est : Veniet hora, in
qua omnes qui in monumentis sunt, au-
dient vocem ejus. *Discernere populum su-
um :* id est, Christus ideo cœlum et terram
advocabit, quatenus ipse eis præsentibus
populum suum discernat, id est, electos a
Matth. xxv, 32, 33; iii, 12. reprobis dividat, et agnos ab hœdis loco
ac præmio separet, congregans triticum
in horreum suum, paleas vero comburens
igne inexstinguibili. Unde Dominus ait :
Joel iii, 2, 12. Congregabo omnes gentes, et deducam eas
in vallem Josaphat, et disceptabo ibi cum
eis, quia sedebo ut judicem omnes gentes
in circuitu.

Sed quia adductio ista fiet ministerio
angelorum (ipsi enim cineres corporum
resuscitandorum colligent, resuscitatosque
ad judicium deferent), idcirco consequen-
5 ter ad angelos dicitur : (6) *Congregate illi,*
id est Christo judici, *Sanctos ejus,* qui ei
in hac vita sancte servierunt, quatenus
mercedem dignam ac plenam recipiant,
suoque Capiti in æternum adhæreant. Un-
Matth. xiii, 41, 42. de Christus de se ipso professus est : Mit-
tet Filius hominis angelos suos, et colli-
A gent de regno ejus omnia scandala, et eos
qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in
caminum ignis. Et iterum : In consumma- *Matth.* xiii, 49.
tione sæculi exibunt angeli, et separabunt
malos de medio justorum. Itaque, Congre-
gate illi Sanctos ejus, *qui ordinant testa-
mentum ejus super sacrificia,* id est, qui
in militanti Ecclesia disponunt quemad-
modum exsequenda sint mandata divinæ
legis circa oblationes et sacrificia. Quam-
vis enim Christus præceperit sibi offerri
sacrificia aliqua tam in novo quam in ve-
B teri Testamento : non tamen determinavit
omnem modum ac ritum quibus hoc fieri
debeat ; sed hoc ordinationi Sanctorum,
quos Spiritu Sancto implere decrevit, re-
liquit, sicut circa Missæ officium multa a
sanctis sunt Patribus ordinata.

(7) *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus:* 6
id est, angeli sancti, hominesque perfecti,
qui in die judicii cum Christo judicabunt
tanquam assessores ipsius, approbabunt
atque laudabunt sententiam Judicis et re-
munerationem quam unicuique faciet. Et
C hoc agent, *quoniam Deus judex est,* id est,
quoniam scient quod ille qui judicat, nec
falli, nec fallere potest, nec personas ac-
cipere, nec aliquid dissimulare, quum ipse
sit Deus, in quem error et injustitia cade-
re nequeunt. Si vero judex iste esset pura
creatura, non videretur adeo tutum, ap-
probare judicium ejus, quoniam creatura
errare potest ac falli. Vel sic : Et annun-
tiabunt cœli, id est Apostoli ac alii præ-
dicatores sancti cœlestem vitam in terra
ducentes, justitiam ejus, id est præcepta
D atque consilia Christi, per universum or-
bem terrarum. Ad utramque autem exposi-
tionem referri potest quod in Apocalypsi
Sancti dixisse prophetice describuntur :
Magna et mirabilia sunt opera tua, Domi- *Apoc.* xv, 3, 4.
ne Deus ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex
sæculorum. Quis non timebit te, et magni-
ficabit nomen tuum ? Et iterum : Etiam, *Ibid.* xvi, 7.
Domine Deus omnipotens, justa ac vera
judicia tua.

Deinde agitur de institutione evangeli-
cæ legis, aitque Salvator, qui in unitate

Digitized by Google

7 personæ est Deus ac homo : (8) *Audi, po-* A
pule meus : id est, aure cordis et corporis
auscultate, o Judæi, qui eratis populus Dei
peculiaris : quemadmodum Moyses scribit,
Deut. VII, 6. Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei po-
pulus peculiaris de cunctis populis qui
sunt super terram ; *et loquar* doctrinam
perfectam. *Israel, et testificabor tibi.* Po-
pulum suum jam repetit, vocans eum Is-
rael, quia de semine Jacob, quem angelus
Gen. XXXII, 28. Israel appellavit, nati sunt. Sæpe namque
nomine Israel designatur totus populus Ju-
dæorum, secundum quod ad Pharaonem B
Exod. IV, 22. 23. Dominus dicit : Filius meus primogenitus
Israel. Dixi tibi, Dimitte filium meum, ut
sacrificet mihi. Moraliter quoque, per Is-
rael intelligitur etiam militans Ecclesia,
seu quilibet homo Deum contemplans. Ait
ergo Christus : Israel, et testificabor tibi,
id est, o filii Israel, ad quos specialiter
missus sum, audite, et testificabor, id est,
verbis, virtutibus atque miraculis affirma-
bo quod sequitur : *Deus, Deus tuus ego*
sum. Christus enim in propria persona
prædicavit Judæis, seque Deum esse sæpe C
Joann. V, 18. asseruit. Unde scriptum est : Quærebant
Judæi eum interficere, quia non solum
solvebat sabbatum, sed et patrem suum
dicebat Deum, æqualem se Deo faciens.
Ibid. VIII, 25. Quumque dixissent ei Judæi, Tu quis es?
respondit : Principium, qui et loquor vo-
bis. Et hoc idem Christus miraculis con-
Ibid. X, 37, 38. firmavit. Propter quod ipse ait : Si non
facio opera Patris mei, nolite credere mi-
hi ; si autem facio, et si mihi non creditis,
operibus credite.

8 (9) *Non in sacrificiis tuis arguam te :* id D
est, propter omissionem sacrificiorum le-
galium non reprehendam te tempore no-
væ legis et gratiæ, quia tunc cessant ; *ho-*
locausta autem tua in conspectu meo sunt
semper. Negatio quæ in principio versus
ponitur, hic repetenda est, sicut in versu
Ps. XLVIII, 8. 9. præcedentis psalmi, ubi dictum est : Non
dabit Deo placationem suam, et pretium
redemptionis animæ suæ, id est, nec pre-
tium redemptionis suæ. Est igitur sensus :
Sicut in sacrificiis omissis non arguam te,
sic holocausta tua legalia mihi amplius
accepta non sunt. Quomodo autem diffe-
rant sacrificium et holocaustum, et de
modo ac tempore cessationis eorum, di-
ctum est satis prolixe in expositione psal-
mi tricesimi noni, cujus exordium est, Ex-
spectans exspectavi Dominum.

(10) *Non accipiam,* tempore novæ legis, 9
de domo tua vitulos, neque de gregibus
tuis hircos, ut offerantur eo modo sicut
in veteri Testamento offerebantur, quam-
vis alio modo offerri possint ministris Ec-
clesiæ seu pauperibus propter Deum ad
sustentaculum vitæ. (11) *Quoniam meæ* 10
sunt omnes feræ silvarum, id est animalia
silvestria, *jumenta in montibus et boves,*
id est animalia domestica. Omnia namque
creavi. (12) *Cognovi omnia volatilia cœli* 11
aerii : idcirco necesse non est ut in tem-
plo meo conspectui repræsententur. *Et*
pulchritudo agri mecum est, id est, omnis
fecunditas atque ornatus terræ mihi inno-
tescit, et in mea potestate consistit : unde
nec sacrificiis, quæ de fructibus terræ fie-
bant, indigeo. (13) *Si esuriero, non dicam* 12
tibi : non quod Deus in sua natura un-
quam esuriat ; sed sensus est : Si sic me-
cum dispositum esset, quod cibo aut potu
egerem, non necesse haberem hoc tibi in-
sinuare, aut a te aliquid postulare ; *meus*
est enim orbis terræ et plenitudo ejus : sic-
ut superius dictum est, Domini est terra *Ps.* XXIII, 1.
et plenitudo ejus. Ex his autem confundi-
tur error dicentium Deum hæc inferiora
vel non creasse, vel non cognoscere parti-
culariter et distincte, nec providentiam
eorum habere. (14) *Numquid manducabo,* 13
ego æternus et incommutabilis Deus, *car-*
nes taurorum, qui offeruntur, *aut sangui-*
nem hircorum immolatorum *potabo,* ego
incorporeus Deus, in me ipso omnino per-
fectus ac plenus? Non utique.

Quum ergo sit ita, o Ecclesia catholica,
(15) *Immola Deo* Patri, totique Trinitati, 14
sacrificium laudis, id est Sacramentum
corporis et sanguinis Christi : quod est sa-
crificium per se intentum, receptum, ac
ultimum, in quo beneficia Dei recoluntur,

Digitized by Google

nostra peccata purgantur, et Deus summe honoratur; *et redde Altissimo vota tua,* id est, promissiones tuas, quas vel in Baptismo, vel in susceptione Ordinis, vel alibi promisisti, adimple: quia (ut ait Scriptu- Eccle. v, 3. ra) displicet Deo infidelis et stulta promis- Jonæ II, 10. sio. Ideoque Jonas: Quæcumque (inquit) vovi, reddam pro salute Domino.

Alia expositio. Denique locus iste, quoniam juxta litteralem intelligentiam planus est, moraliter exponi potest ad informationem cujuslibet nostrum, ut sit sensus: *Audi, popule meus,* qui a me Jesu Christo appellatus es Christianus, pro cujus redemptione me ipsum occidi permisi; *et loquar* tibi per inspirationem internam, per prædicatores Ecclesiæ, per studium sacræ Scripturæ. *Israel,* Philipp. III, 20. cujus conversatio est in cœlis, et revelata II Cor. III, 18. facie gloriam Domini contemplaris, *et testificabor tibi,* quod *Deus tuus ego sum,* qui te ab æterno elegi, teque ad fidem vocavi, ac tuæ saluti incessanter provideo. *Non in sacrificiis tuis arguam te,* id est, sacrificia tua interiora et exteriora mihi sunt placita, per se accepta, non figurativa. *Holocausta autem tua,* id est oblationes tuæ, quæ igne divini amoris totaliter inflammantur, videlicet abnegatio propriæ voluntatis, patientia in adversis, interior mortificatio spiritus, et bajulatio crucis quotidiana, oratio fervida, atque similia, *in conspectu meo sunt semper,* id est, mihi indesinenter placent, nec oblivioni tradentur, sed æterna beatitudine præmiabuntur. Unde et beatissimo Cornelio cen- Act. x, 4. turioni Angelus dixit: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et Joannes ait: Apoc. VIII, 4. Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. *Non accipiam de domo tua,* id est de corde tuo, quod est domus cogitationum tuarum, *vitulos,* id est insolentes motus, seu inobedientes atque instabiles affectiones et concupiscentias, quæ instar vitulorum petulantes et inquietæ exsistunt. Hinc Amos VI, 1, 4. enim alio loco scriptum est: Væ qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; et, Væ qui cogitatis inuti- Mich. II, 1. le, et operamini malum in cubilibus vestris. *Neque de gregibus tuis hircos,* id est, de numero operationum tuarum non recipiam, nec gratam habebo vilem illam simulationem seu hypocrisim, quæ ad modum hirci, foris severitatem seu duritiam quamdam prætendit, sed intus vanitati succumbit. Propter quod scriptum est: Si- Job XXXVI, 13. mulatores et callidi provocant iram Dei. *Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum,* id est omnes animæ mundanam atque carnalem mollitiem fugientes, et duros pœnitentiæ labores viriliter sustinentes, *jumenta,* id est, qui jugum divini præcepti super se portant, *in montibus,* id est in perfectione virtutum, *et boves,* id est prædicatores, aliorumque cordium spirituales cultores. *Cognovi,* per approbationem et spiritualem inhabitationem, *omnia volatilia cœli,* id est eos qui terrena spernendo cœlestibus vacant, qui assumunt pennas Is. XL, 31. contemplationis ut aquilæ, volant ut angeli; *et pulchritudo agri,* id est perfectio cordis seu exterioris conversationis, exemplaris honestas, aut probitas vitæ vulgarium, qui sunt agri prælatorum Ecclesiæ, *mecum est,* id est, per dissimilitudinem culpæ non distat a me, sed complacet mihi. *Si esuriero, non dicam tibi.* Esuries et desiderium, si proprie accipiantur, Deo nequaquam conveniunt, quia defectum absentiamque alicujus boni includunt. Dicitur tamen Deus esurire nostram justitiam, et desiderare nostram salutem ac perfectionem, quoniam quantum in se est, paratissimus est unicuique gratiam impertiri, nec vult mortem peccatoris, neque lætatur in Ezech. XVIII, 23. Sap. I, 13. perditione viventium. Unde superius di- Ps. XLIV, 12. ctum est: Et concupiscet rex decorem Deut. V, 28, 29. tuum. Et in Deuteronomio sic legitur: Dixit Dominus ad Moysen: Quis det talem eos, scilicet filios Israel, habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea, ut bene sit eis in æternum? Erit ergo sensus, *Si esuriero,* id est, si desideravero spiritualem profectum ac perfectionem creaturarum mearum intellectualium,

Digitized by Google

non dicam tibi, id est, non indigebo a te A postulare auxilium, quo desiderium meum ad effectum perducam ; *meus est enim orbis terræ,* id est, quia tota Ecclesia per orbem diffusa, in mea potestate consistit, *et plenitudo ejus,* id est, universa perfectio gratiæ et virtutum cunctorum fidelium mea est, quia a me datur, conservatur et consummatur : et ita in me, per me, et ex me, potens sum perficere et salvare quemcumque voluero, neque indigeo hoc alteri indicare. Et sicut peccata hominum mihi non nocent, sic eorum salvatio mihi non B prodest : propterea ratione indigentiæ meæ nullius salutem desidero, et si electorum salutem esuriero, hoc tibi reserare non egeo. Hoc est quod testatur sermo divinus : Si peccaveris, quid Deo nocebis ? Porro si juste egeris, quid donabis ei ? Homini qui similis est tui, nocebit impietas tua, et filium hominis adjuvabit justitia tua. *Numquid manducabo carnes taurorum ?* id est, numquid ego Deus, qui humiles amo, in abstinentia superborum delectationem, quæ est refectio mentis, C habebo ? Nequaquam. Talibus enim per Isaiam dico : Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. *Aut sanguinem hircorum potabo ?* id est, numquid in apparenti mortificatione hypocritarum complacentiam possidebo ? Non utique, quia in Evangelio dixi : Quum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Tu autem quum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans. *Immola Deo sacrificium laudis,* id est gratiarum actionem in adversis et pro- D speris, omneque bonum ei adscribas, ita ut impleas quod supra inductum est, scilicet, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Et redde Altissimo vota tua,* id est, desideria tua coram Deo effunde, eumque dumtaxat in omni angustia deprecare : quemadmodum de viro sapiente ac justo in Ecclesiastico habetur : Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.

Job xxxv, 6-8. — *Is.* LVIII, 3. — *Matth.* VI, 16-18. — *Ps.* XXXIII, 2. — *Eccli.* XXXIX, 6.

(16) *Peccatori autem,* in peccatis perseveranti, nec voluntatem peccandi per pœnitentiam relinquenti, *dixit Deus,* Dei Filius incarnatus, per se ipsum et suos Prophetas : *Quare tu enarras justitias meas ?* id est, quomodo prædicare audes verbum Dei, aliosque docere quod tu ipse non facis ? *et assumis testamentum meum per os tuum,* id est, legem Dei sanctam et immaculatam proferre præsumis per os tuum pollutum ? Hoc enim Christus per Isaiam dixit : Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et in vanum colunt me. Hanc ipsam quoque scripturam allegat Christus verus Deus, Pharisæos increpans, et dicens : Bene prophetavit de vobis Isaias, Populus hic labiis me honorat, etc. Unde in Ecclesiastico dicitur : Non est speciosa laus in ore peccatoris. 16

Is. XXIX, 13. — *Matth.* XV, 7, 8. — *Eccli.* XV, 9.

Quid ergo agendum est peccatori ad celebrandum seu prædicandum obligato ? Si facit quod sibi incumbit, peccat ; et si non facit, peccat, quoniam debitum negligit : sicque videtur esse perplexus. Et respondendum, quod nemo perplexus est : sic enim impossibile esset peccatum vitare. Sacerdos ergo et prædicator indignus, perplexus non est, quoniam pœnitere potest, et mutato proposito, sine peccato officium divinum exsequi. Melius tamen facit, ut communiter, quamdiu in peccato manet, non exsequendo : quia exsequendo, mortaliter peccat. Alia tamen divina, videlicet Horas canonicas, melius est persolvi quam omitti a quocumque peccatore ad Horas obligato. Nam non persolvendo, mortaliter peccat, tanquam contra præceptum Ecclesiæ agens : non autem mortaliter peccat, si eas extra gratiam exsistens persolvat, quia non est speciale præceptum de persolutione Horarum in statu salutis seu gratiæ ; sicut est speciale præceptum de celebratione et administratione sacramentorum Christi ac verbi divini in statu salutis, ita ut quotiescumque sacerdos aliquod sacramentorum Christi indigne dispensat, mortaliter peccat.

Digitized by Google

17 (17) *Tu vero,* o peccator, *odisti discipli- A
nam,* id est instructionem et correptionem
ac debitam pœnam pro tuis excessibus,
sicque de numero eorum es, de quibus
Amos v, 10. scriptum est : Odio habuerunt corripien-
Prov. III, 11. tem. Quocontra Salomon monet : Discipli-
nam Domini, fili mi, ne abjicias, et ne de-
ficias quum ab eo corriperis. Qui iterum
Ibid. XIII, 18. ait : Egestas et ignominia ei qui deserit
disciplinam ; qui autem acquiescit argu-
Ibid. XV, 32. enti, glorificabitur. Et alibi : Qui abjicit
disciplinam, despicit animam suam ; qui
autem acquiescit increpationibus, posses- B
sor est cordis. Idem autem periculum est,
despicere disciplinam prælati et Dei, quo-
niam prælati sunt Dei vicarii. Propter
Luc. x, 16. quod de talibus ait Salvator : Qui vos au-
dit, me audit ; et qui vos spernit, me sper-
nit. Et magnus ille prælatus sanctus Moy-
Exod. XVI, 8. ses dixit ad filios Israel : Non contra nos
est murmur vestrum, sed contra Dominum.
Si ergo salvari optamus, disciplinam Dei
ac superiorum nostrorum amemus, quia
Prov. XXIX, 1. scriptum est : Viro qui corripientem dura
cervice contemnit, repentinus superveniet C
interitus. *Et projecisti sermones meos re-
trorsum,* id est, præceptis meis non pa-
ruisti, sed tuam voluntatem voluntati meæ
18 præposuisti. (18) *Si videbas furem, curre-
bas cum eo,* simul furando, vel furanti fa-
vendo aut cooperando, *et cum adulteris
portionem tuam ponebas,* faciens te con-
socium atque participem vitiorum eorum.
Est autem quoddam spirituale furtum, quo
homo honorem et gloriam soli Deo debi-
tam, sibi usurpat : et tali furto se macu-
lat, qui superbo communicat, juxta illud, D
Eccli. XIII, 1. Qui communicaverit superbo, induetur su-
perbia.
19 (19) *Os tuum abundavit malitia,* id est
verbis illicitis, *et lingua tua concinnabat
dolos,* id est, verba fraudulenta composuit
ad alios defraudandos. Quod patet ex eo,
20 nam (20) *Sedens* in cathedra pestilentiæ,
adversus fratrem, id est proximum *tuum,
loquebaris* sermones fallaces, pungitivos,
detractorios et rancorosos ; *et adversus fi-
lium matris tuæ,* puta Ecclesiæ seu matris
carnalis, *ponebas scandalum,* præbendo ei
occasionem ruinæ, seu offendiculum ver-
bo vel facto inordinato : quod est contra
admonitionem Apostoli, ubi ait : Non ergo Rom. XIV, 13, 15.
amplius invicem judicemus ; sed hoc ju-
dicate magis, ne ponatis offendiculum fra-
tri vel scandalum. Noli illum perdere, pro
quo Christus mortuus est. Salvator quo-
que : Væ (inquit) homini illi, per quem Matth. XVIII, 7.
scandalum venit. Est nihilo minus scanda-
lum quoddam Pharisæorum, quod venit
ex malitia et cæcitate scandalizati, non
ex defectu scandalizantis : et tale non est
semper vitandum. Nam, ut Evangelista te-
statur, quum discipuli Christo dixissent,
Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scan- Ibid. XV, 12.
dalizati sunt ? ipse respondit : Sinite illos, Ibid. 14.
cæci sunt et duces cæcorum. Scandalum
autem pusillorum vitandum est : imo in-
terdum quædam non mala, vel etiam bona
non jussa, omittenda sunt, differenda, aut
abscondenda, ne scandalizentur pusilli,
sicut dicit Apostolus : Si esca scandali- I Cor. VIII, 13.
zat fratrem meum, non manducabo carnes
in æternum. Qui autem scandalizatur, pu-
sillus est : perfecti enim non scandalizan-
tur, secundum Hieronymum ; nec scandali-
zant, secundum Thomam. Vehementer ergo
studendum est nobis, ut simus ad invicem
exemplares.
Hæc mala *fecisti,* o peccator, *et tacui.* 21
Christus enim frequenter diu exspectat,
nec statim se vindicat. (21) *Existimasti
inique, quod ero tui similis?* id est, an
propter meam longanimem exspectatio-
nem arbitraris quod peccata tua dissimu-
labo, aut eis favebo, nec tibi pœnas justas
infligam, quemadmodum justis gloriam
tribuam ? *Arguam te,* vel ante mortem,
vel in morte, et maxime in die generalis
judicii, *et statuam contra faciem tuam,* id
est, peccata tua tibi manifeste objiciam, et
de omnibus operibus tuis rationem requi-
ram, tam in hora mortis, quam in die no-
vissimo.
(22) *Intelligite hæc,* id est, intime ea pensa- 22
te, *qui obliviscimini Deum,* non curantes
ejus præcepta, nec pensantes ejus horren-

Digitized by Google

da judicia, nec attendentes ejus gloriosa promissa ; *nequando rapiat,* id est, ne Deus aliquo tempore vos imparatos ab hac vita abstrahat, et suo tribunali præsentari præcipiat, *et non sit qui eripiat* vos de justo ejus judicio : quia in mortali peccato morientem nemo redimere potest, nisi ex speciali gratia reducatur ad pristinum sta-
23 tum. (23) *Sacrificium laudis:* de quo jam dictum est, Immola Deo sacrificium laudis ; *honorificabit me,* quia per se acceptum est ; *et illic iter,* id est, in tali sacrificio, scilicet in laude Deo reverenter oblata, est via, *quo ostendam illi,* tale sacrificium immolanti, *salutare Dei,* id est Christum humani generis salvatorem. Nam per sacrificium laudis ad Christi visionem in præsenti per fidem, et in futuro per speciem, pervenitur : imo laudatio Dei, est optima via beatitudinem acquirendi, secundum quod Dominus alio loco asserit :
I Reg. II, 30. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.

Ecce quam admiranda est virtus hujus psalmi, quam fructuosa est ejus scientia. Et quis laudem ejus exprimere queat? in quo benignitas primi adventus Domini Salvatoris tam pulchre describitur, eo quod Deus deorum per se ipsum locutus sit mundo, universos ad suam fidem invitans; in quo insuper terror futuri judicii seu secundi adventus ejusdem tam terribiliter explicatur, multaque alia præclarissime decantantur. Conemur ergo humilitatem, paupertatem, ac pietatem primi adventus Christi ita sectari, ut in secundo ejus adventu, majestatem et gloriam atque justitiam ejus sine formidine mereamur conspicere. Proponamus oculo mentis nostræ, et in corde nostro fortiter depingamus qualitatem futuri judicii : quam horrendum erit videre elementa ardentia, acies angelorum, facies dæmonum, monstruosissima corpora reproborum, scissa alta cœlorum, terram hiantem, Judicem irascentem, et exspectare inevitabilem æternæ damnationis sententiam, videreque ante se parata sempiterna supplicia. Si ista atque similia modo sollicite consideramus, tunc procul dubio in die tanti horroris securi gaudentesque stabimus.

PRECATIO.

Dirige, Domine, super nos oculos misericordiæ, et in die tribulationis, potentiæ tuæ brachio nos erue : ut et te honorificemus, ac pro nostra liberatione sacrificium tibi laudis devote immolemus.

ARTICULUS XCIII

EXPOSITIO PSALMI QUINQUAGESIMI : MISERERE MEI, DEUS, SECUNDUM, ETC.

Declarandi jam psalmi iste est titulus :
1, 2 *Psalmus David, quum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee.* Hic autem titulus planus est scientibus historiam secundi libri Regum : in
II Reg. XI, XII. qua narratur quemadmodum David cum uxore Uriæ adulterium fecit; et postea, scilicet post mortem Uriæ, quando David duxit eam in conjugem, tunc Nathan venit ad David, et eum de tanto piaculo arguit. Advertensque David crimen commissum, vehementissime doluit, atque ex cordiali pœnitentia hunc psalmum conscripsit : in quo (in persona propria, seu cujuslibet intime pœnitentis) affectuosissime loquitur, humillime orat, ardentissima verba effundit. Tanta enim est virtus et dignitas psalmi istius, ut ab ejus præconio lingua deficiat.

Digitized by Google

3 AIT ergo : (1) *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* O verbum salubre, o consilium unicum, o singulare refugium ! Quum ignoret peccator quid agere, quid incipere, quo se vertere debeat, hoc unicum ei manet solatium, tutum refugium, prudentissimumque consilium, ut dicat : Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quum propriorum scelerum mole opprimitur, quum ingratitudinis suæ excessu terretur, dum peccatorum suorum multitudine ac magnitudine contabescit, hoc solum restat, ut dicat : Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Ideo enim scriptum est : Quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. (*II Par.* xx, 12.)

Denique duo præcipue pensanda sunt pœnitenti, imo cuilibet viatori oranti, videlicet propria miseria et divina misericordia : quatenus ex consideratione suæ miseriæ ad orationem festinet, se ipsum humiliet et accuset ; ex consideratione autem misericordiæ Dei respiret, spem veniæ sumat, Deumque cum incessabili fiducia invocet. Si enim peccator vitiorum suorum enormitatem perpendens, divinam justitiam solummodo penset, desperare poterit potius quam orare : quemadmodum accidit Cain, qui dixit, Major est iniquitas mea quam ut veniam merear (*Gen.* iv, 13.); ac Judæ proditori, qui quum dixisset, Peccavi tradens sanguinem innocentem, abiens, laqueo se suspendit, et crepuit medius. (*Matth.* xxvii, 4, 5. *Act.* i, 18.) Nihilo minus considerare debet peccator divinam justitiam, ut sciat se puniendum, ac timeat ; divinam quoque potentiam, ut sciat se non posse evadere aut resistere ; atque divinam sapientiam, ut sciat se non posse latere. Sed quoniam horum consideratione aliud nihil incutit reæ conscientiæ, nisi horrorem ac mœrorem, restat ut ad solam Dei misericordiam se convertat, et ex ejus contemplatione consolationem fiduciamque concipiat. Unde beatus Job considerans omnipotentiam, sapientiam atque justitiam Judicis sui, ad solam misericordiam se transferens, ait : Non justificabitur homo compositus Deo ; et si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille. Etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed ut meum judicem deprecabor. Et si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. (*Job* ix, 2, 3, 15, 20, 21.)

Peccator itaque in conspectu summi Judicis omnia inspicientis, se ipsum constituens, et peccatorum suorum enormitatem exhorrens, perpendens quoque se divinæ justitiæ rigorem tolerare non posse, nec divinæ sapientiæ oculum aliquid posse latere, neque divinæ potentiæ se posse resistere, ad solam misericordissimi Creatoris pietatem confugiens, dicat : *Miserere mei, Deus :* id est, quoniam ego miser, tuque misericors, ideo miserere mei, compatiendo, non indignando ; ignoscendo, non ulciscendo ; succurrendo, non relinquendo. Noli in me ostendere virtutem tuæ justitiæ, ne sim vas contumeliæ seu iræ in interitum, sed abyssum tuæ clementiæ, ut sim vas misericordiæ in salutem. (*Rom.* ix, 21-23.) Non intres in judicium cum servo tuo (*Ps.* cxlii, 2.), neque secundum peccata mea restituas mihi (*Ps.* cii, 10.); sed quoniam ego multum miser sum (peccata enim miserum faciunt peccatorem), et tu multum misericors, ideo, Miserere mei, Deus, *secundum magnam misericordiam tuam :* quæ quum sit immensa, omnem miseriam meam in infinitum excedit. Sicut igitur magnitudo maris guttam aquæ quasi nihil absorbet ; sic misericordiæ tuæ immensitas, o Domine, omnem miseriam meam consumat et æternaliter deleat.

(2) *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Deus naturaliter misericors est, et proprium est sibi, misereri ac parcere. Propter quod scriptum est, Quia solus pius est. (*Apoc.* xv, 4.) Miseratio autem Dei active significata, est ipsa misericordia Dei, secundum quod actualiter miseretur. Et quamvis misericordia Dei et miseratio ejus in ipso Deo sit una ac simplex, dicuntur tamen miseri-

Digitized by Google

cordiæ Dei multæ, et miserationes ejus A quamplurimæ, propter diversitatem seu multitudinem suorum effectuum. Miseratio vero Dei passive accepta, est misericordiæ suæ effectus. Est igitur sensus : Secundum multitudinem miserationum tuarum, id est, secundum quod tu multis modis variisque auxiliis misereri potes : secundum hoc, dele iniquitatem meam, quoniam infinitis modis et indeficientibus auxiliis succurrere vales : et hanc, precor, multitudinem miserationum tuarum ostende in me. Vel sic : Secundum multitudinem mi- B serationum tuarum, id est, secundum quod prioribus sanctis et peccatoribus conversis multipliciter misertus es : secundum hoc, postulo ut mihi misericordiam multiformem impendas, et iniquitatem omissionis et commissionis ab anima mea deleas. Non oro, o Domine, ut secundum multitudinem meritorum meorum mecum agas, sed secundum multitudinem miserationum tuarum iniquitatem meam amoveas. Et hoc

Dan. IX, 17-19. est quod Daniel postulat : Per temetipsum inclina, Deus meus, aurem tuam. Neque C enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi, Domine ; placare, Domine ; ne moreris. Porro nunquam mortale peccatum deletur, nisi gratia infundatur. Per hoc ergo quod orat iniquitatem suam deleri, implicite postulat gratiam sibi infundi.

4 (3) *Amplius lava me ab iniquitate mea,* id est, per infusionem gratiæ tuæ purga animam meam a macula quam peccando incurrit, et præsta mihi compunctionem D internam ac fontem lacrimarum, quibus ab immunditiis vitiorum laver, quemad-

Jer. IV, 14. modum præcipitur mihi : Lava a malitia cor tuum. *Et a peccato meo munda me,* dimittendo pœnam et culpam, ornandoque mentem claritate gratiarum et virtutum. Peccata namque animam meam deturpant ac maculant, atque diabolo similem faciunt, et sanctæ Trinitati difformem, omneque bonum gratiæ tuæ ab ea impediunt :

Ibid. V, 25. sicut Jeremias propheta ait, Peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis ; et Isaias, Iniquitates vestræ diviserunt inter Deum Is. LIX, 2.
vestrum et vos, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis. Unde in libro Job legitur : Numquid grande est ut con- Job XV, 11.
soletur te Deus ? Sed verba tua prava hoc prohibent. Quoniam ergo, o Domine, Isaia teste, hic est omnis fructus, ut aufera- Is. XXVII, 9.
tur peccatum ; oro, lava me ab iniquitate mea, quatenus impleatur in me quod scriptum est de te : Non immittet Dominus Mich. VII, 18, 19.
ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est ; revertetur, et miserebitur nostri. Deponet omnes iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Imple quoque in me quod quærentibus te per Isaiam promisisti : Si fuerint peccata vestra ut cocci- Is. I, 18.
num, quasi nix dealbabuntur ; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Ideo autem peto a peccato mundari, (4) *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* 5
Non illam abscondo, nec me ipsum excuso, nec dæmoni, nec alteri illam imputo, sed peccatum meum confiteor. Quoniam ergo initium bonorum, est confessio malorum seu recognitio peccatorum, ignosce mihi, et spiritualem vitam in me ordire ac renova. Tu ergo, si misericordiam consequi cupis, peccatum tuum agnosce, nec in oculo fratris tui festucam inspicias, Matth. VII, 4, 5.
sed trabem quæ in oculo tuo est adspice, dicque quod scriptum est : Peccavi, et vere Job XXXIII, 27.
deliqui, et ut eram dignus, non recepi. Hinc apud Jeremiam Dominus ait excusanti se ipsum : Ego judicio contendam Jer. II, 35.
tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Si autem vis scire quid sit vere iniquitatem propriam recognoscere, audi Manassen orantem, et dicentem : Peccavi, Domine, Oratio Manassæ.
peccavi, et iniquitatem meam agnosco. Peto rogans te, ne simul perdas me cum iniquitatibus meis. *Et peccatum meum contra me est semper,* id est, semper displicet mihi, et detestor illud. Alia littera habet, Coram me est semper, et redit in idem. Nam sensus est : Semper objicio illud consi-

Digitized by Google

derationi meæ, et inspicio illud, quatenus ipsum deplangam.

6 (5) *Tibi soli peccavi :* quia omne peccatum est contra legem tuam aliquo modo ; nec peccatum in proximum vel se ipsum habet rationem peccati, nisi in quantum originaliter contrariatur aut dissonat ordini tuæ sapientiæ atque justitiæ, quoniam tu es mensura, causa, et fons universæ sanctitatis. *Et malum coram te feci,* id est, te præsente, et omnia inspiciente, non sum veritus facere malum : et in hoc aggravatur iniquitas mea, quoniam tuam præsentiam tam parum curavi. *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris.* Secundum expositores communiter, subintelligitur aliquid hoc loco, videlicet, Remitte mihi, seu Miserere mihi. Ut sit sensus : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci, et peto ut mihi remittas ac miserearis, ut justificeris, id est, justus ac verax inveniaris, in sermonibus tuis, quibus per os sanctorum Prophetarum pœnitentibus veniam promisisti, sicut est il-
Osee xiv, 5. lud : Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. Et vincas, id est, in justitia ceteros excedas ac superes, quum judicaris, id est, dum aliis judicium tuum innotescit, ac per hoc judicant te bene et recte fecisse, sicque judicium tuum justificant.

Sed melius arbitror ut nihil subintelligatur : imo si bene pensemus, nihil subintelligendum videbitur. Debemus enim sequi expositionem Apostoli. Apostolus vero introducit atque allegat ad Romanos
Rom. iii, 4. hæc verba hoc modo : Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas quum judicaris. Patet ergo, quod secundum intentionem Apostoli, sanctus David ad hunc sensum prædicta verba induxit, quod Deus ex nostra iniquitate justificatur, et vincit quum judicatur. Et hoc ex sequentibus verbis Apostoli cla-
Ibid. 5. rius liquet : subdit enim, Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus ? Sciendum tamen, quod Deum ex nostro peccato justificari, et glorificari, et vincere quum judicatur, intelligi potest dupliciter. Primo, causaliter et directe : et ita verum non est. Secundo, occasionaliter et indirecte seu consecutive : et ita verum est, sicut inducit Apostolus. Et iste est sensus litteralior, quamvis prima expositio stare possit. Est itaque sensus : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut* ex hoc occasionaliter et consecutive *justificeris in sermonibus tuis,* quibus dixisti per Prophetas, nullum hominem esse sine pec-
cato, sed omnem hominem esse mendacem *Ps.* cxv, 11.
verbo aut opere, seu aliquo vitio : quia ut
in libro Job scriptum est, Nemo mundus a *Job* xv, 14; xxv, 4.
sorde. Vel, In sermonibus tuis, quibus peccatorem damnas et punis, justum vero salvas atque glorificas. Malum namque meum a te bene ordinatum, id est juste punitum seu pie indultum, cedit ad gloriam tuam : quemadmodum in Enchiridio Augustinus fatetur; imo in omnibus reprobis relucet, et commendatur justitia tua atque potentia.

Denique, ut plenius loquar, verba prædicta quadrupliciter exponi possunt. Jam enim duobus modis exposita sunt. Tertio autem exponuntur : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis,* id est, quatenus consecutive seu concomitanter justus appareas in verbis quibus promisisti te incarnandum ex semine meo. Dum enim ego tam dire peccavi, et tu nihilo minus imples quod promisisti, patet quod non propter merita mea, sed propter tuam justitiam qua promissa adimples, humanam naturam ex stirpe mea assumas, *et vincas* alios in æquitate, *quum judicaris* a populo non te debere promissa implere propter enormitatem peccatorum meorum. — Quarto exponitur sic : *Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut justificeris,* id est, quatenus tu solus verus comproberis in sermonibus tuis, *et vincas quum judicaris* sic
vel sic debuisse fecisse; vel, quum a Pilato *Matth.* xxvii, 26.
atque Judæis judicaris ad mortem, qui sine dolo et culpa exsistis, et propter mea

delicta omnia pateris : sicque per modum A sequelæ ex meo peccato justificaris.

Deinde Propheta fragilitatem ac pronitatem mortalis naturæ ad culpam commemorat, quatenus per hoc Deum ad pietatem ac veniam provocet et inclinet, secundum quod Noe in Genesi ipse Deus spopondit :
Gen. VIII, 21. Nequaquam, inquiens, ultra maledicam terræ propter homines ; sensus enim et cogitatio cordis humani, proni sunt ad malum ab adolescentia sua. Ait ergo Da-
7 vid : (6) *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum :* tanquam dicat, Bene misereri B te decet mihi fragili peccatori, quia ecce in vitiis conceptus sum, *et in peccatis concepit me mater mea.* Quoniam ergo fomes peccati mihi innatus est, mirum non est quod in peccatum prolapsus sum.

Sed quomodo potest homo in iniquitatibus concipi, quum subjectum peccati et virtutis non sit nisi in anima seu intellectuali essentia, quæ corpori humano non statim in conceptione infunditur ? Iterum quæritur, quomodo in iniquitatibus concipiatur, quum non concipiatur nisi in C originali peccato, quod non est nisi unum peccatum, sicut originalis justitia non erat nisi una virtus. Et respondendum, quod originale peccatum cum semine transfunditur ; non est tamen in semine ut in subjecto, sed ut in radice : et ergo anima mox quum semini sic infecto infunditur, maculatur et originali peccato coinquinatur. Cujus exemplum est de semine leprosi. Leprosus enim non nisi leprosum generat, et lepra cum semine transfunditur ; non est tamen in semine ut in subjecto, sed D quasi in radice : anima vero infusa, statim proles contrahit lepram ex seminis infectione. Ad secundum dicendum, quod originale peccatum formaliter unum est, utpote carentia originalis justitiæ debitæ inesse ; materialiter vero est multa, propter quatuor animæ vulnera ex originali peccato secuta, quæ sunt, ignorantia, malitia, infirmitas et concupiscentia : sicut superius dictum est.

Tertio quæri potest, quomodo parentes originale peccatum transfundant, quum tamen in Baptismo dimissum sit peccatum originale merito passionis dominicæ. Et respondendum, quod licet dimissum sit quantum ad reatum pœnæ seu maculam, non tamen fomes seu inclinatio omnino exstinguitur, quamvis debilitetur. Sed tunc fortius investigatur, quomodo peccatum istud transfundi in omnibus possit, quum tamen ipse concubitus maritalis omni possit peccato carere, imo et virtuosus ac meritorius esse, in quantum est actus justitiæ, qui ab Apostolo præcipitur, dicente, Uxori vir debitum reddat, et uxor viro 1 Cor. VII, 3. (nullum autem peccatum, seu peccato inseparabiliter annexum, præcipitur) ; item in quantum est actus religionis ; tertio, in quantum est actus sacramenti. Et respondendum, quod parentes peccatum originale non transfundunt secundum quod particulares et proximæ causæ generationis exsistunt, vel quia in ipso concubitu semper seu inevitabiliter peccent, sed in quantum ex corrupta radice prodierunt. Per hoc quippe proles originale peccatum incurrit, unde ad originalem justitiam aliquo modo tenetur : non autem ad eam tenetur in quantum a primis parentibus nascitur, sed secundum quod a primis parentibus propagatur, tam secundum rationem seminalem, quam secundum corruptam substantiam.

(7) *Ecce enim veritatem dilexisti.* Quasi 8
dicat : Quia tu veritatem diligis, ego propriam culpam sine excusatione confiteor ; et quia ago quod complacet tibi, decet te mihi propitium fieri. Unde ait Salvator : Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit Joann. VIII, 32. vos. Deus autem veritatem potissimum diligit : nam similitudo est causa amoris. Quoniam ergo Deus naturaliter verus est, et essentialiter veritas increata, constat quod veritatem naturaliter diligit. *Incerta,* id est futura contingentia : de quibus proprie est prophetia, et quæ prævidere Deo proprium est, juxta illud Isaiæ : Quæ ventura Is. XLI, 23. sunt annuntiate nobis, et sciemus quia dii estis vos ; *et occulta sapientiæ*

Digitized by Google

tuæ, id est profunda et alta mysteria de A
Divinitate ac summa Trinitate, Christique
incarnatione, passione, resurrectione et
ascensione, *manifestasti mihi,* per illumi-
nationem Spiritus Sancti, clarius, purius
et copiosius quam ceteris vatibus : quia
non per symbolicam illuminationem seu
per sensibiles formas, sed per anagogicam
irradiationem, id est per intelligibilem at-
que internam illuminationem sine sensi-
bilium repræsentatione formarum, accepi
a Spiritu Sancto quæcumque in hoc libro
conscripsi.

9 (8) *Adsperges me, Domine, hyssopo.* In
Lev. XIV, 2, 4, 6, 7. Levitico legitur, quemadmodum Dominus
jusserit mundandum a lepra, adspergi hys-
sopo ut mundaretur. Dum ergo ait, Ad-
sperges me hyssopo, designat se spiritua-
lem incurrisse lepram, a qua petit purgari
hyssopi adspersione, id est humilis pœni-
tentiæ contritione. Hyssopus namque est
herba brevis, loco saxoso radicitus hærens,
pulmonisque inflationem repellens ac sa-
nans. Idcirco per eam pœnitentia designa-
I Cor. X, 4. tur : quæ in Christo (qui petra vocatur) C
fundatur, cordisque superbiam sanat, et
hominem in propriis oculis parvum et mo-
dicum efficit. *Et mundabor* a macula in-
teriori. *Lavabis me,* lotione spirituali per
gratiæ infusionem, *et super nivem deal-
babor,* id est, ampliori spiritualis munditiæ
ornatu atque candore splendebo, quam sit
nivis albedo. Spiritualis enim puritas, cor-
poralem puritatem omnino excedit. Et hoc
est quod per Ezechielem Dominus ait :
Ezech. XXXVI, 25. Effundam super vos aquam mundam, et
mundabimini ab omnibus inquinamentis D
vestris. De hac adspersione, mundatione
Matth. VI, 17, 18. et lotione Salvator etiam ait : Tu autem
quum jejunas, unge caput tuum, et faciem
tuam lava, ne videaris hominibus jeju-
Apoc. III, 18. nans. Et alibi : Collyrio, inquit, inunge
oculos tuos, ut videas.— Vel sic : *Adsperges
me hyssopo,* id est fide et fructu seu me-
rito sanguinis Christi : cujus utique fide
ac fideli adspersione salvati sunt omnes
veteres Sancti ; *et mundabor :* quia per
meritum sanguinis Christi ab omni culpa
purgamur. *Lavabis me* in fonte Baptisma-
tis : quod ad catechumenos præsertim re-
fertur; *et super nivem dealbabor :* quoniam
in Baptismo universa peccata donantur,
juxta illud, Salvos nos facit Baptisma, non *I Petr.* III, 21.
carnis depositio sordium, sed conscientiæ
bonæ interrogatio in Deum.

(9) *Auditui meo,* exteriori et interiori, *da-* 10
bis gaudium de indulgentia peccatorum,
et lætitiam de restitutione gratiarum. Ad
litteram Deus dedit sancto David hoc gau-
dium, hancque lætitiam, dum ei per Na- *II Reg.* XII, 13.
B than prophetam atque per inspirationem
internam, veniam repromisit, gratiamque
rependit. Nos quoque gaudium et lætitiam
a Deo recipimus, dum nos per sacram Scri-
pturam consolatur, dicendo illud : Si im- *Ezech.* XVIII, 21. 22.
pius egerit pœnitentiam, omnium iniqui-
tatum ejus non recordabor amplius. Et
iterum : Revertimini et vivite, quia nolo *Ibid.* 32. 23.
mortem peccatoris, sed ut convertatur et
vivat. Nec his dissonat quod Salvator af-
firmat : Non est, inquiens, voluntas ante *Matth.* XVIII, 14.
Patrem vestrum, ut pereat unus ex pusillis
istis. Propter quod alibi habetur : Deus *Sap.* I, 13.
mortem non fecit, nec delectatur in perdi-
tione vivorum. Denique magnam nobis in-
gerit lætitiam, dum se tam paratum, imo
paratissimum offert ad gratiam infunden-
dam, secundum quod ipse protestatur :
Omnis qui petit, accipit; et qui quærit, *Matth.* VII, 8; *Luc.* XI, 10.
invenit; et pulsanti aperietur. Et iterum :
Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum *Luc.* XI, 13.
petentibus se. Per instinctum quoque oc-
cultum Spiritus Sancti dat nobis Deus gau-
dium et lætitiam : quia (ut ait Apostolus)
ipse Spiritus reddit testimonium spiritui *Rom.* VIII, 16.
nostro, quod sumus filii Dei. Et iterum :
Dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. *II Cor.* I, 22.
Et exsultabunt ossa humiliata. Nomine
partis designatum est totum, ut sit sensus :
De infusione gaudii et lætitiæ exsultabo
ego peccator et pœnitens, qui usque ad
ossium humiliationem, seu corporis incli-
nationem, genuflexionem seu prostratio-
nem humiliavi me ipsum. Vel : Exsulta-
bunt ossa humiliata, id est, interior lætitia
ex sua plenitudine in corpus redundabit,

Digitized by Google

et ossa corporis certis indiciis interiorem
Prov. xvii, 22. jucunditatem ostendent. Sicut enim spiri-
tus tristis exsiccat ossa, sic spiritus hilaris
impinguat atque lætificat ossa. Vel : Exsul-
tabunt, id est, hilariter et fortiter agent,
ossa humiliata, id est virtutes animæ, quæ
ante pœnitentiam oppressæ, sopitæ, otio-
sæque erant, sed post pœnitentiam hila-
riter et ferventer operari cœperunt, quo-
Rom. v, 20. niam ubi abundavit iniquitas, abundat et
gratia.
11 (10) *Averte,* o Domine, *faciem tuam,* id
est considerationem tuam, *a peccatis meis,*
et obliviscere ea, id est, per modum obli-
viscentis te habe in non ulciscendo et
ignoscendo. Et hoc utique Deus piissimus
libenter faciet, si tu ipse peccata tua ad-
spicias, ponderes, defleas, corrigas, atque
devites : alioqui faciet tibi quod de per-
severantibus in peccato per Amos prophe-
Amos viii, 7. tam ait : Juravit Dominus : Si oblitus fuero
usque ad finem omnia opera eorum. Unde
negligenti et propria mala non deploran-
Rom. ii, 4, 5. ti, ait Apostolus : An divitias bonitatis
Dei et patientiæ et longanimitatis contem-
nis ? Ignoras quoniam patientia Dei ad
pœnitentiam te adducit ? Secundum duri-
tiam autem tuam et impœnitens cor tuum,
thesaurizas tibi iram in die iræ et revela-
tionis justi judicii Dei. Itaque, o Domine,
Averte faciem tuam, id est justitiæ tuæ
animadversionem, a peccatis meis, ut nec
gratiam in præsenti, nec gloriam in futu-
ro mihi propter eorum demerita abstra-
has ; *et omnes iniquitates meas dele,* di-
mittendo pœnam et culpam, recipiendoque
me ad amicitiam tuam, ac si nunquam
peccassem.
12 (11) *Cor mundum crea in me, Deus :* id
est, esse spirituale et meritorium age et
Matth. v, 8. inchoa in me per gratiæ creationem. Beati
enim mundo corde, quoniam ipsi Deum
videbunt. Cordis enim munditia, omnium
exercitiorum nostrorum finis ultimus esse
debet, secundum quod Salomon admonet :
Prov. iv, 23. Omni custodia custodi cor tuum. Et si ve-
ram cordis puritatem adipisci desideras,
hunc versum mente et ore sic iteres, tra-

A ctes, cogites, ores et depromas, quomodo
naribus tuis anhelitum attrahis. Magna
namque est et ineffabilis virtus versus hu-
jus atque sequentium. *Et spiritum rectum
innova,* id est, Spiritum Sanctum de novo
infunde, *in visceribus meis,* id est in in-
timis animæ meæ, dando gratiam, sapi-
entiam, caritatem, ceterasque virtutes ac
dona Spiritus Sancti. (12) *Ne projicias me* 13
propter peccata mea, *a facie tua,* id est a
pietatis tuæ adspectu et conservatione ; *et
spiritum sanctum tuum,* id est inhabitatio-
B nem gratiosam et piam præsentiam Spiri-
tus Sancti, *ne auferas a me,* sed in bono
conserva me. (13) *Redde mihi lætitiam sa-* 14
lutaris tui, id est contemplationem jucun-
dam de Christo, in quo omnium salus con-
sistit. Hanc enim videtur David per culpam
ad tempus perdidisse, et spiritum prophe-
ticum amisisse. Unde nec proprii pecca-
ti enormitatem advertit. Nos quoque eam
peccando amittimus : quoniam in malevo- *Sap. i, 4.*
lam animam non introibit sapientia. Idcir-
co pro ejus restitutione, augmento et con-
C servatione indesinenter orare debemus. *Et
spiritu principali,* id est Spiritu Sancto,
confirma me, stabiliendo cor meum in
gratia ejus : quia ut ait Apostolus, Opti- *Hebr. xiii, 9.*
mum est gratia stabiliri cor. Nemo enim
coronatur, nisi legitime certet ; nec salva- *II Tim. ii, 5.*
bitur, nisi qui usque in finem persevera- *Matth. x, 22; xxiv, 13.*
verit : quod nulli possibile est, nisi quem
Deus Spiritu Sancto confirmat.

Ecce in versibus istis beatissimus David
supergloriosissimæ Trinitatis fidem atque
mysterium evidenter demonstrat. Nam no-
D mine Dei, designat Patrem ; nomine spiri-
tus recti, principalis et sancti, exprimit
Spiritum Sanctum ; nomine autem saluta-
ris, explicat Filium, de quo Petrus ait,
Non est in alio aliquo salus. Similiter *Act. iv, 12.*
Isaias propheta Trinitatem divinarum per-
sonarum clare fatetur, dum per eum Do-
minus ait : Ego primus et ego novissimus. *Is. xlviii, 12.*
Et post pauca iste primus et novissimus
subdit : Et nunc Dominus Deus misit me, *Ibid. 16.*
et spiritus ejus. Ibi per primum et novis-
simum intelligitur Christus, qui in Apoca-

Digitized by Google

Apoc. I, 17, lypsi ait, Ego sum Alpha et Omega, princi- A
18; XXII, 13. pium et finis ; et rursus, Ego sum primus
et novissimus et vivus, et fui mortuus, et
ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et
habeo claves mortis et inferni. Dum ergo
Christus se missum a Domino et Spiritu
ejus testatur, Trinitatis mysterium claris-
sime demonstratur.
15 (14) *Docebo iniquos vias tuas :* id est,
gratiam mihi a te concessam, aliis commu-
nicabo, eosque ad pœnitentiam salutarem
inducere meo exemplo studebo, atque præ-
cepta divina observare eos exhortabor. B
Hoc ad sanctum David tanquam ad populi
principem pertinebat : imo ad quoslibet
aliquo modo pertinere videtur, secundum
I Petr. IV, 10. illud, Unusquisque sicut accepit gratiam,
in alterutrum illam administrantes, sicut
boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.
Galat. VI, 1. Propter quod Paulus ait : Fratres, et si
homo præoccupatus fuerit in aliquo de-
licto, vos qui spirituales estis, hujusmodi
instruite in spiritu lenitatis, considerans
te ipsum, ne et tu tenteris. Unde Diony-
sius dicit, quod omnium divinarum per- C
fectionum altissima est, Dei cooperato-
rem exsistere in reductione animarum ad
primum principium. *Et impii ad te con-
vertentur,* ex mea doctrina : quod valde
meritorium est, quemadmodum scriptum
Jacob. V, 20. est : Qui converti fecerit peccatorem ab
errore viæ suæ, salvabit animam ejus a
morte, et operit multitudinem peccato-
Dan. XII, 3. rum. Et Daniel dicit : Qui docti fuerint,
fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et
qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi
stellæ in perpetuas æternitates. Sed quis D
dignus est ita illuminari divinitus, ut sit
ipse ad aliorum informationem idoneus ?
Respondeat nobis illustrissimus Isaias qui
Is. XXVIII, 9. ait : Quem docebit Dominus scientiam, et
quem intelligere faciet auditum ? Ablacta-
tos a lacte, avulsos ab ubere, id est eos
qui carnales delicias atque sensuales vo-
Hebr. V, 14. luptates devitant, et solidum cibum cape-
II Cor. X, 3. re possunt ; qui in carne viventes, non
secundum carnem ambulant, nec mundi
vanitates admittunt. Hinc enim videmus
multos ad alios instruendos multum para-
tos ; sed parum aut nihil proficiunt, quo-
niam non ex Spiritu Sancto, sed proprio
sensu loquuntur, habentque verba frigida,
arida, non acuta, penetrativa et calida.
Quibus singulis ait Apostolus : Confidis Rom. II, 19-21, 23.
te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eo-
rum qui in tenebris sunt, eruditorem in-
sipientium, magistrum infantium, etc. Qui
ergo alium doces, te ipsum non doces ?
Qui gloriaris in lege, per prævaricationem
legis Deum inhonoras ?
(15) *Libera me de sanguinibus,* id est 16
peccatis præteritis, præsentibus et futuris,
Deus omnium, *Deus salutis meæ,* in cujus
potestate salus mea consistit, a quo tota
perfectio mea procedit, et omne bonum
animæ meæ dependet ; *et exsultabit,* id
est, cum exsultatione cantabit et dicet,
lingua mea justitiam tuam, id est justa
judicia tua, quibus obstinatos condemnas,
pœnitentibus misereris, orantes exaudis,
toto corde conversis abundantiam gratiæ
tribuis, et peccatorem propria peccata con-
fitentem justificas. (16) *Domine, labia mea* 17
aperies, id est, ex interiori devotione et
gratia facies labia mea in actum bonæ locu-
tionis prorumpere, sic quod ex monitione
Spiritus Sancti ad loquendum procedam,
non quasi ex me ipso inductus. Qui enim a Joann. VII, 18.
se ipso loquitur, gloriam propriam quærit.
Et os meum annuntiabit laudem tuam :
quia tunc vere dignus ero laudator, si la-
bia mea a te aperiantur, quemadmodum
alibi dicis : Aperi * os tuum, et ego imple- * Dilata Ps. LXXX, 11.
bo illud.
Deinde David causam allegat, cur decuit
Deum sibi ignoscere. (17) *Quoniam si vo-* 18
luisses sacrificium legale, *dedissem utique*
sacrificium pro satisfactione mei excessus ;
sed *holocaustis* legalibus et figurativis *non
delectaberis.* Sacrificia enim veteris legis
nec continebant gratiam, neque per se ac-
cepta erant, sed ex devotione offerentis
dumtaxat. Idcirco per ea nullus Deum pla-
care potuit, nisi qui ante oblationem vel
saltem in ea gratiam habuit. Unde ait scri-
ptura Geneseos : Respexit Dominus ad Abel Gen. IV, 4.

Digitized by Google

et ad munera ejus. Primo enim respexit ad offerentem, deinde ad hostiam. Indiguit itaque David ante sacrificiorum oblationem vel in ea gratiam adipisci. Quilibet quoque fidelis de se ipso hæc verba dicere potest : quia si Deo placerent, etiam in novo Testamento sacrificia legalia permanerent, et pro satisfactione a Christi-
19 anis immolarentur. (18) *Sacrificium Deo spiritus contribulatus :* id est, anima pro peccatis gemens ac tristis, est sacrificium Deo acceptum : quia se ipsam Deo offert, propriam voluntatem ei subjiciens ad agenda et patienda quæ sunt Deo placita.
Eccli. xxxv, 2. Unde Ecclesiasticus inducit : Salutare sacrificium est, attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. Et Baruch :
Baruch II, 18. Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat gloriam et justitiam tibi Domino. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies,* sicut
Is. LXVI, 2. per Isaiam testatus es : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Et
Job XXII, 29, 30. Job ait : Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, et salvabitur innocens. Et Eccle-
Eccli. XXXV, 21. siasticus : Oratio humiliantis se cœlos penetrabit.
20 (19) *Benigne fac, Domine, in bona vo-*
* alias ut *luntate tua Sion, et * ædificentur muri Jerusalem.* Versus iste cum sequenti, primo exponendus est litteraliter ; et est sensus : O Domine, in tua bona voluntate qua
II Reg. VII, 12, 13. promisisti mihi quod filius meus Salomon ædificaret tibi templum, fac benigne Sion, id est, pie adimple in monte Sion quod promisisti, ut scilicet in eo ædificetur templum nomini tuo ; et ædificentur muri Jerusalem, id est parietes templi vel muri civitatis, quos David vidit in spiritu
21 sæpius destruendos. (20) *Tunc,* id est templo ædificato, *acceptabis sacrificium justitiæ,* quod tibi juste offertur, *oblationes,* quæ non totaliter incendebantur, *et holocausta,* quæ omnino comburebantur ; *tunc imponent* ministri templi *super altare tuum,* in templo, *vitulos,* quia secundum legem vitulus erat animal aptum ad offerendum.

Moraliter vero sic exponuntur : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua,* qua hominibus semper gratiam repromittis, dummodo convertantur ad te, *Sion,* id est Ecclesiæ militanti, te per fidem speculanti, conservando eam in fide et gratia Christi, *et ædificentur muri Jerusalem,* id est prælati Ecclesiæ, qui sunt aliorum defensores ac muri seu firmamentum. Hi ergo spiritualiter ædificentur, id est, in profectu virtutum et gratia confirmentur : quemadmodum dicit Apostolus, Quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus ; et, Unusquisque proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Vel : Ædificentur muri Jerusalem, id est, duo populi Judæi et Græci in unam Ecclesiæ fidem concurrant, et unus in Christo populus fiant, sicut Apostolus dicit : Non est distinctio Judæi et Græci. *Tunc acceptabis* in Ecclesia catholica *sacrificium justitiæ,* id est sacrificium laudis et Eucharistiæ, *oblationes* orationum et eleemosynarum, exteriorumque rerum, *et holocausta,* id est, propriarum voluntatum meram atque spontaneam abnegationem, eorum videlicet qui se totos divino cultui offerunt, cuncta contemnunt, nec aliquid sibi proprium retinent. *Tunc imponent super altare tuum :* quod est humanitas Christi, per quam omnia nostra officia fiunt accepta ; *vitulos,* id est se ipsos, sequendo vestigia ejus, et ejus exemplo se ipsos quotidie mortificantes, sicut testatur Apostolus : In omni fiducia magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Vel : Imponent super altare tuum vitulos, id est, in fide Ecclesiæ offerent tibi laudes divinas : sicut apud Osee scriptum est, Reddemus vitulos labiorum nostrorum.

Rom. XIV, 19. — Ibid. XV, 2. — Ibid. X, 12. — Philipp. I, 20, 21. — Osee XIV, 3.

Porro anagogice exponuntur hæc sic : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion,* id est triumphanti Ecclesiæ te per speciem contemplanti, *et ædificentur muri Jerusalem,* id est, ruina angelorum malo-

Digitized by Google

rum reparetur per salvationem hominum I Cor. XIII, 10. electorum. *Tunc,* quando videlicet venerit quod perfectum est, maxime post diem Amos IX, 11. generalis judicii, quando omnino reædificati erunt muri cœlestis Jerusalem, quæ Galat. IV, 26. est mater nostra, de qua nobis quotidie Ps. LXXXVI, 3. gloriosa dicuntur (utinam et digne desiderentur) : tunc, inquam, o Domine, *acceptabis sacrificium justitiæ,* id est laudes perpetuas, purissimas, atque perfectas, *oblationes,* quibus omnes Beati in patria se totos offerunt tibi, stantes semper inavertibiliter conversi et fixi in te ; *et holocausta,* id est actus caritatis perfectos. Sancti enim in patria præceptum de amando Deum perfecte adimplent, quod in via fieri nequit : et hi actus caritatis, holocausta dicuntur, quia per eos intellectuales creaturæ in divinum amorem totaliter resolvuntur. *Tunc imponent super altare tuum,* id est in cœlo empyreo, *vitulos* labiorum, sicut expositum est ; vel, Vitulos, id est se ipsos, quoniam igne divini amoris incenduntur, liquefiunt, et in Deum penitus transformantur.

Ecce excellentissimum psalmum audivimus, qui non solum verborum suorum sensu nos instruit, sed etiam auctoris sui exemplo nos plurimum erudit. Quis enim de se ipso præsumere potest, quum videat auctorem psalmi hujus, sanctum David, post tantam divinorum adeptionem charismatum, tam graviter cecidisse, non solum in adulterium, sed et in homicidium? Qui quum in juvenili ætate tam perfectus et humilis exstitisset, ut nec inimicum I Reg. XXIV, 5-8; XXVI, 7-12. suum letalem lædere vellet, aut lædi permitteret, sed bonum pro malo reddens, eum a morte eriperet qui totis viribus se interficere laborabat, qui leonem et ursum I Reg. XVII, 34-36, 49. devicit, qui gigantem dejecit, qui tantas tamque sacratissimas revelationes suscepit, jam senectute potitus, in tam immania se peccata prostravit. Denique, quis desperare possit, dum audit virum adulterum et homicidam ad tantam perfectionem reductum? Studeamus ergo, carissimi, cum sancto David veraciter pœnitere, atque in omnibus non simulatam humilitatem amplecti : quia (ut ait Leo Papa) tota christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit : quam Dominus Jesus ab utero Matris usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine et elegit, et docuit. Et iterum : Tota, inquit, victoria Salvatoris, qua et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta. Unde Christus testatur : Nisi conversi fueritis, et efficiamini Matth. XVIII, 3, 4. sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Ad quod nos post hujus incolatum exsilii statim perducat Creator omnipotens, trinus et simplex, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

PRECATIO.

Miserator Deus, faciem tuam a peccatis nostris averte, et omnes in conspectu tuo iniquitates nostras dele ; lava nos ab injustitia nostra, ut dono gratiæ tuæ emundati, in sancta ac tibi placita conversatione semper maneamus.

FINIS COMMENTARIORUM IN PRIMAM QUINQUAGENAM PSALTERII

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN SECUNDAM QUINQUAGENAM
PSALTERII

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

TESTIMONIUM *perhibens* Deus David, *dixit : Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Act. XIII, 22. Ps. LXXXVIII, 21, juxta LXX.

O quanta perfectio, quamque sublime præconium, attributa sunt sancto viro Prophetarum eximio, in verbis inductis ! Quid enim tam altum, sicut divinæ menti esse unanimem, divino cordi seu voluntati esse concordem ? Porro, quorum una affectio, corque conforme, horum summa est amicitia ; et quorum summa est amicitia, horum maxima est communio, intima unio, familiaritasque præcipua. Amicis namque sunt cuncta communia : et quanto quis [amicum] amplius diligit, tanto bona sua quæ habet, ei copiosius impertitur, si eget aut expedit. Propterea, sicut beatissimus David divinæ voluntati conformior fuit, sic Deo amabilior exstitit, et ideo secreta sua ei plenius atque lucidius revelavit, ea præsertim, quæ ad Christum et sponsam ejus Ecclesiam pertinent. Propter quod humiliter gloriatur, et veraciter confitetur : Incerta, inquiens, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Unde et liber Psalmorum sententiosior creditur, et Christi mysteriis plenior, quam ceteri Prophetarum libri. Ps. L, 8.

Quum ergo in superiori libro exposita sit (prout Dominus dedit) prima quinquagena Psalterii, inchoanda jam est secunda quinquagena ejusdem. Et sicut illic professus sum, hanc esse intentionem meam in elucidatione libri Psalmorum, ut tam stili quam sententiæ difficultatem devitem, ipsosque psalmos quadrifariam (dum materia patitur, et expedire videtur) explanem; sic nunc quoque profiteor. Et omnino in promptu scire oportet, quæ sit distinctio inter sensum Scripturæ litteralem, allegoricum, tropologicum, et anagogicum : quod, quia in superiori libro positum est, jam reiterandum non arbitror.

Ego vero totis præcordiis invoco Spiritum Sanctum, quatenus me in elucidatione divinæ Scripturæ dignetur dirigere. Et ut hoc plenius fiat, precor bonitatem ipsius, ut tali ac tanta gratia impleat animam meam, qua tam amorose Deo conjungar, ut ab ipso in omnibus instrui merear. Vere enim Deus sanctus et benedictus, electos suos amicos singulariter et mirabiliter illustrare consuevit et erudire. Propter quod scriptum est : Non faciet Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas. Amos III, 7.
Et Christus discipulis ait : Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Joann. XV, 15.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIA

IN SECUNDAM QUINQUAGENAM

PSALTERII

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI QUINQUAGESIMI PRIMI : QUID GLORIARIS IN MALITIA ? ETC.

PSALMUS jam declarandus, hoc titulo A
1 prænotatur : *In finem, intellectus David,*
2 *quum venit Doeg Idumæus, et annuntiavit Sauli, et dixit : Venit David in domum Achimelech.* Juxta intellectum litteralem, sensus tituli hujus clarus est ex historia libri Regum. Legitur enim ibidem, quemadmodum Saul dolens de evasione David,
1 Reg. xxii, 7-10. dixit ad servos suos: Audite me, filii Jemini, quia non est in vobis qui doleat vicem meam, et annuntiet mihi de David filio Isai. Respondens autem Doeg Idumæus, qui erat primus inter servos Saulis, et poten- B tissimus pastorum ejus : Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech sacerdotem, qui cibaria et gladium Goliath
Ibid. 16, 17. dedit ei. Ob hanc causam præcepit Saul occidi ipsum Achimelech (seu Abimelech, quia utrumque dicitur) et omnem domum patris ejus. Cujus facinoris Doeg exsecutor
Ibid. 18-21. fuit, sicut ibidem legitur : Conversus Doeg irruit in sacerdotes, et trucidavit in illa die octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. Nobe quoque civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, tam homines quam C jumenta. Abiathar vero, filius Achimelech, evasit, et venit ad David, eique retulit cuncta quæ facta sunt.

De hoc igitur edidit David hunc psalmum, qui ad litteram exponi potest de ipsa re gesta, quamvis fructuosius convenientiusque exponatur de re significata seu figurata. Dum enim psalmi de Christo vel Ecclesia litteraliter intelliguntur, litteralis sensus dulcis et devotione plenus est, et diligenter scrutandus. Dum vero de David, seu simili aliquo intelliguntur, litteralis sensus parum devotionis atque dulcedinis confert. Unde devoti parum afficiuntur in expositione hujusmodi. Ideo de tali expositione pauca dicam. Secundum hanc itaque expositionem sensus tituli est: *Intellectus David,* id est, in psalmo isto ponitur eruditio sancti David, dirigens nos *in finem,* id est in veram felicitatem et Christum, ad quam perveniemus, si eruditioni hujus psalmi paruerimus : intellectus, inquam, a David conscriptus, *quum venit,* id est, postquam venit, *Doeg Idumæus.* Cetera enim jam patuerunt.

INCREPATORIE ergo alloquens David
ipsum Doeg, ait : (1) *Quid gloriaris in malitia?* id est, quo fructu et utilitate 3
lætaris de opere malo, et perpetratione peccati, quo me virum innocentem et Achime- 1 Reg. xxii, 9, 18.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN SECUNDAM QUINQUAGENAM
PSALTERII

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI QUINQUAGESIMI PRIMI : QUID GLORIARIS IN MALITIA ? ETC.

PSALMUS jam declarandus, hoc titulo A
1 prænotatur : *In finem, intellectus David,*
2 *quum venit Doeg Idumæus, et annuntiavit Sauli, et dixit : Venit David in domum Achimelech.* Juxta intellectum litteralem, sensus tituli hujus clarus est ex historia libri Regum. Legitur enim ibidem, quemadmodum Saul dolens de evasione David,
I *Reg.* XXII, 7-10. dixit ad servos suos: Audite me, filii Jemini, quia non est in vobis qui doleat vicem meam, et annuntiet mihi de David filio Isai. Respondens autem Doeg Idumæus, qui erat primus inter servos Saulis, et potentissimus pastorum ejus : Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech sacerdotem, qui cibaria et gladium Goliath
Ibid. 16, 17. dedit ei. Ob hanc causam præcepit Saul occidi ipsum Achimelech (seu Abimelech, quia utrumque dicitur) et omnem domum patris ejus. Cujus facinoris Doeg exsecutor
Ibid. 18-21. fuit, sicut ibidem legitur : Conversus Doeg irruit in sacerdotes, et trucidavit in illa die octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. Nobe quoque civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, tam homines quam jumenta. Abiathar vero, filius Achimelech, evasit, et venit ad David, eique retulit cuncta quæ facta sunt.

De hoc igitur edidit David hunc psalmum, qui ad litteram exponi potest de ipsa re gesta, quamvis fructuosius convenientiusque exponatur de re significata seu figurata. Dum enim psalmi de Christo vel Ecclesia litteraliter intelliguntur, litteralis sensus dulcis et devotione plenus est, et diligenter scrutandus. Dum vero de David, seu simili aliquo intelliguntur, litteralis sensus parum devotionis atque dulcedinis confert. Unde devoti parum afficiuntur in expositione hujusmodi. Ideo de B tali expositione pauca dicam. Secundum hanc itaque expositionem sensus tituli est : *Intellectus David,* id est, in psalmo isto ponitur eruditio sancti David, dirigens nos *in finem,* id est in veram felicitatem et Christum, ad quam perveniemus, si eruditioni hujus psalmi paruerimus : intellectus, inquam, a David conscriptus, *quum venit,* id est, postquam venit, *Doeg Idumæus.* Cetera enim jam patuerunt.

INCREPATORIE ergo alloquens David
C ipsum Doeg, ait : (1) *Quid gloriaris in* 3
malitia? id est, quo fructu et utilitate lætaris de opere malo, et perpetratione peccati, quo me virum innocentem et Achime- I *Reg.* XXII, 9, 18.

lech sacerdotem prodidisti, eumque cum
suis consanguineis occidisti? Gloriabatur
enim Doeg de his, quia per hæc maximam
sibi amicitiam acquisivit regis iniqui. Sed
hæc gloriatio, mala animæque nociva fuit:
ideo David Doeg redarguit, Quid, inquiens,
gloriaris in malitia, quod tibi non expe-
dit? *Qui potens es in iniquitate,* id est,
qui potens fuisti ad occidendum viros
innoxios, et potestate tibi collata abusus
es, opprimendo te meliores.
4 (2) *Tota die,* id est incessanter, *injusti-
tiam cogitavit lingua tua,* id est, opus
injustum, dolos, atque insidias contra me
et meos amicos concepit lingua cordis tui,
videlicet intellectus, quo interiora verba
seu cogitationes formantur; vel, Lingua
oris cogitavit, id est, ex interiori cogita-
tione dixit. Doeg enim assidue insidiaba-
tur sancto David et ejus consociis. Unde
I Reg. xxii, 22. David ad Abiathar dixit: Sciebam in die
illa, quod quum ibi esset Doeg Idumæus,
procul dubio annuntiaret Sauli. *Sicut no-
vacula acuta fecisti dolum.* Novacula acu-
ta, quum pilos tollere habeat, aliquando
dire et subito vulnerat. Sic detractores et
impii, quum regem et dominum suum be-
ne et recte informare deberent, falsa ei
vel non revelanda annuntiant, aliis detra-
hunt, damna infligunt, et mortem procu-
rant: et hoc modo Doeg dolum quæsivit
in David et Achimelech, atque in ceteros,
quos primo diffamavit, deinde occidit.
5 (3) *Dilexisti,* o Doeg, *malitiam,* id est
opus crudele, *super benignitatem,* id est
magis quam opus misericordiæ, quoniam
sacerdotes crudeliter trucidasti, neque in-
nocentibus es misertus; *iniquitatem ma-
gis quam loqui æquitatem,* id est, magis
amasti loqui verba iniqua, dolosa et invi-
diosa, quam vera ac justa. Doeg enim, ut
Sauli amplius complaceret, multa crimina
Ibid. 10. David imposuit: et quod dixit Achimelech
consuluisse Dominum pro David, aliqui
dicunt fuisse falsum, et a Doeg confictum,
sicut moris est detractoribus, dum aliquid
verum annuntiant, falsa miscere. Non enim
in textu libri Regum habetur, quod Achi-
A melech consuluerit Dominum pro David,
sed quod panes et gladium dederit ei. I Reg. xxi, 6, 9.
(4) *Dilexisti omnia verba præcipitationis,* 6
id est sermones ad præcipitandum et occi-
dendum ordinatos, tam proprii oris, quam
domini tui Saulis, quem libenter audisti
loqui dura adversum me, o *lingua dolosa,*
id est, o tu, Doeg, qui linguam dolosam
habebas. Solet namque nomine partis, to-
tum significari, præsertim dum quis ma-
xime vacat actui partis alicujus: quemad-
modum ait Apostolus, Cretenses semper Tit. i, 12.
B mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.
(5) *Propterea,* o Doeg, *Deus* justus judex 7
destruet te in finem, omne spirituale et
meritorium esse tibi auferendo, seu non
præstando, teque æternaliter condemnan-
do, nisi pœnitentiam egeris. *Evellet te, et
emigrabit te de tabernaculo tuo,* id est, te
ab hostibus tuis occidi permittet: sicut et
factum est. In monte enim Gelboe cum Sau-
le occisus est: quia, secundum Hebræos,
ipse tunc erat armiger Saulis, qui quum I Reg. xxxi,
vidisset Saulem irruisse in gladium suum, 4, 5.
C irruit etiam ipse in gladium proprium.
Tunc ergo evulsus est Doeg de tabernacu-
lo suo, id est, anima ejus a corpore separata
fuit, et domum suam non magis inhabi-
tavit, sed aliis eam reliquit. *Et radicem
tuam de terra viventium,* id est, semen
seu filium tuum evellet Dominus de terra
Judææ. Nam et filium ejus David occidit,
ut dicunt Hebræi. Qui enim annuntiavit
David, dicens Saulem et filios ejus ceci- II Reg. i, 4.
disse in prælio, adjiciens se irruisse in Sau- Ibid. 10.
lem, filius Doeg fuisse putatur. Quum enim
D dixisset ei David, Unde es tu? respondit, Ibid. 13.
Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum:
tuncque occidit eum David, eo quod dixis- Ibid. 15, 16.
set se misisse manum suam in christum
Domini. Ecce ex isto apparet, quod David
in spiritu præcognovit dejectionem et pœ-
nam Doeg.
(6) *Videbunt justi,* id est, diligenter con- 8
siderabunt justam Dei ultionem in Doeg, *et
timebunt* divinum judicium, ne ipsis simi-
li modo contingat. Pestilente enim flagel- Prov. xix,
lato, sapiens sapientior erit. *Et super eum* 25.

Digitized by Google

ridebunt, id est, de justa pœna Doeg gau-
debunt, conformando se divinæ justitiæ,
9 *et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum*
adjutorem suum, id est, qualiter accidit
ei, qui non est in Deo confisus. (7) *Sed*
speravit in multitudine divitiarum sua-
rum. Doeg enim ditissimus fuit, quoniam
I Reg. xxi, 7. potentissimus pastorum Saul erat ; hasque
divitias adulando et justitiam pervertendo
collegit, atque in ipsis potius quam in Deo
speravit. *Et prævaluit in vanitate sua.*
Doeg namque ad tempus contra justum
David et alios bonos confortatus est, et in
vanitate sua, id est superbia et vanis divi-
tiis, floruit, viguit, aliosque oppressit.
10 (8) *Ego autem* David *sicut oliva fructi-*
fera exsistens *in domo Dei,* id est in Syna-
goga seu populo Judæorum, quos verbis
àtque exemplis instruxi, et in bonis operi-
bus fecundavi : sicque ad instar olivæ fru-
ctificavi in populo, cujus dux fui, multos
convertendo ad Deum, conversos quoque
et bonos provocando ad meliora ; *speravi*
in misericordia Dei in æternum, id est to-
to tempore vitæ meæ, *et in sæculum sæ-*
culi, id est sine fine : non quod in futura

A vita, scilicet in patria, maneat spes ; sed,
Speravi, inquit, in misericordia Dei in
æternum, et in sæculum sæculi, id est ad
hoc seu propter hunc finem, ut æterna,
non temporalia, bona ab ipso adipiscar, et
æternaliter felix efficiar.
(9) *Confitebor tibi,* id est, ad gloriam 11
tuam tua bona, et mea mala, confessione
laudis et pœnitentiæ enarrabo, *in sæcu-*
lum, id est diu et indesinenter, *quia feci-*
sti mihi tantam pietatem et gratiam. *Et*
exspectabo nomen tuum, id est, patienter
B præstolabor adventum tuum, resurrectio-
nem futuram, et gloriam Beatorum : nec
in adversis relinquam te, sed quidquid
mihi acciderit, spem habebo immobilem
in te, seu in nomine tuo ; *quoniam bonum*
est in conspectu sanctorum tuorum, id est,
quia nomen tuum dulce et bonum est ju-
dicio electorum, et in consideratione et
experientia devotorum, qui gustaverunt
quam magna sit multitudo dulcedinis tuæ, Ps. xxx, 20.
Domine, idcirco et optime sentiunt de te :
quemadmodum Jeremias testatur, Bonus Thren. iii, 25.
C est Dominus sperantibus in eum, et ani-
mæ quærenti illum.

ARTICULUS II

EXPOSITIO ALLEGORICA, VIDELICET DE CHRISTO, EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI PRIMI.

ALLEGORICUS denique sensus sacræ
Scripturæ est, dum ea quæ de veteri-
bus Sanctis leguntur, de Christo intelligun-
I Cor. x, 11. tur. Omnia enim in figuris contingebant
illis. Secundum hunc itaque intellectum,
per David, qui interpretatur manu for-
tis, seu desiderabilis adspectu, intelligitur
Ibid. i, 24. Christus, virtus Dei, qui est speciosus for-
Ps. xliv, 3. ma præ filiis hominum. Per Doeg vero,
qui interpretatur motus, intelligitur Judas
Joann. xii, 6 ; Matth. xxvi, 14-16. proditor, avaritia inflammatus ad Chri-
stum vendendum. Per Saulem vero, qui
interpretatur appetitio seu mors, intelli-

gitur princeps sacerdotum, seu populus Matth. xxvii, 1, 25.
D Judæorum, Christi sanguinem sitiens. Est
igitur sensus : *In finem, intellectus David,* 1
id est, intellectus hujus psalmi in Deum
nos dirigens, convenit Christo per David
figurato ; *quum venit Doeg Idumæus,* id 2
est Judas traditor avarus atque terrenus
(Idumæus namque interpretatur terrenus),
et annuntiavit Sauli, id est principi sacer-
dotum ac ejus concilio, *et dixit* ei : *Venit*
David, id est Christus, *in domum Achi-*
melech, id est in societatem discipulorum
suorum. Achimelech siquidem interpreta-

Digitized by Google

tur regnum patris mei : per quod desi-
gnatur Ecclesia, in qua Deus per gratiam
regnat. Hæc vero annuntiatio Judæ fuit
Matth. xxvi, 14, 15. feria quarta, dum Christum vendidit, di-
cens Judæis eum venisse in Bethaniam
cum discipulis suis in domum Marthæ; et
Joann. xiii, 30. item feria quinta, quando post buccellam
exivit continuo, dicens Judæis Jesum ve-
nisse cum discipulis suis in cœnaculum,
in quo Cœnam novissimam celebravit, et
esse exiturum in locum in quem Jesus fre-
quenter egredi consuevit. Unde scriptum
Ibid. xviii, 2. est : Sciebat autem et Judas, qui tradebat
eum, locum, quia frequenter Jesus conve-
nerat illuc, etc. Diligenter namque indica-
vit Judas Judæis, locum in quem Christus
advenit, et inter quos fuit : quoniam, sicut
Luc. xxii, 6. scriptum est, Quærebat opportunitatem ut
traderet eum sine turba.

Propheta igitur in persona Christi, seu
ipse Christus, Judam proditorem redar-
3 guens, ait : *Quid gloriaris in malitia,* id
est in venditione et proditione sanguinis
innocentis Magistri ac Domini tui, qui tibi
tot bona contulit, tantaque dilectionis si-
gna ostendit, *qui potens es in iniquitate,*
id est, qui tardus et impotens fuisti ad
bene operandum, velox autem et cautus
4 ad vendendum atque prodendum? *Tota
die,* præcipue feria quarta et quinta ante
Parasceven, *injustitiam,* id est injustam
venditionem et fallacem proditionem, *co-
Matth. xxvi, 14-16. *gitavit lingua tua,* quando cum Judæis
tractabas quomodo me traderes eis. *Sicut
novacula acuta fecisti dolum,* quia in fa-
cie me laudasti, et occulte detraxisti. Ma-
xime autem dolum fecit Judas sicut acuta
novacula, quando antecedebat cohortem
et ministros Judæorum, dicens eisdem :
Marc. xiv, 44. Quemcumque osculatus fuero, ipse est;
tenete eum, et ducite caute. Ideo namque
Luc. xxii, 48. Christus ei dixit : Juda, osculo Filium ho-
minis tradis?

5 *Dilexisti,* o Juda, *malitiam super be-
Joann. xii, 6. *nignitatem,* quia fur eras, et loculos ha-
bens, ea quæ mittebantur, furabaris : et ita
benignitatem, id est misericordiæ opera,
omisisti, quia egenis danda, tibi cupide
A reservasti; *iniquitatem magis quam loqui
æquitatem,* id est, magis voluisti cum Ju-
dæis tractare de injusta Christi venditione
et morte, quam Magistrum tuum, quem
innocentem cognoveras, excusare. *Dilexi-* 6
sti omnia verba præcipitationis, id est ser-
mones principum sacerdotum de Christi *Matth.*
præcipitatione, oppressione, et occisione xxvi, 3-5.
loquentium, o *lingua dolosa,* quæ Magi-
stro tuo dolose dixisti : Ave, Rabbi. *Ibid.* 49.

Propterea Deus destruet te in finem, 7
quia æternaliter disperibis atque damna-
B beris. Revelabunt enim cœli iniquitatem *Job* xx, 27.
Judæ, et terra adversus eum consurget.
*Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo
tuo.* Hoc in Juda impletum est, dum ab- *Matth.*
iens, laqueo se suspendit, et crepuit me- xxvii, 5. *Act.* i, 18.
dius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.
Tunc enim Deus evulsit animam ejus a
corpore, ipsumque Judam separavit a ta-
bernaculo suo, id est a domo Christi seu
Apostolorum collegio, auferendo ei gra-
tiam in præsenti, et gloriam in futuro.
Unde et Christus ante passionem Apostolis
C dixit : Nonne ego vos duodecim elegi, et *Joann.* vi,
unus ex vobis diabolus est? Hoc autem 71, 72.
(sicut Evangelista subjungit) de Juda as-
seruit. *Et radicem tuam de terra viven-
tium :* id est, Deus in tantum destruet at-
que evellet te, o Juda, de terra viventium,
id est de Ecclesia electorum et regione
vivorum, ut reparari non possis, neque ad
vitam resurgere. Per radicem ergo intelli-
git potentiam reparandi gratiam, seu re-
surgendi ad vitam.

Videbunt justi, id est sancti Apostoli 8
D aliique fideles, suspensionem et damnatio- *Matth.*
nem proditoris nequissimi. Propter quod xxvii, 5.
in Actibus Lucas ait : Notum factum est *Act.* i, 19.
(verbum hoc, scilicet suspensio Judæ) om-
nibus habitantibus Jerusalem, ita ut ap-
pellaretur ager ille lingua eorum, Hacel-
dama, id est ager sanguinis. *Ecce homo* 9
qui non posuit Deum adjutorem suum, id
est, qui in Christo magistro ac Domino
suo non fundavit nec stabilivit se ipsum;
*sed speravit in multitudine divitiarum
suarum,* id est, spem suam in rebus ter-

Digitized by Google

renis locavit, quas, furando et Christum A
vendendo, collegit, *et prævaluit in vani-*
tate sua, id est, contra Christum roboravit
cor suum, et in cupiditate vanissima ita
permissus est prævalere contra Christum,
quod vendidit et tradidit eum. Non quod
simpliciter aliquis contra Christum præ-
Is. LIII, 7. valuit : ipse enim oblatus est quia voluit ;
sed prævaluisse dicuntur iniqui contra
eum, quia permissi sunt eum occidere.
Ps. XXXVII, 20. Unde superius Christus dixit : Inimici au-
tem mei vivunt, et confirmati sunt super
Joann. XIX, 10, 11. me. Et Pilato dicenti, Nescis quia potesta- B
tem habeo crucifigendi te? Christus res-
pondit : Non haberes potestatem adversum
me ullam, nisi tibi datum esset desuper.

Denique, sicut psalmus iste hucusque
de Juda expositus est, sic posset de populo
Judæorum contra Christum furentium ex-
planari. Hic namque populus gloriabatur
in malitia, irridendo, blasphemando, per-
sequendo, occidendoque Dominum Salva-
torem. Tota quoque die, præsertim in die
Parasceves, injustitiam, id est falsas accu-
sationes et mortis sententiam, contra Chri- C
stum cogitavit lingua ipsius, clamans ad
Luc. XXIII, 2. præsidem, Hunc invenimus subvertentem
Joann. XIX, 15. gentem nostram ; et, Tolle, tolle, crucifige
eum. Sed et sicut novacula acuta fecit
Marc. XII, 13. dolum, mittendo discipulos Pharisæorum
cum Herodianis, ut caperent Jesum in ser-
mone. Dilexit etiam omnia verba præcipi-
Joann. XIX, 12. tationis, clamando ad judicem, Si hunc
Matth. XXVII, 25. dimittis, non es amicus Cæsaris ; et, San-
guis ejus super nos et super filios nostros.
Quibus verbis se ipsos et posteros suos
vehementius præcipitaverunt, quam Chri- D
I Thess. II, 16. stum. Pervenit enim, ut ait Apostolus, su-
per eos ira Dei usque in finem. Propter
7 quod subditur : *Propterea,* scilicet propter
iniquitatem in Christum commissam, *Deus*
destruet te in finem, id est, usque in fi-
nem mundi relinquet te : quemadmodum
Dan. IX, 26, 27. per Danielem prædictum est, Finis ejus,
scilicet populi Judæorum, vastitas, et us-
que in finem perseverabit desolatio. Et
Amos v, 1. Amos : Domus Israel cecidit, et non adji-
ciet ut resurgat. *Evellet te, et emigrabit te*
de tabernaculo tuo, id est, de terra pro-
missionis ejiciet te : sicut per Titum et
Vespasianum impletum cognoscimus, juxta
illud Danielis : Civitatem et sanctuarium Dan. IX, 26.
dissipabit populus cum duce venturo. *Et*
radicem tuam de terra viventium, id est,
vim generativam auferet tibi in terra pa-
trum tuorum : quia post ejectionem præ-
dictam non generaverunt, nec multiplicati
sunt in propria terra ut ante, nec eam re-
parare potuerunt ut ante. Vel, Radicem
tuam de terra viventium, id est, a regno
cœlorum omnino eradicabit te : sicut et
Christus in Evangelio ait, Filii regni ejici- Matth. VIII, 12.
entur in tenebras exteriores. *Videbunt ju-* 8
sti, id est ex Judæis ad Christum conversi,
prædictam infidelium pœnam, *et timebunt*
Dominum Jesum Christum judicem tam
districtum ; *et super eum,* scilicet popu-
lum infidelem, *ridebunt,* applaudendo di-
vinæ justitiæ ; *et dicent : Ecce homo qui* 9
non posuit Deum adjutorem suum : id est,
vide Israel secundum carnem, qui ignorans Rom. X, 3.
Dei justitiam, et suam volens statuere, ju-
stitiæ Dei non fuit subjectus, nec gratiæ
Christi est innixus, sed in lege totam spem
posuit. Ideo additur : *sed speravit in mul-*
titudine divitiarum suarum, id est, de
propriis meritis gloriatus est, et de lege
ac genere superbivit, nec ad gratiam Dei Matth. III, 9 ; Joann. VIII, 33, 39.
et fidem Christi humiliter accedere voluit.
Vel, Speravit in multitudine divitiarum su-
arum corporalium : quia Judæi avarissimi Luc. XVI, 9.
erant. Nam Christo contra avaritiam dis- Joann. X, 1, 8, 10, 12, 13, 20.
putante, dixerunt : Dæmonium habet et
insanit, quid eum auditis? *Et prævaluit*
in vanitate sua, id est, in superbia cordis
sui ad tempus prævaluit contra primiti-
vam Ecclesiam Christi, quam populus Ju-
dæorum frequenter persequebatur, sicut Act. IV, VII, VIII, etc.
in Actis Apostolorum narratur.

Ego autem sicut oliva fructifera in do- 10
mo Dei. Hoc Christo maxime competit,
qui, secundum Apostolum, multos filios Hebr. II, 10.
adduxit in gloriam. Ipse namque fructum
copiosissimum attulit Deo, quia per pas-
sionis suæ meritum omnes electos rede-
mit, et non est in alio aliquo salus. Unde Act. IV, 12.

Digitized by Google

de fecunditate Christi apud Isaiam scri- A
Is. XLIX, 5, 6. ptum est : Hæc dicit Dominus formans me
ex utero servum sibi, ut reducam Jacob
ad eum ; et glorificatus sum in oculis Do-
mini. Et dixit : Parum est ut sis mihi ser-
vus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces
Israel convertendas; dedi te in lucem gen-
tium, ut sis salus mea usque ad extremum
Dan. VII, 14. terræ. Et hoc est quod Daniel dicit : Omnes
populi, tribus et linguæ servient ei. Chri-
stus itaque sicut oliva fructifera fuit in do-
Hebr. III, 6. mo Dei : quæ domus sumus nos, secundum
Rom. V, 10. Apostolum, quia per ipsum reconciliati su- B
mus Deo. Unde ad Ephesios dicit Aposto-
Ephes. I, 10. lus : Deus instauravit omnia in Christo,
sive quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra.
Speravi in misericordia Dei in æternum, et
in sæculum sæculi. Christus, secundum
quod homo et aliquo modo viator, perfe-
ctissime semper speravit in Domino, non
per spem, quæ est virtus theologica, quia
illam non habuit, sicut nec fidem, quem-
admodum infra plenius elucebit ; sed per
fiduciam quamdam seu exspectationem,
ex caritate et gratia procedentem.

Confitebor tibi, Domine, id est, laudabo 11
te, *in sæculum, quia fecisti* justam discre-
tionem inter bonos et impios. Hinc nempe
scriptum est : Exsultavit Jesus Spiritu San- Luc. X, 21
cto, et ait : Confiteor tibi, Pater, Domine
cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sa-
pientibus et prudentibus, et revelasti ea
parvulis. *Et exspectabo nomen tuum, quo-*
niam bonum, etc. Sicut spes est exspecta-
tio, sic idem sunt sperare et exspectare,
convenitque utrumque Christo eodem mo-
do, scilicet ut viatori. Speravit enim et
exspectavit a Deo resuscitari a morte, et
glorificari in corpore, atque super omnes
cœlos ascendere.

Quæ autem jam omissa sunt, in præce-
denti expositione satis elucidata videntur.

ARTICULUS III

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI PRIMI TROPOLOGICA SEU MORALIS.

MORALITER insuper, per David intel- C
ligitur unusquisque fidelis ; per Doeg
vero, quilibet invidus et terrenus ; per
Saulem vero, iniqua potestas seu regnum
reproborum ; per Achimelech vero, Eccle-
sia Dei. Igitur, juxta moralem intelligen-
1 tiam, iste est tituli sensus : *In finem, in-*
tellectus David, id est, doctrina psalmi
præsentis, in finem, id est in consideratio-
nem finalis retributionis et justæ remune-
rationis nos dirigens, competit David, id
2 est fideli ; *quum venit Doeg Idumæus* ad
Saulem, id est aliquis terrenus et obtrecta- D
tor, ad principem malum seu quempiam
pestiferum et potentem, bonos tyrannice
opprimentem ; *et annuntiavit* ei : *Venit*
David in domum Achimelech, id est, fide-
lis quisque venit in obedientiam sanctæ
matris Ecclesiæ. Ideo enim iniqui persequi
solent justos, quoniam vitam atque præ-
cepta eorum abominantur, et quoniam ju-
sti præceptis Ecclesiæ obsequuntur.

Itaque dicit : *Quid gloriaris in malitia ?* 3
id est, cur ex electione et habitu malo at-
que proposito peccas? Quidam enim ex in-
firmitate peccant : et horum peccatum est
veniale, vel minus grave. Quidam vero ex
habitu malo : et hi gloriantur in malo, et
difficillime corriguntur ; estque gloriatio Eccle. I, 15.
eorum mortalis et pessima, quia, secun-
dum Philosophum, gloriatio seu delectatio
operationi annexa, est signum habitus in-
terioris. De sic quoque gloriantibus in Pro-
verbiis scriptum est : Lætantur quum ma- Prov. II, 14.
le fecerint, et exsultant in rebus pessimis ;
et in Evangelio : Væ vobis qui ridetis Luc. VI, 25.

Digitized by Google

nunc, quia lugebitis et flebitis. Hæc namque est gloriatio mundi, in æternam tristitiam convertenda : cui contrariam tristitiam habent electi in æternam lætitiam permutandam, quemadmodum Christus discipulis protestatur (Joann. XVI, 20, 22.) : Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Verumtamen nemo gloriatur in malo, sub ratione mali, sed sub ratione alicujus apparentis boni : quia, secundum Dionysium, nemo respiciens ad malum operatur, quum bonum sit objectum appetitus, in quo est prima radix peccati.

Itaque : Quid gloriaris in malitia, *qui potens es in iniquitate?* Secundum Anselmum, qui potest quod sibi non expedit, quanto id amplius potest, tanto impotentior est. Posse enim peccare, impotentia magis dicenda est, quam potentia : sicut peccatum potius dicitur nihil, quam aliquid. Quomodo ergo aliquis potens est in iniquitate? Et respondendum, quod homo dicitur potens in iniquitate, non quod potentia male agendi, secundum quod est origo et causa peccati, sit vera potentia ; sed quia potentia sibi divinitus ad bene agendum collata abutitur, atque per eam mala violenter et prompte exsequitur. Juxta hunc sensum in Jeremia scriptum est (Jer. IV, 22.) : Sapientes sunt ut faciant mala. Non quod sapientia malefaciendi, sit vera sapientia, sed quædam perversa industria. Unde Sapiens dicit (Sap. I, 4.) : In malevolam animam non introibit sapientia. Sed quia nonnulli dato ingenio atque scientia abutuntur, et vias peccandi subtiliter indagantur ; idcirco sapientes dicuntur ut faciant mala.

4 *Tota die,* id est indesinenter et animo obstinato, *injustitiam,* id est dolum et detractionem, *cogitavit lingua tua.* Si linguam sumamus pro organo corporis, et cogitationem pro interiori actu meditantis ; tunc linguæ non convenit cogitare, sed cordi. Per hoc ergo quod hæc duo consociat, Lingua et Cogitavit, insinuat, A quod quam cito cogitavit injustitiam, elocutus est eam : quemadmodum in Ecclesiastico habetur (Eccli. XXI, 17.), Cor fatui quasi vas confractum. Et iterum (Ibid. 29.) : In ore fatuorum, cor illorum ; et in corde sapientium, os eorum. Hæc est expositio venerandi theologi Hugonis. Verumtamen, quia superius de viro sapienti et justo dictum est (Ps. XXXIV, 28.), Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, ubi meditari seu cogitare adscribitur linguæ sapientis (cujus, ut dictum est, os est in corde ipsius, quoniam aptum tempus loquendi exspe- B ctat, juxta illud (Prov. XXIX, 11.), Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in posterum) ; ideo superiores duæ expositiones acceptiores videntur.

Sicut novacula acuta fecisti dolum, decipiendo proximum tuum ; idcirco maledictus es : juxta illud Malachiæ (Malach. I, 14.), Maledictus dolosus, qui habet in grege suo, etc. ; quia rex magnus ego sum, dicit Dominus. Et alius Propheta (Is. XXXII, 7.) : Fraudulenti vasa pessima sunt ; ipse enim cogitationes suas concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacii. C Quocontra de Nathanaele Christus ait (Joann. I, 47.) : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Omnino ergo caveamus tam pessimum vitium, si Christo conformari optamus, de quo scriptum est (I Petr. II, 22.) : Nec inventus est dolus in ore ejus.

Dilexisti malitiam super benignitatem. 5
Omnis qui peccat scienter, diligit malum magis quam bonum. Dilexisti etiam *iniquitatem,* id est verba illicita, *magis quam loqui æquitatem,* id est verba justa, vera et instructiva. Quocontra Ecclesiasticus dicit (Eccli. XXI, 2.) : D Quasi a facie colubri fuge peccatum. Et Apostolus (Ephes. IV, 29.) : Omnis, inquit, sermo malus ex ore vestro non procedat ; et (Ibid. 31, 32.) : Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem,
sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Di-* 6
lexisti omnia verba præcipitationis : quod est caritati fraternæ contrarium, et per consequens mortale peccatum, cui debetur æternum tormentum. Unde subjungi-
tur : *Propterea Deus destruet te in finem.* 7

Digitized by Google

Expositio hujus versus, ex præcedentibus elucescit.

8 *Videbunt justi* pœnam malorum in præsenti sæculo, et in finali judicio, *et timebunt,* id est, divinam justitiam reverebuntur, et filialem timorem concipient circa Deum. Hoc etenim modo etiam angeli sancti timebunt ex condemnatione reproborum, prout in Job de diabolo sub appella-
Job XLI, 16. tione Behemoth dicitur : Quum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purga-
Matth. XXIV, 29. buntur. Et Christus in Evangelio : Virtutes, inquit, cœlorum movebuntur. *Et super eum,* scilicet iniquum et reprobum,
Ps. LVII, 11. *ridebunt :* sicut inferius dicitur, Lætabitur justus quum viderit vindictam. Propter quod, per Malachiam Dominus ait de ju-
Malach. IV, 2, 3. stis : Egrediemini et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios in die qua ego facio, dicit Dominus ; et in Isaia,
Is. LXVI, 24. Egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me.

9 *Et dicent* justi de impio : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum.* Quod
Ibid. L, 10. est contra exhortationem Isaiæ : Quis ambulat in tenebris, et non est lumen ei ? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum. *Sed speravit in multitudine divitiarum suarum,* vel corporalium, vel
Galat. VI, 3. spiritualium, scilicet meritorum, reputans se aliquid esse, quum nihil sit, et de bonis
I *Cor.* IV, 7. operibus glorians in se, quasi non acceperit aliunde. Non ergo in propria justitia confidamus, nec in incerto divitiarum speremus, ut dicere valeamus cum sancto Job :
Job IX, 20, 21. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et rursum
Ibid. XXXI, 24, 25. ait : Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi, Fiducia mea ; si lætatus sum super divitiis meis multis. Hinc enim Aposto-
I *Tim.* VI, 17. lus dicit : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto
I *Cor.* III, 21. divitiarum, sed in Deo vivo. Et alibi : Nemo, inquit, glorietur in hominibus, scilicet
II *Cor.* X, 17. in se ipso ; sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Omnem quippe vanam gloriam de propriis meritis excludit prorsus a nobis, quod Christus ait : Quum feceritis om- *Luc.* XVII, 10.
nia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus. *Et prævaluit in vanitate sua,* id est, in temporali prosperitate ad tempus floruit, et in desideriis propriis ambulavit, aliosque oppressit.

10 *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Hoc cuilibet homini competit, qui opera bona producit, alios vero vita et moribus instruit, atque in vitam æternam fructificat : qualem fuisse Levi patriarcham Malachias testatur, dicens : Pactum *Malach.* II, 5, 6.
meum fuit cum Levi, et a facie nominis mei pavebat ; in pace et æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Istud autem ad prælatos et aliorum rectores maxime pertinet, de quorum manu *Ezech.* III, 18.
Deus sanguinem pereuntium requiret. *Speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi.* Scio enim quia non II *Cor.* III, 5.
sum sufficiens cogitare aliquid ex me, quasi ex me, sed sufficientia mea ex Deo est. Cetera ex præhabitis lucent.

Ecce psalmum brevem et doctrinalem audivimus, in quo inter bonos et malos pulchre distinguitur, judiciumque divinum evidenter commemoratur. Studeamus ergo ab operibus tenebrarum diffugere, et oli- *Rom.* XIII, 12.
væ fructiferæ comparari, omne tempus fructuose expendendo, et neminem scandalizando, ne simus aliis lapis offensio- I *Petr.* II, 8.
nis et petra scandali ; sed sic luceat vita *Matth.* V, 16.
nostra proximis nostris, ut ædificentur ex nobis.

PRECATIO.

Defensor vitæ et animæ nostræ, Domine, pravis conatibus nostris semper obsiste, et ne sinas nos in nostra prævalere vanitate : ut sicut oliva fructificantes in domo tua, in æternum exspectemus nomen tuum in conspectu Sanctorum tuorum.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

EXPOSITIO PSALMI QUINQUAGESIMI SECUNDI : DIXIT INSIPIENS IN CORDE SUO.

Est autem titulus psalmi jam explanan-
1 di : *In finem, pro Amalec, intellectus David.* De titulo isto plura dici possent, quia diversi de ipso diversimode sentiunt. Sed breviter transiens dico, sicut et Hugo affirmat, quod psalmus iste, quamvis videatur conscriptus occasione Amalecitarum, (*I Reg.* XXX, 1-3.) qui uxores David atque virorum suorum rapuerunt cum pueris et jumentis, succensa civitate Siceleg, quam Achis rex Geth dedit David fugienti Saulem, quemadmodum primo Regum scribitur; non tamen agit psalmus iste de ipsa historia, sed de re significata per Amalec, qui interpretatur dolens sive parturiens, et designat corpus Christi mysticum, puta Ecclesiam pro peccatis gementem, et filios spiritualiter per verbum prædicationis parturientem, quemadmodum ait Apostolus : (*Galat.* IV, 19.) Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis; et alibi, (*I Cor.* IV, 15.) Per Evangelium ego vos genui. In hoc autem psalmo increpantur homines contra Ecclesiam insurgentes. Et est tituli sensus : *Intellectus David,* id est psalmus iste in quo ponitur eruditio David, *in finem,* id est in Christum, nos dirigens, est conscriptus *pro Amalec,* id est pro significato per ipsum, videlicet pro Ecclesia, cujus adversarii hic increpantur. Præterea psalmus iste in verbis et sensu multum conformis est psalmo tertiodecimo. Quoniam tamen in titulo differt, quia illius psalmi titulus est, Psalmus David; credendum est quod etiam intentione sensuque differat, saltem in parte.

Ait ergo sanctus Propheta : (1) *Dixit insipiens in corde suo,* id est, divinorum notitia carens, apud se cogitavit : *Non est*

A *Deus.* Quod dupliciter accipi potest. Primo, quod aliquis propter nimiam mentis cæcitatem putet Deum non esse, sicut quidam philosophi negabant prima principia : quum tamen nec Deum non esse, nec prima principia esse falsa, ab aliquo intelligi possit, quum utrumque sit per se notum, secundum opinionem probabilem. Secundo, sic accipi potest : Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus : id est, omnis insipienter agens, et criminaliter vivens, ita se habuit, ac si putaret Deum non esse;
B imo quem verbo confitetur, opere negat, sicut de quibusdam ait Apostolus : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant. (*Tit.* I, 16.) Unde et in prima Joannis habetur : Qui se dicit nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. (*I Joann.* II, 4.) Quod de notitia formata intelligendum est. Notitiam enim informem de Deo reprobi habent, sicut de eis ait Apostolus : Quum cognovissent Deum, (*Rom.* I, 21.) non sicut Deum glorificaverunt. Hoc secundo modo multi dicunt in corde suo, Non est Deus : omnes videlicet qui judi-
C cium Dei non timent; sic enim agunt, ac si Deum putarent non esse justum. Sed primo modo pauci dicunt Deum non esse : quia, Augustino attestante, sicut magna perfectio paucorum est, sic magna quoque insania paucorum est.

Deinde de insipientibus loquitur Propheta pluraliter, dicens : (2) *Corrupti sunt, et* 2
abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Integritas mentis, est conversio ejus ad Deum; corruptio vero ipsius, est aversio a Deo, et ad caduca conversio. Propter
D quod de quibusdam a summo uno aversis, atque ad ista terrena et vana conversis, in Osee scriptum est : Divisum est cor eorum, nunc interibunt. (*Osee* X, 2.) De talibus quoque Apo-

Digitized by Google

II Tim. III, 8. stolus ait : Homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sic ergo corrupti sunt mente, et abominabiles facti sunt, id est irrationabiles atque odibiles, in iniquitatibus, seu propter iniquitates. *Non est qui faciat bonum* æternæ vitæ meritorium, ex illis insipientibus, quoniam gratiam et caritatem non habent, sine quibus nemo valet mereri, aut Deo acceptus esse.

3 (3) *Deus de cœlo prospexit super filios hominum.* Quemadmodum Deus speciali modo dicitur esse et habitare in cœlo, sic dicitur specialiter de cœlo respicere, quum *Jer.* XXIII, 24. tamen ipse cœlum et terram impleat, omnia penetret, et universa in se ipso conspiciat. Itaque, Deus de cœlo et sancto habitaculo suo respexit super filios hominum, id est, omnes priorum parentum filios consideravit, *ut videat*, id est, aliquos scire faciat, vel se scire ostendat, *si est intelligens aut requirens Deum*, id est, an sit aliquis de Deo recte sentiens, et intellectu formato atque fideli ipsum cognoscens, seu bene operando, et quod in se est faciendo, ipsum requirens. Hoc est quod ait *Ibid.* XXXII, 18, 19. Scriptura : Fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi, cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas.

4 (4) *Omnes* prædicti insipientes *declinaverunt* a recta ratione, a via justitiæ, a vero Deo : a quo declinatur seu receditur, non locali distantia, sed mentis inobedien- *Osee* IV, 10. tia, juxta illud Osee : Dominum dereliquerunt in non custodiendo. *Simul inutiles facti sunt*, id est ad veram felicitatem inepti, et ad ultimum finem, ob quem creati sunt, inidonei. Peccata namque impediunt homines ab adeptione vitæ æternæ, et se- *Is.* LIX, 2. parant inter Deum et eos. *Non est qui faciat bonum*, id est opus Deo acceptum, ex illis insipientibus; *non est usque ad unum*, id est, omnino nullus est inter eos operans bonum, quoniam omnes gratia carent.

5 (5) *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem ?* id est, nonne peccatores Deum cognoscent ? quasi dicat : Imo, quia ad minus post hanc vitam experientur in pœnis divinam justitiam, quemadmodum in libro Sapientiæ de eis inducitur : Videntes turbabuntur timore horribili, gemen- *Sap.* V, 3, 6. tes, et præ angustia spiritus dicentes, Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis. Et sequitur : Talia dixe- *Ibid.* 14. runt hi, qui in inferno positi sunt. *Qui devorant plebem meam*, id est, qui opprimunt, lædunt, aut perimunt innocentes et bonos, *ut cibum panis*, id est, sicut panis, qui cibus est, a manducante conteritur atque consumitur.

6 (6) *Deum non invocaverunt*, id est, interno affectu ejus misericordiam non imploraverunt, quia non intellexerunt, nec exquisierunt eum, nec in ipso sperabant, nec gratiam Dei sibi necessariam attendebant. *Illic trepidaverunt timore, ubi non fuit timor :* id est, non timenda timuerunt, et timenda non timuerunt. Deum non timuerunt, sed homines ; pœnas temporales timuerunt, non infernales; temporalem prosperitatem, honorem, famam et gloriam timuerunt amittere, non felicitatem cœlestem : morbos atque incommoda corporis timuerunt incurrere, et labores pœnitentiales subire, viamque perfectionis arripere ; sed gratiam Dei perdere, in mortalibus vitiis vivere, Deo judici displicere, non timuerunt. Sic ergo habuerunt timorem humanum, carnalem et inordinatum, non filialem, divinum et castum. Cujus contrarium Christus discipulis jussit : Nolite *Luc* XII, 32. timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et rursus : Nolite, inquit, timere eos qui corpus oc- *Matth.* X, 28. cidunt, animam autem non possunt occidere ; sed potius timete eum, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam ignis. Unde et in Isaia habe- *Is.* LI, 7. tur : Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Vis scire virum qui timenda timuit, et non timenda non timuit ? Audi Job de se ipso testantem : Si expavi ad multitudinem nimiam, *Job* XXXI, 34. et despectio propinquorum terruit me. Ecce non timuit millia populi circumdantis *Ps.* III, 7. se, nec ab hominibus despici horruit. Sed

Digitized by Google

Job xxxi, 23. quem timuit? Semper, inquit, quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Et *Ibid.* xxiii, 13, 15. rursum ait : Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest; idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Ad quem utique sanctum timorem hortatur nos Isaias, di- *Is.* viii, 13. cens : Dominum exercituum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester.

(7) *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent :* id est, in præsenti vita spiritualem fortitudinem, omnesque perfectiones gratum facientes abstulit eis, qui hominibus, secundum quod homines sunt atque sæculariter vivunt, placent, aut placere desiderant; in futuro quoque judicio dissipabit ossa eorum, non comminuendo ea in frusta, sed corpus et animam projiciendo in æterna tormenta. Hujusmodi etenim homines multipliciter a via æquitatis recedunt propter humanum favorem, amorem, timorem, aut aliam similem affectionem. Unde et scriptum est : *Prov.* xxix, 25. Qui timet hominem, cito corruet. Et ad *Galat.* i, 10. Galatas Apostolus asserit : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. *Joan.* xv, 19. Et Christus ait suis electis : Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Sed repugnare videtur quod ait Aposto- *I Cor.* x, 32, 33. lus : Sine offensione estote Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod *Rom.* xii, 18. multis; et alibi, Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. De Samuele quoque et aliis nonnullis, in primo libro Regum et in Ecclesiastico Scriptura pro magno præconio in- *I Reg.* ii, 26; *Eccli.* xlv, 1. troducit, quod placebant tam Deo quam hominibus. — Et respondendum, quod de hominibus loqui possumus dupliciter. Primo, secundum id quod sunt sine caritate, fide et gratia : et sic velle hominibus placere peccatum est, maxime quoad naturam corruptam, seu rationem concupiscentiis consentientem. Et ita de hominibus loqui-

A tur Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Et rursus : Quum alius dicit, Ego quidem sum Pauli, alius autem, Ego Apollo, nonne homines estis? Hoc enim modo loquendo de homine, semper inclinatur ad errores et vitia opinionesque varias. Propter quod dicit iterum Apostolus : Obsecro vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu. Secundo autem loqui possumus de ho- B minibus, secundum quod ratio informata est lege et gratia Dei : sicque laudabile est placere hominibus in Deo et propter Deum. Unde admonet Apostolus : Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Sic quoque venerari atque timere homines, maxime præsidentes, debemus, eo quod Christus dicat : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.

I Cor. iii, 3. — *Ibid.* 4. — *Ibid.* i, 10. — *Rom.* xv, 2. — *Luc.* x, 16.

Confusi sunt, qui hominibus inordinate placere concupiscunt, *quoniam Deus spre-* C *vit eos* propter eorum peccata, quemadmodum per Osee testatur : Exosos habui eos propter malitiam adinventionum ipsorum. Maxime autem confundentur in die extremi judicii, quando in æternum peribunt. *Osee* ix, 15.

(8) *Quis dabit ex Sion,* id est, quis de 7
numero electorum Deum spiritualiter speculantium tribuet, *salutare Israel,* id est salutem seu liberationem Ecclesiæ militanti? Nemo utique nisi Christus, qui, in quantum homo, satisfecit pro nobis, et fratrem ac socium hominum per incarna- D tionem se fecit, sicque ad numerum electorum pertinere cognoscitur. Vel sic : Quis dabit ex Sion, id est, quis ex civitate cœlesti atque triumphanti Ecclesia, dabit salutare Israel, id est populo fideli? Nemo plane, nisi ipsemet Deus sublimis et benedictus, qui per Osee ait : Ego Dominus Deus tuus, et salvator non est præter me. De quo Isaias dicit : Hæc dicit Dominus redemptor tuus : Ego Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.

Ibid. xiii, 4. — *Is.* xlviii, 17.

Digitized by Google

II *Tim.* III, 8. stolus ait : Homines mente corrupti, reprobi circa fidem. Sic ergo corrupti sunt mente, et abominabiles facti sunt, id est irrationabiles atque odibiles, in iniquitatibus, seu propter iniquitates. *Non est qui faciat bonum* æternæ vitæ meritorium, ex illis insipientibus, quoniam gratiam et caritatem non habent, sine quibus nemo valet mereri, aut Deo acceptus esse.

3 (3) *Deus de cœlo prospexit super filios hominum.* Quemadmodum Deus speciali modo dicitur esse et habitare in cœlo, sic dicitur specialiter de cœlo respicere, quum
Jer. XXIII, 24. tamen ipse cœlum et terram impleat, omnia penetret, et universa in se ipso conspiciat. Itaque, Deus de cœlo et sancto habitaculo suo respexit super filios hominum, id est, omnes priorum parentum filios consideravit, *ut videat,* id est, aliquos scire faciat, vel se scire ostendat, *si est intelligens aut requirens Deum,* id est, an sit aliquis de Deo recte sentiens, et intellectu formato atque fideli ipsum cognoscens, seu bene operando, et quod in se est faciendo, ipsum requirens. Hoc est quod ait
Ibid. XXXII, 18, 19. Scriptura : Fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi, cujus oculi aperti sunt super omnes filios Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas.

4 (4) *Omnes* prædicti insipientes *declinaverunt* a recta ratione, a via justitiæ, a vero Deo : a quo declinatur seu receditur, non locali distantia, sed mentis inobedien-
Osee IV, 10. tia, juxta illud Osee : Dominum dereliquerunt in non custodiendo. *Simul inutiles facti sunt,* id est ad veram felicitatem inepti, et ad ultimum finem, ob quem creati sunt, inidonei. Peccata namque impediunt homines ab adeptione vitæ æternæ, et se-
Is. LIX, 2. parant inter Deum et eos. *Non est qui faciat bonum,* id est opus Deo acceptum, ex illis insipientibus; *non est usque ad unum,* id est, omnino nullus est inter eos operans bonum, quoniam omnes gratia carent.

5 (5) *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem ?* id est, nonne peccatores Deum cognoscent? quasi dicat : Imo, quia ad minus post hanc vitam experientur in pœnis divinam justitiam, quemadmodum in libro Sapientiæ de eis inducitur : Viden- *Sap.* V, 2, 3, 6.
tes turbabuntur timore horribili, gementes, et præ angustia spiritus dicentes, Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis. Et sequitur : Talia dixe- *Ibid.* 14.
runt hi, qui in inferno positi sunt. *Qui devorant plebem meam,* id est, qui opprimunt, lædunt, aut perimunt innocentes et bonos, *ut cibum panis,* id est, sicut panis, qui cibus est, a manducante conteritur atque consumitur.

(6) *Deum non invocaverunt,* id est, in- 6
terno affectu ejus misericordiam non imploraverunt, quia non intellexerunt, nec exquisierunt eum, nec in ipso sperabant, nec gratiam Dei sibi necessariam attendebant. *Illic trepidaverunt timore, ubi non fuit timor :* id est, non timenda timuerunt, et timenda non timuerunt. Deum non timuerunt, sed homines; pœnas temporales timuerunt, non infernales; temporalem prosperitatem, honorem, famam et gloriam timuerunt amittere, non felicitatem cœlestem : morbos atque incommoda corporis timuerunt incurrere, et labores pœnitentiales subire, viamque perfectionis arripere ; sed gratiam Dei perdere, in mortalibus vitiis vivere, Deo judici displicere, non timuerunt. Sic ergo habuerunt timorem humanum, carnalem et inordinatum, non filialem, divinum et castum. Cujus contrarium Christus discipulis jussit : Nolite *Luc* XII, 32.
timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et rursus : Nolite, inquit, timere eos qui corpus oc- *Matth.* X, 28.
cidunt, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam ignis. Unde et in Isaia habetur : Nolite timere opprobrium hominum, et *Is.* LI, 7.
blasphemias eorum ne metuatis. Vis scire virum qui timenda timuit, et non timenda non timuit? Audi Job de se ipso testantem : Si expavi ad multitudinem nimiam, *Job* XXXI, 34.
et despectio propinquorum terruit me. Ecce non timuit millia populi circumdantis *Ps.* III, 7.
se, nec ab hominibus despici horruit. Sed

Digitized by Google

Job xxxi, 23. quem timuit? Semper, inquit, quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Et Ibid. xxiii, 13, 15. rursum ait : Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest ; idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Ad quem utique sanctum timorem hortatur nos Isaias, di- Is. viii, 13. cens : Dominum exercituum sanctificate ; ipse pavor vester, et ipse terror vester.

(7) *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent :* id est, in præsenti vita spiritualem fortitudinem, omnesque perfectiones gratum facientes abstulit eis, B qui hominibus, secundum quod homines sunt atque sæculariter vivunt, placent, aut placere desiderant ; in futuro quoque judicio dissipabit ossa eorum, non comminuendo ea in frusta, sed corpus et animam projiciendo in æterna tormenta. Hujusmodi etenim homines multipliciter a via æquitatis recedunt propter humanum favorem, amorem, timorem, aut aliam similem affectionem. Unde et scriptum est : Prov. xxix, 25. Qui timet hominem, cito corruet. Et ad Galat. i, 10. Galatas Apostolus asserit : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. C Joann. xv, 19. Et Christus ait suis electis : Si de hoc mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret ; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Sed repugnare videtur quod ait Aposto- I Cor. x, 32, 33. lus : Sine offensione estote Ecclesiæ Dei, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod Rom. xii, 18. multis ; et alibi, Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem D habete. De Samuele quoque et aliis nonnullis, in primo libro Regum et in Ecclesiastico Scriptura pro magno præconio in- I Reg. ii, 26. Eccli. xlv, 1. troducit, quod placebant tam Deo quam hominibus. — Et respondendum, quod de hominibus loqui possumus dupliciter. Primo, secundum id quod sunt sine caritate, fide et gratia : et sic velle hominibus placere peccatum est, maxime quoad naturam corruptam, seu rationem concupiscentiis consentientem. Et ita de hominibus loqui- A tur Apostolus : Quum sit inter vos zelus et I Cor. iii, 3. contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Et rursus : Quum Ibid. 4. alius dicit, Ego quidem sum Pauli, alius autem, Ego Apollo, nonne homines estis? Hoc enim modo loquendo de homine, semper inclinatur ad errores et vitia opinionesque varias. Propter quod dicit iterum Apostolus : Obsecro vos, fratres, ut id ipsum Ibid. i, 10. dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu. Secundo autem loqui possumus de hominibus, secundum quod ratio informata est lege et gratia Dei : sicque laudabile est placere hominibus in Deo et propter Deum. Unde admonet Apostolus : Unusquisque Rom. xv, 2. vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Sic quoque venerari atque timere homines, maxime præsidentes, debemus, eo quod Christus dicat : Qui vos Luc. x, 16. audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit.

Confusi sunt, qui hominibus inordinate placere concupiscunt, *quoniam Deus sprevit eos* propter eorum peccata, quemadmodum per Osee testatur : Exosos habui eos Osee ix, 15. propter malitiam adinventionum ipsorum. Maxime autem confundentur in die extremi judicii, quando in æternum peribunt.

(8) *Quis dabit ex Sion,* id est, quis de 7
numero electorum Deum spiritualiter speculantium tribuet, *salutare Israel,* id est salutem seu liberationem Ecclesiæ militanti? Nemo utique nisi Christus, qui, in quantum homo, satisfecit pro nobis, et fratrem ac socium hominum per incarnationem se fecit, sicque ad numerum electorum pertinere cognoscitur. Vel sic : Quis dabit ex Sion, id est, quis ex civitate cœlesti atque triumphanti Ecclesia, dabit salutare Israel, id est populo fideli? Nemo plane, nisi ipsemet Deus sublimis et benedictus, qui per Osee ait : Ego Domi- Ibid. xiii, 4. nus Deus tuus, et salvator non est præter me. De quo Isaias dicit : Hæc dicit Domi- Is. xlviii, 17. nus redemptor tuus : Ego Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.

Digitized by Google

Quum converterit Deus captivitatem ple- A bis suæ, id est, dum Christus per passionem suam electos redemerit de potestate diaboli vinculisque peccati, *exsultabit Jacob :* id est, tunc populi vitia supplantantes, et fidem ac opera sancti Jacob sequentes, spiritualiter exsultaverunt de tantis Act. II, VI. beneficiis Christi, sicut in Actibus Apostolorum frequenter impletum narratur; *et lætabitur Israel :* id est, tunc viri contemplativi hominesque perfecti, videlicet veri Israelitæ, lætati sunt, non solum qui peregrinabantur in mundo, sed etiam qui deti- B nebantur in purgatorio et in limbo. Vel sic : Quum converterit Deus captivitatem plebis suæ, id est, dum militantem Ecclesiam de corruptione atque miseriis hujus vitæ redemerit, et ad triumphantis Ecclesiæ societatem transtulerit, quod in die novissimo fiet; tunc exsultabit Jacob et lætabitur Israel gaudio interiori et exteriori, consummato atque perpetuo, juxta illud propheticum : Qui redempti fuerint a Is. XXXV, 10 Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, et fugiet dolor et gemitus.

ARTICULUS V

EXPOSITIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI SECUNDI, PER RELATIONEM AD CHRISTUM.

Ex declaratione denique psalmi tertiidecimi facillime patet, quomodo psalmus iste applicari possit ad Christum. Breviter ergo tangendo, sicut per filios Core, secundum præhabita, intelliguntur imitatores et filii Jesu Christi crucifixi, eo quod Core interpretetur Calvaria, quod est nomen loci in quo cruci appensus est mundi Salvator; sic per Amalec, qui interpretatur dolens sive parturiens, intelligi potest Christus, de quo scriptum est : Is. LIII, 4. Vere languores nostros ipse tulit, et pro- C Ibid. 5. pter nos dolens factus est; et iterum, Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.
1 Sic ergo sensus tituli erit : *In finem, pro Amalec, intellectus David :* id est, intellectus psalmi præsentis in finem vitæ æternæ nos dirigentis, a David conscriptus est pro Amalec, id est pro significato interpretationis hujus nominis, Amalec, puta pro Christo.

Ait itaque : *Dixit insipiens,* id est populus Judæorum, Christum, Dei Sapientiam D incarnatam, ac inter se conversantem irridens, spernens ac persequens; *in corde suo : Non est Deus,* id est, iste Jesus Nazarenus similis nobis passibilis, non est Deus, nec Dei Unigenitus, sed seductor atque blasphemus. Unde Christus ostendit cæcitatem et insipientiam Judæorum, in ipsum credere contemnentium : In parabolis, inquit, loquor eis, quia videntes (Matth. XIII, 13-15.) non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt, ut impleatur in eis prophetia Isaiæ, dicentis : Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus. Quæ verba, quantum ad sensum, in libro visionum Isaiæ habentur. (Is. VI, 9, 10.) Insuper, quum dixissent Pharisæi ad Jesum, Magister, volumus a te signum videre; (Matth. XII, 38; XVI, 1-4.) increpat eos, quod tempus sui adventus non adverterunt ex Prophetarum scripturis, præsertim ex vaticinio Danielis, qui in libro visionum suarum tempus adventus passionisque Christi evidentissime declaravit, dum ait : Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus. (Dan. IX, 26.) Et loquitur de hebdomadibus annorum, non die-

Digitized by Google

rum, ita quod una hebdomada continet
septem annos. Sic igitur Christus Phari-
Matth. xvi, 1, 2. sæis respondit : Faciem cœli judicare no-
stis ; nam facto vespere, dicitis, Serenum
erit, rubicundum est enim cœlum ; signa
autem temporum non potestis ?

Deinde Propheta hunc populum insipi-
2 entem pluraliter exprimit, dicens : *Cor-
rupti sunt,* id est ab omni gratia destituti,
et etiam a Romanis corporaliter interfe-
cti ; *et abominabiles facti sunt,* id est Deo
atque hominibus odibiles, sicut de eis ait
I Thess. ii, 15. Apostolus : Deo non placent, et omnibus
hominibus adversantur. Et hoc, *in iniqui-
tatibus* suis, id est propter peccata quibus
Act. iii, 13. Christum persecuti sunt, eumque coram
Pilato negaverunt et occiderunt, sicut de
Jer. xii, 8. eis apud Jeremiam Christus testatur : Fa-
cta est mihi hereditas mea quasi leo in
silva ; dedit contra me vocem suam, ideo
odivi eam. Et rursus de incredulis Judæis
Ibid. v, 12. Jeremias prædixit : Negaverunt Dominum,
et dixerunt : Non est ipse. Unde in Osee
Osee vii, 13-16. Christus apertissime ait : Recesserunt a
me, et ego erudivi eos, et roboravi bra-
chia eorum, et in me cogitaverunt mali-
tiam. Reversi sunt ut essent absque jugo,
et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt con-
tra me mendacia. *Non est qui faciat bonum*
meritorium, ex illis insipientibus et per-
versis Judæis. Propter quod Christus in
Joann. viii, 21. Evangelio ait ad eos : In peccato vestro
Ibid. 44. moriemini ; et iterum, Vos ex patre dia-
Matth. xii, 34. bolo estis ; rursumque, Quomodo potestis
bona loqui, quum sitis mali ?

3 *Deus de cœlo,* id est Verbum Dei, veri-
tas, atque sapientia Patris, de humanitate
assumpta, in qua tanquam in cœlo puris-
simo habitavit, *prospexit super filios ho-
minum,* id est specialiter super Judæos,
primo prædicans eis regnum cœleste, sicut
Ibid. xv, 24. et Christus in Evangelio fatetur : Non sum
missus nisi ad oves quæ perierunt domus
Israel. *Ut videat si est intelligens aut re-
quirens Deum* Patrem, et Filium ejus uni-
cum Jesum Christum. Ideo enim Christus
venit in mundum, ut Deum requirentes
4 salvaret, et approbando cognosceret. *Om-*

A *nes* prædicti increduli, *declinaverunt* a
Christi doctrina et fide catholica, sicut de
eis Dominus per Jeremiam ait : Verterunt Jer. ii, 27.
ad me dorsum et non faciem.

Nonne scient omnes qui operantur ini- 5
quitatem ? id est, nonne prædicti infideles
Judæi tandem cognoscent me esse verum
Messiam ? quasi dicat, Imo cognoscent,
quia in die judicii videbunt me in quem Zach. xii, 10.
transfixerunt : quemadmodum per Zacha-
riam dictum est. Et in Apocalypsi ait
Joannes : Ecce venit cum nubibus, et vi- Apoc. i, 7.
B debit eum omnis oculus, et qui eum pu-
pugerunt. *Qui devorant plebem meam,* id
est, qui oppresserunt, tribulaverunt, et
partim interfecerunt, partimque de suis
finibus ejecerunt primitivam Ecclesiam in
Jerusalem primo collectam, quemadmo-
dum in Actibus Lucas inducit : Facta est, Act. viii, 1.
inquit, in die illa (quando videlicet Ste-
phanum occiderunt) persecutio magna in
Ecclesia quæ erat in Jerusalem, et disper-
si sunt omnes præter Apostolos.

Deum non invocaverunt isti increduli, 6
C quia nec eum veraciter agnoverunt, sicut
Christus ait ad eos : Neque me scitis, ne- Joann. viii, 19.
que Patrem meum. Et si Deum labiis con- Is. xxix, 13.
clamabant, cor tamen eorum longe erat ab
eo ; et ideo non invocaverunt illum. *Illic
trepidaverunt timore, ubi non fuit timor.*
Timebant enim adventum Romanorum, ni-
si Christum occiderent, sicut dicebant : Ne Joann. xi, 48.
forte veniant Romani, et tollant locum no-
strum et gentem. Sicque magis formida-
bant homines et temporalia damna, quam
Deum et spiritualia detrimenta. *Quoniam*
D *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus
placent,* id est prædictorum infidelium
Judæorum, vel qui Romanis displicere ti-
mentes, vel principibus sacerdotum pla-
cere optantes, mortem Christi procurave-
runt : horum ossa Christus dissipavit, et
dissipabit, secundum sensum in præce-
denti expositione inductum. Nam Christus
ait ad eos : Quomodo potestis vos credere, Ibid. v, 44.
qui gloriam ab invicem accipitis, et glori-
am quæ a solo Deo est non quæritis ? *Con-
fusi sunt,* tempore Titi et Vespasiani, et

Digitized by Google

quotidie a fidelibus confunduntur; tandemque a Christo æternaliter confundentur, quando implebitur quod Christus eis Matth. xxvi, 64. prædixit : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Sic ergo confusi sunt, *quoniam Deus sprevit eos*. Propterea informari convertique nequeunt, sed incorrigibiles sunt, ut verificetur in eis quod Eccle. vii, 14. Salomon asserit : Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. Cetera ex præcedenti expositione clara sunt.

Ecce quam multa salubria documenta ex psalmo præsenti elici valent, videlicet ne Deum quem ore confitemur, factis negemus; Deumque omnia considerantem cogitemus, veneremur, et diligamus; futurum judicium formidemus, impiorum tormenta vereamur : et super omnia versum illum diligentissime recolamus, quo dictum est, Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; quatenus soli Deo placere quæramus, eique soli displicere vitemus, ne simus de numero eorum de quibus scriptum est : Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei. Joann. xii, 43.

PRECATIO.

Propriis vitiis inutiles factos, Deus, de cœlo propitius prospice super nos; suscita in nobis gratiam tuam : qua illustrati, non nobis ipsis, sed tibi placere studeamus.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI QUINQUAGESIMI TERTII : DEUS, IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC.

Ardens amator satiari non valet audiendo, loquendo et cogitando de eo quem Philipp. iii, 8. diligit : idcirco devoti Christicolæ, qui omnia arbitrantur cum Apostolo ut stercora, propter eminentem scientiam Christi, atque ut Christum lucrifaciant, in expositione illa præcipue epulantur, qua dicta Prophetarum et legis ac Psalmorum, de Christo elucidantur. Ipse enim est finis legis, et omnium salus : et sicut Judæorum quoque magistri fatentur, omnes Prophetæ non sunt locuti nisi super dies Messiæ. Unde, secundum Augustinum, libri Prophetarum, nisi in eis Christus intelligatur, aqua sunt, et sine sapore ac fructu. Si vero in eis Christus intelligatur, vinum sunt, et reficiunt atque inebriant.

Denique, licet tituli psalmorum frequenter ex historia quæ contigit David, videantur accepti, ex hoc non sequitur quod psalmi tales de David sint exponendi ad litteram, quanquam interdum littera ad hoc valeat applicari. Per hujusmodi etenim titulos datur intelligi, quæ fuerit occasio sancto David psalmos sic intitulatos scribendi. Sed quoniam David prophetico spiritu plenus fuit, et Christi mysteria excellenter agnovit, seque Christi figuram gerere scivit : imo, quoniam totum statum veteris Testamenti cognovit esse figuram status novi Testamenti seu legis Christi et gratiæ, sciens procul dubio quod omnia in figura contingebant eis, (alioqui, quomodo Prophetarum fuisset eximius?) propterea certissime credendum est, quod sanctus David oculum cordis sui semper ad Christum et statum Ecclesiæ, secundum illuminationem sibi a Spiritu Sancto factam, convertit. Et quanquam in psalmis de se ipso aliquid recitare videatur, principalis tamen sua intentio erat, de Christo et ejus mysteriis atque Ecclesia I Cor. x, 11.

Digitized by Google

II *Reg.* xxiii, 1, 2. loqui, juxta quod ipsemet innuit : Dixit A (inquiens) David filius Isai, dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob : Spiritus Domini locutus est per me.

Insuper, si David in psalmis tam sæpe de se ipso, et non potius de Christo et Ecclesia loqueretur, ut aliqui somniant, qui hunc librum Psalmorum nimis superficialiter exponunt, pro magna parte exponentes ipsos psalmos ad litteram de David; tunc psalmi tales non pertinerent ad dicta prophetica, sed ad sermones historicos. Videretur enim David non de futuro vaticinari, sed de præterito historiam texere : B sicque satis parum prophetaret David de Christo. Imo, si subtiliter consideretur, inveniretur Isaias multo copiosius describere mysteria Christi et Ecclesiæ, quam David propheta : quod tamen nemo concedit. — Amplius, gratia prophetalis spectat ad gratias gratis datas : nam bonis et malis communis est. Gratiæ autem gratis datæ ordinantur ad aliorum utilitatem, juxta
I *Cor.* xii, 7. illud Apostoli : Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Itaque Spiritus C Sanctus, qui David tantam prophetalis notitiæ gratiam contulit, ad hoc eam ipsi donavit, ut tota Ecclesia informationem de Christo hauriret.

Hæc propterea dico, ut sciatur quam inepta sint eorum commenta, qui in dictis Prophetarum et psalmis adeo superficiales ac litterales exsistunt, et ut semper conemur, quantum fieri potest, ipsos psalmos de Christo et corpore ejus mystico, quod est Ecclesia, explanare.

Quamvis itaque ex tenore tituli hujus D psalmi videatur psalmus de David intelligendus, non tamen agit psalmus de historia tituli, sed de mysterio significato per illud quod contigit. Nihilo minus psalmus iste exponi posset de David, sicut et de unoquoque fideli moraliter intelligi potest : quæ expositio in sequenti explanatione elucebit.

Nunc vero de Christo exponendus est
1 psalmus, qui talem titulum habet : *In finem, in carminibus, intellectus David, quum venissent Ziphæi, et nuntiassent* 2
Sauli : Nonne David absconditus est apud nos? Titulus iste ex historia primi libri Regum acceptus est. Legitur enim ibidem quemadmodum David cum suis a facie I *Reg.* xxiii, 13-20; xxvi, 1. Saul fugiens, apud Ziphæos se abscondit. Ziphæi vero, quamvis essent de tribu Juda, sicut et David, tamen regi suo placere volentes, prodiderunt ipsum David. Dicuntur enim Ziphæi a Ziph, viculo ad sortem tribus Juda pertinente. Audiens autem David se proditum a Ziphæis, psalmum hunc edidit, liberari desiderans a tanto periculo. Ziphæi, qui interpretantur florentes, designant Judæos temporali prosperitate gaudentes; David autem significat Christum ; Saul, Pilatum. Ziphæi ergo, id est Judæi, nuntiaverunt Sauli, id est Pilato : Nonne David absconditus est apud nos? id est, nonne Jesum invenimus populum seducentem, et eum jam apud nos tenemus *Luc.* xxiii, 1, 2. ligatum? Est itaque tituli sensus : *Intellectus David,* id est sensus hujus psalmi Christo conveniens, et in æternam vitam nos dirigens, *in carminibus,* id est, ita quod semper Domino gratias referamus tam in adversis quam prosperis : intellectus, inquam, conscriptus et habitus pro eo, *quum venissent Ziphæi,* id est Judæi increduli, *et nuntiassent Sauli,* id est Pilato : *Nonne David absconditus est apud nos?* id est, nonne Jesum hunc cepimus, et ligatum tibi adducimus?

PROPHETA ergo in Christi persona loquens, seu Christus secundum quod homo et aliquo modo viator, et passioni jam proximus, ait ad Deum Patrem seu totam supergloriosissimam Trinitatem :
(1) *Deus, in nomine tuo salvum me fac :* id 3
est, in te ipso omnium summo ac vero salvatore, et ad gloriam nominis tui, a morte resuscita me, et in ipsa passione conserva atque conforta me contra naturalem horrorem seu timorem mortis instantis. Unde et in Luca habetur : Apparuit illi *Ibid.* xxii, 43. angelus de cœlo confortans eum. *Et in virtute tua judica me :* id est, secundum

Digitized by Google

justitiam tuam restitue mihi Filio tuo dile-
cto, separando et liberando me a generatio-
ne hac pessima, mihi non credente, meque
atrociter persequente. Hoc enim Christus
Marc. ix, 18. se desiderasse insinuat, dum ait : O gene-
ratio incredula, quamdiu apud vos ero?
4 quamdiu patiar vos? (2) *Deus, exaudi ora-
tionem meam,* qua oro pro corpore meo
mystico, scilicet pro Ecclesia electorum,
ut fructum passionis meæ participent. Hoc
Joann. xvii, 9. namque oravit Christus, dicens : Non pro
mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mi-
Ibid. 11. hi. Et iterum : Pater sancte, serva eos in
nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint
unum sicut et nos. *Auribus percipe verba
oris mei.* Aures Dei, sunt sapientia qua
cuncta cognoscit, et misericordia qua oran-
tibus subvenit. Itaque, Domine Pater, au-
ribus percipe verba oris mei, quæ pro me
ipso, videlicet pro corporis mei glorifica-
Ibid. 5. tione ascensioneque deprecor : Clarifica
me tu, Pater, apud temetipsum, claritate
quam habui priusquam mundus fieret. Et
Jer. xv, 15. alibi Christus precatur : Tu scis, Domine,
recordare mei, et visita me, et tuere me
ab his qui persequuntur me.

5 (3) *Quoniam alieni insurrexerunt adver-
sum me :* id est, infideles Judæi, alieni a
me non carnis propagine, sed vitæ imita-
tione; non natura, sed gratiæ carentia,
Joann. xviii, 12. persecuti sunt me : prout Joannes ait, Co-
hors ergo, et tribunus, et ministri Judæo-
rum accesserunt, et injecerunt manus in
Jesum. Idcirco, per alienos intelligi pos-
sunt gentiles, qui procurantibus Judæis
Christum interfecerunt. *Et fortes quæsie-
runt animam meam :* id est, principes sa-
cerdotum quæsierunt animam meam, id
est corporalem vitam meam, exstinguere :
sicut Sapiens ex persona eorum asserit,
Sap. ii, 20. Morte turpissima condemnemus eum. *Et
non proposuerunt Deum ante conspectum
suum :* id est, Deum non timuerunt com-
mittentes tantum peccatum, sed homines,
Joann. xi, 48. quia dixerunt : Ne forte veniant Roma-
ni, et tollant locum nostrum et gentem.
Nam et Pilatus, quum ei dixissent Judæi,
Ibid. xix, 12. Si hunc dimittis, non es amicus Cæ-

A saris, statim adjudicavit fieri petitiones Luc. xx 24.
eorum.

Consequenter declarat Christus se exau-
ditum, illosque nihil proficere. (4) *Ecce* 6
enim Deus adjuvat me : quia divinitas Chri-
sti in omnibus cooperabatur humanitati
assumptæ, eamque in omnibus confortavit
atque protexit, juxta illud Jeremiæ : Do- Jer. xx, 1
minus mecum est quasi bellator fortis; id-
circo qui me persequuntur, cadent et in-
firmi erunt. Et Salvator ait : Solus non Joann. vi 16.
sum; sed ego, et qui misit me, Pater. *Et*
B *Dominus,* id est Deus Trinitas, *susceptor
est animæ meæ,* id est exauditor orationum
ipsius; vel, Dominus susceptor est animæ
meæ, id est, Verbum seu Filius Dei, verus
Deus, ad suam divinam personalitatem
animam meam assumpsit, nec eam in tri-
duo mortis reliquit. Quamvis enim tem-
pore mortis et sepulturæ Christi, separata
fuerit anima ejus a corpore, utrumque ta-
men Verbo mansit unitum. Et hoc est
quod apud Isaiam prophetam Deus ait de
Christo homine : Ecce servus meus, susci- Is. xlii, 1.
C piam eum; electus meus, complacuit sibi
in illo anima mea.

(5) *Averte mala inimicis meis :* id est, 7
mala et pœnas mihi a Judæis paratas, re-
torque in caput eorum, et libera me, ita
ut laqueus quem mihi paraverunt, eos
concludat : prout in Ecclesiaste scriptum
est : Qui fodit foveam, incidet in eam; et Eccle. x, 8
qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.
Et rursus Salomon : In insidiis suis capien- Prov. xi, 6
tur iniqui. Uniuscujusque enim malum in
proprium redundat auctorem; et prius no-
D cet peccatum agenti, quam patienti. Istud
quoque in Judæis impletum est, quoniam
ipsi disposuerunt Christum occidere et no-
men ejus omnino exstinguere; sed oppo-
situm contigit, quoniam Christus a mor-
te est suscitatus, ipsi vero in ultionem
sanguinis Christi occisi sunt atque disper-
si. Et ideo subditur : *In* * *veritate tua,* id * Et in
est sicut per Prophetas dixisti, *disperde
illos,* id est, variis plagis perde eos, scili-
cet gladio, fame et peste : quemadmodum
tempore Titi factum constat. Vel, In veri-

Digitized by Google

tate, id est in tua justitia, disperde illos, id est, de terra promissionis eos expelle, per totumque mundum diffunde et divide, (Osee IX, 17.) sicut ab Osee prædictum est : Abjiciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt vocem ejus; et erunt vagi in nationibus. Hanc quoque prophetiam in Judæis esse (Ibid. VII, 2.) impletam, ostenditur per Osee : Circumdederunt, inquit, eos adinventiones ipsorum. Advertendum autem quod Christus hæc orat, vel conformando se divinæ justitiæ, vel prænuntiando quod erat futurum, vel insinuando quid illi meruerint; B non autem absolute imprecatur mala adversariis suis, præsertim quum ipse nobis (Matth. V, 44.) præceperit, Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

8 (6) *Voluntarie sacrificabo tibi :* id est, sponte atque ardentissima caritate Dei et proximi offeram me ipsum in ara crucis tibi Deo omnipotenti pro mundi salute, (Is. LIII, 7, 12.) quemadmodum de me ait Isaias : Oblatus est quia voluit; et ipse peccata multorum tulit. Unde in Evangelio dicit Salvator : C (Joann. X, 14, 15.) Ego sum pastor bonus, et animam meam pono pro ovibus meis; et rursus, (Ibid. 18.) Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono (Galat. II, 20.) eam. Propter quod Apostolus dicit : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Sic ergo Christus sacrificavit, id est, in sacrificium salutiferum dedit se ipsum ex ferventissima caritate, tam Dei quam proximi, scilicet ut Dei honorem recuperaret, hominumque salutem perficeret, quemadmodum testa- (Hebr. IX, 14.) tur Apostolus : D Sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.

Et confitebor nomini tuo, Domine, confessione laudis, *quoniam bonum est,* quia naturaliter atque quomodolibet bonum est, et bonitas pura, perfecta atque infinita. (Luc. XVIII, 19.) Propter quod scriptum est : Nemo bonus nisi solus Deus. Ideoque tu, Domine Deus, propter te ipsum laudandus es, et omni A laude superdignissimus. Confessus est autem Christus confessione laudis Deo Patri in omni vita sua, et in passione, dum dixit, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (Luc. XXIII, 46.); atque post mortem, dum ait, Ascendo ad Patrem meum (Joann. XX, 17.). Hinc namque ait, Ego honorifico Patrem meum (Ibid. VIII, 49.); et, Ego non quæro gloriam meam (Ibid. 50.); et, Ego quæ placita sunt ei (scilicet Patri) facio semper (Ibid. 29.). Ideo quoque, o Domine, confitebor nomini tuo, 9
(7) *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me,* in die resurrectionis, quando B ad impassibilem vitam resuscitasti me : sicut Apostolus asserit, Christus resurgens (Rom. VI, 9.) ex mortuis, jam non moritur.

Duæ ergo sunt causæ laudandi Deum. Prima est bonitas ejus : propter quam dixit, Confitebor nomini tuo, quoniam bonum est. Secunda est exhibitio beneficiorum ipsius : propter quam ait, Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. Majus autem ac dignius est, magisque meritorium, laudare, honorare, diligere Deum propter propriam bonitatem, quam ob be- C neficia sua : quia procedit ex caritate purius perfectiusque divina. Sed Christi vestigia imitantes, laudare debemus atque amare Dominum Deum nostrum propter causam utramque : hoc enim perfectissimum est. Porro, quod dictum est, Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, referri potest ad id quod ait, Quoniam bonum est; sed tunc conjunctio hæc, Quoniam, non denotat causam, sed signum. Non enim ideo Deus bonus est, quoniam eripit nos; sed ideo eripit nos, quoniam D bonus est : sicque ereptio qua eripit nos, est signum bonitatis divinæ, non causa; vel, si dicatur causa, non est causa simpliciter et a priori, sed quoad nos et a posteriori, quia per hoc innotescit nobis bonitas Dei, quod tam misericordissime eripuit nos.

Et super inimicos meos me persequentes, *despexit oculus meus :* id est, eos non timui, nec eorum falsam felicitatem atque malitiam pro aliquo reputavi, sed in omnibus constans atque victoriosus permansi.

Digitized by Google

Quamvis namque Christus passione instan- A te timorem sponte admisit, inordinatum tamen pavorem non habuit, sed potestative assumptum timorem deposuit, suisque
Joann. xviii, 4-8. hostibus intrepidus obviam ivit. Unde su-
Ps. xiv, 4. perius de viro justo præhabitum est : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus
Is. l, 8, 7. malignus. Et per Isaiam Christus ait : Juxta est qui justificat me; quis contradicet mihi ? stemus simul. Quis est adversarius meus ? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus. Ad hunc quoque magnanimem despectum iniquorum, in quantum hujusmodi, Christus passione instante hortabatur discipulos : Non turbetur cor vestrum, neque for- *Joann.* xi[v], 27.
midet. Vere enim peccatores, in quantum peccatores, pro nihilo reputandi sunt; et condolendum est eis, sicut et Jacobus in sua Canonica ait, loquens de eis, dicensque : Agite nunc, divites, plorate, ululan- *Jacob.* v, 1
tes in miseriis quæ advenient vobis.

ARTICULUS VII

EXPLANATIO EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI TERTII MORALIS SIMUL ET LITTERALIS.

MORALITER autem per Ziphæos, qui B (sicut ostensum est) interpretantur florentes, intelliguntur sæculi amatores,
I Reg. xxiii, 19. temporaliter floridi : inter quos absconditur David, id est, inter quos nunc conversantur et latent fideles, temporalia contemnentes, atque a mundanis hominibus persecutionem perpessi. Per Saul quoque intelliguntur pestiferi principes et mali prælati, apud quos sæculares et impii justos accusant, produnt, ac lacerant.

Quilibet ergo fidelis persecutiones variasque tentationes expertus ac patiens, C seque perpendens naturali virtute non posse resistere, ferre seu prævalere, sed ope divinæ clementiæ indigere, totis medullis ad Deum confugiat, clamans et di-
3 cens : *Deus, in nomine tuo* increato, seu in te ipso, non in aliqua pura creatura, *salvum me fac,* culpam delendo et gratiam infundendo : salvum me fac ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris ; salvum me fac a malo pœnæ, a malo culpæ, et a malo naturæ; salvum me fac ab omnibus hostibus visibilibus et in- D visibilibus, a tentationibus cunctis atque universis periculis. Itaque, Domine, salvum me fac in præsenti per fidem et gratiam et incessantem profectum, in futuro autem per beatificam tuæ bonitatis fruitionem. Et hoc fac, in nomine tuo, ita quod tu sis meæ salvationis causa efficiens atque finalis. Nec enim est aliud no- *Act.* iv, 1[2]
men datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi nomen tuum, sicut princeps Apostolorum testatur ; et sicut tu ipse per Isaiam locutus es, Deus justus *Is.* xlv, 2[1]
et salvans non est præter me. Et non dubito, Domine Deus, quin precem meam exaudies, dummodo perseveranter oraverim, quoniam verum esse credo quod scriptum est : Omnis qui invocaverit nomen *Joel* ii, 3[2]
Domini, salvus erit.

Et in virtute tua omnipotenti, cui nihil difficile est, *judica me.* Quum dicat Apostolus, Horrendum est incidere in manus *Hebr.* x, 31
Dei viventis; præsertim quum nesciat ho- *Eccle.* ix, 1
mo an amore sit dignus an odio, inferiusque dicatur, Non intres in judicium cum *Ps.* cxlii, 2
servo tuo, Domine; ad quod pertinet quod sanctus Job ait de Deo, Nolo multa forti- *Job* xxiii, 6
tudine contendat mecum : quum, inquam, sit ita, nonne præsumptuosum et periculosum apparet, ut audeat quis dicere Deo, Et in virtute tua judica me?

Sed advertendum quod duplex ponitur judicium Dei : videlicet discretionis, quod agitur in vita præsenti; quo boni a malis,

Digitized by Google

et electi a reprobis secernuntur ac dividuntur gratia, voto et merito, non loco et præmio. De isto judicio ait Salvator : Nunc judicium est mundi. (Joann. XII, 31.) Quamvis enim hoc judicium a principio mundi inceperit, tamen in adventu et prædicatione Christi atque Apostolorum maxime inchoavit, quia extunc gratia Dei copiosius effusa est, et fideles ac boni ab infidelibus et perversis abundantius evidentiusque discreti sunt. Istud ergo judicium optare debemus, videlicet ut Deus in hoc mundo separet nos a grege malorum, et inter electos nos reputet. Unde de isto judicio ad beatum Job dictum est : Numquid qui non amat judicium, sanari potest ? (Job XXXIV, 17.) Porro aliud est Dei judicium districtæ discussionis et justæ remunerationis : quod utique omnes timere debemus, et exorare ne ad illud non parati trahamur, aut in eo secundum nostras malitias, negligentias et imperfectiones judicemur, sed potius in hac vita misericordiam consequamur, satisfactionisque gratiam sortiamur. Unde, ob hujus judicii horrendum rigorem, ait beatus Job : Etiam si habuero quidpiam justum, non respondebo ei, sed meum judicem deprecabor (Ibid. IX, 15); et alibi : Si impius fuero, væ mihi est ; si justus, non levabo caput. (Ibid. X, 15.) Hæc autem memoriter sunt tenenda, quia in sequentibus frequenter occurrunt.

Itaque, Domine, in virtute tua judica me, discernens et separans me a grege malo, de quo in Evangelio dicis, Multi sunt vocati (Matth. XXII, 14); et in pusillo grege me statuens, de quo ibi subdis, Pauci vero electi (Ibidem) : de quo et ais, Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. (Luc. XII, 32.)

4 *Deus, exaudi orationem meam* jam fusam ; *auribus percipe verba oris mei,* id est, per exauditionem benignam ostende te precem meam advertere. Moris est sacræ Scripturæ, in his maxime quæ ad affectum pertinent, eamdem sententiam sub aliis verbis ubertim repetere, ad insinuandum magnum desiderium cordis, et ad facilius provocandam misericordiam Creatoris, atque ut ipse appetitus in se ipso accendatur et inardescat. Quo enim verba frequentius proferuntur, eo desiderium sæpius iteratur, cor amplius inflammatur, ipseque habitus caritatis vehementius confortatur.

Quoniam alieni a caritate fraterna, a Dei timore atque justitia, *insurrexerunt adversum me,* resistendo, detrahendo, aut simili modo contrariando mihi et spirituali meo profectui, meque tentando, lædendo, aut molestando. 5 Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. (II Tim. III, 12.) *Et fortes* hostes invisibiles sive visibiles, scilicet dæmones et principes sæculares, *quæsierunt animam meam* a Deo avertere, in culpam allicere, spiritualiterque occidere, privando eam caritate et gratia, quæ est animæ vita ; vel, Quæsierunt animam meam, id est vitam meam corporalem, affligere sive exstinguere. Istud ad litteram David dicere potuit de Ziphæis et Saule, ejusque fautoribus. *Et non proposuerunt Deum ante conspectum suum,* considerando quam inique agerent, quam graviter Deum offenderent, et quantam pœnam in futuro sibi acquirerent, sicut de talibus scriptum est : Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. (Jacob. V, 3.) Deum ante oculos cordis sui non proponit, qui divinam providentiam vel non credit, vel non attendit ; qui judicium Dei non timet ; qui nec terrore pœnarum, neque amore præmiorum a peccato retrahitur, sed sine timore legem Altissimi prævaricatur, et sine reverentia ante conspectum æterni Judicis cuncta cernentis conversatur. De homine tali scriptum est : Angustia vallabit impium, sicut regem qui paratur ad prælium. Tetendit enim contra Deum manum suam, et erecto collo cucurrit adversus eum. (Job XV, 24-26.)

Quamvis autem tot adversa obsideant
justum, non tamen desperat, quoniam insuperabilem
adjutorem habet. Ideo subditur :
Ecce enim Deus adjuvat me, con- 6
fortando me per gratiam, et custodiendo
per angelicam protectionem. Unde Apostolus
loquens de Deo : Ipse (inquit) dixit, (Hebr. XIII, 5, 6.)

Non te deseram nec dimittam : ita ut con- A
Ps. cxvii, 6. fidenter dicamus, Dominus mihi adjutor,
non timebo quid faciat mihi homo. Et
I *Cor.* x, 13. alibi : Ipse faciet cum tentatione proven-
tum, ut possitis sustinere. Idcirco non de-
Rom. viii, 31. bemus inordinate timere. Nam, si Deus pro
nobis, quis contra nos? Ecce quam plenum
fiducia et amore est hoc verbum, Deus ad-
juvat me. Simus igitur grati et obedientes
tanto adjutori, ne ejus subventione per
ingratitudinem reddamur indigni. Propter-
I *Reg.* vii, 3. ea enim Samuel dicit : Præparate corda
vestra Domino, et servite illi soli, et libe- B
rabit vos de manu inimicorum. Et alibi :
Ibid. xii, 20, 21. Nolite, inquit, recedere a tergo Domini,
sed servite ei in toto corde vestro, et nolite
declinare post vana quæ non proderunt
vobis, quia vana sunt. *Et Dominus susce-
ptor est animæ meæ,* misericorditer eam
brachiis pietatis amplectens, cito indul-
gens, pie conservans, et de omnibus ad
salutem necessariis providens.

7 *Averte mala inimicis meis,* id est, no-
cumenta mihi ab eis parata aufer a me,
et in ipsos ea retorque. Videtur hoc esse C
contrarium documento Apostoli, dicentis,
Rom. xii, 21. Vince in bono malum ; et iterum, Nulli
Ibid. 17. malum pro malo reddentes. Sed ex dictis
patet solutio. Non enim vir justus hæc
ait absolute, malum aliquod adversariis
imprecando, sed se divinæ justitiæ con-
formando, et quid impii mereantur pro-
dendo. Impius namque meretur ut malum
quod alteri parat, in ipsum redundet si-
bique noceat, quemadmodum Salomon fas-
Prov. v, 22. sus est : Iniquitates suæ capiunt impium,
et funibus peccatorum suorum constrin- D
gitur. Juxta hunc sensum scriptum est in
Gen. ix, 6. Genesi : Quicumque effuderit humanum
sanguinem, fundetur sanguis illius. Quam
multi sanguinem effuderunt, quorum san-
guis effusus non est, sicut nec Moysis ista
Exod. ii, 12. dicentis, qui occidit Ægyptium, et in pace
Deut. xxxiv, 7. quievit ! Quid ergo est, Quicumque effude-
rit humanum sanguinem, fundetur sanguis
illius? nisi quod malitia homicidæ prius
occidit ipsum spiritualiter, quam alium
corporaliter. Similem quoque intelligen-
tiam habet quod ait Salvator : Omnis qui *Matth.* xxvi, 52.
acceperit gladium, gladio peribit. *In veri-
tate tua disperde illos,* id est, in tua justi-
tia et justo judicio ac promissione fideli
dejice adversarios meos, pugnando pro
me : dejice (inquam) eos, impediendo eo-
rum malitiam a pravo effectu, ne mihi
prævaleant. Non autem desidero ut dam-
nentur, sed in præsenti sæculo corrigan-
tur. Invisibiles autem hostes omnino op-
primi cupio, sicut promittit Apostolus :
Deus autem pacis conteret Satanam sub *Rom.* xvi, 20.
pedibus vestris velociter.

Voluntarie, id est sponte, et propter te 8
ipsum dumtaxat, atque ad gloriam nomi-
nis tui, et non intuitu alicujus commodi
temporalis, *sacrificabo tibi* sacrificium lau-
dis, hostiam virtuosæ conversationis, Sa-
cramentum altaris, imo me ipsum et to-
tum quod sum, possum et ago : quia hæc
tibi debeo, sicut a te ea sortitus sum.
Quemadmodum enim totum meum esse,
posse et agere, a te mihi collata sunt ; sic
ea in tuum honorem et cultum expendere
teneor, atque me totum divino mancipare
obsequio obligor, quatenus tota mea sub-
stantia, potentia et vita, te Creatorem san-
ctum et benedictum venerentur atque lo-
quantur. De his sacrificiis seu hostiis ait
etiam divinus Apostolus : Per Christum *Hebr.* xiii, 15.
offeramus hostiam laudis Deo semper. Et
de sacrificio sanctæ conversationis sub-
jungit : Beneficentiæ et communionis no- *Ibid.* 16.
lite oblivisci ; talibus enim hostiis pro-
meretur Deus. De quo etiam sacrificio in
Ecclesiastico habetur : Salutare sacrifici- *Eccli.* xxxv, 2.
um est attendere mandatis, et discedere
ab omni iniquitate. De sacrificio autem
quo homo offert se ipsum, superius dixit
Psalmographus : Sacrificium Deo spiritus *Ps.* l, 19.
contribulatus. De Sacrificio demum alta-
ris, in Evangelio ait Dominus : Hoc facite *Luc.* xxii, 19.
in meam commemorationem ; apud Mala-
chiam quoque, In omni loco sacrificatur *Malach.* i, 11.
et offertur nomini meo oblatio munda.

Et confitebor nomini tuo, Domine, mea
mala et tua bona, me accusando teque
laudando, me spernendo et te exaltando.

Digitized by Google

9 *Quoniam ex omni tribulatione,* a qua hucusque liberatus sum, tu *eripuisti me* in re, a futuris quoque tribulationibus jam eripuisti me in spe. Non enim propria virtute prævalui, sed omnis victoria mea a te est : ideo, *et super inimicos meos despexit oculus meus,* propter fiduciam magnam quam in te habeo fixam, et quoniam toties expertus sum gratiam tuam. Hinc ergo iniquos parvi pendo, et te solum formido, quemadmodum primo libro Machabæorum præcipitur : A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis. Hodie extollitur, et cras non invenietur. (I Mach. II, 62, 63.)

Ecce psalmus hic brevis quam ingentem sanctæ devotionis ignem includit. Discamus ergo ex eo ardentes Deo offerre preces, in omni persecutione et tentatione ad ipsum confidenter recurrere, eumque amorose affari, de ipso affectuose ac fiducialiter loqui, ei quoque nos ipsos promptissime sacrificare, in omnibus gratias agere, eum laudare, et ejus beneficia grata mente recolere.

PRECATIO.

Deus, in te sperantium salus summa, in nomine tuo nos salva, et contra fortes quærentes animas nostras nos potenter adjuva : ut ex omni tribulatione erepti per te, cunctos inimicos despiciamus securi.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI QUINQUAGESIMI QUARTI : EXAUDI, DEUS, ORATIONEM MEAM, ET NE, ETC.

(Ps. XL, 1.) Eadem (ni fallor) ratione, qua supra probatum est psalmum quadragesimum (scilicet, Beatus qui intelligit) ad litteram exponendum esse de Christo, nunc quoque ostendi potest hunc psalmum ad litteram de Christo debere exponi. Ibi enim probatum est psalmum illum loqui de Christo, quia Salvator allegat scripturam illius psalmi prædictam de se : Ut impleatur (inquiens) Scriptura, Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. (Joann. XIII, 18.) Hoc namque, psalmo quadragesimo dicitur his verbis : Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. (Ps. XL, 10.) Quum ergo hoc quod Salvator de se prædictum allegat, quantum ad sensum habeatur in isto psalmo, sicut in illo; videtur hic psalmus exponendus de Christo, sicut et ille, præsertim quum nec in illo psalmo habeantur verba Christi nisi quantum ad sensum : et si diligenter pensemus, invenimus sensum verborum Christi in hoc psalmo diffusius traditum quam in psalmo quadragesimo. Sic enim inferius dicitur : Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, etc. Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, etc. Denique S. Gregorius aperte testatur, quod Christus hæc verba de Juda proditore inducit. Hieronymus quoque et Cassiodorus psalmum istum de Christo exponunt. Non tamen negandum est quin moraliter exponi possit de David, sicut de quolibet justo adversitatibus exercitato, atque Ecclesia (secundum quem modum in sequenti expositione exponetur): nam hanc expositionem Augustinus et Hugo amplius prosequuntur. Propterea vito expositiones steriles eorum qui psalmum hunc et conformes ad litteram de David exponunt.

Digitized by Google

Christus post resurrectionem apparens A
Luc. XXIV, 44. discipulis, Necesse est, inquit, impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysis et Prophetis et psalmis de me. Postquam Christus commemoravit legem Moysis et Prophetas, quid necesse fuit de psalmis specialem facere mentionem, quasi auctor psalmorum ad numerum Prophetarum non pertineret? nisi quia in psalmis specialiter, id est plenius evidentiusque prophetatur de Christo, quam in ceteris Prophetarum scripturis. Idcirco, quantum fieri potest, semper curandum est ut psalmi de B
Christo intelligantur.

Titulus autem psalmi præsentis est is-
1 te : *In finem, in carminibus, intellectus David*. Per David, sancti Prophetæ Christum frequenter intelligunt. Unde apud
Jer. XXX, 8, 9. Jeremiam scriptum est : Non dominabuntur Jacob amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis, id est Christo, ut omnes exponunt. Est itaque tituli sensus : Intellectus David, id est, sensus psalmi istius convenit Christo : intellectus, inquam, di- C
rigens nos in finem, id est in Deum seu vitam æternam ; in carminibus, ita ut Deo semper in adversis et prosperis gratiæ referantur, sicut et Christus egit ac docuit.

IGITUR Dominus noster Jesus Christus,
Luc. VI, 12. qui (ut ait Lucas) erat pernoctans in oratione Dei, secundum quod homo passibilis et viator, ante passionem sic ait :
2 (1) *Exaudi, Deus* Pater, seu Trinitas unus Deus, *orationem meam*, qua oro pro accidentali præmio conversationis, humiliati- D
onis passionisque meæ. Christus enim sua humilitate et morte, sibi ipsi promeruit præmium accidentale, non essentiale, videlicet judiciariam potestatem, festinatam resurrectionem, corporis glorificationem et ascensionem. Propter quod ipsemet de se
Joann. V, 27. ipso et Deo Patre loquens, sic ait : Potestatem dedit ei et judicium facere, quia
Philipp. II, 8, 9. Filius hominis est. Et Apostolus : Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, etc. Hinc quoque in Isaia de Christo prædictum est, Pro *Is.* LIII, 11
eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur : non utique gaudio præmii essentialis, quia hoc Christus non meruit; sed accidentalis, quod Christus partim habet, saltem extensive, vel quantum ad manifestationem, ex salvatione electorum. Unde et regnum militantis Ecclesiæ, seu multiplicatio fidelium, Christo pro præmio apud Isaiam promittitur : Si posuerit *Ibid.* 10.
animam suam pro peccato, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Et iterum Dominus de Christo dicit : In scientia sua justificabit ipse *Ibid.* 11, 12.
servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit ; ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia : id est, multos ad ejus fidem convertam, et dæmonum spolia, hoc est animas quæ factæ sunt dæmonum prædæ per peccatum originale vel actuale, eripiet, non omnium, sed electorum, quemadmodum ait per Osee : Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, *Osee* XIII, 14.
inferne.

Et ne despexeris deprecationem meam, quam feci pro his pro quibus incarnatus et passus sum. Unde Christus dixit ad Petrum in persona Ecclesiæ : Ego pro te *Luc.* XXII, 32.
rogavi, ut non deficiat fides tua. *Intende* 3
mihi : id est, respiciendo adimple precem qua pro mei ipsius liberatione a morte, seu resuscitatione, precatus sum, dicens : Pater, salvifica me ex hac hora. *Joann.* XII, 27.
Et exaudi me orantem pro nominis tui honorifica clarificatione, videlicet ut ab omnibus agnoscaris ac venereris. Hoc enim oravit Christus : Pater, inquiens, clarifica *Ibid.* 28.
nomen tuum.

(2) *Contristatus sum in exercitatione mea* : id est, in prædicando atque miracula faciendo, dolui de cæcitate et ingratitudine Judæorum : quemadmodum scriptum est, Contristatus est Jesus super *Marc.* III, 5.
cæcitate cordis eorum. Hæc autem tristitia inordinata non fuit, sed ex vera caritate manavit, quoniam malis atque perversis condoluit. Propterea quoque Salomon

Digitized by Google

Prov. xii, 21. asserit : Non contristabit justum quidquid ei acciderit. Itemque quod de Christo præ-
Is. xlii, 4. dictum est, Non erit tristis neque turbulentus, intelligendum est de sæculari et inordinata tristitia, quæ (teste Apostolo)
II *Cor.* vii, 10. mortem operatur ; et de qua in Ecclesia-
Eccli. xxx, 24. 25. stico legitur : Tristitiam longe expelle a te ; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Passione quoque instan-
Marc. xiv, 33, 34. te, cœpit Jesus pavere et tædere, ac dicere : Tristis est anima mea usque ad mortem.

4 *Et conturbatus sum a voce inimici :* id est, propter detractiones et accusationes ac falsas interpretationes populi Judæorum, opera mea atque doctrinam blasphemantium, contemnentium, et Beelzebub adscribentium, turbatus sum, non inordinata turbatione, sed ad rationabilem iram, timorem seu tristitiam, aut similem vehementem affectionem libere motus sum :
Ibid. iii, 5. quemadmodum apud Marcum dicitur, Circumspiciens eos Jesus cum ira, etc. Alibi
Joann. xii, 27. quoque : Nunc anima mea turbata est. Et in ipsa Cœna turbatus est Jesus, sicut
Ibid. xiii, 21. Evangelista testatur : Quum hæc, inquiens, dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : Unus vestrum me tradet. Conturbatus sum etiam *et a tribulatione peccatoris,* id est ex consideratione amarissimæ passionis mihi instan-
Luc. xxii, 43. 44. tis : quemadmodum legitur, Factus Jesus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et ad Hebræos de Chri-
Hebr. v, 7. sto ait Apostolus : Cum clamore valido et lacrimis orationem obtulit. Denique in ipsa passione conturbatus est Jesus secundum modum prædictum, a tribulatione peccatoris, id est a persecutione populi ipsum conspuentis, flagellantis, transfigentis et occidentis.

(3) *Quoniam declinaverunt in me iniquitates :* id est, Judæi multa mihi scelera imposuerunt : quemadmodum ab Evange-
Luc. xxiii, 2. lista dictum est, Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari. Et iterum : Stabant, *Luc.* xxiii, 10.
inquit, principes sacerdotum et Scribæ constanter accusantes eum. Sed et ante passionem frequenter calumniabantur eum Judæi. Propter quod scriptum est : Dice- *Marc.* iii, 21.
bant, Quoniam in furorem versus est. Et rursus : Dæmonium habet et insanit; quid *Joann.* x, 20.
eum auditis ? Unde superius de Christo dixit Psalmista : Quoniam declinaverunt in *Ps.* xx, 12.
te mala, cogitaverunt consilia quæ non potuerunt stabilire. Et apud Osee Christus ait : Vastabuntur, quia prævaricati sunt in *Osee* vii, 13.
me ; et ego redemi eos, et locuti sunt contra me mendacia. *Et in ira molesti erant mihi :* id est, perversi increduli que Judæi, ex ira quam conceperunt adversum me, persecuti sunt me : quorum persecutio mihi erat molesta, non quia adversa et dura invitus impatienterque pertulerim, sed quia eorum cæcitati condolui.

(4) *Cor meum conturbatum est in me,* ex 5
magna affectione, non ex aliqua deordinatione, sicut expositum est. Unde superius dictum est : Factum est cor meum tan- *Ps.* xxi, 15.
quam cera liquescens. *Et formido mortis cecidit super me,* id est, naturalis timor de morte instante fuit in me, præsertim quando ter Patrem oravi, ut si fieri pos- *Matth.* xxvi, 39, 42, 44.
set, transferret a me calicem passionis.
(5) *Timor* animæ seu interioris appetitus, *et* 6
tremor corporis ex interiori timore causatus, *venerunt super me,* non sine prædeliberatione, sed ex prævia ratione. Passiones namque appetitus sensitivi, in Christo rationem non prævenerunt, sed sponte assumebantur a Christo, atque ad rationis imperium cessaverunt. Hujusmodi autem timor et tremor irruerunt præsertim in Christum, quando ex inæstimabili mentis angustia factus est sudor ejus sicut guttæ *Luc.* xxii, 44.
sanguinis decurrentis in terram. *Et contexerunt me tenebræ :* id est, magnæ et pœnalissimæ adversitates me penitus operuerunt, quoniam in corpore et anima plenus fui doloribus, quia in omnibus membris corporis et animæ viribus patiebar. Vel sic : Contexerunt me tenebræ, id est, peccatores peccatis obtenebrati irruerunt un-

Digitized by Google

dique in me. De peccatoribus namque A
Ephes. v, 8. conversis ait Apostolus : Fuistis aliquando
tenebræ, nunc autem lux in Domino. Pro-
pter quod ante de Christo inductum est :
Ps. xxi, 17. Quoniam circumdederunt me canes multi.
7 (6) *Et dixi,* mentaliter cogitando, vel
ore loquendo : *Quis dabit mihi pennas*
sicut columbæ, et volabo, et requiescam?
Christus pennas contemplationis et carita-
tis ab exordio incarnationis incessabiliter
habuit. Quas ergo pennas se desiderare in-
sinuat? nisi, vel pennas resurrectionis et
ascensionis, quibus de tumulo volet ad in- B
feros, de inferno ad credentes in mundo
atque ad cœlos, et ad Patris dexteram re-
quiescat; vel pennas fugæ a Judæis, donec
impleretur passionis suæ tempus præor-
dinatum a Deo, secundum quod Joannes
Joann. xi, 54. evangelista fatetur, dicendo : Jesus ergo
jam non in palam ambulabat apud Judæos,
sed in desertis locis morabatur cum disci-
pulis suis, juxta civitatem quæ dicitur
Ephrem. Ad hæc igitur loca Christus pen-
na fugæ volavit, id est, velociter transiit,
Luc. iv, 30. quia transiens per medium illorum ibat C
Joann. viii, 59. (quum eum lapidare tentarent et præci-
Luc. iv, 29. pitare, quemadmodum scriptum est), id
est, invisibiliter manus Judæorum elapsus
est. In his quoque locis Christus a Judæo-
rum tumultu et persecutionibus requievit.
8 Ideo subdit : (7) *Ecce elongavi* me a Ju-
dæis me persequentibus, *fugiens* ad loca
deserti; *et mansi* cum discipulis meis *in*
solitudine seu deserto. Præterea, antequam
Matth. iv, 1. Christus prædicare incepit, ductus est a
Marc. i, 13. Spiritu utique Sancto in desertum; erat-
que cum bestiis, et angeli ministrabant ei. D
9 (8) *Exspectabam eum qui salvum me*
fecit : id est, ego Christus ordinationem
Dei Patris præstolabar, ut illa compleretur
in me, quatenus tempore ab eo præordina-
to me manifestarem, atque occiderer. Non
Joann. xviii, 5, 8. enim fugi ne morerer, qui ad hoc veni
ut mundum moriendo redimerem; sed ne
ante præfixum tempus occumberem. Pro-
pter quod evangelista Joannes sæpius di-
Ibid. vii, 30; viii, 20. cit : Nemo misit in eum manum, quia
nondum venit hora ejus. Sic itaque, Exspe-
ctabam eum qui salvum me fecit, *a pu-*
sillanimitate spiritus, id est ab excessivo
timore mortis et mundi, *et tempestate,* id
est ab impetuoso animi motu et turbulen-
tia mentis. Hoc Christus affirmat, non
quod unquam fuerit in eo pusillanimitas
spiritus et tempestas, quum utrumque sit
vitiosum; sed quia anima ejus divina vir-
tute præservata fuit a motibus illis.

Deinde Christus orat pro dejectione ad-
versariorum suorum, secundum sensum in
præcedentium psalmorum expositione cla-
re inductum; et ait : (9) *Præcipita, Domi-* 10
ne Pater, *et divide linguas eorum,* id est,
confunde, falsifica, condemna et destrue
verba Judæorum mihi detrahentium, et de
modo capiendi et occidendi me consilia
vana habentium. Horum linguas, id est
sermones, præcipita, dejice, et ab effectu
optato ne differas impedire, non ut non
occidant me, sed ut non detinear in morte,
neque ab hominum cognitione abscondar: Ps. lxxiii, 5.
sed resuscita me, et nomen meum clarifi- Joann. xvii, 5.
ca, eos vero in æternum præcipita, et in
præsenti vita disperge, ita ut, sicut ipsi
sibi imprecati sunt, veniat sanguis meus Matth. xxvii, 25.
super eos filiosque eorum. Hæc omnia jam
in Judæis impleta videmus. Intendebant
namque Judæi sic Christum occidere, ut
neque resurgeret, neque de cetero in homi-
num memoria remaneret, quemadmodum
apud Jeremiam dicunt : Eradamus eum Jer. xi, 19.
de terra viventium, et nomen ejus non
memoretur ultra. Sed hujus oppositum ac-
cidit, quoniam Christus per mortem omni-
mode clarificari honorificarique meruit,
juxta illud Apostoli : Videmus Jesum pro- Hebr. ii, 9.
pter passionem mortis gloria et honore
coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gu-
staret mortem.

Et hæc ideo oro, *quoniam* ego Christus,
qui cuncta cognosco, et qui scivi quid es- Joann. ii, 25.
set in homine, *vidi iniquitatem,* id est
propositum interficiendi me, *et contradi-*
ctionem adversus me et meam doctrinam,
in civitate, id est in populo in Jerosolyma
commorante : vel, Contradictionem eorum Ibid. vii, 12.
inter se mutuo, quia nonnulli resistebant

volentibus me occidere. Unde Nicodemus A
Joann. vii, 51. dixit adversus Judæos incredulos : Numquid
lex nostra judicat aliquem, nisi audierit ab
ipso prius, et cognoverit quid faciat? Et
Ibid. xi, 45. rursus scriptum est : Multi ex principibus
crediderunt in Jesum, videlicet ante passionem.

11 (10) *Die ac nocte,* id est indesinenter,
circumdabit eam super muros ejus iniquitas : id est, in principalibus populi
Judæorum, qui esse debuerant firmamentum et murus aliorum, confirmando eos
in bono, fuit magna et summa malitia, B
Matth. xxvii, 20; Marc. xv, 11. quoniam principes sacerdotum alios instigaverunt ad Christi occisionem. Vel, Circumdabit eam super muros ejus iniquitas,
quia ad litteram custodes murorum Jerusalem, quasi in canticum verterunt Jesum
Christum, assidue eum deridendo, sicut
Ps. lxviii, 13. inferius clarius dicitur : Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me
psallebant qui bibebant vinum. *Et labor*
12 *in medio ejus et injustitia,* id est, pœnalis
malitia et injustitia fuit quasi in toto populo civitatis Jerusalem. Peccatum enim C
labor vocatur, quoniam (Augustino teste)
animus inordinatus sibi ipsi est pœna.
Veram enim quietem et pacem excludit,
et remorsum conscientiæ habet adjunctum. Magnus labor et injustitia maxima
erat in medio civitatis seu populi hujus,
quando respondens universus populus, di-
Matth. xxvii, 25. xit ad præsidem : Sanguis ejus super nos
et super filios nostros. (11) *Et non defecit
de plateis ejus,* id est de habitatoribus
platearum Jerusalem, *usura et dolus.* Judæi enim avari atque dolosi fuerunt : pro- D
Ibid. xxi, 12. pter quod Christus de templo vendentes et
ementes ejecit. Et apud Michæam legitur :
Mich. vii, 2. Vir fratrem suum venatur ad mortem; et
Jer. vi, 13. alibi, A minore usque ad majorem omnes
avaritiæ student.

Consequenter Christus peccatum tradi-
13 toris sui exaggerat. (12) *Quoniam si inimicus meus,* id est, qui nunquam ante amicus meus fuisset, vel cui ego aliquid mali
fecissem, vel cui tot signa dilectionis non
ostendissem, *maledixisset mihi,* vendendo
atque prodendo me hostibus meis; *sustinuissem utique,* id est, tolerabilius reputassem, et minus corde afflictus fuissem ; neque tam dire vindicassem sicut
ultus sum peccatum Judæ, quem justo
judicio desperare, et se ipsum laqueo ne- Matth.
care permisi : quod erat vindicta gravis- xxvii, 5.
sima in præsenti, quam sequitur pœna
durissima in futuro. Tanto equidem gravius peccatum Deus ulciscitur, quanto peccantem in graviora peccata cadere patitur.
(13) *Et si is qui oderat me,* id est, qui se
inimicum meum fuisse palam dixisset et
ostendisset, *super me magna locutus fuisset,* id est, verba supplantationis et conculcationis contra me adversariis meis dixisset ; *abscondissem me forsitan ab eo,* id
est, tam familiaris vel præsens sibi non
exstitissem ut exstiti Judæ, a quo etiam
non abscondi me sicut interdum a Judæis
mihi aperte insidiantibus me abscondi. Joann. viii, 59.
Non tamen putandum est, quod Christus
finaliter se aliquo modo occultasset quoniam mortem evadere noluit.

(14) *Tu vero,* o Juda, *homo unanimis* mi- 14
hi, quantum ad apparentiam et verborum
professionem, et etiam forte secundum
veritatem, quantum ad tempus; *dux meus,*
id est, quem ego cum aliis Apostolis constitui ducem populi mei, mittens te ante
passionem cum illis prædicare regnum Luc. ix, 2.
Dei et sanare infirmos, *et notus meus,*
tanquam cohabitans familiarisque mihi.
(15) *Qui simul mecum dulces capiebas ci-* 15
bos, eo tempore quo procurator meus fuisti, comedens panem in mensa mecum qui
caritative ac dulciter tecum vescebar. Præsertim autem in Cœna novissima accepit Joann. xiii, 26.
Judas a Christo et cum Christo dulces cibos, id est corpus ejus et sanguinem. *In
domo Dei,* id est in synagogis Judæorum
et templo Jerusalem, seu congregatione fidelium discipulorum meorum, *ambulavimus,* id est conversati sumus, *cum consensu.* Eo etenim modo ambulaverunt Christus
et Judas cum consensu, quo unanimes erant.

Patet autem ex his, illas persecutiones
atque injurias esse molestiores, quæ a pro-

Digitized by Google

pinquis et amicis seu familiaribus infe- A
runtur, præcipue quando de eorum dile-
ctione præsumimus, et aliud nihil nisi
bonum apud eos meruimus. Propter quod
passio Christi amarior fuit, quia a disci-
pulo vendebatur, et a populo electo ac pe-
culiari occidebatur. Et ideo per Michæam
Mich. vi, 3. ait : Popule meus, quid feci tibi ? aut quid
Is. v, 4. molestus fui tibi ? Et alibi : Quid ultra de-
bui facere vineæ meæ, et non feci ?
16 (16) *Veniat mors super illos,* qui discipu-
lum meum sic corruperunt, vel ei pares
exsistunt. Hoc Christus ait non desideran- B
do, sed prænuntiando, nisi intelligatur hoc
desiderare zelo justitiæ, secundum ordi-
nem divinæ æquitatis, non autem inordi-
nato appetitu vindictæ. Veniat, inquam,
mors animæ et corporis super illos, videli-
cet ut gratia Dei priventur, et ab adversariis
trucidentur : quemadmodum ab exercitu
Romanorum Judæi occisi sunt. *Et descen-*
dant in infernum viventes, in die judicii
cum corpore et anima æternaliter condem-
nandi. Hoc enim promeruerunt. (17) *Quo-*
niam nequitiæ, id est multæ et perversæ C
malitiæ, *in habitaculis eorum,* id est in
cordibus ipsorum, in quibus homines co-
gitando morantur ; vel, In habitaculis eo-
rum, id est in habitatoribus tabernaculo-
rum ; *in medio eorum :* ita quod omnes
communiter nequiter agunt.
17 (18) *Ego autem,* Christus Filius Dei, *ad*
Deum clamavi : sicut in psalmi hujus ex-
ordio patuit ; *et Dominus,* id est Deus Pa-
ter seu Trinitas sancta, *salvavit me,* de
morte ad immortalem vitam resuscitans
Hebr. v, 7. me : juxta illud Apostoli de Christo, Qui D
in diebus carnis suæ preces supplicatio-
nesque fundens ad eum, qui possit illum
a morte salvum facere, exauditus est pro
18 sua reverentia. (19) *Vespere,* scilicet in no-
cte Cœnæ, *et mane,* id est in die Parasce-
ves, *et meridie,* pendens in cruce, *narrabo*
mente, *et annuntiabo* ore : id est, veri-
tatem dixi, salutarem sapientiam docui,
causam meam ac precem Domino obtu-
li, pro crucifixoribus exoravi, et animam
meam Patri commendavi. Christus enim
in vespere Cœnæ pulcherrimum sermo- *Joann.* xiii-
nem fecit discipulis suis, et mane sequen- xvi.
ti se Christum esse confessus est, atque in *Marc.* xiv,
cruce pendens alta voce clamavit : Pater, 62. *Luc.* xxiii,
in manus tuas commendo spiritum meum. 46.
Et exaudiet vocem meam. Christus enim
in omni oratione quam ex deliberata ra-
tione effudit, auditus est, quemadmodum
Martha ait ad eum : Scio quia quæcumque *Joann.* xi,
poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 22.
(20) *Redimet in pace,* id est, redimendo 19
constituet in vera ac stabili pace, *animam*
meam, id est me ipsum, seu vitam meam,
transferendo me de vita mortali ad impas-
sibilem vitam : redimet itaque animam
meam *ab his qui appropinquant mihi,* id
est a Judæis et aliis qui accesserunt ad me
ut me comprehenderent, ligarent, atque
occiderent ; *quoniam inter multos erant*
mecum : id est, ideo me exaudivit Deus,
quoniam isti Judæi ita accedentes ad me,
sæpe interfuerunt prædicationibus meis
inter plurimos alios in me credentes, et
ita excusationem non habent. Propter quod
ait Salvator : Ego semper docui in templo *Ibid.* xviii,
et synagogis, quo omnes Judæi conveniunt ; 20.
et iterum : Si non venissem et locutus eis *Ibid.* xv, 22.
fuissem, peccatum non haberent ; nunc
autem excusationem non habent. (21) *Ex-* 20
audiet Deus precem meam, *et humiliabit*
illos superbos, in præsenti et in futuro.
Nunc autem humiliati sunt Judæi, quia pri-
vati sunt omni gloria legis paternæ, regno,
loco, sacerdote et principe ; et in futuro
quoque cum ceteris superbis in ima infer-
ni humiliati labentur. *Qui est ante sæcula,*
id est Deus æternus, ante omnia sæcula in
se subsistens.
(22) *Non enim est illis commutatio* de
malo et infidelitate ad pœnitentiam et fi-
dem christianam, quemadmodum in Jere-
mia legitur : Induraverunt facies suas su- *Jer.* v, 3.
per petram, et noluerunt reverti. Et ad
Judæos Dominus per Isaiam ait : Scio quia *Is.* xlviii, 4.
durus es tu, et nervus ferreus cervix tua,
et frons tua ænea. *Et non timuerunt*
Deum, cujus Filium occiderunt. *Extendit* 21
manum suam in retribuendo : id est, Deus

Digitized by Google

virtutem suæ potentiæ præparavit, ut illis A justam mercedem retribuat.

(23) *Contaminaverunt testamentum ejus,* id est, prædicti Judæi legem Dei non servaverunt, sed polluerunt, inique contra eam agentes, eamque inhonorantes, atque
22 carnaliter intelligentes. *Divisi sunt* per totum mundum *ab ira vultus ejus,* id est a justa vindicta divinæ justitiæ. Nam propter sua peccata Deus eos a propria terra ejecit, per orbem dispersit, a caritate et fide Christi, electorumque numero separavit. *Et appropinquavit cor illius :* id est, B voluntas divina seu pietas Dei, reprobatis Judæis, ad gentiles conversa est, sicut Do-
Malach. I, 10. 11. minus ad Judæos per Prophetam ait : Non est mihi ultra voluntas in vobis, quia magnum nomen meum in gentibus. Et Apo-
Rom. XI, 25. stolus ait : Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret;
Ibid. 11. et iterum, Illorum delicto salus est gentibus, id est occasio salvationis gentilium, quoniam Judæis non credentibus, justa facta est ad gentes transmigratio. (24) *Molliti sunt sermones ejus super oleum,* id est, C doctrina et prædicatio Christi oleo suaviores fuerunt et sunt, quoniam regnum cœlorum et viam pœnitentiæ prædicavit. Unde superius de Christo præhabitum est :
Ps. XLIV, 3. Diffusa est gratia in labiis tuis. Et Lucas
Luc. IV, 22. ait : Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus. *Et ipsi sunt jacula :* id est, infideles Judæi tanquam sagittæ repugnaverunt doctrinæ atque operibus Christi, pungentes eum verbis blasphemis, et clavis tandem confodientes.

Sed tu, o Christiane, illis sic pereun- D
23 tibus, (25) *Jacta super Dominum curam tuam :* id est, inordinatas atque superfluas sollicitudines fuge, et in Domino vigilans esto, ordinatam curam habendo, videlicet ut sollicitus ac timoratus exsistas quomodo Deo complaceas; de temporalibus vero noli vel ante tempus, vel nimis anxie sollicitari, sed secundum quod ad spiritualem profectum necessaria sunt sive utilia. Sic ergo committe te Deo, sed non sic ut negligas facere quod in te est; fac autem quod tibi possibile est, et scito quod tua providentia tibi non sufficit. Idcirco confide in Domino, et curam tuam in ipso dispone ac ordina : quia superius dictum est, Dominus sollicitus est mei. Ipsi quo- *Ps.* XXXIX, 18.
que de omnibus cura est, quemadmodum *Sap* XII, 13.
Sapiens dicit. *Et ipse te enutriet,* id est, de necessariis tibi providebit : sicut Christus spopondit, Quærite primum regnum Dei *Matth.* VI, 33.
et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Et iterum : Nolite, inquit, solliciti *Ibid.* 34, 32.
esse in crastinum ; scit enim Pater vester cœlestis, quod his omnibus indigetis. Hinc ait S. Petrus : Omnem sollicitudinem ve- I *Petr.* V, 7.
stram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.

Non dabit in æternum fluctuationem justo. Hoc dupliciter intelligi potest. Primo sic : Deus nunquam permittet fluctuare justum, id est a se recedere, seu esse instabilem, quia per gratiam fixus manet in Deo, in omni tentatione atque eventu, sicut inferius de viro justo inducitur : Pa- *Ps.* CXI, 7, 8.
ratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus; non commovebitur. Unde Dominus per Jeremiam ait : Si *Jer.* IV, 1.
abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Peccata equidem faciunt hominem fluctuantem atque instabilem, juxta illud : Peccatum peccavit Jerusalem, *Thren.* I, 8.
propterea instabilis facta est. Et alibi : Tenebit justus viam suam, et mundis ma- *Job* XVII, 9.
nibus addet fortitudinem. Et iterum ait Scriptura : Justus in sapientia permanet *Eccli.* XXVII, 12.
ut sol; stultus autem mutatur ut luna. Non tamen intelligenda sunt hæc, quasi justus peccare non posset; sed quid justo conveniat, secundum quod justus est, locus iste declarat. Secundo intelligitur sic : Non dabit in æternum fluctuationem justo, id est, quamvis ad tempus sinat eum Deus tentari, tribulari, et anxiari, veniet tamen tempus quo in bono firmabitur, atque ab omni instabilitate et inquietudine eripietur.

(26) *Tu vero, Deus,* omnium justus judex, 24
deduces eos, id est Judæos Christo rebelles, *in puteum interitus,* id est, in lacum infer-

Digitized by Google

ni, vel in obstinationem et profundissimam cæcitatem eos deduci permittes, propter eorum malitiam : sicut de eis scriptum est, Computrescere faciam superbiam populi hujus pessimi, qui nolunt audire verba mea. *Jer.* XIII, 9, 10.

(27) *Viri sanguinum,* id est peccatores, *et dolosi non dimidiabunt dies suos,* id est, tam diu non vivent ut æstimant ; et sæpe medietatem temporis quod sibi restare arbitrantur, non attingunt : quia statim dum completa fuerit eorum iniquitas, a Domino auferuntur. Secundum quod de divite sibi longam vitam pollicente, ait Salvator : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te. *Luc.* XII, 20. Propter quod ait et alia scriptura : Viri iniqui ante tempus suum sublati sunt. *Job* XXII, 15, 16. Vel sic : Viri prædicti non dimidiabunt dies suos, videlicet ut, sicut præteritum vitæ suæ tempus consumpserunt in voluptate ac vitiis, sic tempus residuum expendant in pœnitentia atque virtutibus ; sed dato tempore abutuntur, perseverando in culpa, sicut de quolibet tali in libro beati Job dicitur : Deus dedit illi locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam. *Ibid.* XXIV, 23. Hi enim assimilantur diabolo, quia diabolicum est perseverare in malo. Unde de talibus per Jeremiam Dominus conqueritur : Quare aversus est populus iste aversione contentiosa ? *Jer.* VIII. *Ego autem sperabo in te, Domine.* Christus ut homo et aliquo modo viator, videlicet in quantum passibilis, speravit in Deo, exspectando ab eo bona, quæ nondum habuit, sed adipisci oravit, ut corporis glorificationem, ascensionem, etc.

Ecce jam liquet, quam vere et proprie psalmus iste exponatur de Christo. Quum ergo evangelica, itemque apostolica auctoritate compellamur quosdam psalmos ad litteram de Christo exponere, in quibus tamen quædam habentur quæ Christo secundum se nullatenus competunt, ut sunt psalmi tricesimus nonus et quadragesimus, scilicet, Exspectans exspectavi Dominum, in quo inter cetera dicitur, Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem ; et, Beatus qui intelligit, in quo legitur, Sana animam meam, quia peccavi tibi : quanto magis psalmus iste, atque consimiles, in quibus nil ponitur quod Christo secundum se non conveniat, erit ad litteram intelligendus de Christo ?

ARTICULUS IX

EXPLANATIO EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI QUARTI TROPOLOGICA SIVE MORALIS, DE ECCLESIA SEU UNOQUOQUE FIDELI.

CONSTAT autem per David designari
Ecclesiam, seu quemlibet vere fidelem ;
1 et ita sensus tituli erit : *In finem, in carminibus intellectus David :* id est, intellectus hujus psalmi, in finem, id est in Christum nos dirigens, convenit David, id est Ecclesiæ seu credenti multipliciter tribulato, in carminibus, id est in adversis gratias referenti ac læto.
2 Ait ergo : *Exaudi, Deus, orationem meam.* Idem sensus sub aliis verbis hic quater repetitur, quatenus ipse orantis affectus in se ipso fervescat, totiesque accendatur quoties sensus ipse repetitur. Itaque, Exaudi, Deus, orationem meam, propter tuam bonitatem, *et ne despexeris deprecationem meam,* propter meam imperfectionem ac fragilitatem ; *intende mi-* 3
hi, oculo paternæ pietatis respiciendo in me, *et exaudi me* orantem pro vitiorum omniumque malorum ablatione, et virtutum ac præmiorum adeptione.

Digitized by Google

Contristatus sum in exercitatione mea. A Duplicem esse exercitationem, videlicet interiorem et spiritualem, exteriorem quoque et corporalem, docet Apostolus, ad [I Tim. iv, 7, 8.] Timotheum dicens : Exerce te ipsum ad pietatem ; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est. In utraque autem exercitatione boni tristantur, non de ipsa exercitatione, sed propter imperfectiones adjunctas et [Ps. lxxxiii, 7.] culpas commissas, et quia in hac valle lacrimarum [II Cor. v, 6.] exsulando peregrinantur a Domino, adspicientes ipsum mundum vitiis B erroribusque repletum : sicque ex pia compassione errantium contristantur, maxime tamen propter Dei injuriam et offensam, tanquam Dei zelum habentes. Hæc est [Ibid. vii, 10.] bona tristitia, quæ (secundum Apostolum) operatur salutem. De qua Salomon protestatur : [Eccle. vii, 5.] Cor sapientium ubi tristitia, et cor [Ibid. 3.] stultorum ubi lætitia ; et iterum, Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. Jam enim est tempus lugendi et flendi, quemadmodum Dominus apud Jo-[Joel ii, 12.]elem admonet, dicens : Convertimini ad C me in toto corde vestro, in fletu et planctu. Nec enim postea gloriabuntur cum Christo, qui jam eligunt jucundari cum mundo.

4 *Et conturbatus sum a voce inimici,* id est ab injuriis verborum, *et a tribulatione peccatoris,* id est ab injuriis verborum seu damnorum. Duplex autem est conturbatio, scilicet bona, de qua in præcedenti expositione dictum est ; et mala, qua aliquis plus debito irascitur, timet, tristatur, aut simili modo inordinate afficitur, ita quod ac- D tus rationis impeditur. Conturbari itaque bona conturbatione a voce inimici et a tribulatione peccatoris, est perfectorum, qui adversa æquanimiter ferunt, sed conturbantur, id est, male agentibus vehementer compatiuntur, aut simili modo rationabiliter afficiuntur, qualis erat Apostolus [II Cor. xi, 29.] qui ait : Quis infirmatur, et ego non infirmor ? [Job iii, 24.] et Job qui dicit : Antequam comedam, suspiro, et quasi inundantis aquæ, sic rugitus meus. Conturbari vero secundo modo, imperfectorum est, qui omnia nondum tranquille sufferre, atque in adversis lætari didicerunt. Quos Jacobus in sua Canonica instruens : Omne, inquit, gaudium [Jacob. i, 2.] existimate, fratres mei, quum in tentationes varias incideritis. Unde et Christus ait: Beati estis quum maledixerint vobis homi- [Matth. v, 11, 12.] nes, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes ; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Non ergo propter adversa injuriasque turbemur, nec propter verba dura ac pessima nobis illata tristemur, nisi peccantibus condolendo.

Denique merito conturbatum me dico, *Quoniam declinaverunt in me iniquitates,* id est, peccata mihi injuste imposuerunt maligni : propter quod perfecti turbantur turbatione virtuosa, ut dictum est, gloriantes in hoc quod Christo aliqualiter conformantur, qui a Judæis falsissime criminabatur ; imperfecti vero interdum turbantur ex hoc turbatione iræ et impatientiæ. *Et in ira* (non per zelum, sed per vitium) quam conceperunt adversus me, *molesti erant mihi* verbis, signis seu factis, id est, vindicando se de me, gravabant me : quod ego moleste sustinui, non tam propter meam injuriam, quam propter illorum ruinam ac damnationem. Hoc modo Paulus moleste tulit mala sibi illata : quia ad [Act. xiv, 18; xvi, 23-25; xxi, 27-33.] instar indulgentissimi patris, qui quanto a filio phrenetico plura verbera patitur, tanto insano magis compatitur; sic quanto homines impii Paulum durius flagellabant, tanto ipse eorum errori amplius condolebat.

Cor meum conturbatum est in me : id 5 est, appetitus meus interior sensitivus seu intellectivus, vehementer seu excessive motus est aliqua passione seu affectione, ex qua ipsum quoque cor corporale turbatur, id est, innaturaliter agitatur, quoniam passiones fiunt cum corporali transmutatione. *Et formido mortis cecidit super me,* id est, tam graviter sum afflictus, ut mori verebar. Vel, Formido mortis, id est horror peccati, quod est mors animæ, cecidit

Digitized by Google

super me, quia videlicet ex perturbatione A
mihi inflicta timui impatientiæ, iræ, ran-
coris, aut similis vitii motum et culpam
mortalem incidere, vel tentationibus dæ-
monum, mundi et carnis formidabam suc-
cumbere : quod est spiritualiter mori at-
Job IV, 5. que deficere, juxta illud : Venit super te
plaga, et defecisti ; tetigit te, et conturba-
6 tus es. *Timor* animæ *et tremor* exterior,
venerunt super me, propter mala et tor-
menta seu pericula mihi imminentia et
futura. Timor enim est de malo futuro,
sicut dolor de malo præsenti. Et omnino B
expediens est ut talis timor et tremor in
nobis sint, propter mille pericula nobis
instantia, et propter futurum judicium,
infernique tormenta : quia in medio la-
queorum versamur, et contra invisibiles
ac nequissimos hostes luctamur. *Et conte-
xerunt me tenebræ,* id est, adversitates et
pœnæ seu vitia circumdederunt et operue-
runt me totum, ita quod malis multis re-
pleta est anima mea : quemadmodum ait
II Cor. VII, 5. Apostolus, Foris pugnæ, et intus timores.
Act. XIV, 21. Per varias enim tribulationes oportet nos C
intrare in regnum cœlorum. Propter quod
Job XXX, 26. sanctus Job ait : Exspectabam bona, et ve-
nerunt mihi mala ; præstolabar lucem, et
eruperunt tenebræ.
7 *Et dixi* intra me : *Quis dabit mihi pen-
nas sicut columbæ?* id est, quam libenter
haberem pennas virtutum, videlicet veram
et columbinam simplicitatem et innocen-
tiam, quatenus mala prædicta evadere, et
immaculatam vitam ducere valeam inter
iniquos ! *Et volabo* penna contemplatio-
nis, speculando cœlestia, propter quorum D
amorem terrena despicio, adversaque li-
benter sustineo ; *et requiescam* in Deo, per
fidem et caritatem et pacem internam, a
terrenarum rerum tumultu, et inquietu-
dine passionum ac sollicitudine tempora-
Ps. IV, 9. lium rerum : sicut superius dictum est, In
pace in id ipsum dormiam et requiescam.
8 *Ecce elongavi* me ipsum affectu seu lo-
co, vita et voto, a peccatoribus et inquietis
hominibus, *fugiens* pericula mundi, ne
Ps. XVII, 27. cum perversis pervertar ; *et mansi in so-
litudine,* id est, soli Deo vacare tentavi ;
vel etiam in loco deserto moram feci, ut
Deo liberius adhærerem, atque in eo sua-
vius repausarem. Maxime enim confert so-
litarius locus ad vitam quietam et specu-
lativam. Propter quod per Osee Dominus
ait animæ sibi devotæ : Ecce ego lactabo Osee II, 14.
eam, et ducam eam in solitudinem, et lo-
quar ad cor ejus. Et Jeremias : Quis dabit Jer. IX, 2.
me in solitudine diversorium viatorum, et
derelinquam populum meum ? Unde et
Christus Apostolis dixit, sicut Marcus te-
statur : Venite seorsum in desertum lo- Marc. VI, 31.
cum, et requiescite pusillum. *Exspectabam* 9
eum, id est, longanimiter sustinui, et in
ipso speravi, *qui salvum me fecit,* per
gratiam suam, *a pusillanimitate spiritus,
et tempestate* adversitatum et periculorum,
quas habui, vel habuissem, nisi gratia Dei
me conservasset. Non debemus esse pusil-
lanimes nec præsumptuosi, sed magnani-
mes, humiles, fortes, semper confidendo
in Domino, dicentes cum Apostolo : Omnia Philipp. IV,
possum in eo qui me confortat. 13.
Consequenter orat Ecclesia seu fidelis
pro exstirpatione hæreticorum, schismati-
corum, tyrannorum et persecutorum, ac
hostium boni communis hominumque ju-
storum. *Præcipita, Domine,* id est dejice, 10
et divide, id est, ab invicem separa, ne
sibi in malo consentiant, *linguas eorum,*
id est sermones et studia prædictorum Ec-
clesiam perturbantium, seu detractorum
et innocentes opprimentium. Non orat Ec-
clesia ut penitus pereant, sed ut in præ-
senti corrigantur, et a malo cohibeantur,
vel temporaliter affligantur, seu etiam oc-
cidantur, si Ecclesia aliter pacem adipisci
non potest, vel conservare bonum com-
mune.
*Quoniam vidi iniquitatem et contradi-
ctionem,* id est perversitatem, perfidiam,
schisma et fidei impugnationem, *in civi-
tate,* id est in militanti Ecclesia, in qua
semper mali cum bonis miscentur. Oportet I Cor. XI, 19.
enim hæreses esse, et necesse est ut ve- Matth.
niant scandala. *Die ac nocte,* id est semper XVIII, 7.
usque ad finem mundi, *circumdabit eam,* 11

Digitized by Google

puta Ecclesiam, *super muros ejus,* id est A
in prælatis, pastoribus, atque principibus
ejus, *iniquitas.* Nam superiores aliqui in
populo christiano, inferiores inficiunt, op-
primunt, scandalizant, aut simili modo
Dan. XIII, 5. pervertunt, sicut Daniel ait : Iniquitas
egressa est de Babylone a senioribus, qui
videbantur regere populum. Sic, proh do-
lor! modo est. Nam qui esse deberent
aliorum defensores, muri seu firmamen-
tum, facti sunt animarum corruptores at-
que maceriæ direptores, quemadmodum
Osee V, 1. per Osee Dominus ait : Attendite, sacerdo- B
tes, quoniam laqueus facti estis specula-
tioni, et sicut rete expansum super mon-
12 tem. *Et labor in medio ejus et injustitia,* id
est, in medio Ecclesiæ inveniuntur labor
seu violentia, oppressio, inordinatio, cul-
Matth. XX, 16; XXII, 14. pa pœnalis, et laboriosa iniquitas. Multi
enim sunt vocati, et pauci electi. Propter-
ea in medio populi christiani abundant
hæc mala, secundum quod per Osee scri-
Osee IV, 2. ptum est : Maledictum, et homicidium, et
furtum, et adulterium, et mendacium inun-
daverunt, et sanguis sanguinem tetigit. *Et* C
non defecit de plateis ejus, id est de par-
ticularibus Ecclesiis seu sacerdotibus, qui
essent aliis iter ad Deum, *usura et dolus.*
Nam et hæc mala in Ecclesiarum rectori-
Jer. VI, 13. bus ac subditis reperiuntur, quoniam om-
nes (ut ait Jeremias) avaritiæ student, et
Philipp. II, 21. omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ
Jesu Christi, secundum Apostolum.

Consequenter ostendit Ecclesia, seu fi-
delis, quam intolerabiles sint persecutio-
nes, quæ inferuntur ab his qui se dicunt
13 amicos esse, et non sunt. *Quoniam si ini-* D
micus meus, apertus et evidens, *maledi-*
xisset mihi, obloquendo, insultando, com-
minando aut imprecando, *sustinuissem*
utique levius atque libentius : quia sic
nil rarum aut inopinatum mihi contigis-
set. *Et si is qui oderat me,* non solum
clam, sed etiam palam, *super me,* id est
contra me, *magna locutus fuisset,* id est
verba animosa et dura, *abscondissem me*
forsitan ab eo. Secundum quod Christus
interdum suos discipulos facere docuit,
dicens : Quum persecuti vos fuerint in Matth. X, 23.
una civitate, fugite in aliam. Hoc enim
aliquando agendum est, non semper : quia
si periclitaretur fides, seu bonum com-
mune, aut subditi salus, fugiendum non
esset ab eo qui non fugiendo succurrere
posset. *Tu vero, homo unanimis,* confi- 14
tendo Christum ore, sicut et ego; *dux*
meus : id est, qui aliorum rector fuisti, et
ab Ecclesia constitutus eras dux fratrum
tuorum in via Dei; vel me interdum in divi-
no obsequio ædificasti, præcessisti, et per-
duxisti; *et notus meus,* habendo eamdem
fidem cum me, seu corporaliter agnitus;
qui mecum dulces capiebas cibos, audien- 15
do prædicationem ac sumendo sacramenta
Ecclesiæ, antequam sic apostatares a fide
ad hæresim, ab unitate ad schisma, a di-
lectione ad persecutionem, et a vita lau-
dabili ad mores perversos; *in domo Dei*
ambulavimus cum consensu, id est, in Ec-
clesia Christi conversati sumus concordi-
ter, quando adhuc stabas in fide et gratia
Dei. De talibus namque ait Joannes : In I Joann. II, 19.
nobis erant, sed non erant ex nobis; nam
si fuissent ex nobis, permansissent utique
nobiscum.

Veniat mors super illos : id est, digni 16
sunt morte spirituali, videlicet ut in præ-
senti careant vita gratiæ, atque in futuro
vita gloriæ. Non enim optando, sed præ-
nuntiando hoc dicitur, vel se divinæ justi-
tiæ conformando. Juxta quem sensum ait
Christus seu quilibet justus per Jeremiam:
Tu, Domine, scis omne consilium eorum Jer. XVIII, 23.
adversum me; ne propitieris iniquitati
eorum, et peccatum eorum non deleatur.
Et descendant in infernum viventes, id
est cum corpore et anima, in die extremi
judicii : cujus descensus figura exstitit de-
glutitio Dathan et Abiron et Core, quos Num. XVI, 32, 33.
terra vivos absorbuit. *Quoniam nequitiæ*
in habitaculis eorum. In præcedenti ex-
planatione sensus horum patet.

Ego autem ad Deum clamavi : quia 17
oportet sine intermissione orare, et in om- Luc. XVIII, 1.
ni necessitate atque periculo ad Deum
cum omni affectu confugere. *Et Dominus*

Digitized by Google

salvavit me : non enim derelinquit spe- A
Matth. VII, 8. rantes in se ; sed omnis qui petit, accipit ;
et qui quærit, invenit. Propter quod Do-
Jer. XXXIX, 18. minus ad Jeremiam ait : Eruens liberabo
te, et erit tibi anima tua in salutem, quia
18 in me habuisti fiduciam. *Vespere et mane*
et meridie, id est tota die ex his horis con-
stante ; vel, Vespere, id est in statu inci-
pientium, et mane, id est in statu pro-
ficientium, et meridie, id est in statu
perfectorum ; vel, Vespere et mane et me-
ridie, id est in fine, principio et medio
vitæ meæ ; *narrabo,* quoad me ipsum, *et* B
annuntiabo aliis documenta legis divinæ,
et opera Salvatoris, ac alia quæque salu-
Ephes. V, 18-20. bria : sicut docet Apostolus, Implemini,
inquiens, Spiritu Sancto, loquentes vobis-
metipsis in psalmis, et hymnis, et canticis
spiritualibus, cantantes et psallentes in cor-
dibus vestris Domino, gratias agentes pro
omnibus semper. *Et exaudiet* ipse Dominus
vocem meam, qua ipsum laudo et invoco.
19 *Redimet in pace animam meam ab his*
qui appropinquant mihi ut noceant, eripi-
endo me de eorum insidiis, pacemque præ- C
stando interioribus meis. Hoc est verbum
amorosæ fiduciæ. *Quoniam inter multos*
vocatos, non electos, *erant mecum,* loco,
non mente ; corporaliter, non spirituali-
ter ; fide, non moribus. Persecutores enim
Ecclesiæ et justorum, inter vocatos (qui
multi sunt) corpore adsunt electis, sed vi-
20 ta et moribus distant ab eis. *Exaudiet*
Deus preces meas, *et humiliabit illos,* eo
modo quo humiliabuntur in futuro, qui
se exaltant in sæculo isto. *Non enim est*
illis commutatio : quoniam converti de- D
Tit. III, 10, 11. spiciunt. Unde Apostolus ait : Hæreticum
hominem post unam et secundam corre-
ptionem devita, sciens quia subversus est
qui hujusmodi est. De talibus quoque Isa-
Is. XXVIII, 15. ias ait : Dixistis, Percussimus fœdus cum
morte, et cum inferno fecimus pactum.
21 *Contaminaverunt testamentum ejus,* id est,
Tit. I, 16. legem Christi transgressi sunt, et dicunt
22 se nosse Deum, sed factis negant. *Divisi*
sunt a societate electorum, et separati a
caritate et gratia Dei, *ab ira vultus ejus,*
id est justo Dei judicio ; *et appropinquavit*
cor illius, id est, Deus, quantum in se est,
semper paratus fuit et est misereri, subve-
nire et parcere.

Molliti sunt sermones ejus, scilicet Dei,
super oleum : quoniam caritatem et pieta-
tem suam nobis in sacra Scriptura uber-
tim commendat : quod utique omni melle
et oleo dulcius est. Propter quod infra ha-
betur : Quam dulcia faucibus meis eloquia *Ps.* CXVIII, 103.
tua ! super mel ori meo. De quibus eloquiis
superius quoque prædictum est : Deside- *Ps.* XVIII, 11.
rabilia super aurum et lapidem pretiosum
multum, et dulciora super mel et favum.
Quod Jeremias expertus, ait : Factus sum *Jer.* XXIII, 9.
quasi vir ebrius, et quasi homo madidus
vino, a facie Domini, et a facie verborum
sanctorum ejus. Quid enim tam mollitum
ac dulce, sicut quod ait Paulus apostolus,
Propter nimiam caritatem suam, qua di- *Ephes.* II, 4.
lexit nos Deus Pater, Filium suum misit in *Rom.* VIII, 3.
similitudinem carnis peccati ? Et Joannes :
Sic, inquit, Deus dilexit mundum, ut Fi- *Joann.* III, 16.
lium suum unigenitum daret. Et iterum :
Videte qualem caritatem dedit nobis Deus *I Joann.* III, 1.
Pater, ut filii Dei nominemur et simus. De-
nique dulce est nimis quod per Salomo-
nem æterna Sapientia, Deus altissimus,
protestatur : Deliciæ meæ esse cum filiis *Prov.* VIII, 31.
hominum. *Et ipsi,* videlicet hæretici et
hostes Ecclesiæ ac persecutores justorum,
sunt jacula : quia veritatem Scripturæ
verbis aut factis impugnant, et simplices
lædere student. Ideo enim dicit Apostolus :
Sermo eorum ut cancer serpit. De quibus *II Tim.* II, 17.
apud Job commemoratur : Ipsi fuerunt re- *Job* XXIV, 13, 12.
belles lumini ; nescierunt vias Dei, et Deus
inultum abire non patitur. Cetera satis ex-
posita sunt.

Ecce ex psalmo isto didicimus quanta
Christus sustinuit, et quanta oportet nos
ejus exemplo perferre, quum non sit ser- *Joann.* XIII, 16.
vus major domino suo. Studeamus igitur
in sæculo isto omnia dura et aspera pro
Christi amore gaudenter portare, pensan-
tes illud Apostoli : Fidelis sermo : nam si *II Tim.* II, 11, 12.
commortui sumus, et convivemus ; si sus-
tinemus, et conregnabimus.

Digitized by Google

PRECATIO.

Omnipotentiam tuam supplices exoramus, qui es ante sæcula, Deus, ut orationem
A nostram exaudias, ac deprecationem nostram ne despicias : ut qui te salvantem nos exspectamus, liberes nos a pusillanimitate spiritus, et omni vitæ et animæ tempestate.

ARTICULUS X

EXPLANATIO DE CHRISTO PSALMI QUINQUAGESIMI QUINTI : MISERERE MEI, DEUS, QUONIAM CONCULCAVIT, ETC.

HABET autem psalmus jam declarandus
1 hunc titulum : *In finem, in carminibus, pro populo qui longe factus est a sanctis, in tituli inscriptione ipsi David, quum tenerent eum allophyli in Geth.* Hunc psalmum quidam ad litteram exponunt de David. Communiter autem exponitur de ipsa Ecclesia, seu quolibet fideli multipliciter tribulato. Sed quoniam Christus omnium Prophetarum opus * est, debemus (quantum fieri potest) psalmos omnesque Scripturas propheticas de Christo exponere : quia de eo loqui dulcius est, fructuosius, magisque instructivum. Sic igitur exponendo hunc psalmum, sensus tituli est : *Ipsi David,* id est psalmus iste Christo per David significato conveniens, et *in finem* ultimum, qui est vita æterna, nos dirigens, *in carminibus,* ita ut Deo in omnibus gratiarum actio referatur, scriptus et editus est *pro populo,* id est de populo vel contra populum, *qui longe factus est,* non loco et spatio, sed carendo fide et gratia, *a sanctis,* id est Christifidelibus, *in tituli inscriptione* quem posuit Pilatus super caput Christi crucifixi, id est contra Judæos qui titulum istum negaverunt, dicentes Pilato : Noli scribere, Rex Judæorum ; sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum; *quum tenerent eum,* scilicet Christum, *allophyli,* id est gentiles ministri Pilati, quorum quatuor Christum patibulo appenderunt; *in Geth,* id est in pressura passionis seu crucis. Per allophylos quo-

* scopus

Joann. XIX, 21.

B que intelligi possunt ipsi Judæi : quia quemadmodum allophyli seu Palæstini aut Philistæi comprehenderunt David in Geth, perducentes eum ad Achis regem suum ut occideretur ; ita Judæi comprehenderunt Jesum, et vinctum tradiderunt Pontio Pilato ut interficeret eum. Hocque fecerunt in Geth, quod interpretatur pressura, id est in Jerusalem, cui in Evangelio ait Salvator : Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas ; et denuo, Non capit perire Prophetam extra Jerusalem.

I Reg. XXI, 10-15. Matth. XXVII, 1, 2. Ibid. XXIII, 37. Luc. XIII, 33.

C CHRISTUS igitur passioni jam appropinquans, secundum quod homo passibilis ait ad Deum Patrem : (1) *Miserere* 2
mei, Deus, liberando me non a miseriis culpæ, sed pœnæ, id est, de morte et passibili statu transfer me per resurrectionem beatam ad immortalem vitam ac impassibilem statum. Ideo autem oro ut mihi sis misericors, *quoniam conculcavit me homo,* id est Judas proditor : de quo superius dictum est, Homo pacis meæ, in quo
D speravi, magnificavit super me supplantationem. Hic, inquam, conculcavit me verbis malignis, et ad conculcandum me vendidit ac prodidit. *Tota die,* videlicet feria quarta, qua vendidit me, seu quinta, qua tradidit me ipsa nocte, *impugnans* me occulte, scilicet detrahendo, aliosque ad me impugnandum inducendo, *tribulavit me :* quia, ut in præcedentis psalmi elucidatione innotuit, tanto fuit persecutio

Ps. XL, 10. Matth. XXVI, 14-16; 46-50. Ps. LIV, 13-15.

Digitized by Google

Judæ Christo pœnalior, quanto Judas Chri-
sto familiarior exstitit. Quum enim Chri-
stus justissimus fuerit, tanto peccatum
Judæ ac Judæorum amplius sibi displicuit,
quanto illi injustius contra eum fecerunt:
et ista displicentia sancta ac justa, tribula-
tio Christi vocatur. Credendum est quo-
que, quod Christus, tanquam piissimus,
Judæ frequenter condoluit, potissimum
passione instante.

Alia expositio. Vel sic: *Conculcavit me homo,* id est
hominum multitudo, videlicet Judæi atque
ministri Pilati. Sæpe enim in sacra Scri-
ptura ponitur singulare pro plurali: quem-
admodum dixit Judas Simeoni fratri suo,
Judic. I, 3. Veni mecum in sortem meam: ubi per
Judam et Simeonem intelliguntur tribus
seu populi ex Juda et Simeone progeniti.
Et in Exodo Dominus ait ad Pharaonem,
Exod. IV, 23. Dimitte filium meum, ut sacrificet mihi
in deserto: ubi per filium intelliguntur
filii Israel. Hi ergo conculcaverunt Filium
Dei, pro nihilo eum reputantes, opprimen-
tes, et forte etiam corporalibus pedibus
eumdem suppeditantes: præsertim in no-
Luc. XXII, 63-65. cte qua viri qui tenebant eum illudebant
ei, cædentes conspuentesque eum. Irreve-
rentissime namque eum tractabant, ejus-
Job XVI, 11. que pœnis se satiabant *tota die* Parasce-
ves. *Impugnans* verbis atque verberibus,
tribulavit me usque ad mortem homo
prædictus, id est homines impii. De quibus
apertius subditur:

3 (2) *Conculcaverunt me:* secundum mo-
Ps. CVIII, 5. dum jam dictum; *inimici mei,* qui posu-
erunt adversum me mala pro bonis, et
odium pro dilectione mea, *tota die* præfa-
ta; vel, Tota die, id est toto tempore quo
prædicando et miracula perpetrando inter
eos conversabar. A principio enim quo
Matth. IX, 3, 11, 14, 34; XI, 19; XII, 2, 10, 14, 24; XV, 1, 2, 12; XVI, 1; XXI, 15, 16, 23, 46; XXII, 15-17, 23-28, 34-36. Christus prædicare exorsus est, adversa-
bantur ei Judæi, sicut ex evangelica liquet
historia. *Quoniam multi bellantes adver-
sum me,* scilicet principes sacerdotum cum
suis fautoribus; sed ego per patientiam
vici eos. Propter quod superius de me le-
Ps. XXIII, 8. gitur: Dominus fortis et potens, Dominus
potens in prælio. Hinc quoque Christus

A apud Jeremiam: Audivi, inquit, contume- *Jer.* XX, 10.
lias multorum, et terrorem in circuitu per-
sequentium.

(3) *Ab altitudine diei timebo.* Dum ali- 4
quis magna tormenta certa die passurus
est, dicitur timere illam diem; et quanto
in aliqua hora diei duriora se prænoscit
passurum, tanto horam illam amplius for-
midare asseritur. Passiò autem Christi, ab
hora noctis qua capiebatur incipiens, et
usque ad horam nonam perdurans, conti-
nuo augebatur et crevit. Idcirco, eo modo
B quo Christus passionem sibi instantem na-
turali affectu abhorruit, etiam diem pas-
sionis suæ timebat: et tanto amplius, quo
dies illa magis ascendit versus meridiem,
quoniam graviora sibi instabant supplicia
secundum diei ascensum. Propterea maxi-
me timuit altitudinem diei, in qua præ
inæstimabili pœna clamavit: Deus meus, *Matth.* XXVII, 46.
Deus meus, ut quid dereliquisti me? Unde *Luc.* XXII,
et sudor ejus factus est, sicut guttæ san- 44.
guinis decurrentis in terram. Sed timor
iste fuit in Christo, tempore trinæ orati-
C onis antequam caperetur. *Ego vero in te*
Deo Patre meo *sperabo,* confidens me con-
servandum, et resuscitandum, ac glorifi-
candum a te. (4) *In Deo laudabo sermones* 5
meos. Hoc est quod Christus in Evangelio
testatur: Mea doctrina non est mea, sed *Joann.* VII,
ejus qui misit me. Et iterum: Qui a semet- 16. *Ibid.* 18.
ipso loquitur, gloriam propriam quærit;
qui autem quærit gloriam ejus qui misit
eum, hic verax est. *In Deo speravi,* ideo
non timebo inordinato pavore, *quid faciat*
mihi caro, id est Judæus aut quilibet alius.
D Quamvis enim Christus ad horam time-
bat, passione instante, tamen, sicut hunc
timorem ex deliberatione rationis assum-
psit, sic eum imperio ejusdem cessare fe-
cit. Unde et intrepidus hostibus obviavit,
et dixit: Quem quæritis? *Ibid.* XVIII, 4, 7.

(5) *Tota die* passionis meæ, vel totis die- 6
bus prædicationis meæ, *verba mea exsecra-
bantur,* id est, a Judæis contemnebantur, et
male interpretabantur. Dixerunt enim, ut
legitur apud Matthæum, Blasphemavit; *Matth.*
et, Reus est mortis; atque apud Joannem, XXVI, 65, 66.

Digitized by Google

Joann. IX, 16. Non est hic homo a Deo, qui sabbatum A
non custodit. Hoc est quod per Amos de
Amos V, 10. Judæis inducitur : Odio habuerunt corri-
pientem, et loquentem perfecte abominati
Joann. VII, 7. sunt. Ideo namque et Christus dicit : Me
odit mundus, quia ego testimonium perhi-
beo de illo quoniam opera ejus mala sunt.
*Adversum me omnes cogitationes eorum
in malum,* videlicet ut me false accusent,
7 atque injuste occidant. (6) *Inhabitabunt :*
id est, inhabitaverunt infideles Judæi me-
cum et cum discipulis meis in Synago-
ga, seu domo Domini, quantum ad fidem, B
quia dicebant se Deum colere, et Christum
regem exspectare : sicque per fidem in-
formem cum credentibus in Deum habi-
taverunt in Synagoga ; *et abscondent,* id
est, occulte mihi insidiati sunt, tentan-
tes me verbis dolosis. *Ipsi calcaneum me-
um observabunt,* id est, opera mea explo-
rabant, quatenus occasionem contra me
reperirent. Propter quod scriptum est :
Marc. III, 2. Observabant Judæi si sabbatis curaret, ut
accusarent eum.

8 (7) *Sicut sustinuerunt animam meam pro* C
nihilo, id est, sicut me vilipendebant, et
vitam meam exspectabant, quatenus eam
pro nihilo, id est, ac si nihil nulliusque
reputationis exsisteret, perderent, non ar-
bitrantes esse peccatum occidere me ; *sal-
vos facies illos :* quasi dicat, Non. Ac si
dicat : Quam veraciter bene fecerunt, me
taliter persequentes, tam vere eos salva-
bis. Ideo addit : *In ira populos confrin-
ges :* id est, per vindictam divinæ justitiæ,
incredulos meque persequentes Judæos
impœnitentes totaliter destrues, quantum D
ad esse gratiæ et gloriæ, non dando eis
aliquod meritorium esse, et etiam in hac
vita eos comminuendo, dispergendo, ac
humiliando. Hinc enim de eis apud Osee
Osee IX, 16. dicitur : Radix eorum exsiccata est ; fru-
ctum nequaquam facient. Et per Isaiam
Is. LXIII, 3, 6. Christus de eis locutus est : Calcavi eos in
furore meo, et conculcavi eos in ira mea.

9 (8) *Deus, vitam meam annuntiavi tibi :*
id est, ad honorem et gloriam nominis tui
professus sum aliis conversationis meæ
sanctitatem, et omnia quæ feci, coram te
feci, et tibi adscripsi. Hoc modo Christus
vitam suam Deo Patri annuntiavit, dum
asseruit : Diligo Patrem, et sicut manda- Joann. XIV, 31.
tum dedit mihi Pater, sic facio ; et alibi,
Ego quæ placita sunt ei (scilicet Patri Ibid. VIII, 29.
meo) facio semper. Et in Luca quoque, al-
legans impletum in se quod prædictum Luc. IV, 18-21.
fuit per Isaiam : Spiritus, ait, Domini su- Is. LXI, 1.
per me, eo quod unxerit me ; ad annun-
tiandum mansuetis misit me, ut mederer
contritos corde. *Posuisti lacrimas meas in
conspectu tuo,* id est, acceptas eas habu-
isti, idque pro quo lacrimas fudi, imple-
sti. Unde ait Apostolus : Cum clamore va- Hebr. V, 7.
lido et lacrimis preces offerens, exauditus
est pro sua reverentia. In resuscitatione
insuper Lazari lacrimatus est Jesus, et ait: Joann. XI, 35.
Gratias ago tibi, Pater, quoniam audisti Ibid. 41.
me. (9) *Sicut et in promissione tua,* id est,
sicut per Prophetas dixisti. Hoc enim præ-
dictum est, quod lacrimas meas ac preces
acceptas haberes, dicente te de me per
beatum Isaiam prophetam : Ecce servus Is. XLII, 1.
meus, suscipiam eum ; electus meus, com-
placuit sibi in illo anima mea. *Tunc,* id 10
est, quum me exaudieris suscitando me a
mortuis, *convertentur inimici mei,* puta
Judæi, *retrorsum,* recedendo a te, et non
credendo in me, sicut apud Jeremiam pro-
phetam de eis testatus es : Verterunt ad Jer. II, 27.
me tergum, et non faciem. De quibus alibi
legitur : Post hebdomades sexaginta duas Dan. IX, 26.
occidetur Christus ; et non erit ejus popu-
lus qui eum negaturus est, id est Judæi
qui dixerunt, Non habemus regem nisi Cæ- Joann. XIX, 15.
sarem.

(10) *In quacumque die invocavero te,*
orando pro me ipso aut corpore mystico,
ecce cognovi, per experientiam, seu expe-
rimentalem exauditionem, *quoniam Deus
meus es* specialissimo modo, ubique et sem-
per regens atque exaudiens me. (11) *In* 11
*Deo laudabo verbum, in Domino laudabo
sermonem.* Unum exponit aliud : id est,
quidquid dico aut prædico, ad Deum fi-
naliter referam, ejusque illuminationi ad-
scribam, nec propriam gloriam quæram.

Digitized by Google

Joann. v, 41. Propterea Christus dixit : Claritatem ab A
Ibid. viii, 50. hominibus non accipio ; et alias, Ego non
quæro gloriam meam. *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo* mihi injuste repugnans.

12 (12) *In me sunt, Deus, vota tua,* id est, in corde meo sunt sancta desideria mihi a te infusa, per quæ tuum honorem hominumque salutem desidero; *quæ reddam laudationes tibi,* id est, quæ offeram tibi tanquam sacrificium laudis ac laudandi materiam. Per sancta enim desideria Deus
13 laudatur et honoratur. (13) *Quoniam eripuisti animam meam de morte* in die resurrectionis, uniendo eam corpori, a quo per mortem exstitit separata; *et pedes meos de lapsu :* id est, omnes operationes meas gratia præveniente præservasti a ruina peccati, ita ut nunquam cecidi, sed tibi placentia incessabiliter egi. Et hoc ideo tu fecisti, ego quoque idcirco hæc ad gloriam tuam profiteor, *ut placeam coram Deo in lumine viventium,* id est, ut tibi complaceam, et in te, et non in me, complacentiam habeam : placeam, inquam, coram te, in lumine viventium, id est in splendidissima patria Beatorum, ubi coram Deo adsisto interpellans pro mundo : quemadmodum ad Hebræos inducit Apostolus,
Non in manufacta sancta Jesus introiit, Hebr. ix, 24.
sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Christus igitur sibi in se non placuit, sed in Deo, id est in se ipso, secundum B quod Deus fuit, vel in Deo Patre ac sancta Trinitate. Et quomodo ergo nos miseri, tam vanissimi atque stultissimi unquam efficimur, ut placeamus nobismetipsis, alios contemnendo, atque in nobis gloriando? Advertamus admonitionem S. Pau-
li : Debemus, inquit, nos firmiores, im- Rom. xv, 1, 3.
becillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Etenim Christus non sibi placuit.

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO MORALIS EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI QUINTI

TROPOLOGICE denique exponendo hunc C psalmum, præinductus titulus sic in-
1 telligendus est : *In finem,* id est psalmus iste in Christum nos dirigens, scriptus *pro populo qui longe factus est a sanctis,* id est, qui vita et moribus discordat ab electis, *in tituli inscriptione :* quia titulum
Luc. xxiii, 38. crucifixi, videlicet, Hic est rex Judæorum,
quem sancti fide et opere venerantur, ipsi vel vita reproba, vel mente incredula negant. Psalmus, inquam, *ipsi David,* id est conveniens Ecclesiæ, seu fideli per David figurato, *quum tenerent eum allophyli in* D *Geth,* id est, quum undique vallarent alienigenæ a caritate et fide formata ipsam Ecclesiam seu quemlibet Christianum, tribulationibus, tentationibus atque pressuris.

Ecclesia ergo, quæ modo adversitatibus velut in torculari comprimitur, quilibetque fidelis persecutionibus multis circum-
datus, clamet ad Deum : *Miserere mei,* 2
Deus, id est, tu, creator, gubernator, salvator, judexque meus, qui naturaliter pius es, et totus misericors, mihi misero condole, non pœnalem affectum habendo, sed clementer atque celeriter succurrendo. Vehementer namque indigeo, *quoniam conculcavit me homo* detractor, læsor, animarum corruptor, caritatis persecutor, innocentiæ adversator, pede elationis contumeliose me opprimens. De quo pede
superius dictum est : Non veniat mihi pes Ps. xxxv, 12.
superbiæ. *Conculcaverunt me inimici mei* 3
domestici et extranei, visibiles et invisibi-

Digitized by Google

les, occulti et manifesti, *tota die* naturali, A id est tempore diurno atque nocturno, tentando, aspernando, aut simili modo adversando. *Quoniam multi* sunt *bellantes adversum me,* qui me a te conantur avertere, et ad vitia inclinare. Pugnant enim contra nos mundus, id est homines sæculares, ut pervertamur cum perversis; caro, id est passiones seu motus sensualitatis, quatenus hominem a medio rectæ rationis abducant; et dæmones. De quibus ait Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus prin- B cipatus et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Quod intelligendum non est, quasi non sit nobis aliqua colluctatio contra carnem et sanguinem, quum dicat Apostolus, Si secundum carnem vixeritis, moriemini; et rursus, Quicumque sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Sed hoc ideo dictum est, quia non est nobis colluctatio contra carnem et sanguinem tantum aut principaliter.

Ephes. vi, 12. Rom. viii, 13. Galat. v, 24.

4 *Ab altitudine diei timebo,* id est, ab C ascensu seu processu temporis mihi concessi, formidabo propter pericula mihi instantia. Quo enim diutius vivo, eo frequentius pecco, præsertim quum justus septies cadat in die : idcirco tempus futurum timeo, quia dies mali sunt, eo quod sæpius peccet homo in eis. Vel sic : Ab altitudine diei cujuslibet artificialis, quo victurus sum, timebo : quoniam plures peccandi occasiones occurrunt in die, quam in nocte, præsertim die in altum ascendente. De mane enim est homo ad devotionem D habilior, sed circa meridiem obviant corporis gravissimæ necessitudines, quia cibo potuque egemus : quibus acceptis, est homo ad devotionem ineptior. Propterea hanc horam timent devoti, videlicet ne graventur corda eorum crapula, aut ebrietate : ideoque accedunt ad mensam velut ad carcerem.

Prov. xxiv, 16. Ephes. v, 16. Luc. xxi, 34.

Ego vero in te sperabo : id est, quamvis tot malis circumdatus sim, non tamen despero; sed in te incessanter confido quod non succumbam aut vincar, sed in nomine tuo prævaleam, verissime scriptum sciens, Major est qui in vobis est, quam qui in mundo; et dicente beatissimo Eliseo : Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cum illis namque est brachium carneum, nobiscum autem est Dominus Deus noster. Unde et per Osee dicitur : Misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.

I Joann. iv, 4. IV Reg. vi, 16. II Par. xxxii, 8. Osee xii, 6.

In Deo laudabo sermones meos, ad ejus 5
honorem eos ordinando, nec in vana philosophia, sterili eloquentia, sermone rhetorico, verbo præsumptuoso, malo et garrulo, gloriabor; sed in verbo confessionis, orationis, divinæque laudis lætabor. *In Deo speravi, non timebo* de cetero, timore dejiciente et inordinato, *quid faciat mihi caro,* id est homo carnalis. Non enim timebo eos qui corpus occidunt : quin imo tribulationem tanquam donum Dei recipiam, amplexabor, et hilariter feram, recolens illud Apostoli : Vobis datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro illo.

Coloss. ii, 8. Matth. x, 28. Philipp. i, 29.

Tota die verba mea exsecrabantur. Hoc 6
est quod ait Apostolus : Maledicimur, et benedicimus. Propter quod etiam Christus ait discipulis suis : Si me persecuti sunt, et vos persequentur. Contemnunt enim atque vituperant impii verba justorum; et sicut Job dicit, Deridetur justi simplicitas. *Adversum me omnes cogitationes eorum,* videlicet hæreticorum, schismaticorum et perversorum, sunt *in malum,* ut mihi contrarientur ac noceant, malaque pœnæ et culpæ infligant. *Inhabitabunt* mecum in 7
Ecclesia militanti, in qua boni et mali miscentur, vel in terra ac sæculo isto, prædicti adversarii mei; *et abscondent,* id est, fraudulenter et clam nocere nitentur. De talibus siquidem Christus præmonuit : Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces; et iterum, Inimici hominis domestici ejus. *Ipsi calcaneum meum observabunt,* id est, opera mea explorabunt, non ut imitentur, sed ut cri-

I Cor. iv, 12. Joann. xv, 20. Job xii, 4. Matth. vii, 15. Mich. vii, 6.

Digitized by Google

minentur : quemadmodum ad Galatas ait
Galat. II, 4. Apostolus, Subintroducti falsi fratres, qui
introierunt explorare libertatem nostram,
quam habemus in Christo Jesu. Unde su-
Ps. XXXVI, 12. perius quoque præhabitum est : Obser-
vabit peccator justum, et stridebit super
eum dentibus suis.

Sicut sustinuerunt impii *animam meam*
8 *pro nihilo,* eam spernendo, scandalizando,
aut persequendo, *salvos facies illos :* id
est, non salvabis eos, propter peccata com-
Luc. XIII, 5. missa in me ; imo, nisi pœnitentiam ege-
rint, æternaliter eos damnabis, sicut me-
rentur. Aliqui autem exponunt istud in
bono, ut sit sensus : Sicut sustinuerunt
animam meam ad perdendum eam, pro
nihilo, id est gratis et sine eorum merito,
salvos facies eos. *In ira populos confrin-
ges,* ulciscendo eorum malitiam, eosque
damnando. Vel, In ira tuæ paternæ disci-
plinæ, populos peccatores confringes, de-
primendo eorum superbiam, et vitia ex-
stirpando : quemadmodum in Isaia legitur,
Is. II, 17. Incurvabitur sublimitas hominum, et hu-
miliabitur altitudo virorum.

9 *Deus, vitam meam annuntiavi tibi,* seu
tuo vicario, scilicet sacerdoti, humiliter
confitendo mea peccata, et tibi attribuen-
Joann. III, 20, 21. do opera bona. Scriptum est enim : Omnis
qui male agit, odit lucem, et non venit ad
lucem, ut non arguantur opera ejus ; qui
autem facit veritatem, venit ad lucem, ut
manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt
facta. Ideo quoque superius dictum est :
Ps. XXXVI, 5. Revela Domino viam tuam. *Posuisti lacri-
mas meas,* quas pro peccatorum indulgen-
tia, seu gloriæ dilatione, aut simili pia
causa effudi, *in conspectu tuo,* habendo
eas acceptas, atque pro eis mihi reservans
præmium in futuro. Hinc Dominus ad Eze-
IV Reg. XX, 5. chiam : Audivi (inquit) orationem tuam,
Thren. III, 56. vidi lacrimas tuas. Et Jeremias orat : Ne
avertas aurem tuam a singultu meo. *Sicut
et in promissione tua :* promisit enim Deus
se exauditurum suspiria, desideria, orati-
10 ones et lacrimas suorum fidelium. *Tunc
convertentur inimici mei retrorsum :* id
est, quum me supplicantem audieris, ini-

A mici mei visibiles invisibilesque deficient.
Unde et B. Jacobus : Resistite (ait) diabolo, Jacob. IV, 7.
et fugiet a vobis. *In quacumque die invo-
cavero te* invocatione interna, affectuosa, et
stabili, *ecce cognovi,* per receptionem pie-
tatis tuæ et gratiæ, seu effectum precis
devotæ, *quoniam Deus meus es,* id est,
quod specialiter sis Deus meus, providens
mihi et diligens me. Hinc enim Christus
affirmat : Amen dico vobis, si quid petie- Joann. XVI, 23, 24.
ritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum
B sit plenum.

In me sunt, Deus, vota tua, id est pro- 12
missiones seu affectus quibus obligavi me
tibi serviturum, et quibus te honorare de-
sidero. Hæc autem vota sunt tua, id est
tibi placentia, et mea, quoniam mihi a te
sunt collata. *Quæ reddam laudationes ti-
bi,* ea implendo, sicque per vitam bonam
te collaudando. Dum enim promissa im-
plemus, piosque affectus ad effectum per-
ducimus, Deum laudamus, et sacrificium
justitiæ immolamus. *Quoniam eripuisti* 13
C *animam meam de morte* æterna et infer-
nali, sanguinem tuum pro me fundendo ;
de morte quoque peccati mortalis, indul-
gentiam conferendo ; et vivificasti animam
meam, caritatem et gratiam influendo. *Et
pedes meos,* id est affectus meos et opera,
eripuisti *de lapsu,* id est a ruina peccati,
dirigendo cor meum ac opera secundum
tenorem legis divinæ, quemadmodum de
populo tuo per Prophetam testaris : Ego Osee XI, 3.
quasi nutricius Ephraim, portavi eos in
brachiis meis. Hæc autem ideo mihi feci-
D sti, *ut placeam coram Deo,* quando ad
Christi tribunal perductus fuero, salvus-
que fiam, *in lumine viventium,* id est in
regione vivorum, et in lumine gloriæ, illud
divinitus participando. De quo lumine su-
perius dictum est : In lumine tuo videbi- Ps. XXXV, 10.
mus lumen. Et beatus Job scribit : Num- Job XXV, 3.
quid est numerus militum Dei ? Et super
quem non splendet lumen ipsius ?

Ecce psalmum vere affectuosum audi-
vimus : in quo primo Christi atque justo-
rum tribulationes commemorantur ; deinde

Digitized by Google

mens in Deo per spem confortatur, beneficia Dei ad memoriam reducuntur. Impleamus igitur psalmi præsentis doctrinam, in omni tribulatione ad Deum suppliciter confugiendo, spem veram in ipso excitando, corque magnanime et imperterritum assumendo, vitam nostram Domino annuntiando, sermones nostros ad ipsius gloriam ordinando, vota promissionum ac desideriorum ei reddendo, ejusque beneficia intime recolendo, quatenus ei soli in futuro, et non alicui in hoc mundo, placere optemus.

PRECATIO.

Pone, Domine, lacrimas nostras in conspectu tuo, et erue pedes nostros a lapsu desperato : ut caute ambulantes, Verbum tibi consubstantiale Dominum Christum rite laudemus, et per eum in regione viventium tibi placeamus.

ARTICULUS XII

EXPLANATIO DE CHRISTO PSALMI QUINQUAGESIMI SEXTI : MISERERE MEI, DEUS, MISERERE MEI.

1 Titulus psalmi istius : *In finem, ne disperdas David, in tituli inscriptione, quum fugeret a facie Saul in speluncam.* Primo libro Regum legitur sanctus David a facie Saul bis in speluncam fugisse : primo, in
I *Reg.* xxii, 1. speluncam Odollam ; secundo, in speluncam in quam descendit etiam Saul ut ven-
Ibid. xxiv, 4, 5, 8. trem purgaret : in qua abscidit David summitatem chlamydis Saul, prohibuitque Abisai ne Saulem occideret. Ab hac autem fuga intitulatur hic psalmus : qui licet exponi posset de David, sicut in sequenti expositione de quolibet justo exponetur, convenientius tamen de Christo per David significato exponitur, præsertim quum David non legatur titulum erexisse. Est itaque sensus tituli hujus : *In finem,* id est psalmus iste in Christum nos erigens, *ne disperdas David,* id est, ne Christum neges verbo aut facto regem ac Dominum omnium, sicut significabatur *in tituli inscriptione,* qua scripsit Pilatus
Luc. xxiii, 38. de Christo, Hic est rex Judæorum ; *quum fugeret* David *a facie Saul,* id est, quum Christus a Judæorum cognitione recessit, illisque se abscondit in spelunca, id est in carne sua mortali, in qua ejus divinitas latuit, incredulisque se Judæis abscondit.

Christus itaque passioni jam proximus, ex parte hominis assumpti adhuc
mortalis, et mortem naturaliter abhorren-
tis, orat ad Patrem : (1) *Miserere mei, Deus,* 2
ab hoc passibili statu ad immortalem sta-
tum me transferendo, *miserere mei* oran-
tis pro corpore meo mystico, ut fructum
passionis meæ consequatur ; *quoniam in
te confidit anima mea :* id est, in tua bo-
nitate ego spero, secundum quod homo
passibilis, et viator aliquo modo, non ut
Deus et comprehensor. (2) *Et in umbra
alarum tuarum,* id est in defensione ac
ope misericordiæ atque potentiæ tuæ, *spe-
rabo, donec transeat iniquitas,* id est, do-
nec finem accipiat malitia Judæorum ad-
versum me, scilicet quamdiu in hac vita
vivo mortalis. Christus enim semper a Deo
protectus est, nec aliquid ei nocere vale-
bant Judæi donec ipsemet voluit. (3) *Cla-* 3
mabo, id est, passione instante, mente et
ore orans clamavi, *ad Deum altissimum :*
sicut fatetur Apostolus, Cum clamore va- *Hebr.* v, 7.
lido et lacrimis Christus preces fudit ad
Deum ; *Deum qui benefecit mihi,* id est,
multa mihi beneficia contulit, pie exau-
divit, omnique virtute et dono ac gratia
Spiritus Sancti replevit, quantum capere

potuit natura creata, a principio creatio- A
Joann. III, 34. nis et conceptionis meæ humanitatis. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum homini Christo.

4 (4) *Misit de cœlo, et liberavit me :* id est, Deus Pater desuper adjutorium mihi
Luc. XXII, 43. impendit, et angelum confortantem me misit, et de manibus Judæorum in die resurrectionis me penitus eripuit. *Dedit in opprobrium conculcantes me,* id est, persecutores crucifixoresque meos confudit, confusione dignos ostendit, contemptibiles fecit in præsenti et in futuro, privans eos B propria terra, omnique gratia : sicut de
Jer. XVII, 18. eis apud Jeremiam prædictum est, Induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione contere eos, Domine Deus noster;
Dan. IX, 26. et apud Danielem, Civitatem et sanctuarium (id est habitatores Jerusalem qui Christum occiderunt, et templum) dissipabit populus cum duce venturo, id est exercitus Romanorum cum Tito. (5) *Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam,* id est, effectum suæ misericordiæ atque justitiæ effudit super me : quia in C omni opere Dei commiscentur misericordia et justitia. Misit autem Deus misericordiam suam, dum animam Christi tam
Ps. XX, 4. gratiose in omni benedictione prævenit; et veritatem, quando eam, sicut per Prophetas prædixit, inseparabiliter corpori re-
5 univit. Ideo subditur : *Et eripuit animam meam,* in die resurrectionis, *de medio catulorum leonum,* id est de multitudine superborum atque ferocium Judæorum, ad immortalem statum me suscitans. *Dormivi,* in morte et monumento, *conturbatus,* id est conculcatus, oppressus, occisus. D

(6) *Filii hominum,* non filii Dei, videlicet prædicti adversarii mei, *dentes eorum arma et sagittæ,* id est, similes sunt armis, itemque sagittis : quia quemadmodum aliquis per arma impugnatur, et per sagittam læditur; sic Judæi verbis, quæ ore et dentibus formantur, me impugnabant ac lædi
Joann. XVIII, 30. procurabant, Pilato dicentes : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. *Et lingua eorum gladius acutus :* quia clamabant, Tolle, tolle, crucifige *Joann.* XIX, 15.
eum. Propterea scriptum est, Sagitta vulnerans lingua eorum. *Jer.* IX, 8.

Deinde Propheta Christum sic conculcatum et passum conspiciens, ejus resurrectionem, ascensionem et glorificationem
desiderans : (7) *Exaltare,* inquit, *super cœlos, Deus,* id est, tu, Christe, verus Deus, 6
super omnes cœlos ascende : sicut ait Apostolus, Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos. *Et in omni terra gloria tua,* id est, per totum mundum prædicetur excellentia tua, manifestetur potentia tua, et notitia tua hominibus reveletur : secundum quod apud Isaiam legitur : In doctrinis glorificate Dominum in insulis maris; a finibus terræ audivimus laudes, gloriam Justi. Unde post resurrectionem Christus ait discipulis : Eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. *Ephes.* IV, 10. *Is.* XXIV, 15, 16. *Act.* I, 8.

(8) *Laqueum* mortis, id est insidias oc- 7
cidendi, *paraverunt* Judæi *pedibus meis,* id est mihi ipsi; *et incurvaverunt,* id est, humiliaverunt et persecuti sunt, *animam meam,* calumniando ac detrahendo verbis, operibus atque miraculis meis, dicentes, Seducit turbas; et, Homo vorax; et, In Beelzebub ejicit dæmones. Vel, Incurvaverunt animam meam, id est, a via justitiæ et ab ipsa veritate eam conabantur deflectere adulando, dicentes : Magister, scimus quia verax es. (9) *Foderunt ante faciem meam foveam :* id est, mortis devorationem seu crucis passionem mihi aperte præparaverunt; *et inciderunt in eam :* quia me interficiendo meruerunt a Romanis occidi, æternaliterque damnari. Qui enim alteri nocere disponit, primo se ipsum interimit, juxta illud : Propter malitiam tuam circumdatus es laqueis, et conturbat te formido subita. *Joann.* VII, 12. *Matth.* XI, 19. *Luc.* XI, 15. *Matth.* XXII, 16. *Job* XXII, 5, 10.

(10) *Paratum cor meum, Deus, paratum* 8
cor meum ad agendum et sustinendum quæcumque tibi placita sunt, et humanæ redemptioni necessaria. Et hoc est quod Christus ait ad Patrem : Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu; et iterum, *Matth.* XXVI, 39.

Digitized by Google

Joann. xviii, 11. Calicem quem dedit mihi Pater, non bi- A
Ibid. vi, 38. bam illum? Descendi enim (inquit) de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. *Cantabo, et psalmum dicam,* id est, verbo et opere te laudabo, et gratias referam. Psalmus enim
9 bonam operationem designat. (11) *Exsurge, gloria mea,* id est, dignitas gratiæ, omnisque excellentia meæ humanitati collata, appare, et hominibus manifestare per prædicationem Apostolorum atque credentium, quatenus sciant gloriam mihi divinitus datam. Sic quoque, *exsurge, psalterium,* id est doctrina mea evangelica, qua Dei insignia docui: quæ doctrina ad instar psalterii suaviter sonat; *et cithara,* id est doctrina mea moralis et vita exemplaris ac passio mortis, videlicet ut doctrina mea et vita ac passio ad hominum agnitionem exsurgant, easque credendo assequi studeant. Hinc enim apud Isaiam prophetam
Is. lxvi, 19. Christus ait: Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, et annuntiabunt gloriam meam gentibus. *Exsurgam* de clauso sepulcro, *diluculo,* id est valde mane: juxta C
Marc. xvi, 9. illud, Surgens Jesus mane prima sabbati.
10 (12) *Confitebor tibi* confessione laudis, *in populis, Domine,* scilicet in Judæis, quibus per me ipsum prædicavi, teque laudavi et honoravi; *et psalmum,* id est laudem bonæ operationi conjunctam, *dicam tibi,* id est ad nominis tui honorem, *in gentibus* ad fidem conversis. Christus enim in mundo conversans, etiam quibusdam gentibus prædicasse ostenditur ex evangelica relatione, sicut dum ibat per
Matth. xv, 21. Tyrum et Sidonem. Quidam quoque genti- D les veniebant inter Judæos ad ejus prædicationem, secundum quod in Evangelio Joannis apostoli scribitur, quod quidam gentilium qui simul ascenderant in Jeru-
Joann. xii, 21. salem, dixerunt ad Philippum: Domine, volumus Jesum videre. Verum, quoniam Christus raro et parum gentilibus prædicavit, et quod modicum est pro nihilo reputatur, secundum Philosophum; idcirco istis non obviat quod Christus asseruit, Non sum missus nisi ad oves quæ peri- Matth. xv, 24.
erunt domus Israel. Ideo quod Christus nunc dicit, Psalmum dicam tibi in gentibus, magis per discipulos quam per se ipsum effecit. Illis enim quibus ante passionem dixit, In viam gentium ne abieritis; Ibid. x, 5.
post resurrectionem locutus est, Prædicate Marc. xvi, 15.
Evangelium omni creaturæ; et iterum, Euntes docete omnes gentes. Matth. xxviii, 19.

Ideo autem, o Domine, confitebor tibi, B
(13) *Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua,* id est, quia misericordiæ tuæ effectus magnus factus est, pertingendo a terra usque ad cives cœlestes, quoniam per gratiam tuam homines peccatores convertuntur, atque ad angelorum consortium perducuntur. In futura Ibid. xxii, 30. 11
siquidem resurrectione, nec nubent, neque nubentur; sed erunt tanquam angeli Dei. *Et usque ad nubes veritas tua:* id est, veritatis et sapientiæ tuæ illuminatio magna facta est, pertingens usque ad sanctos Apostolos, divinique verbi prædicatores atque doctores: qui nomine nubium intelliguntur, quia a sole justitiæ et fonte sapientiæ Domino Jesu Christo prius ac plenius illustrati sunt, quam ceteri homines in terra morantes, quemadmodum nubes aeris prius recipiunt radios solis, quam terra. Dicuntur quoque Apostoli et doctores, nubes: quia de eis velut de nubibus Deus tonat mandatis, fulgurat signis, et pluit salutaribus documentis. De his namque scriptum est: Qui sunt isti qui ut nu- Is. lx, 8.
bes volant? Et rursus: Assument pennas Ibid. xl, 31.
ut aquilæ; current, et non laborabunt; volabunt, et non deficient.

(14) *Exaltare super cœlos, Deus,* etc. Versus iste, qui jam videtur satis elucidatus, repetitur, propter sententiæ suæ dignitatem, et quia Christi exaltatio, omnium præcedentium actionum et passionum ejus finis censetur. 12

Digitized by Google

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO TROPOLOGICA SEU MORALIS EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI SEXTI.

DENIQUE, juxta tropologicum sensum, A
per David fugientem a Saul in spe-
luncam, intelligitur quilibet Christianus a
tentante et persequente mundo seu dæmo-
ne fugiens ad Christum, atque in ejus vul-
neribus se abscondens, in quibus est omni
fideli summum tutissimumque refugium,
Is. II, 10. juxta illud : Ingredere in petram, abscon-
dere in fossa humo, id est, accede ad Chri-
stum, et in corpore ejus propter te vulne-
rato te ipsum absconde. Unde per Isaiam
Ibid. XXVI, 20. iterum Dominus ait : Vade, popule meus,
intra cubicula tua, claude ostia tua super B
te, abscondere modicum ad momentum,
donec pertranseat indignatio mea, id est
tempus persecutionis præsentis.

Ecclesia ergo, seu quilibet Christianus
qui per multas tribulationes tendit ad pa-
Job VI, 13. triam, illudque sancti Job pensat, Ecce non
est auxilium mihi in me, divinam invocet
2 opem, et dicat : *Miserere mei* peccatoris
vilissimi, *Deus* piissime, veniam confe-
rendo; *miserere mei,* gratiam infunden-
Apoc. III, 17. do, qui sum miser et miserabilis, pauper,
Galat. VI, 3. cæcus et nudus, putans me aliquid esse, C
quum nihil sim; qui ad illorum pertineo
Baruch IV, 7. numerum, de quibus scriptum est, Exa-
cerbastis eum qui fecit vos, Deum æter-
num. *Quoniam in te confidit anima mea,*
Job XIV, 4. quia tu solus potes facere mundum de
immundo, meque salvare. Scio enim vera-
Jer. XVII, 5. citer scriptum : Maledictus qui confidit in
homine, et ponit carnem brachium suum,
et a Domino recedit cor ejus. Nam de his
qui in rebus creatis et bonis caducis spem
suam constituunt, apud Isaiam scriptum
Is. LIX, 4. est : Confidunt in nihili, et loquuntur va- D
Amos VI, 1, 14. nitates. Et Amos propheta ait : Væ, qui
lætamini in nihili; qui dicitis, Numquid
non in fortitudine nostra assumpsimus
nobis cornua ? Omnia enim creata, per
comparationem ad Deum immensum, sunt
velut nihilum et inane, secundum quod per
Isaiam dictum est de Deo sublimi et bene-
dicto : Extendit velut nihilum cœlos. *Is.* XL, 22.

Ecce quam fructuosus, dulcis et saluta-
ris est iste versiculus, quamque incessan-
ter est nobis mente et ore revolvendus.
Dicamusque eum cum plena et amorosa
fiducia, quoniam quantum adipisci confi-
dimus, tantum utique recipiemus et exau-
diemur, orantes : Fiat misericordia tua, *Ps.* XXXII, 22.
Domine, super nos, quemadmodum spera-
vimus in te.

Et in umbra alarum tuarum, id est in
protectione tua, *sperabo, donec transeat
iniquitas,* id est, quamdiu in hac vita, in
qua sine peccato non vivitur, præsertim
quum justus septies cadat in die, perman- *Prov.* XXIV, 16.
sero. Quum enim in medio laqueorum po-
siti sumus, nunquam securi esse debemus,
nec desperare, sed sub divinæ pietatis alis
indesinenter nos ipsos statuere, atque in
Domino Deo, sicut in patre indulgentis-
simo et affectuosissimo semper sperare.
Clamabo, non tam alta voce quam ingenti 3
affectu, *ad Deum altissimum,* die et nocte
ejus gratiam invocando; *Deum qui bene-
fecit mihi,* multa beneficia conferendo,
videlicet dona naturæ, et munera gratiæ :
et quia hucusque benefecit mihi, confido
quod de cetero quoque benefaciat mihi.

Deinde beneficia ejus plenius enarrantur.
Nam *Misit* Deus Pater *de cœlo* unigenitum 4
Filium suum, *et liberavit me* Pater per Fi-
lium, seu Filius per passionem et sangui-
nem suum, de originali peccato et morte
æterna. Hoc est quod Isaias precabatur :
Emitte Agnum, Domine, dominatorem ter- *Is.* XVI, 1.
ræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion;

Digitized by Google

Is. xlv, 8. et rursus : Rorate, cœli, desuper, et nubes
pluant Justum; aperiatur terra, et germinet
Salvatorem. Quæ omnia impleta esse osten-
I Joann. iv, 9. dit sacratissimus evangelista Joannes : In
hoc (inquiens) apparuit caritas Dei in no-
bis, quoniam Filium suum unigenitum
misit Deus in mundum, ut vivamus per
I Petr. i, 18, 19. eum. Propter quod et Petrus scribit : Non
corruptibilibus auro vel argento redempti
estis de vana vestra conversatione pater-
næ traditionis, sed pretioso sanguine quasi
agni immaculati Christi. *Dedit in oppro-
brium conculcantes me :* id est, Filius Dei,
mundi Salvator, pro me dejecit et expu-
gnavit adversarios meos, utpote mundum
atque diabolum. Ipse enim, sicut in Evan-
Marc. iii, 27. gelio scriptum est, fortem armatum, id est
dæmonem, ligavit, et vasa ejus, id est pec-
catores, de manu ejus diripuit. Propter
quod, passione instante, Christus dixit :
Joann. xii, 31. Nunc princeps hujus mundi ejicietur fo-
ras, id est, de mentibus hominum expelle-
tur. Quod autem Christus vicerit mundum,
Ibid. xvi, 33. constat ex eo quod ipse ait discipulis : In
mundo pressuram habebitis; sed confidi-
te, ego vici mundum. Christus namque sua
conversatione ac passione gratiam nobis
promeruit, formamque monstravit vincen-
di omnia delectabilia et terribilia mundi,
ita quod nec prospera sæculi nos dele-
ctent, nec adversa deterreant, sed Christi
in omnibus imitantes vestigia, gradiamur
Is. xxx, 21. regia via, de qua scriptum est : Hæc est
via; ambulate in ea, et non declinetis ne-
que ad dexteram, neque ad sinistram.

*Misit Deus misericordiam suam et ve-
ritatem suam,* id est Filium suum, qui
dicitur, Misericordia Dei, quantum ad gen-
tiles, quibus sola misericordia datus est;
et, Veritas, quantum ad Judæos, quibus ex
promissione est datus : sicque ratio quæ-
dam justitiæ consideratur in hoc, quod
ad Judæos descendit. Vel sic : Misit Deus
misericordiam suam, id est, gratiam co-
piosam infudit hominibus, maxime tem-
pore evangelicæ legis; et veritatem suam,
id est, sicut in veteri lege prædixit, ita per
Christum implevit, secundum quod scri-
A ptum est : Lex per Moysen data est; gra- Joann. i, 17.
tia et veritas per Jesum Christum facta
est. *Et eripuit* Deus Pater, per Filium 5
suum dilectum, *animam meam de medio
catulorum leonum,* id est de exercitu dæ-
monum : de quorum unoquoque Petrus
disseruit, Adversarius vester diabolus tan- I Petr. v, 8.
quam leo rugiens circuit, quærens quem
devoret. Dum enim a peccatis eripimur, de
medio dæmonum liberamur, quum idem
sit, esse servum peccati, et dæmonis. Chri-
stus autem ab omni nos labe peccati re-
B demit, juxta illud : Dominus posuit in eo Is. liii, 6.
iniquitatem omnium nostrum. *Dormivi
conturbatus :* id est, antequam gratiam
Christi recepi, peccatis subjacui, interius-
que inordinatus fui : quod ad mortis per-
tinet somnium. Propter quod taliter dor-
mienti, videlicet in vitiis permanenti,
clamat Apostolus : Surge, qui dormis, et Ephes. v, 14.
exsurge a mortuis, et illuminabit te Chri-
stus. Hujus autem versiculi sensum Chri-
stus apud Osee pulchre inducit, dicendo :
De manu mortis liberabo eos, de morte Osee xiii, 14.
C redimam eos.

Filii hominum Ecclesiam persequen-
tium, justis detrahentium, seu false do-
centium ; *dentes eorum,* id est maligni
sermones, sunt *arma,* quibus electos im-
pugnant, *et sagittæ,* quibus eorum famam
denigrant, et animas lædere cupiunt; *et
lingua eorum,* id est perversa doctrina,
gladius acutus, usque ad interiora pertin-
gens, animam a Deo separans, eamque
spiritualiter occidens. Nam, teste Aposto-
lo, sermo talis ut cancer serpit. II Tim. ii, 17.

D *Exaltare super cœlos, Deus,* id est, ab om- 6
nibus cœlestibus civibus exalteris ac hono-
reris. Quod dicit Ecclesia, non orando, sed
divinæ beatitudini congratulando, suum
affectum Beatis conformando. *Et in omni
terra gloria tua.* Gloria proprie dicitur cla-
ra cum laude notitia. Orat ergo vir justus,
ut Deus ab universis in terra clare per fi-
dem agnoscatur, atque per caritatem lau-
detur : quod tempore Christi præcipue
adimpletum videtur, prout apud Isaiam
legitur : Repleta est terra scientia Domini. Is. xi, 9.

Digitized by Google

7 *Laqueum paraverunt pedibus meis.* Hoc A est quod Christus discipulis et in eorum *Joann.* xv, 20. persona toti Ecclesiæ ait : Si me persecuti sunt, et vos persequentur, quia non est servus major domino suo. Invisibiles etiam hostes laqueum, id est deceptiones, parant pedibus nostris, id est operibus et deside- *Luc.* xi, 26. riis nostris. Vadit enim diabolus, et assumit septem spiritus nequiores se, qui si intromittantur, habitant in corde humano. *Et incurvaverunt* a via justitiæ *animam meam,* vel saltem conati sunt eam incurvare a recto Dei itinere. Vel, Incurvave- B runt, id est, tribulaverunt, sicut testatur *II Cor.* iv, 9. Apostolus : Dejicimur, sed non perimus. *Foderunt ante faciem meam foveam,* id est, aperte insidiati sunt mihi, et contumeliis atque injuriis affecerunt me ; *et inciderunt in eam,* id est, se ipsos in foveam culpæ, mortemque animæ præcipitaverunt. *Rom.* viii, 28. Omnia enim, etiam dura et mala, cooperantur electis in bonum ; sed iniqui eos persequentes, sibimetipsis nocent, et damnationem lacus infernalis acquirunt.

8 *Paratum cor meum, Deus, paratum cor* C *meum.* Hoc est quod quotidie in Oratione *Matth.* vi, 10. dominica dicimus : Fiat voluntas tua sicut *II Cor.* ix, 7. in cœlo et in terra. Unde ait Apostolus : Non ex tristitia aut necessitate ; hilarem enim datorem diligit Deus. Hanc sanctam cordis parationem facit propriæ voluntatis abnegatio, obedientia vera, et caritas fervida. Studeamus ergo, carissimi, cor paratum habere ad universa agenda ac patienda quæ Deo sunt placita ; nec aliquid nobis contingens moleste feramus, sed divinæ voluntati nos pure et integre offeramus, D commendemus et relinquamus. Nec possumus Deum amplius venerari, quam ita : imo, quo istud perfectius agimus, eo magis meremur, Deo cariores atque in omni virtute perfectiores efficimur. Implemus enim quod Apostolus ad Romanos tradi- *Rom.* xii, 2. dit : Probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta.

9 *Exsurge, gloria mea,* id est anima mea imagine Trinitatis insignita : exsurge, inquam, a lecto, a peccato, a torpore et omni ignavia, et age quod admonet Jeremias : Consurge, lauda in nocte, in principio vi- *Thren.* ii, 19. giliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui. Isaias quoque : Excutere (inquit) de pulvere, con- *Is.* lii, 2. surge, sede, Jerusalem, id est anima sancta. Primo enim oportet ut anima ab inferioribus et terrenis se rebus excutiat, deinde ad cœlestia ac summa consurgat, sicque in quiete contemplationis resideat. Vel, Exsurge, gloria mea, id est, omnis gloriatio mea, in Deum ascende, ut in me ipso non glorier, sed acquiescam Apostolo admonenti : Qui gloriatur, in Domino glo- *I Cor.* i, 31. rietur. Unde et apud prophetam Isaiam legitur : Addent mites in Domino lætitiam, *Is.* xxix, 19. et pauperes homines in Sancto Israel exsultabunt. Vel, Exsurge, gloria mea, id est, gratia mihi collata, omnisque habitualis perfectio mihi divinitus in Baptismo infusa seu postmodum data, in actum procede et efficaciter operare : quemadmodum jubet Apostolus, Noli negligere gratiam *I Tim.* iv, 14. quæ in te est, quæ data est tibi, etc. *Exsurge, psalterium,* id est, laus psalmodiæ excitetur in me ; *et cithara,* id est operatio coram Deo suavis atque sonora, ut est exercitatio pietatis ad omnia *Ibid.* 8. utilis.

Exsurgam ab imperfectione ad vitam perfectiorem, *diluculo,* id est, quum splendor gratiæ tuæ, o Domine, radiaverit in me. Et ad litteram, consurgendum est diluculo ad laudandum Altissimum, juxta illud, Justus cor suum tradet ad vigilan- *Eccli.* xxxix, 6. dum diluculo ad Dominum ; et illud, Ani- *Is.* xxvi, 9. ma mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te. *Confitebor tibi in populis,* 10 *Domine,* id est, in medio fratrum ac proximorum atque fidelium te laudabo : sicut ait Apostolus, Unanimes uno ore honori- *Rom.* xv, 6. ficetis Deum ; *et psalmum dicam tibi in gentibus,* laudem tuam eis narrando, et de earum conversione tibi regratiando, ipsas quoque ad tua præconia incitando. Cetera ex præcedenti patent expositione.

Digitized by Google

Ecce psalmum vere suavem, nobilem et ignitum audivimus, cujus virtutem gustat ardens amator, ac purus laudator. Conformemus igitur vitam nostram sensui hujus psalmi, ut vere nobis in eo conscripta conveniant; nec unquam ab alis divinæ defensionis anima nostra recedat, dicens Deo cum sancto Job : Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. *Job* xvii, 3. A

PRECATIO.

In umbra alarum tuarum, Domine, sperantibus, et ad te Deum altissimum clamantibus, Deus, miserere; mitte misericordiam tuam et veritatem tuam, quæ auferant a nobis opprobrium hostium conculcare nos volentium : ut erepti de medio eorum, gloriam potentiæ tuæ magnificemus in perpetuum.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO PSALMI QUINQUAGESIMI SEPTIMI, IN PERSONA CHRISTI AD INFIDELES JUDÆOS : SI VERE UTIQUE JUSTITIAM LOQUIMINI.

1 Est denique titulus psalmi istius : *In finem, ne disperdas David, in tituli inscriptione.* Omnia tituli hujus verba in titulo psalmi præcedentis continentur, taliterque ut ibi exposita sunt, intelliguntur. B

Christus ergo Judæos incredulos in-
2 crepans, ait : (1) *Si vere utique justitiam loquimini :* id est, si veraciter legem
atque Prophetas legitis, intelligitis, et laudatis, et si (ut dicitis) Christum veraciter
exspectatis et desideratis, si quoque ex
animo me Rabbi nominatis, et viam Dei *Matth.* xxii, 16. C
in veritate docere asseritis ; tunc *recte judicate,* id est, ex lege et Prophetis me esse
regem Messiam advertite atque discernite,
o vos Judæi, qui estis secundum carnis
originem, non autem secundum Dei imitationem, *filii hominum,* id est rationabiliter
in hoc mundo conversatorum, scilicet
Prophetarum ac Patriarcharum. Ad rectum
vero judicium hortatur Christus Judæos
in Evangelio, dicens : Nolite judicare se- *Joann.* vii, 24.
cundum faciem, sed justum judicium judicate. Sed vos, o Judæi, erronee judica- D
3 tis : cujus ratio subditur. (2) *Etenim in corde iniquitates operamini in terra :* id
est, dolos et mala contra me cogitatis, meque persequi et occidere proponitis. Unde
apud Marcum scriptum est : Cognito Jesus spiritu suo, quod ista cogitarent apud se, dixit : Quid cogitatis ista in cordibus vestris? Et rursus ait ad eos : Intus pleni estis hypocrisi et iniquitate; et alibi, Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum. *Injustitias,* id est opera mala, *manus vestræ concinnant,* id est, congregant et accumulant, quia quod corde concepistis, ad effectum perducitis, me persequendo, observando, deridendo, et occidendo. *Marc.* ii, 8. *Matth.* xxiii, 28. *Joann.* viii, 40.
(3) *Alienati sunt peccatores a vulva :* id 4
est, prædicti Judæi ab ipso nativitatis exordio a Deo aversi sunt, non quod statim nati peccaverint, sed quia peccare prævisi sunt, et ad mortem præsciti, et prius odio habiti quam nati, eo modo quo Malachias dicit : Esau odio habui. Secundum hunc sensum, *erraverunt ab utero,* quia præsciti erant a Deo Christum summam veritatem negaturi. Propterea Christus ad eos locutus est : Vos ex patre diabolo estis, et desideria ejus vultis perficere ; et, Ideo non auditis, quia ex Deo non estis. *Locuti sunt falsa,* quia me mendaciter accusaverunt : sicut de eis a Jeremia scribitur : Negaverunt Dominum, et dixerunt, Non est ipse. Et alibi : Ego, inquit, redemi *Malach.* i, 3. *Joann.* viii, 44, 47. *Jer.* v, 12. *Osee* vii, 13.

eos, et ipsi locuti sunt contra me menda- A
Is. i, 4. cia. Unde de eis iterum scriptum est : De-
reliquerunt Dominum, blasphemaverunt
Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.
5 (4) *Furor illis secundum similitudinem*
serpentis. Sicut enim serpens iratus vene-
num effundit et necat, sic Judæi contra
Christum furentes, invidiæ suæ venenum
evomebant, procurantes contra eum senten-
tiam mortis, eumque crucifigentes. De hoc
Judæorum furore contra Christum, patri-
archa Jacob prædixisse videtur, dum ait :
Gen. xlix, 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax, et B
indignatio, quia dura. Quod licet ad litte-
ram contra Levi et Simeon dictum pute-
tur, de sacerdotibus tamen et Pharisæis ex
illorum stirpe progenitis vere accipitur.
Sicut aspidis surdæ et obturantis aures
suas : id est, talis fuit Judæorum malitia
contra Christum, qualis est serpentis ne-
quitia circa incantatorem. Quemadmodum
enim aspis unam aurem obstruit cauda,
aliam terra, ne vocem incantantis percipi-
at ; sic Judæi aures suas clauserunt, unam
per avaritiam, alteram per invidiam, ne C
Christi et ejus discipulorum prædicatio-
nem audirent. Propter quod scriptum est :
Joann. x, 20. Dicebant multi ex ipsis Judæis, scilicet
de Jesu : Dæmonium habet et insanit; quid
Luc. xvi, 14. eum auditis ? Et alibi : Audiebant omnia
hæc Pharisæi et Scribæ, qui erant avari,
6 et deridebant eum. (5) *Quæ* aspis, cui vi-
delicet assimilantur Judæi, *non exaudiet*
vocem incantantium et venefici incantan-
tis sapienter, secundum suæ artis princi-
pia : non enim de caverna sua egreditur.
Hinc ergo Judæi viperæ conformantur. Un- D
Matth. iii, 7. de Joannes Baptista ait ad eos : Progenies
viperarum, quis ostendit vobis fugere a
Ibid. xxiii, 33. ventura ira? Denique ipse Christus : Geni-
mina, inquit, viperarum, quomodo fugietis
a judicio gehennæ ?
7 (6) *Deus conteret dentes eorum in ore*
ipsorum, id est, malignitatem verborum
quæ contra Christum dixerunt, retorque-
bit in eos, et proprio sermone mortem
sibi acquirent, quemadmodum factum est,
Ibid. xxvii, 25. quando dixerunt : Sanguis ejus super nos
et super filios nostros. Ex tunc namque
venit super eos ira Dei usque in finem, I Thess. ii, 16.
secundum Apostolum. *Molas leonum con-*
fringet Dominus : id est, minas, verba et
verbera ferocium Judæorum Christo illata,
Dominus cito cessare fecit, Christum ad
immortalem vitam resuscitans. Propter
quod Christus in Cœna dixit : Etenim ea Luc. xxii, 37.
quæ sunt de me, finem habent.
(7) *Ad nihilum devenient tanquam aqua* 8
decurrens. Judæi enim increduli per Ti-
tum et Vespasianum destructi fuerunt. Ip-
si quoque spiritualiter ad nihilum deve-
nerunt, quoniam omnem gratiam et esse
gratificum penitus amiserunt. *Intendit ar-*
cum suum donec infirmentur : id est, Deus
præparavit arma exercitus Romanorum
contra Judæos, donec omnino debilitaren-
tur, quemadmodum Christus eis prædixit :
Venient dies in te, et circumdabunt te ini- Ibid. xix, 43, 44.
mici tui undique, et coangustabunt te, et
ad terram prosternent te. (8) *Sicut cera quæ* 9
fluit, auferentur. Judæi enim de terra sua
subito et improvise sublati sunt. Auferen-
tur quoque in die judicii a regione vivo-
rum; nuncque auferuntur quotidie a grege
fidelium atque consortio electorum. *Super-*
cecidit ignis, et non viderunt solem. Solet
in Scriptura per ignem quælibet magna
tribulatio designari. Est igitur sensus :
Super infideles Judæos venit et irruit tri-
bulatio maxima a Romanis, propter pec-
catum in Christum commissum ; nec ta-
men ex hoc perpendebant se talia pati
propter Christi occisionem, nec agnove-
runt per pœnas solem justitiæ Christum,
sed in tenebris infidelitatis manserunt et
indurati sunt, secundum quod Isaias testa-
tur : Populus non est reversus ad per- Is. ix, 13.
cutientem se, et Dominum non exquisie-
runt. Et per Amos Dominus ait : Percussi Amos iv, 9.
vos, etc., et nec sic estis reversi ad me.
(9) *Priusquam,* o increduli Judæi, *intel-* 10
ligerent spinæ vestræ, id est pœnæ vobis
inflictæ, et conscientiarum vestrarum re-
morsus, *rhamnum,* id est dæmonem vos
ad mala incitantem, seu dæmonum sug-
gestiones et vitia, propter quæ ista patie-

* alias sic bamini ; *sicut viventes, sicut * in ira ab-* A
sorbet eos : id est, quemadmodum viventes
iniqui, qui se diu victuros arbitrantur, sed
subito moriuntur, et sicut iratus repente
absorbet eum cui irascitur ; sic Deus ab-
sorbet, absorpsit, et absorbebit vos. Jam
enim ostensum est, quam multipliciter
perierunt, et quomodo ad nihilum redacti
dicuntur. Unde de finali hac Judæorum
dejectione Dominus per Amos prophetam
Amos viii, 2. dicit : Venit finis super populum meum
Israel ; non adjiciam ultra ut pertranseam
eum. Convenienter autem per rhamnum B
intelliguntur diabolus, concupiscentia, seu
peccatum. Rhamnus namque est herba in
principio mollis ; quum autem creverit et
matura facta fuerit, durissime pungit,
quoniam acutissimos aculeos tunc acqui-
rit : ita diaboli, concupiscentiæ, atque
peccata in principio delectabilia offerunt,
et tanquam mollis herba dulcia ingerunt,
sed consentientem ad amarissimas pœnas
perducunt.

11 (10) *Lætabitur justus quum viderit vin-*
dictam : non utique zelo vindictæ, sed C
justitiæ amore. Quemadmodum enim (sic-
Sap. i, 13. ut scriptum est) Deus mortem non fecit, in
quantum est mors, nec directe eam inten-
dit, nec lætatur in perditione seu pœna
vivorum, in quantum est quoddam ma-
lum, sed in quantum est justitiæ effectus
Is. i, 24. (juxta illud Isaiæ : Heu, consolabor super
hostibus meis, et vindicabor de inimicis
Ezech. v, 13. meis, ait Dominus ; et alibi, Complebo fu-
rorem meum, et requiescere faciam indi-
gnationem meam, et consolabor) ; simili
modo homo justus lætatur, dum videt vin- D
dictam injuriæ non sibi, sed Deo illatæ, in
quantum vindicta est quoddam bonum di-
vinæ justitiæ, non in quantum est proxi-
morum perditio. Quamvis autem justus
de vindicta malorum lætetur in hoc mun-
do, in quantum vindicta hujusmodi est
pro utilitate Ecclesiæ, vel ampliori per-
euntium commodo ; tamen in die judicii
magis lætabitur de ultione divina, atque
in patria in æternum, quoniam tunc per-
fecte conformabitur et inseparabiliter uni-
etur æquitati divinæ, placebitque ei plenis-
sime quidquid concordat divinæ justitiæ.
Hinc enim in libro Job legitur : Videbunt Job xxii, 19.
justi, et lætabuntur, et innocens subsan-
nabit iniquos. Et alio in loco : Animæ Apoc. vi, 10.
interfectorum clamabant voce magna : Us-
quequo, Domine, sanctus et verus, non
vindicas sanguinem nostrum de his qui
habitant in terra ? Porro ob hoc non de-
bemus absolute impiorum vindictam appe-
tere, nisi forte ut in præsenti sæculo cor-
rigantur, ne in futuro damnentur, aut ut
mitius crucientur, quemadmodum de quo-
dam peccatore scribit Apostolus : Tradidi I Cor. v, 5.
hujusmodi Satanæ in interitum carnis (vi-
delicet ut ab Ecclesia excommunicetur), ut
spiritus salvus sit in die Domini. In primi-
tiva enim Ecclesia excommunicati sensibi-
liter torquebantur, aut etiam occidebantur
a dæmone, propter fidei confirmationem.

Manus suas lavabit, id est, justus ope-
rationes suas purgabit, *in sanguine pec-*
catoris, id est ex consideratione miseriæ
atque pœnarum peccatori inflictarum. Ex
hac enim consideratione propriam imper-
fectionem deplangit, timoratus et cautior
redditur. Nam felix quem aliena damna
faciunt peritum. Propterea Salomon asse-
rit : Pestilente flagellato, stultus (id est Prov. xix, 25.
peccator) sapientior erit. Hinc quoque de
diabolo ad beatum Job dicitur : Quum Job xli, 16.
sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi
purgabuntur. (11) *Et dicet homo* sapiens in 12
corde suo : *Si utique est fructus justo,* id
est, si bene agenti restat merces a Deo,
utique est Deus judicans judicio damna-
tionis et reprobationis, *eos,* videlicet pec-
catores, *in terra,* id est in corpore, quia
projiciet corpus eorum et animam in ge-
hennam ; vel, In terra, quia in valle Josa-
phat omnes dijudicabuntur ; vel, In terra,
in qua modo morantur, quoniam impio-
rum damnatio jam inchoatur, et in futuro
completur. Nunc enim privantur lumine
gratiæ, et in futuro, lumine gloriæ.

Spiritualiter vero applicari hæc possunt
ad Christum, ut sit sensus : *Lætabitur ju-*
stus, id est populus christianus, *quum vi-*

Digitized by Google

derit vindictam Judæorum Christum negantium; *manus suas lavabit in sanguine peccatoris :* quia ex consideratione reprobationis Judæorum, perfectius Christo adhæret populus in Christum efficaciter credens. *Et dicet homo : Si utique est fructus justo* ad Christum converso, tunc sequitur quod *utique est Deus judicans eos,* puta Judæos incredulos, *in terra* promissionis, in qua judicavit eos et reprobavit, tradens eos in manus adversariorum suorum. Unde Dominus plebi huic : Ego, inquit, judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi ; et rursus, Juxta desiderium meum corripiam eos.

Jer. II, 35. *Osee* X, 10.

A Postremo, quod dictum est de homine justo, Manus suas lavabit in sanguine peccatoris, aliter potest intelligi, ita ut conveniat Beatis in patria ; eritque sensus : *Manus suas,* id est actiones suæ beatissimæ vitæ, *lavabit,* non ab immunditia culpæ, sed aqua consolationis, et irrigatione lætitiæ, *in sanguine peccatoris.* Beati enim ex contemplatione pœnæ reproborum multipliciter gaudent : primo, quoniam Dei injuria vindicatur; secundo, quoniam ordo justitiæ observatur; tertio, quia B sapientia Dei in toto universo nil inordinatum relinquit; quarto, eo quod ipsi tanta pericula evaserunt.

ARTICULUS XV

DECLARATIO TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI SEPTIMI, IN PERSONA ECCLESIÆ AD QUOSLIBET PECCATORES IMPŒNITENTES.

SANCTA ergo Ecclesia ægre ferens regnum Sponsi sui diminui, per hoc quod impii vel verbis, vel factis negant Christum suum salvatorem ac judicem, ad
2 perseverantes in malo sic ait : *Si vere utique justitiam loquimini :* id est, si vita vestra sermonibus vestris concordat, et Christum, quem labiis confitemini, vere mundi Salvatorem arbitramini, et si Christi doctrinam veram esse putatis, ut dicitis ; tunc *recte judicate,* o *filii hominum :* id est, inter summum atque divinum ac incommutabile bonum, et bona creata, caduca et inferiora bene discernite, avertendo corda vestra a vanis atque illicitis rebus, et ad summum bonum vos totaliter et inavertibiliter convertendo, illud amando, in ipso sperando, semperque finalem intentionem ad ejus dilectionem, honorem et gloriam referendo. Est autem quoddam judicium, quod nobis Christus prohibuit : Nolite judicare, et non judicabimini, scilicet ne alienum judicemus, præsertim

Matth. VII, 1.

C in dubiis rebus, et quæ in bonum accipi possunt. Nunc vero jubemur recte judicare nos ipsos, et nobis commissos, ac opera manifesta, et maxime, ut inter bonum increatum et bona creata veraciter discernamus : quod fit per dona Spiritus Sancti, videlicet per dona scientiæ atque consilii.

Præterea, ad recte et digne judicandum multa exiguntur. Primo, ut ipse prælatus seu judex juste vivat. Nam, secundum Philosophum, judex esse debet velut quædam vivens lex et animata justitia, æqui- D tatisque regula, quatenus nunquam a via æquitatis flectatur. Secundo, ut ordinem juris observet, et secundum statuta juris procedat. Unde de ignorantibus, viamque juris deserentibus, Dominus ait : Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam ; unusquisque in viam suam declinavit. Tertio, ne cedat multitudini aut clamori multorum, juxta illud : Ne sequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero

Is. LVI, 11. *Exod.* XXIII, 2.

Digitized by Google

devies. Quarto, ut causam bene requirat
Job XXIX, 16. atque discutiat, juxta illud Job : Causam
quam ignorabam, diligentissime investi-
Act. X, 34. gabam. Quinto, ut non sit personarum ac-
ceptor, sicut in Deuteronomio Dominus
Deut. I, 17. per Moysen ait : Ita parvum audietis ut
magnum, id est, pauperem audietis ut di-
vitem. Sexto, ne propter timorem a recto
recedat judicio. Propter quod in Ecclesia-
Eccli. VII, 6. stico dicitur : Noli quærere fieri judex,
nisi valeas virtute irrumpere iniquitates,
ne forte extimescas faciem potentis. Septi-
mo, ne plus debito compatiatur, secundum
Exod. XXIII, 3. quod scriptum est : Pauperis non misere-
beris in judicio. Octavo, ut avaritiam ode-
Ibid. 8. rit, et dona contemnat, quia subvertunt
verba justorum. Nono, ne aliquas preces
in præjudicium alterius partis recipiat. De-
cimo autem et maxime opus est, ut amo-
rem privatum et odium penitus derelin-
quat. Amor enim et odium pervertunt
omne judicium. Unde, secundum Philoso-
phum, homo non est bonus judex sui ip-
sius, quia nimis amat se ipsum; nec hostis
sui, quoniam odit eum.

Sed vos, o filii hominum, non humane,
sed irrationabiliter conversantes, non re-
3 cte judicatis. Cujus ratio est : *Etenim in
corde iniquitates operamini in terra,* id
est, in proposito et cordis vestri affectu,
inutilia et nociva atque prohibita cogitatis
et operari intenditis. Corde enim malum
concipere cum consensu, apud Deum pro
opere reputatur. Operamini autem hæc
I Cor. III, 3. mala, in terra corporis vestri, quia secun-
dum carnem ambulatis, et concupiscentias
Matth. V, 4. ejus perficere desideratis ; et sicut mites
possident terram corporis sui, sic vos a
terra corporis vestri possidemini. Unde de
Mich. II, 1. vobis scriptum est : Væ qui cogitatis in-
utile, et operamini malum in cubilibus
vestris. *Injustitias manus vestræ concin-
nant :* quemadmodum in Ecclesiastico di-
Eccli. III, 29. citur, Peccator adjiciet ad peccandum.
Is. V, 18. Nam, ut ait etiam Isaias propheta, Trahitis
iniquitatem velut longam restem. Quum
enim deberet peccator, quotidie commissa
mala deflere, non solum non deflet, sed

A iniquitatem velut fasciculum colligit. Id-
circo Apostolus ad Romanos terribiliter
loquitur homini tali : An divitias bonitatis Rom. II, 4, 5.
Dei, et patientiæ et longanimitatis contem-
nis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad
pœnitentiam te adducit ? Secundum duri-
tiam autem tuam et impœnitens cor tuum,
thesaurizas tibi iram in die iræ justi ju-
dicii Dei. Quicumque igitur corde malis
consentiunt, aut illicita operantur, non
vere, sed false et nequiter judicant, quia
etsi ore vera pronuntiant, tamen operibus
B contradicunt. Nam et secundum Philoso-
phum, nullus est prudens, nisi virtuosus :
judicare autem est actus prudentiæ. Pro-
pterea de peccatoribus scriptum est : Væ Amos VI, 13.
qui convertistis in amaritudinem judici-
um, et fructum justitiæ in absinthium.
Quod planius dicitur et quasi exponitur
alibi, dicente sancto propheta Isaia : Væ Is. V, 20.
qui dicitis malum bonum, et bonum ma-
lum, ponentes tenebras lucem, et lucem
tenebras, ponentes amarum in dulce, et
dulce in amarum.

C *Alienati sunt peccatores a vulva,* etc. 4
Sensus hujus versiculi ex præcedenti ex-
positione innotescit. Pensandum tamen,
quod sæpe sermo ipse sine præjudicio ve-
ritatis videtur modum excedere, quoniam
ipse qui loquitur, novit quousque creda-
tur. Fit autem hoc, quatenus aliquid serio-
sius ac evidentius insinuetur. Et hoc modo
in Evangelio legitur : Multa alia fecit Je- Joann. XXI, 25.
sus, quæ si scribantur per singula, nec
ipsum arbitror mundum capere posse eos,
qui scribendi sunt, libros. Sic quoque
D nunc dicitur, *Alienati sunt peccatores a
vulva, erraverunt ab utero :* non quod an-
te usum rationis peccaverint, et ab exor-
dio nativitatis indesinenter erraverint; sed
ista dicuntur ad designandum quam per-
severanter et pertinaciter multi peccato-
res Deum offendant. De quibus Salomon
dicit : Absque ullo timore filii hominum Eccle. VIII, 11.
perpetrant mala. Per modum quoque op-
positum justi dicuntur ad Deum conversi
a vulva, et in virtute esse ab utero, vel
propter electionem divinam, vel bonam

Digitized by Google

inclinationem ad virtutes, vel propter for-
tem ac stabilem adhæsionem qua Deo co-
Job xxxi, 18. hærent. Et ita sanctus Job ait: Ab infantia
mecum crevit miseratio, et de utero ma-
tris meæ egressa est mecum.
5 *Furor illis secundum similitudinem ser-
pentis.* Quemadmodum enim serpens ho-
mini inimicatur, eumque veneno inficit et
occidit; sic homines pestilentes ac impii
proximos suos verbis furiosis, veneno iræ
inflammant, malis exemplis inficiunt, et
vel adulando, vel comminando, vel alio
modo seducendo occidunt. Propter quod
Num. xvi, 26. Moyses: Recedite, inquit, a tabernaculis
hominum impiorum, et nolite tangere quæ
ad eos pertinent, ne involvamini in pec-
catis eorum. *Sicut aspidis surdæ et obtu-
rantis aures suas.* Omnis qui verbum Dei
contemnit, et pium informatorem aut in-
crepatorem repellit, assimilatur aspidi au-
Joann. viii, 37. res obturanti. De talibus ait Salvator: Ser-
mo meus non capit in vobis. Non ergo
claudamus aures nostras verbo salutis, in-
crepationibus vitæ, ac salutari doctrinæ.
Luc. xi, 28. Beati enim qui audiunt verbum Dei, et cu-
stodiunt illud. Scimus quoque quoniam
Joann. viii, 47. qui ex Deo est, verbum Dei audit. De pec-
catore autem verbum Dei negligente scri-
I Joann. iii, 8, 6. ptum est: Omnis qui facit peccatum, ex
diabolo est, et non cognovit Deum. Istud
ergo est signum prædestinationis et gra-
tiæ, affectuose et libenter audire verbum
Dei. Propter quod de reprobis alio loco
Ibid. iv, 5. scriptum est: Ipsi de mundo sunt, et de
mundo loquuntur, et mundus eos audit.
Joann. iii, 31. Unde Joannes Baptista testatur: Qui de
terra est, de terra loquitur.
7 *Deus conteret dentes eorum in ore ipso-
rum,* id est, superbos impiosque sermones
malorum damnabit, ab effectu impediet et
retundet, quemadmodum superbissimo re-
Is. xxxvii, 29. gi Assyriorum prædixit: Quum fureres ad-
versum me, superbia tua ascendit in aures
meas. Ponam ergo circulum in naribus
8 tuis, et frenum in maxillis tuis. *Ad nihilum
devenient tanquam aqua decurrens.* Pec-
catum nihil est, et qui peccat, incessabi-
liter perit, et a Deo pro nihilo reputatur

A ac spernitur, quia ab omni esse divino,
gratioso et meritorio evacuatur. Propter
quod in libro Sapientiæ reprobi dicunt:
Nos nati, continuo desivimus esse, et vir- Sap. v, 13.
tutis quidem nullum signum valuimus os-
tendere; in malignitate autem nostra con-
sumpti sumus. Quemadmodum igitur aqua
decurrens mox defluit, nec apparet; sic
peccatores quotidie defluunt, et in hora
mortis damnantur, atque in extremo ju-
dicio cum anima et corpore pereuntes, ab
omni beato esse annihilabuntur. *Intendit*
B *arcum suum donec infirmentur:* id est,
comminationes et pœnas Deus iniquis para-
vit, donec a fortitudine peccandi deficiant,
æternasque inferni miserias incidant. Un-
de Dominus prævaricatoribus horribiliter
per Prophetam comminatur, et dicit: Ecce Amos ii, 13, 14.
ego stridebo subter vos, sicut stridet plau-
strum onustum fœno; et peribit fuga a ve-
loce, et fortis non salvabit animam suam.
Sicut cera quæ fluit, auferentur. Hoc 9
inferius evidentius ita inducitur: Sicut Ps. lxvii, 3.
fluit cera a facie ignis, sic pereant pecca-
C tores a facie Dei. Quemadmodum enim ca-
lor ignis ceram resolvit et destruit, sic ira
divinæ justitiæ peccatores a præsenti vita
tollit, atque a futura vita beata repellit:
sicque utrobique auferuntur, et spirituali-
ter corrumpuntur. Propterea Dominus ait
apud Osee: Occurram eis quasi ursa raptis Osee xiii, 8.
catulis, et dirumpam interiora eorum, et
consumam eos ut leo. Nam et peccatores
peccando merentur abbreviationem vitæ
præsentis, quemadmodum diviti avaro Do-
minus ait: Stulte, hac nocte animam Luc. xii, 20.
D tuam repetunt a te. Et Salomon: Non sit Eccle. viii, 13.
(inquit) bonum impio, nec prolongentur
dies ejus, sed quasi umbra transeant qui
non timent faciem Domini.
*Supercecidit ignis, et non viderunt so-
lem:* id est, ignis infernalis cadet super
iniquos, et Deum non videbunt: quia nec Ibid. ix, 10.
sapientia, nec scientia, nec opus, nec ra-
tio erunt apud inferos. Vel: Supercecidit
ignis, id est, calor libidinis, passionum-
que fervor, ut sunt inflammatio iræ, æs-
tus avaritiæ, flamma invidiæ, ceciderunt

Digitized by Google

super peccatores, quia facta carnis modo A non mortificant, nec sensualitatem rationi subjiciunt; et non viderunt solem, id est, Christum solem justitiæ, veritatis et sapientiæ, non consideraverunt, nec ejus præceptis obtemperaverunt: quoniam ignis passionum istarum rationem obtenebrat, caritatem exstinguit, et gratiam fugat. Ideo sero fatentur : Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. (*Sap.* v, 6.) Vel : Supercecidit ignis, id est, tribulatio irruit super malignos in sæculo isto. (*Eccle.* II, 26.) Peccatori B enim dedit Deus afflictionem et curam superfluam. Et non viderunt solem, id est, non pœnituerunt, neque ad Deum conversi sunt, sed impatientes effecti sunt et obstinati, quemadmodum in Apocalypsi legitur : (*Apoc.* XVI, 11, 9.) Blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis ut darent gloriam Deo.

10 *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum :* id est, antequam vermis conscientiæ vestræ, et punctiones inordinatio- C nis internæ pensarent enormitatem peccati, ac gravitatem tormenti vobis in inferno parati; *sicut viventes, sicut in ira absorbet eos,* id est, Deus vos subito tollet, opprimet, et damnabit, sicut tolluntur a sæculo isto viventes, qui diu vivere æstimant, sed improvise decedunt. Quamvis enim injusti remorsum conscientiæ habeant, interiorisque inordinationis punctiones persentiant, quoniam animus inordinatus sibi ipsi est pœna; nolunt tamen ex hoc vitæ suæ pravitatem advertere, neque futura tormenta prospicere : ideo Deus eos imparatos inveniens, subito absorbet eos et damnat, sicut jam patuit. Hic autem versiculus in præcedenti expositione plenius elucidatus est. Cetera quoque jam omissa, illic plene exposita sunt.

Omnino ergo curemus juste judicare, recte discernere, et vitam ac mores justo judicio subjugare, conformare, atque secundum divinæ legis tenorem dirigere, agnoscentes certissime quoniam erit merces operi nostro, nec impii justas pœnas evadent. (*Jer.* XXXI, 16.) Unde sapientissimus Salomon in Ecclesiaste contestatur : (*Eccle.* VIII, 12.) Peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui quærunt faciem ejus.

PRECATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus, vere justitiam tuam semper loqui, diligere et sectari; et qui vile et reprobum efficis pretiosum, fac nos iniquitates in terra non operari : ut ope miserationis tuæ justificati, salvandis in judicio justis possimus aggregari.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI QUINQUAGESIMI OCTAVI : ERIPE ME DE INIMICIS MEIS.

ASSIGNATUR præterea psalmo jam expla- D
1 nando hic titulus : *In finem, ne disperdas David in tituli inscriptione, quando misit Saul et custodivit domum ejus, ut interficeret eum.* Primo libro Regum legitur, quod David coram Saul psallente, nisus est ipse Saul percutere lancea sanctum David, qui fugit ad domum suam. (*I Reg.* XIX, 9-12.) Saul vero satellites suos misit, faciens nocte illa custodiri domum David, quatenus mane facto, David comprehenderetur et occideretur. Sed Michol, filia Saul, annuntiavit hoc viro suo, eumque in sporta deposuit, et ita David evasit. Hujus igitur salvationis occa-

sione edidit David hunc psalmum : quem A
multi ad litteram exponunt de David, ap-
plicando litteram præsentis psalmi ad præ-
dictam historiam. Quod quamvis aliquo
modo fieri possit, tamen, ut in processu
patebit, multa in hoc psalmo habentur,
quæ de David valde improprie exponun-
tur. Convenientius ergo et verius exponi-
tur de significato per rem gestam, quam
de ipsa re. David enim figura est Christi ;
domus quoque David, significat Christi se-
pulcrum; Saul autem, regnum Judæorum.
Est igitur tituli sensus : *In finem,* id est, B
iste psalmus in Christum nos erigens, agit
vel scriptus est, *ne disperdas David,* id
est, ne Christi honorem aut regnum, quod
est Ecclesia, diminuas, *in tituli inscriptio-
ne,* verbis vel actibus malis negando Chri-
stum esse verum Salvatorem ; *quando mi-
sit Saul,* id est regnum Judæorum, *et*
Matth. *custodivit domum ejus :* quia Judæi mi-
XXVII, 66. serunt milites Christi sepulcrum custo-
dientes, signantes lapidem, cum custodi-
bus ; *ut interficeret eum :* id est, Judæi
igitur custodiri fecerunt Christi sepul- C
crum, quatenus nomen atque memoriam
ejus delerent, quemadmodum apud Jere-
Jer. XI, 19. miam ex eorum persona inducitur : Era-
damus eum de terra viventium, et nomen
ejus non memoretur ultra. Unde superius
Ps. XL, 6. quoque Christus dixit : Inimici mei dixe-
runt mala mihi : Quando morietur et per-
ibit nomen ejus ?

ITAQUE Christus adhuc passibilis, et
passioni jam proximus, ad immortalem
vitam resuscitari desiderans, deprecatur : D
2 (1) *Eripe me de inimicis meis* mihi invi-
dentibus, detrahentibus, et mala paranti-
bus, puta Judæis : de quibus in Evangelio
Joann. IX, dicitur, Jam enim conspiraverant Judæi,
22. ut si quis confiteretur eum esse Christum,
extra synagogam fieret; [*Deus meus*] *et ab*
Ibid. XVIII, *insurgentibus in me,* id est a cohorte et
12. tribuno ac ministris Judæorum, qui acces-
serunt et injecerunt manus in Jesum, et
comprehenderunt et ligaverunt eum, *libe-
ra me,* per celerem resurrectionem, ne in

morte ultra triduum detinear. (2) *Eripe me* 3
de operantibus iniquitatem, id est a Ju-
dæis qui tota nocte me affligebant : ut in
Luca habetur, Viri qui tenebant illum, il- *Luc.* XXII,
ludebant ei, cædentes eum, et velaverunt 63, 64.
eum, et percusserunt faciem ejus, et ex- *Matth.*
spuerunt in eum. *Et de viris sanguinum* XXVI, 67.
salva me, id est ab his qui in die Para-
sceves vel lingua vel manu persecuti sunt
me usque ad sanguinis effusionem et mor-
tem, corpus meum lacerando flagellis, ca- *Ibid.* XXVII,
put perforando spinis, manus ac pedes 29, 35.
confodiendo gravibus clavis. Ab his Chri-
stus eripi et salvari precatur, non ut hæc
non patiatur, sed ut statim a morte susci-
tetur, in mundo clarificetur, et corpore
glorificetur. Quamobrem ait ad Patrem :
Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. *Joann.* XVII,
Alibi quoque : Pater, inquit, salvifica me 1. *Ibid.* XII, 27.
ex hac hora.

Merito autem, o Pater æterne, hæc oro,
(3) *Quia ecce ceperunt* prædicti Judæi, præ- 4
sidisque ministri, *animam meam,* id est
vitam meam corporalem, ut eam exstin-
guant; vel, Animam meam, id est me ip-
sum, ut me interficiant. Sæpe enim per
partem in Scripturis totum signatur, ut
ibi : Verbum caro factum est. Ecce istud ad *Ibid.* I, 14.
litteram non convenit proprie ipsi David.
Nunquam enim a Saul et ejus fautoribus
captus fuit, nec capi prævaluit. *Irruerunt*
in me Christum Filium tuum, sanctum et
innocentem, *fortes* in malo, videlicet prin-
cipes sacerdotum, Pilatus condemnans, et
Herodes deridens. (4) *Neque iniquitas mea* 5
contra Deum, *neque peccatum meum* con-
tra proximum, *Domine* Deus : id est, nulla
mea culpa merui ista pati, sed quæ non *Ps.* LXVIII,
rapui, exsolvebam, et pro peccato totius 5.
mundi hæc pertuli, ut scriptum est : Ani- *Joann.* X,
mam meam pono pro ovibus meis. Unde 15.
Isaias ait : Dominus posuit in eo iniqui- *Is.* LIII, 6.
tatem omnium nostrum. *Sine iniquitate*
cucurri, per viam mandatorum tuorum
et sæculi hujus campum : sicut superius
dictum est, Exsultavit ut gigas ad cur- *Ps.* XVIII,
rendam viam mandatorum tuorum. Unde 6. *Joann.* XIV,
Christus testatur : Sicut mandatum dedit 31.

Digitized by Google

mihi Pater, sic facio. *Et direxi* totam con- A versationem meam humanam in hoc mundo secundum voluntatem divinam, nec unquam in aliquo aberravi. Istud quoque satis improprie convenit David. Quamvis enim a Saule occidi non meruit, non tamen penitus sine iniquitate cucurrit et di- 1 *Joann.* I, 8. rexit. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Et *Job* xv, 14, juxta LXX. nemo mundus a sorde, nec infans cujus est vita unius diei. Propter quod Salomon *Eccle.* vii, 21. asserit : Non est homo super terram qui faciat bonum, et non peccet. Nec videtur B quod David in tantum se ipsum justificare præsumpserit ante Deum.

6 (5) *Exsurge in occursum meum :* id est, tu, Domine Pater, mihi ad locum Calvariæ exeunti, et propriis humeris crucem bajulanti, occurre, id est, per modum exsurgentis et occurrentis te habe, meæ humanitati in omnibus adsistendo, cooperando, et succurrendo. Tota enim efficacia meriti humanitatis Christi, erat ex virtute divina. Animæ quoque meæ de corpore emigranti, et limbum intranti, et una cum corpore C cœlos ascendenti, occurre, eam in omnibus deducendo et amplectendo. Hoc enim Chri- *Luc.* xxiii, 46. stus oravit, dicendo : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Et vide* oculo pietatis atque justitiæ, quanta pro tuo honore ac mundi redemptione sustineo ; hocque videndo, da mihi præmium accidentale, detentis in limbo præmium essentiale, et totum mundum ad rectam fidem converte.

Et tu, Domine universorum, *Deus virtutum* cœlestium, scilicet angelorum, *Deus* D *Israel,* id est spiritualium hominum te per fidem contemplantium : qui ad litteram specialiter eras Deus sancti Jacob, qui *Gen.* xxxii, 28. dictus est Israel, et populi Judæorum, qui sæpe in Scriptura Israel nominatur; (6) *Intende ad visitandas omnes gentes,* etc. Visitatio Dei in sacra Scriptura interdum in bono accipitur, scilicet pro miseratione et subventione divina, quemadmodum in Lu- *Luc.* i, 78. ca habetur : Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos. Interdum autem accipitur in malo, videlicet pro ultione divina, secundum quod per Sophoniam Dominus ait : Visitabo super om- *Soph.* i, 9. nem qui arroganter ingreditur. Sic quoque accipitur apud Isaiam, ubi legitur de dæmonibus et damnatis : Congregabuntur in *Is.* xxiv, 22. congregatione unius fascis in lacum, et claudentur in carcere, et post dies multos visitabuntur. Origenes autem putavit visitationem hoc loco sumi in bono : propterea dixit omnes damnatos tandem salvandos.

Secundum duplicem igitur hanc visitationem, exponi potest dupliciter locus iste. Primo sic : *Intende,* o Domine, *ad visitandas omnes gentes,* id est, peccatores gentiliter conversantes justo tuo judicio visita, subtrahendo eis gratiam in præsenti, et gloriam in futuro, atque utrobique debitas eis pœnas infligendo. Ideo sequitur, *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem :* quod dicitur magis prænuntiando quam imprecando, nisi intelligatur de perseverantibus in peccato, propriumque affectum conformando divinæ justitiæ. Nec tamen sic intelligi debet, quasi Deus nullo modo misereatur damnatis : quia in præsenti citra condignum relinquuntur, eo quod angeli eorum a multis malis ipsos avertant ; in futuro quoque citra condignum puniuntur. Sed Deus dicitur eis non misereri, quia non salvat eos finaliter, et quoniam magis ac evidentius relucet in eis divina justitia, quam misericordia. Et sic Jacobus ait : Judicium sine *Jacob.* ii, 13. misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam. — Secundo exponitur sic : *Intende ad visitandas omnes gentes,* ita ut eas per gratiam tuam illumines, ad fidem convertas, super semitas justitiæ ducas, quatenus omnes benedicantur in Christo : secundum quod Abrahæ in Genesi sæpe promittitur, In semine tuo benedicentur *Gen.* xii, 3; xviii, 18; xxii, 18. omnes gentes. *Non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem,* id est, in præsenti vita eis non parcas, sed argue et castiga, nuncque ulciscere, ne postmodum gravius ulciscaris.

Digitized by Google

7 (7) *Convertentur ad vesperam,* etc. Istud
quoque dupliciter explanatur. Primo, de
gentibus. *Convertentur ad vesperam,* id
est, gentiles ad Christum convertentur in
sexta ætate ac ultima, secundum quod Jo-
I Joann. II, 18. annes in sua Canonica ait : Novissima ho-
I Cor. X, 11. ra est ; et Paulus, Nos sumus in quos fines
sæculorum devenerunt. *Et famem pati-
entur ut canes,* id est, justitiam esurient
ac sitient, Deique verbum avide audient,
sicut in Actis Apostolorum de Thessaloni-
Act. XVII, 11. censibus Lucas commemorat : Hi sunt qui
cum omni aviditate receperunt verbum
Dei, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc
ita se haberent. *Et circuibunt civitatem,* id
est militantem Ecclesiam, quatenus a præ-
dicatoribus audiant verbum salutis quod
optant. De hac gentium conversione et fa-
Amos VIII, 11, 12. me Amos inquit : Ecce dies veniunt, dicit
Dominus, et mittam famem super terram :
non famem panis, neque sitim aquæ, sed
audiendi verbum Dei ; et commovebuntur
a mari usque ad mare, id est, circuibunt
Ecclesiam, quæ per orbem terrarum longe
8 ac late extenditur. (8) *Ecce loquentur in
ore suo :* id est, gentes ad fidem conversæ
non solum corde, sed etiam ore Christi mi-
rabilia dicent, laudes divinas cantabunt,
Deumque verbo et opere audacter et pu-
blice confitebuntur : sicut ait Apostolus,
Rom. X, 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem
confessio fit ad salutem. *Et gladius in la-
biis eorum,* id est, prædicatio evangelica
erit in ore ipsorum. Hæc enim prædicatio
Ephes. VI, 17. gladius dicitur, juxta illud Apostoli : Et
gladium spiritus, quod est verbum Dei. Et
in Isaia Christus de Deo Patre loquens :
Is. XLIX, 2. Posuit, inquit, os meum quasi gladium
acutum. Prædicatores enim verba instar
ensis acuta loquuntur, mundum terribili-
ter increpando. *Quoniam quis audivit ?* id
est, quoniam pauci sunt qui fide et mori-
Matth. XX, 16. bus Evangelio Christi obediunt. Multi enim
sunt vocati, pauci vero electi. Unde Isaias
Is. LIII, 1. dicit : Domine, quis credidit auditui no-
9 stro ? (9) *Et tu, Domine,* juste judex, Deus
omnipotens, sanctus et verax, *deridebis
eos,* id est vocatos et multos, Christi Evan-

A gelio verbo aut opere contradicentes, *ad nihilum deduces omnes gentes,* id est gentiliter conversantes, omni spirituali et meritorio esse eas privando, finaliterque damnando, atque pro nihilo reputando.

Secundo exponitur de Judæis hoc modo: *Convertentur ad vesperam,* id est, in fine mundi et termino hujus ultimæ ætatis convertentur ad Christum, quemadmodum in Osee legitur prophetatum : Dies multos (Osee III, 4) sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et si- B ne ephod, et sine theraphim ; et post hæc convertentur, et quærent Dominum Deum suum et David regem suum (id est Messiam, ut omnes exponunt), et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus in novissimo dierum. Tunc quippe implebitur quod in Ezechiele prædictum est : Salvabo gregem (Ezech. XXXIV, 22, 24) meum, ait Dominus ; et servus meus David (id est Christus) princeps eorum. Unde ait et Apostolus : Quum plenitudo gentium (Rom. XI, 25, 26) intraverit, omnis Israel salvus fiet. Nec dissonat quod Christus in Evangelio pro- C testatur, Elias quum venerit, restituet omnia ; (Marc. IX, 11) et rursus, Fiet unum ovile et unus pastor. (Joann. X, 16) Ad prædicationem namque Eliæ convertentur Judæi, secundum quod per Malachiam Dominus ait Judæis : Ecce ego (Malach. IV, 5) mittam vobis Eliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. *Et famem patientur ut canes :* quoniam tunc Judæi avidissime audient verbum Dei. *Et circuibunt civitatem,* id est Ecclesiam Christi ex gentibus congregatam, quam modo contemnunt, tunc reverenter D atque fideliter visitabunt, quatenus informationem evangelicæ legis acquirant. *Ecce loquentur in ore suo,* etc. Versus iste ita conveniet Judæis tunc convertendis, sicut jam declaratus est convenire gentibus ad fidem conversis. Potest tamen exponi de Judæis qui Christum præsentem spreverunt et occiderunt. Ut sit sensus : *Ecce* Judæi tempore Christi *loquentur in ore suo* detractiones et crimina atque blasphemias contra Christum ; *et gladius,* id est sermo persecutionis et mortis senten-

Digitized by Google

tiam deprecans, *in labiis eorum*. Dixerunt A
Joann. xix, 7. enim coram Pilato : Nos legem habemus,
et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. *Quoniam quis audivit ?*
hoc est, Judæi inter se tractabant se velle
ista scelera Christo objicere, atque has pœnas ei inferre, quia putabant consilium
suum Christum latere, nec aliquem alium
ipsorum malignitatem advertere. Volebant
enim eum sine præsentia turbæ occidere.
Matth. xxvi, 5. Dicebant enim : Non in die festo, ne forte
tumultus fieret in populo. *Et tu, Domine, deridebis eos*, dando eos in manus Roma- B
norum. Et in hora mortis ipsorum irrisisti eos. In finali quoque judicio ipsos
irridebis, ostendendo eos errasse, et irrisione dignos exsistere : sicut superius di-
Ps. II, 4. ctum est, Qui habitat in cœlis, irridebit
eos. In libro Proverbiorum quoque legi-
Prov. I, 26. tur : Ego in interitu vestro ridebo et subsannabo, quum vobis quod timebatis evenerit.

10 (10) *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Hæc sunt verba Christi ad Patrem.
Quibus concordat quod ipse in Evangelio C
Joann. V, 19. testatur : Non potest Filius a se quidquam
facere, nisi quod viderit Patrem facientem;
Ibid. 30. et iterum, Non possum ego a me ipso facere quidquam. Est igitur sensus : Totam
meam virtutem, perfectionem atque potentiam ad te, id est ad tuum honorem et
laudem, o Pater, custodiam, id est, observabo et ordinabo, ne aliquo modo aberrem,
aliquid mihi adscribendo, quum totum a te receperim. Non solum autem refert
Christus ad Patrem totam suam virtutem
creatam, fortitudinemque humanam, sed D
etiam divinam et increatam, profitendo se
illam quoque recepisse a Patre. Propter
Ibid. X, 29. quod dicit : Pater quod dedit mihi, majus
omnibus est, id est divina essentia quam
a Patre accepi. Per hoc enim probat se es-
Ibid. 30. se verum Deum : nam subdit, Ego et Pater unum sumus. Increatam autem suam
virtutem retulit Christus ad Patrem, tanquam ad originem, non sicut ad finem.
— Vel sic : *Fortitudinem meam*, qua adversarios meos possem subito variisque
tormentis destruere, dejicere atque occidere, *ad te custodiam*, id est, secundum
voluntatem tuam, o Deus Pater, restringam et differam, nec statim ulciscar me
ipsum, sed tempus pœnitentiæ ipsis conce-
dam. Hinc enim ait Petro : An putas quia Matth.
non possum rogare Patrem, et exhibebit xxvi, 53.
mihi modo plus quam duodecim legiones
angelorum ? Nam et quum solo verbo, pas-
sione instante, hostes suos prostravisset Joann. xviii,
dicendo, Ego sum, fortitudinem suam com- 5, 6.
pescuit, eosque surgere fecit.

Quia Deus susceptor meus es : id est, Verbum Dei humanitatem meam ad suam
personalitatem assumpsit. Deus quoque Trinitas susceptor est Christi hominis, quoniam omnes ejus preces exaudivit, resurgentem et ascendentem accepit, atque ad
dexteram suam collocavit. Unde Deus Pa-
ter de Christo per Isaiam ait : Ecce servus Is. XLII, 1.
meus, suscipiam eum. *Deus meus, miseri-* 11
cordia ejus præveniet me. Nullam unquam creaturam, imo nec omnes simul Deus tam
gratiose misericorditerque prævenit, ut Christum hominem. Sola enim benignitate
et gratia Dei, assumpta est Christi humana natura a Verbo : non enim præcesserant
merita, sed in eodem instanti est creata et Deo unita.

(11) *Deus ostendit mihi super inimicos* 12
meos, id est, mihi homini revelavit de ipsis Judæis quod sequitur. *Ne occidas eos*,
id est, noli, o Christe, Fili dilecte, crucifixores tuos eorumque posteros penitus
eradicare de terra, sed ora pro eis in bo-
no, dicendo : Pater, ignosce illis. Nec om- Luc. XXIII,
nes interficiantur, sed quidam eorum re- 34.
maneant in memoriam ac testimonium evangelicæ veritatis. Ideo subjungit : *nequando obliviscantur populi mei*, id est, ne
aliquando Christiani me et legem meam tradant oblivioni, non credendo quod fuerint aliquando Judæi, qui tantum scelus
perpetrare præsumpserint ; sed videndo Judæos inter se commorari, incessabiliter
sint memores mei, elicientes etiam fidei suæ argumentum ex repulsa, dispersione
ac derelictione Judæorum. Ecce ex his tra-

Digitized by Google

hitur ratio cur Judæi non sint occidendi, A
nisi speciali peccato meruerint.
Deinde Christus ait ad Patrem : (12) *Dis-*
Osee IX, 17. *perge illos* per totum mundum, ut sint vagi
in nationibus : sicut per Osee prædictum
est ; *in virtute tua* omnipotente, per quam
tibi omnia facilia sunt, per quam etiam
contulisti Romanis potentiam dispergendi
Judæos. *Et depone eos* a prosperitate et
gloria temporali, a regno, a sacerdotio,
omnique honore legis paternæ, *protector*
meus, id est meæ humanitatis, *Domine* Pa-
ter : depone, inquam, non ignoscendo, sed B
13 ab effectu impediendo, (13) *Delictum oris*
eorum, hoc est *sermonem labiorum ipso-*
Joann. XVIII, 30. *rum,* quo dixerunt coram Pilato : Si non
esset hic malefactor, non tibi tradidisse-
Matth. XXVII, 63. mus eum ; et alibi : Domine, recordati su-
mus quia seductor ille dixit adhuc vivens,
Post tres dies resurgam. *Et comprehen-*
dantur in superbia sua, id est, in peccato
suo moriantur : secundum quod Christus
Joann. VIII, 21. dixit Judæis, In peccato vestro moriemini :
quod Christus dicit potius prænuntiando
quam imprecando. Vel, Comprehendantur, C
id est, obsideantur, concludantur, et ca-
piantur in civitate Jerusalem ab exercitu
Luc. XIX, 43, 44. Romanorum, sicut et Christus prædixit.
Vel, Comprehendantur in superbia sua, id
est, confundantur a Christi Apostolis, ver-
bis atque miraculis Christi resurrectionem
docentibus, demonstrantibus, ac palam pro-
bantibus.
(14) *Et de exsecratione,* id est abomina-
tione, qua Christo detraxerunt, eumque
Matth. XI, 19. spreverunt, dicentes, Homo vorax, amicus
publicanorum ; *et mendacio,* quod contra D
Joann. VII, 12. Christum locuti sunt, dicendo, Seducit tur-
Matth. XXVIII, 13. bam ; et, quod discipuli furati essent eum
de monumento ; *annuntiabuntur,* id est,
14 redarguentur a judice Christo, *in consum-*
matione, id est in fine mundi judicioque
finali. De qua consummatione Christus in
Ibid. XIII, 49. Evangelio dicit : Sic erit in consummatio-
Joann. XIX, 37; Apoc. I, 7. ne sæculi. Tunc enim videbunt in quem
pupugerunt. Unde clarius subdit : *in ira*
consummationis, id est in divina ultione
et increpatione quæ erit in die judicii, re-

darguentur a Christo, quia tunc dicet eis :
Ite, maledicti, in ignem æternum. *Et non* Matth. XXV, 41.
erunt in numero electorum, neque in glo-
ria : juxta illud, Tollatur impius ne videat Is. XXVI, 10 juxta LXX.
gloriam Dei. Tunc enim in æternum per-
ibunt. (15) *Et scient,* in die novissimo, per
experientiam pœnæ, et per corporalem
Christi intuitum, *quia Deus,* id est Chri-
stus, *dominabitur Jacob,* id est vero Isra-
eli, videlicet populo Judæorum in Jesum
Christum credenti, *et finium terræ,* id est
omnium gentium in ipsum credentium.
Horum enim post finale judicium domi-
nabitur Christus Deus in triumphanti Ec-
clesia, sicut et nunc dominatur universo-
rum fidelium in Ecclesia militanti.
(16) *Convertentur ad vesperam,* etc. Iste 15
versus jam semel expositus est : quem
modo resumit Propheta ad consolandum
se ipsum super interitu populi sui. Conso-
lans ergo se ipsum, insinuat quod reliquiæ
salvæ fient, quemadmodum Isaias et Pau-
lus testantur : Si fuerit, inquiunt, semen Is. X, 22.
filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ Rom. IX, 27.
salvabuntur.
(17) *Ipsi dispergentur ad manducan-* 16
dum : id est, Judæi in fine sæculi conver-
tendi, circumquaque ibunt ad homines
virtuosos, ut panem vitæ et intellectus ac-
quirant, cognoscendo et observando Chri-
sti doctrinam ; sicque obedientiæ cibum
manducent, de quo asserit Christus : Meus Joann. IV, 34.
cibus est, ut faciam voluntatem Patris
mei. *Si vero non fuerint saturati* pane
prædicto, id est justitia quam maxime de-
siderabunt, tunc *et murmurabunt,* non
contra Deum, sed contra se ipsos, redar-
guentes se, quod tam sero conversi sunt,
nec juxta desiderium suum proficere pos-
sunt. Vel : *Dispergentur ad manducan-*
dum corpus et sanguinem Christi : quæ
utique tunc devotissime sument, sicut ple-
nissime credent ; imo devotissime Sacra-
mentum altaris percipient, sicut primitiva
Ecclesia, quæ (ut Lucas affirmat) perseve- Act. II, 42.
ravit in communione fractionis panis. *Si*
vero non fuerint saturati gratia sacramen-
tali, videlicet effectibus hujus superdi-

Digitized by Google

gnissimi Sacramenti, *et murmurabunt :* A
secundum intellectum inductum.

17 (18) *Ego autem,* o Deus, *cantabo fortitudinem tuam,* id est, laudabo coram discipulis meis tuam potentiam, qua me resuscitasti a mortuis ; *et exsultabo,* id est, exsultanter gaudioseque proferam et
Marc. xvi, 9. annuntiabo, *mane,* prima sabbati, quando Mariæ Magdalenæ apparui, *misericordiam tuam,* id est gratiam qua me tam celeriter resuscitasti, et quam detentis in limbo universoque mundo per me dare dignatus es. Christus enim post resurrectionem, Dei B potentiam prædicavit, quando (ut Lucas
Act. i, 3. commemorat) per quadraginta dies apparens discipulis, loquebatur eis de regno
Ibid. 7. Dei : Non est, inquiens, vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Exsultavit quoque mane, id est tempore evangelicæ legis et gratiæ, misericordiam Dei, quando discipulis di-
Marc. xvi, 16. xit : Quicumque crediderit et baptizatus
Joann. xx, 22. 23. fuerit, salvus erit ; atque iterum : Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. (19) *Quia fa-* C *ctus es,* o Deus Pater, *susceptor meus :* secundum sensum jam dictum ; *et refugium meum in die tribulationis meæ,* id est toto tempore conversationis meæ in mundo, quæ tribulationibus plena fuit. Nam et passione instante, Christus ad Patrem confugit, orans et dicens : Mi Pater, si vis, Luc. xxii, 42.
transfer calicem istum a me. Moriens quoque clamavit : Pater, in manus tuas com- Ibid. xxiii, 46.
mendo spiritum meum. Et istud conveniebat Christo, in quantum erat passibilis et aliquo modo viator.

(20) *Adjutor meus, tibi psallam.* Deus 18
Christi hominis adjutor fuit in omnibus, juxta illud Isaiæ prophetæ : Dominus Deus Is. l, 7.
auxiliator meus, ideo non sum confusus. Et in Evangelio dixit : Pater in me ma- Joann. xiv, 10.
nens, ipse facit opera. Huic adjutori Christus per se ipsum et fideles psallit, verbis et operibus ipsum laudando. *Quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.* Christus ut homo, vocat Deum misericordiam suam, non quia pœnam aut culpam propriam sibi indulsit ; sed quia tam gratiosissime ipsum in omni benedi- Ps. xx, 4.
ctione dulcedinis prævenit et adimplevit, ac per hoc ab omni peccato præservavit. Incomparabili enim gratia animam ejus implevit, faciens eam divinæ essentiæ contemplatricem per speciem excellentissimo modo, a primo suæ creationis exordio.

ARTICULUS XVII

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI QUINQUAGESIMI OCTAVI.

MORALITER insuper convenit psalmus D iste Ecclesiæ Christi tribulatæ, et unicuique Christiano afflicto. Fidelis ergo tentationibus variisque adversis circumdatus,
2 totis medullis proclamet ad Deum : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus,* id est, ab invidentibus atque occulte et industriose mihi nocere studentibus, erue me. Hoc autem ad invisibiles hostes maxime pertinet. Unde vehementer egemus adjutorio Dei, id est discretione spirituum, seu illuminatione Spiritus Sancti, ad cognoscendum insidias dæmonis, quatenus cum Apostolo dicere valeamus : Non ignoramus II Cor. ii, 11.
cogitationes ejus. *Et ab insurgentibus in me,* id est a manifestis invasoribus ac persecutoribus, *libera me,* ne animam meam ad impatientiam aut alia vitia pertrahant, ne damna aut vulnera amplius inferant quam animæ expedit. Hinc enim Apostolus discipulos deprecatur : Orate ut libe- II Thess. iii, 2.
remur a malis et importunis hominibus.

Digitized by Google

3 *Eripe me de operantibus iniquitatem,* id est ab omni male viventi, quamvis non sit æmulus meus : imo a familiaribus, propinquis, vicinis et fratribus malam vitam ducentibus, maxime erui indigemus, ne cum perversis pervertamur, ne ipsis in malo consentiamus, ne propinquitas naturæ, loci et convictus, fiat occasio imitationis perversæ. *Et de viris sanguinum,* qui affectu et opere proximos suos occidunt in carne aut corde. Qui enim alium ad mortale peccatum inducit, spiritualiter eum occidit. Omnis quoque qui fratrem suum odit, homicida est. Ab his, Domine, *salva me,* ne sim similis eis.

Denique primus versus hoc modo convenienter exponitur : *Eripe me de inimicis meis, Deus meus,* id est, a malis habitibus seu consuetudinibus vitiosis intus latentibus et quodammodo quiescentibus redime me, per gratiam talia funditus ex corde meo eradicando, oppositosque virtutum habitus inferendo. *Et ab insurgentibus in me,* id est ab actualibus vitiis, a passionibus impetuosis, a motibus inordinatis, *libera me,* quatenus per gratiam tuam hujusmodi statim abjiciam, vincam, atque de die in diem minus ac rarius sentiam.

4 *Quia ecce,* o Domine, prædicti adversarii *ceperunt animam meam,* id est, vinculis peccatorum eam vinxerunt, in peccati consensum eam trahendo. Vel, Ceperunt, id est, obsederunt, invaserunt, et capere tentaverunt animam meam, insidiantes saluti mentis aut corporis sospitati. Undique namque anima nostra circumvallatur hostibus, id est impugnationibus mundi, carnis et dæmonis. *Irruerunt in me fortes* adversarii, scilicet dæmones, mundi potentes, aut vitia in me radicata, vel ad quæ ex natura proclivis sum. Hi quotidie irruunt in nos, conantes subvertere animas nostras. Idcirco incessanter clamandum est nobis ad Dominum.

5 *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine,* id est, nulla culpa merui pati ista flagella. Hoc, proh dolor! paucissimis convenit, illis videlicet qui persecutionem patiuntur propter justitiam : qui dicere possunt cum sancto Job, Hæc passus sum sine iniquitate manus meæ, quum mundas haberem ad Deum preces : his scilicet quibus pro bonis mala redduntur : qui cum Apostolo dicere queunt, Maledicimur, et benedicimus. Talis quoque fuit beatissimus David editor psalmi præsentis : qui quum multa bona fecisset Sauli, gravissimam persecutionem patiebatur ab eo. *Sine iniquitate cucurri, et direxi.* Hoc nulli præter Christum ejusque gloriosam Genitricem absolute convenire videtur, nisi taliter exponatur : Sine iniquitate, id est sine peccato mortali, cucurri viam hujus exsilii vel mandatorum ; et direxi opera mea, cogitationes ac verba secundum divinæ legis præcepta. Vel, Sine iniquitate cucurri, id est, in peccatis non perseveravi, et de venialibus quotidie satisfeci. Sic enim Apostolus ait : Nihil mihi conscius sum. Et Job : Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea, videlicet quoad peccata mortalia : sine venialibus namque non fuit. Solent autem interdum homines sancti propriam perfectionem sine omni superbia enarrare et confiteri, propter rationabiles causas, scilicet ad honorem Dei, ad proximi ædificationem, aut ut sibi faciant supplicandi fiduciam, vel spiritus pusillanimitatem expellant. Unde piissimus regum Ezechias, pro magna causa oraturus, sic ait : Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Jeremias quoque de se ipso ad nostram informationem ait : Non sedi in consilio ludentium, et diem hominis non concupivi.

Exsurge in occursum meum : id est, in 6
omni eventu, causa, opere atque negotio, mihi, o Domine, approxima præsensque esto, ostende te mihi, et suscipe me. Occurre ergo, non locum mutando, quum tu sis incircumscriptibilis atque immobilis; sed opem et gratiam impendendo, quia tu solus servare me potes. Occursus autem Dei quandoque in malo accipitur, scilicet

pro resistentia et ultione qua Deus peccatoris voluntatem ab opere impedit, punit ac damnat, secundum quod Dominus de Osee XIII, 8. peccatoribus protestatur : Occurram eis quasi ursa raptis catulis. Interdum vero in bono accipitur, sicut jam dictum est. Gen. XXIV, 12. Sicque puer Abrahæ : Domine, inquit, obsecro, occurre hodie mihi, et fac misericordiam, etc. Nos igitur, considerantes quia adjutorio Dei indesinenter in omni negotio indigemus, semper dicamus : Exsurge in occursum meum, Domine. Sed ut hujus precis sortiamur effectum, agamus Amos IV, 12. quod Amos scribit : Præparare in occursum Dei tui, id est, fac quod in te est, et para te ipsum, ut dignus efficiaris obviatione divina. Hinc etiam per Jeremiam Jer. XXX, 21. Dominus ait : Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? *Et vide,* id est, o Domine, clementer considera quanta mihi instent discrimina, quantum indigeo gratia tua, quam affectuose et confidenter te invoco.

7 *Convertentur ad vesperam.* Hoc dicere potest mater Ecclesia, de his qui nec in adolescentia, neque in juventute obedire volunt exhortationibus sanctis. De talibus namque desperandum non est, quia fortassis in tertia vigilia seu undecima hora convertentur, *et famem* justitiæ *patientur ut canes,* tam cupide proficiendo, ut mane Matth. XX, 16. conversos præcedant, fiantque novissimi primi, et primi novissimi.

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam,* id est, totam potestatem, virtutem et gratiam meam tibi attribuam, dicendo cum sancto Job VI, 13. Job, Ecce non est auxilium mihi in me; 1 Cor. XV, 10. et cum Apostolo, Gratia Dei sum id quod sum. Confiteborque verum esse quod tu, Domine, per Prophetam sanctum dicis : Osee XIII, 9. Perditio tua, Israel, ex te; in me tantummodo auxilium tuum. Si ergo fortitudinem tibi divinitus præstitam optas servare, non perdere, omne quod es, potes et agis, Jer. XVI, 19. Deo adscribe, dicque illud : Domine, fortitudo mea et refugium meum et robur meum. *Quia Deus susceptor meus es.* Deus Dei Filius susceptor est nostræ naturæ in A incarnatione; et Deus Trinitas susceptor nostrorum desideriorum in oratione, nostræ pœnitentiæ in justificatione, nostri obsequii in sua pietate, nostræ animæ in glorificatione, nostrique corporis in resuscitatione. Imo benignissimus Dominus Deus noster incessanter paratus est nos in brachiis suæ paternæ dilectionis recipere, confovere, protegere, atque salvare, sicut per Prophetam animæ peccatrici dicit : Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, et non avertam Jer. III, 1, 12. B faciem meam a te; et iterum : Noluisti erubescere; ergo saltem amodo voca me, Pater meus es tu. Ibid. 3, 4. Et per Ezechielem dicitur : Quacumque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. Ezech. XVIII, 21, 22.

11 *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Hoc est verbum bonæ fiduciæ, estque implicite fervens oratio. Hoc enim dicit fidelis, non præsumendo, sed sperando ac desiderando. Desiderium enim pauperum exaudivit Dominus, etiam Ps. X, 17, juxta Hebr. antequam in formalem aut vocalem ora- C tionem erumpat. Nisi autem misericordia Dei nos præveniret, salvi fieri non possemus, quoniam gratiam primam nullus de condigno meretur : oportet ergo ut gratia Dei nos præveniat, conservet, perducat, perficiat. Ideo enim Christus : Sine me, inquit, nihil potestis facere. Joann. XV, 5.

12 *Deus ostendit mihi super inimicos meos : Ne occidas eos,* etc. Hoc dicit Ecclesia, sicut et Christus, de Judæis inter Christianos morantibus : quos non occidit propter rationem in præcedenti explanatione expo- D sitam. Potest quoque intelligi de omnibus hostibus, ut sit sensus : *Deus ostendit mihi super inimicos meos,* id est, Christus præcepit mihi de adversariis meis : *Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei,* id est, ne proximi scandalizentur in vestra vindicta, imitenturque opera vestra, et obliviscantur mea præcepta, quibus præcepi : Diligite inimicos vestros, Matth. V, 44. benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

Digitized by Google

Hoc ergo agens Ecclesia, orat : *Disperge*
illos in virtute tua, id est, a malitia separa
Job xiv, 4. eos, qui solus potes facere mundum de
immundo; *et depone eos* a malo proposito.
Depone quoque, id est, indulge et dele,
13 *delictum oris eorum,* videlicet *sermonem*
illicitum *labiorum ipsorum,* quo vel in te,
vel in proximum peccaverunt; *et compre-*
hendantur in superbia sua, id est, per
flagella tuæ paternæ correctionis coarcte-
tur ac restringatur eorum superbia, qua-
tenus humiliati per pœnas, cessent a vita
superba. *Et de exsecratione,* qua justos
abominati sunt, et viam Dei spreverunt,
et mendacio annuntiabuntur, id est, accu-
sabuntur et redarguentur a prædicatoribus
Christi in sæculo isto quotidie : quorum
officium est errantes instruere, peccatores
arguere, nulliusque peccata palpare. An-
14 nuntiabuntur autem *in consummatione,* id
est in doctrina eos perficiente, vel ad hoc
ut consummentur in bono; *in ira consum-*
mationis, id est in increpatione caritativa
ad consummationem virtuosam tendente.
Ex caritate enim procedit ira per zelum,
qua prædicatores et justi impios arguunt
et castigant, quemadmodum Apostolus ait:
Tit. i, 13. Increpa illos dure. *Et non erunt,* id est,
peccatores post annuntiationem et con-
summationem prædictam, non erunt tales
quales ante fuerunt : relinquent enim se
Galat. ii, 20. ipsos, et vivent jam non ipsi, sed Christus
Prov. xii, 7. in eis. Unde Salomon admonet : Verte im-
pios, et non erunt. *Et sciant,* per experien-
tiam misericordiæ Dei sibi exhibitæ, *quia*
Deus dominabitur Jacob, id est supplanta-
toribus vitiorum, videlicet justis, *et finium*
terræ, id est etiam vitiosis, dummodo ve-
lint ad ipsum converti. Sic enim regnabit
in eis per fidem et gratiam, faciens eos
sibi famulos efficaces.
17 *Ego autem,* o Deus, *cantabo fortitudi-*
nem tuam, id est, laudabo potentiam tuam
circa me, qua me de ore diaboli eruisti,
ex impio justificasti, ad vitam laudabilem
perduxisti. Laudabo quoque omnipoten-
tiam tuam, quam parcendo maxime et mi-
serando manifestas; qua cœlum et terram
A creasti, conservas, gubernas; per quam
facis magna et inscrutabilia et mirabilia Job ix, 10.
absque numero. *Et exsultabo,* id est, hila-
riter pronuntiabo, *mane,* id est cito et in
principio, scilicet antequam in aliis occu-
per : secundum quod a Matthæo scriptum
est, Primum quærite regnum Dei; vel, Matth. vi, 33.
Mane, id est gratia tua veniente, ac radi-
ante in me; *misericordiam tuam,* id est
te ipsum misericordem ac misericordiæ
tuæ effectum, confitendo beneficia tua
mihi clementer collata : quemadmodum
B Raphael angelus jubet, Benedicite Deum Tob. xii, 6.
cœli, et coram omnibus viventibus confi-
temini ei, quia fecit vobiscum misericor-
diam suam. *Quia factus es,* sine tui mu-
tatione, *susceptor meus,* convertendo cor
meum ad te. Fit enim Deus susceptor no-
ster, alterando cor nostrum per gratiam
suam, non mutando se ipsum. *Et refu-*
gium meum in die tribulationis meæ, quia
dedisti mihi gratiam hanc, per quam in
omni necessitate ad tuam pietatem con-
fugio.
C *Adjutor meus, tibi psallam,* id est, lau- 18
de operosa, scilicet vita et voce, te lauda-
bo, *quia Deus susceptor meus es:* propterea
te satis laudare non valeo. *Deus meus, mi-*
sericordia mea. Cur non potius, Miserator
meus? nisi quod tanta tamque inæstimabi-
lis, ineffabilis ac infinita est misericordia
Dei super nos, ut aptius dicatur in abstra-
cto, Nostra misericordia, quam in concre-
to, Miserator noster. Sic enim dicere so-
lemus de eo quem ardenter amamus : Tu
es amor meus. Itaque tu, Domine Deus
D meus, misericordia mea. Definiant seu de-
scribant te alii sicut volunt; ego conve-
nientius te describere nequeo, quam, Deus
meus, misericordia mea. Dicat Aristoteles :
Deus est actus purus; dicat Plato : Deus
est per se bonum; dicat Avicenna : Deus
est bonitas pura. Ego in æternum dicturus
sum : Deus meus, misericordia mea. Tua
enim bonitate creatus sum, tua incarna-
tione deificatus, tua conversatione sancti-
ficatus, tua passione redemptus, tua as-
censione glorificatus.

Digitized by Google

Præterea, quoties in psalmo isto tam A inclyto jam dictum est, Deus meus et susceptor meus? Et nonne Deus, omnium cœlestium, terrestrium et infernorum Deus exsistit? Cur ergo, Deus meus? Non est hoc omnium dicere : Deus meus. Deus enim a causalitate et providentia nomen accepit. Nos quoque illud, deum uniuscujusque vocamus, quod summe ab eo ama- Philipp. III, 19. tur et colitur. Ideo enim gulosorum deus venter est, avarorum aurum. Ille igitur vere ac proprie dicere potest, Deus meus, qui ipsum singulariter colit et fervide diligit : de quo etiam Deus specialem providentiam habet, ipsum præservando a malis, et promovendo in bonis. Hinc enim magnus ille atque divinus Areopagita Dionysius absolute dicere non præsumpsit, Deus meus ; sed ita in libris suis scripsit: Deus, et si fas est dicere, meus.

Totum igitur affectum nostrum congregemus et stabiliamus in Deo, nil prorsus amantes in creaturis, nisi in ipso et propter ipsum. Ipsum vero finaliter, pure et propter se diligamus, quia in ipso est omnium bonorum, pulchrorum ac desiderabilium plenitudo simpliciter infinita.

PRECATIO.

B Visita nos, Domine, gratuito benignitatis munere, et esto refugium nobis in die tribulationis, eripiens nos ab insurgentibus inimicis nostris : ut ab omnibus subducti hostium incursibus, tibi adjutori modo indefessi psallamus.

ARTICULUS XVIII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI QUINQUAGESIMI NONI : DEUS, REPULISTI NOS.

1 Hujus psalmi titulus est : *In finem, pro* C
his qui commutabuntur, in tituli inscri-
2 *ptione ipsi David, in doctrinam, quum*
succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam
Sobal, et convertit Joab, et percussit Edom
in valle Salinarum duodecim millia. Juxta intellectum litteralem, sensus tituli hujus dependet ex historiis librorum Regum et Paralipomenon. (II Reg. x; I Par. xix.) Ad litteram enim fecit David hunc psalmum de statu et regno Israel, ejus miserias deplangendo, ejusque reparationem deprecando. Legitur enim secundo Regum libro, quemadmodum Ha- (II Reg. x, 4, 13-19.) D non filius Naas regis Ammonitarum, contumeliam intulit servis David : quo facto, timens ipsum David, conduxit sibi in adjutorium quosdam de Mesopotamia, et quosdam de Syria ac aliis locis : qui omnes victi sunt a populo David. Est igitur sensus tituli : Psalmus iste *in finem,* scilicet Christum, nos dirigens, qui est finis totius divinæ Scripturæ, scriptus est ad litteram *pro his qui commutabuntur, in tituli inscriptione ipsi David,* id est pro populo Israel, qui tenuit David pro rege (II Reg. v, 1-3.) suo a Deo electo, sicut et titulus dicit : quia Deus per Samuelem prædixit David (I Reg. xvi, 1, 11, 12.) debere esse et nominari regem Israel. Psalmus, dico, scriptus ea occasione, *quum* David *succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal :* sicut historiæ prædictæ plenius pandunt ; *et convertit Joab,* id est, aciem direxit, *et percussit Edom,* id est Idumæos, *in valle Salinarum.*

LOQUENS igitur David in persona regni Israel, ait : (1) *Deus, repulisti nos* a 3
tua defensione, *et destruxisti nos,* permittendo hostes ingredi terminos nostros, et civitates nostras vastare, hominesque occidere. *Iratus es* adversus nos propter peccata nostra. Regnum enim Israel tempore

Digitized by Google

judicum multipliciter affligebatur. Unde A
I *Reg.* XIII, 19. primo libro Regum dicitur, quod faber fer-
rarius non erat in terra Israel. Caverant
namque Philistæi, ne facerent Hebræi lan-
ceam aut gladium, ut pugnare non possent.
Et misertus es nobis, non penitus conte-
rendo nos, neque nos affligendo tam ve-
4 hementer sicut meruimus. (2) *Commovisti*
terram, id est inhabitantes in terra nostra,
permittendo nos impugnari et eradicari a
Ibid. XXXI, 7. terra. Expulerunt enim Philistæi Hebræos,
et habitabant in civitatibus ipsorum. *Et*
conturbasti eam, id est, terrore adversa- B
riorum turbari eos permisisti. *Sana con-*
tritiones ejus, id est, ruinas ejus et affli-
ctiones recupera, *quia commota est,* id
est, propter prædictas miserias nostras mo-
veatur pietas tua ad miserendum succur-
5 rendumque nobis. (3) *Ostendisti populo tuo*
dura, id est, diversa flagella super nos in-
duxisti; *potasti nos vino compunctionis,*
id est, compunctione seu mœrore, et men-
tis dolore nos implesti, sicut homo vino
potatur, et potu impletur : quemadmodum
Jer. XXIII, 15. apud Jeremiam legimus, Ecce ego cibabo C
eos absinthio, et potabo impios felle, dicit
Dominus.
6 (4) *Dedisti metuentibus te significatio-*
nem, id est intellectum, *ut fugiant a facie*
arcus, id est a comminatione divini judicii.
Per castigationes enim præsentes illumi-
nat Deus corda humana, ut timeant futura
supplicia. Propter quod apud Jeremiam
Ibid. XXXI, 18. habetur : Castigasti me, et eruditus sum.
Hoc autem facis, o Domine, (5) *Ut liberen-*
tur dilecti tui, videlicet filii Israel quos
Osee XI, 1. dilexisti : juxta illud, Puer Israel, et dilexi D
Jer. XXXI, 3. eum ; et illud, In caritate perpetua dilexi
7 te, ideo attraxi te miserans. *Salvum fac* me
orantem, et eos pro quibus exoro, *dextera*
tua, id est per dexteram tuam, scilicet per
piam tuam adsistentiam, favorabilem præ-
sentiam, et gratiosam clementiam; *et exau-*
di me ista precantem.
8 (6) *Deus locutus est in Sancto suo,* id
est per sanctum suum Prophetam, scilicet
I *Reg.* XVI, 1; II *Reg.* VII, 4-17. Samuelem, seu Nathan, quorum utrique
revelavit prosperitatem regno Israel adfu-
turam tempore David. Locutus est vero
Deus quod sequitur : *Lætabor,* id est, quod
ego David in ipso lætarer sicut in Deo
salutis meæ ; *et partibor Sichimam,* id
est, spolia terræ Sichem dividam servis et
adjutoribus meis, eamque restituam ha-
bitatoribus suis : quæ omnia per David
completa sunt. *Et convallem Tabernaculo-*
rum, id est locum juxta Jordanem situm,
quem Jacob appellavit Socoth, id est ta- *Gen.* XX[XIII,] 17.
bernacula, quia de Mesopotamia rediens,
et Esau fratrem suum declinans, fixit in
eo tentoria. Hanc ergo convallem *metibor,*
id est, filiis Israel dividam secundum de-
bitam uniuscujusque mensuram, expulsis
de ea Philistæis, qui eam injuste ad tem-
pus possederant.
Hæc quoque acturus sum adjutorio popu-
li mei, eorum præcipue qui bellicosiores
et fortiores fuerunt. De quibus subjungitur:
(7) *Meus est Galaad,* id est populus habens 9
terram Galaad in possessionem trans Jor-
danem : qui erant nominati in robore pro-
pter Jair et Jephthe; *et meus est Manasses,* *Judic.* X, 4; XI, 1.
id est populus ex tribu Manasse progeni-
tus : qui erat famosus propter Gedeonem *Ibid.* VI-V[III]
de hac stirpe exortum. *Et Ephraim,* id est
populus ex tribu Ephraim natus, est *for-*
titudo capitis mei, id est potestas regni
mei, vel fortitudo principalis quodammo-
do et capitanea. Habitabat enim hic popu- *Josue* X[VII,] 1-8.
lus in una extremitatum regni Israel ver-
sus aquilonem, sicut et populus Juda in *Ibid.* XV[I,] 11.
alia extremitate versus austrum. (8) *Juda*
rex meus : quia ex tribu Juda reges sunt *Gen.* XL[IX,] 10.
orti, eratque populus Juda defensor et cu- *Deut.* XX[XIII,] 7.
stos regni Israel. *Moab,* id est terra et po-
pulus Moabitarum, est *olla spei meæ :* id 10
est, per adjutorium spero illam adipisci et
possidere, eaque uti tam libere sicut ho-
mo paterfamilias utitur olla in suæ domus
obsequio. (9) *In Idumæam,* id est in ter-
ram Edom, in qua Esau habitavit, *exten-* *Gen.* XXX[VI,] 8.
dam calceamentum meum, id est, pedibus
calceatis ibo per illam, faciens eam mihi
tributariam. *Mihi alienigenæ,* scilicet Phi- II *Reg.* VI[II,] 1-14.
listæi et alii in circuitu habitantes, *subditi*
sunt ad obediendum et tributa solvendum.

Digitized by Google

A Porro, ut David ostendat se ista non
præsumere propriis viribus, sed divina
11 virtute, adjungit : (10) *Quis deducet me in*
civitatem munitam muris ac portis? *Quis*
deducet me usque in Idumæam, ut eam
12 mihi subjiciam ? Et respondet : (11) *Nonne*
tu, Deus, qui repulisti nos quandoque? sed
modo ira tua in misericordiam versa est.
Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris? Interrogatio est, ac si dicat : Imo
egredieris in virtutibus nostris, id est in
exercitu nostro, erisque dux belli et auxi-
Num. xxiii, 21. liator, quemadmodum de nostro exercitu
B scriptum est : Dominus Deus ejus cum eo
est, et clangor victoriæ regis in illo est. Et
alibi legitur : In exercitu nostro Deus dux II Par. xiii, 12.
est. Vel : Non egredieris ante nos in virtu-
tibus nostris, sed tuis, quoniam propria po-
testate nos proteges. (12) *Da nobis,* o Domi- 13
ne, *auxilium de tribulatione,* id est, quo
a persecutione eripiamur ; *et* vana salus* *quia
hominis. Nam maledictus qui confidit in Jer. xvii, 5.
homine, et ponit carnem brachium suum.
(13) *In Deo faciemus virtutem,* id est, divi- 14
na virtute prævalebimus, et opera virtuosa
agemus ; *et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* Deus enim tempore David
contrivit adversarios Israel.

ARTICULUS XIX

ELUCIDATIO PSALMI EJUSDEM QUINQUAGESIMI NONI TROPOLOGICA SEU MORALIS.

JUXTA mysticum vero sensum, exponen-
C da sunt nomina tituli secundum vim
interpretationis quam habent, ut sit sen-
1 sus : *In finem,* id est, psalmus iste in
Christum nos ducens, scriptus est *pro his*
qui commutabuntur, id est, a veteri vita ad
christiformem conversationem converten-
tur, *in tituli inscriptione,* confitentes verbo
et opere Christum esse regem Judæorum,
Joann. xix, 19-22. quemadmodum titulus asserit : commu-
tabuntur autem *ipsi David,* id est ipsi
II Cor. v, 15. Christo, ut vivant non sibi, sed Domino
2 Salvatori, *quum succendit Mesopotamiam*
D *Syriæ,* id est, dum Christus sua humilitate et sanctitate inflammavit igne divini
amoris mundum sua reputatione sublimem. Mesopotamia enim, alta vocatio interpretatur. *Et Syriam Sobal,* id est sublimitatem vanæ vetustatis. Sobal namque
vetustas exponitur. *Et convertit Joab,* id
est, Christus convertit populum Judæorum ; *et percussit Edom in valle Salinarum :* id est, mundum terrenum et vitiis
sanguinolentum percussit sancto timore,
ipsum convertendo ad fidem : percussit vero *duodecim millia,* id est omnes
gentes a quatuor finibus mundi. Numerus
namque duodenarius est numerus perfectionis, quo totalitas designatur.

Ait ergo Ecclesia : *Deus, repulisti nos,* 3
permittendo nos vastari ab hostibus fidei, vel non exaudiendo preces nostras.
Quamvis autem ad tempus Deus plebem
suam videatur repellere, non tamen finaliter eam relinquit. Propter quod dicit Apo-
stolus : Numquid repulit Deus plebem Rom. xi, 1.
suam ? Absit. Inferius quoque habetur :
Quia non repellet Dominus plebem suam. Ps. xciii, 14.
Et destruxisti nos corporaliter, permittendo nos ab injustis occidi : quod in persona
martyrum dicere potest Ecclesia ; vel spiritualiter, indurando corda nostra, seu gratiam abstrahendo propter peccata nostra.
Sine caritate enim et gratia exsistentes
destruimur, et nihil sumus, juxta Apostolum : Si distribuero in cibos pauperum I Cor. xiii, 3.
omnes facultates meas, et si tradidero
corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil sum. Caritas enim
est animæ vita. *Iratus es* famulis atque

Digitized by Google

fidelibus tuis, eo modo quo pater filio pec- A
canti irascitur, quem flagellat ne amplius
peccet : sic tu afflixisti nos in præsen-
ti variis pœnis in corpore et in anima,
intus et foris ; *et misertus es nobis,* quia
per temporales has castigationes peccata
nostra dimisisti, gratiam infudisti, nos-
4 que de cetero cautiores fecisti. *Commovi-
sti terram,* id est Ecclesiam militantem in
terra versantem, quam multipliciter impu-
gnari permittis, multisque inquietudinibus
Job XIV, 2. agitari, ita ut pene nunquam in eodem
statu permaneat ; *et conturbasti eam,* pro- B
pter magnitudinem persecutionum sibi in-
5 stantium. *Ostendisti populo tuo dura,* ita
quod per experientiam didicit quid sit per-
secutio, et ex his quæ passus est, compas-
II Tim. III, 12. sionem. Omnes enim qui volunt pie vivere
in Christo, persecutionem patientur ; et
Act. XIV, 21. per multas tribulationes oportet nos intra-
re in regnum cœlorum. Hinc ad Jeremiam
Jer. XXX, 11. Dominus ait : Castigo te in judicio, ne ti-
bi videaris innoxius. Et in Apocalypsi :
Apoc. III, 19. Ego quos amo, arguo et castigo.
6 *Dedisti metuentibus te significationem,* C
id est, per temporalia mala eis inflicta si-
gnificasti eis, *ut fugiant a facie arcus,* id
est a perpetuis pœnis divinæ ultionis,
videlicet ut gaudenter et æquanimiter per-
ferant cuncta præsentis vitæ adversa, qua-
tenus æterna mereantur evadere tormen-
ta. Unde hanc significationem intelligens
Jeremias propheta, in hac vita corripi cu-
Jer. X, 24. pit, dum ait : Corripe me, Domine ; verum-
tamen in judicio, et non in furore tuo, ne
forte ad nihilum redigas me. Propter dura
ergo quæ nobis Deus ostendit, non murmu- D
remus, sed agamus quod sanctus Dei pro-
Mich. VII, 9. pheta Michæas ait : Iram Domini portabo,
quia peccavi ei. *Ut liberentur dilecti tui,*
videlicet re et nomine Christiani, de quibus
Joann. XVI, 27. Salvator ait : Ipse Pater amat vos. Et in pri-
ma sua Canonica ait Joannes : Carissimi,
I Joann. IV, 19. diligamus Deum, quoniam ipse prior dile-
7 xit nos. *Salvum me fac dextera tua,* id est
in dextera tua, ita ut in dextera tua in cœ-
lo resideam, id est in bonis tuis potioribus
atque cœlestibus, prout Christus promi-

sit : Qui vicerit, dabo ei mecum sedere in Apoc. III, 21.
throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum
Patre meo in throno ejus.

Deus locutus est in Sancto suo, id est, 8
Pater locutus est nobis in Filio, qui est Hebr. I, 2.
Sanctus Sanctorum. Porro quæ sequun-
tur, possunt esse verba Dei Patris, vel
Christi, seu Ecclesiæ. Pater igitur ait : *Læ-
tabor* in vobis, o electi, quum benefecero
vobis, quemadmodum spopondi, Dabo (in- Jer. XXXII, 39, 41.
quiens) eis cor unum, et lætabor super
eis quum benefecero eis. *Et partibor Si-
chimam,* id est, gentiles dividam, quosdam
convertendo, et quosdam deserendo. Non II Thess. III, 2.
enim est omnium fides. Per Sichimam
namque, in qua morabantur pagani, desi-
gnantur gentiles. *Et convallem Taberna-
culorum,* id est populum Judæorum, *me-
tibor,* quosdam assumendo, et quosdam
relinquendo. Hæc autem conveniunt Chri-
sto, sicut et Deo Patri. Unde in Cœna di-
xit : Non de omnibus vobis dico ; ego scio Joann. XIII, 18.
quos elegerim. Apostolus quoque ad Ro-
manos : Vide, inquit, bonitatem et severi- Rom. XI, 22.
tatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt,
severitatem ; in te autem bonitatem, si
tamen permanseris in bonitate.

Meus est Galaad, id est congregatio mar- 9
tyrum, qui sanguinis effusione Christo et
fidei testimonium præbuerunt. Galaad nam-
que interpretatur, acervus testimonii : per
quod martyres designantur. Nam martyr
Græce, Latine testis vocatur. *Et meus est
Manasses :* id est, populus priora oblivi- Philipp. III, 13.
scens, et in anteriora extendens se ipsum,
pertinet ad numerum electorum meorum.
Manasses quippe interpretatur oblivio. De-
bemus autem temporalium, sensibilium et
inferiorum oblivisci, atque æternorum ac
divinorum jugiter recordari, quatenus, sic-
ut ait Apostolus, revelata facie gloriam II Cor. III, 18.
Domini speculemur. *Et Ephraim,* id est
populus in bonis operibus copiosus ac fer-
tilis, est *fortitudo capitis mei,* id est sta-
bilimentum Christi, cujus ego caput sum,
et qui est caput Ecclesiæ. Populus autem Ephes. V, 23.
prædictus dicitur stabilimentum Christi,
quia per eum Christus conservat et stabi-

Digitized by Google

lit alios in fide et gratia. Pater quoque A
appellat Christum caput suum, quia ipse
Pater constituit Christum in caput om-
nium electorum. Ephraim autem, fertili-
tas seu crescens interpretatur. *Juda,* id est
populus confessorum, qui vita atque do-
ctrina Domino confitentur, et laudem ejus
et prædicationem salubrem annuntiant ali-
Matth. xiii, 52. is, tanquam scribæ docti in regno cœlo-
rum; *rex meus :* id est, populus iste est
rector Ecclesiæ, quia per eum inferiores
guberno, quemadmodum per Prophetam
Jer. iii, 15. testatus sum : Dabo vobis pastores secun- B
dum cor meum, et pascent vos scientia et
10 doctrina. *Moab olla spei meæ.* Videtur hoc
sic posse intelligi : Nam Ruth de cujus
Ruth iv, 17. semine ortus est David, et insuper Chri-
stus, Moabitis erat; et ita Moab, id est
Christus ortus ex Ruth Moabitide, dicitur
olla spei Dei Patris, quia in ipso tanquam
in olla seu vase, dedit nobis Deus Pater
plenitudinem spei adipiscendi bona divi-
Rom. viii, 32. na, secundum quod ait Apostolus : Proprio
Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis
tradidit illum : quomodo etiam non omnia C
Joann. i, 12. nobis cum illo donavit? Dedit enim omni-
bus in Christo credentibus potestatem et
spem filios Dei fieri. Nec videatur ineptum
quod per Moab Christus signetur. Moab
enim interpretatur, ex patre : per quod
Christus signari potest, qui de se ipso ait,
Ibid. xvi, 28. Exivi a Patre. Vel si istud non placet, ex-
ponatur hoc modo : Moab, id est Ruth Mo-
abitis, olla spei meæ, quia in utero suo
Ruth iv, 17. velut in vase portavit Obed avum David,
de quo natus est Christus, qui est spes
Patris, quia Pater dedit eum nobis ut sit D
Matth. i, 1; Luc. ii, 11. spes nostra atque salvator.

Hæc autem possunt esse verba Ecclesiæ,
ut sit sensus : *Deus locutus est in Sancto,*
videlicet quod ego Ecclesia *lætabor* in Deo
salutari meo, *et partibor Sichimam, et con-
vallem Tabernaculorum metibor.* Primiti-
va enim Ecclesia, puta Apostoli Christi et
eorum discipuli, quosdam converterunt
ad fidem, tam ex gentibus quam ex Ju-
dæis, et quosdam in sua perfidia relique-
runt. Populi quoque designati per Galaad,
Manassen, Ephraim et Judam, sunt Eccle-
siæ, tanquam membra ejus ac filii.

Deinde Christus ait : *In Idumæam,* id
est in terram ipsam gentilium, *extendam
calceamentum meum,* id est naturam me-
am humanam, quæ erat quasi calceamen-
tum divinitatis. Dum enim Christus præ-
dicari fecit Evangelium per totum orbem,
extendit calceamentum suum in Idumæam,
quia incarnationem suam ac humanitatem
manifestavit hominibus, sibique subjecit
credentes in se. Propter quod subdit : *Mi-
hi alienigenæ,* id est nationes gentilium,
subditi sunt per fidem et obedientiam,
sicut superius de eis inductum est : Popu- Ps. xvii, 45.
lus quem non cognovi, servivit mihi; in
auditu auris obedivit mihi. Hinc namque
de Christo Balaam prophetavit : Orietur Num. xxiv, 17, 18.
stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel,
et erit Idumæa possessio ejus. Alia littera
habet : Et erit omnis terra possessio ejus.
Sed quoniam Christus ut homo ista non
fecit, sed divina virtute, ideo subditur :
Quis deducet me in civitatem munitam? 11
Per hanc intelligi potest urbs Roma, quæ
tunc erat caput et domina mundi. De qua
Isaias prædixit : Civitatem sublimem hu- Is. xxvi, 5.
miliabit. In hanc urbem Deus Pater indu-
xit Christum per prædicationem Petri et Act. xxviii, 17-31.
Pauli : quod sine divina virtute fieri nul-
latenus poterat. Propter quod Christus re-
spondet : *Nonne tu, Deus, qui repulisti* 12
nos, id est corpus meum mysticum, pro-
pter cujus persecutionem dixi Paulo : Quid Ibid. ix, 4.
me persequeris? Vel, Repulisti nos, id est,
corpus meum et animam multis doloribus
affici permisisti. Unde clamavi in cruce :
Deus meus, Deus meus, ut quid dereliqui- Matth. xxvii, 46.
sti me? *Et non egredieris, Deus, in vir-
tutibus nostris,* id est, prædicta non facies
naturali potestate corporis mei vel animæ,
sed potestate divina. Dicitur enim Deus
egredi, non loco, sed operatione, videlicet
quia procedit ad actum.

Denique ista convenire possunt Eccle-
siæ, quoniam ipsa extendit calceamentum
suum in Idumæam, disseminando verbum
Dei per totum mundum. Alienigenæ quo-

Digitized by Google

que ei subjecti sunt, quia prælatis Eccle-
siæ parent gentiles conversi.
13 *Da nobis auxilium de tribulatione,* per
quod liberemur ab omni periculo, perse-
14 cutione et tentatione. *In Deo faciemus vir-*
II Cor. III, 5. *tutem.* Non enim sumus sufficientes cogi-
tare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed
sufficientia nostra ex Deo est. *Et ipse ad*
nihilum deducet tribulantes nos: quia nisi
pœniteant, æternaliter damnabuntur. Sæpe
etiam in præsenti sæculo divina potentia
conteruntur : quemadmodum cernimus fa-
ctum de crudelissimis illis tyrannis, san-
A ctorum martyrum persecutoribus, qui du-
dum ad nihilum sunt redacti, et ipsa
Ecclesia Christi in pace quiescit. Propter
quod ei alibi promittitur : Exaltabitur ma- Mich. V, 9.
nus tua super hostes tuos, et omnes ini-
mici tui interibunt.

PRECATIO.

Solatium afflictorum, Domine, da nobis
auxilium in omni tribulatione, et sana
contritiones nostras, atque peccata dimit-
te : ut tribulantibus nos ad nihilum de-
B ductis, in te faciamus virtutes pietatis.

ARTICULUS XX

DECLARATIO DE CHRISTO PSALMI SEXAGESIMI : EXAUDI, DEUS, DEPRECATIONEM MEAM.

Præscribitur insuper præsenti psalmo
1 hic titulus : *In finem, in hymnis, psal-*
mus David : id est, psalmus iste a David
conscriptus, et Christo per David signifi-
cato conveniens, dirigit nos in finem, id
est in Deum, in hymnis, quatenus Deum
laudibus veneremur, hymnumque et gra-
tias Deo referamus pro universis benefi-
ciis Christo homini, et per eum toti generi
humano collatis.

Christus igitur in summæ Deitatis
C laudem prorumpens propter beneficia
suæ humanitati concessa, ab oratione or-
2 ditur, et ait : (1) *Exaudi, Deus* Pater, seu
Trinitas sancta, *deprecationem meam,* qua
pro me ipso, videlicet corporis mei resu-
scitatione et glorificatione, oro, dicendo :
Joann. XII, 27. Pater, salvifica me ex hac hora. *Intende*
orationi meæ, qua oro pro mystico corpo-
re meo, videlicet pro salute Ecclesiæ, di-
Ibid. XVII, 1, 17, 11. cendo : Pater, sanctifica eos in veritate.
Sermo tuus veritas est. Pater sancte, serva
eos in nomine tuo.
3 (2) *A finibus terræ ad te clamavi.* Fines
terræ non solum dicuntur partes ejus ex-
tremæ, sed etiam pars ejus superior atque
inferior. Superficies namque corporis, di-
ci potest finis ipsius. Est itaque sensus :
A finibus, id est a superioribus partibus
seu superficie, *terræ* Israel, in qua inter
homines conversatus sum, *ad te* Deum Pa-
trem meum *clamavi,* alto affectu te de-
precando atque dicendo : Mi Pater, si fieri Matth. XXVI, 39; Luc. XXII, 42.
potest, transfer a me calicem istum. *Dum*
anxiaretur cor meum, id est, passione in-
stante, dum appetitus meus naturalis et
sensitivus mortem naturaliter abhorrebat,
quando incepi contristari et pavere, fa- Matth. XXVI, 37; Marc. XIV, 33; Luc. XXII, 43, 44.
ctusque in agonia, prolixius te orabam, et
factus est sudor meus sicut guttæ sangui-
nis. *In petra exaltasti me,* id est, in te
ipso sicut in summo ac fortissimo firma-
mento, vel in gratia tua seu virtute ac do-
no fortitudinis, per quam mortis pericula
audacter aggressus ac passus sum, subli-
masti me ab omni inordinato pavore et
animi dejectione. Vel, Exaltasti me, clari-
ficando nomen meum per totum mundum,
D et dando mihi nomen quod est super om- Philipp. II, 9-11.
ne nomen, ut in nomine meo omne genu
flectatur, et omnis lingua confiteatur quia

Digitized by Google

Dominus Jesus Christus in gloria est Dei A Patris. De hac enim Christi exaltatione Is. LII, 13, 15. Dominus apud Isaiam ait : Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde ; super ipsum continebunt reges os suum.

4 (3) *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Deus enim Christi humanitatem in cunctis operibus suis direxit, et Christum hominem per viam præsentis sæculi sine Matth. II, 14. omni ruina et labe deduxit. Deduxit eum adhuc infantem in Ægyptum, et inde eum Osee XI, 1. reduxit, sicut per Osee contestatur : Ex B Ægypto vocavi Filium meum. Deduxit eum Rom. VIII, 32. in crucem, quia pro omnibus nobis tradidit illum. Deduxit quoque eum in limbum inferni, et de hoc mundo ad altitudinem cœli. Et hoc fecit Deus, quia fuit spes Christi, id est, quoniam Christus speravit a Deo hoc bonum orando impetrare. Deus autem erat spes Christi, in quantum erat mortalis et nondum corpore glorificatus. *Turris fortitudinis a facie inimici :* id est, sicut turris fortis protegit exsistentes in se ab hostium jaculis ; sic tu, Deus, in C omnibus protexisti me in tuo adjutorio confidentem, atque in te immobiliter habitantem.

5 (4) *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula,* id est in Ecclesia militanti, secun- Matth. XXVIII, 20. dum quod in Evangelio scriptum est : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Vel, In tabernaculo tuo, id est in cordibus electorum, per fidem et gratiam commorabor. Electi enim sunt tabernaculum Dei, sicut de eis II Cor. VI, 16; Lev. XXVI, 12. ait Apostolus : Vos estis templum Dei vi- D vi, sicut dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo, et ero illorum Deus. Vel, Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, id est, in triumphanti Ecclesia et cœlo empyreo æternaliter commanebo : Hebr. IX, 24. quemadmodum testatur Apostolus, Non in manufacta sancta Jesus introiit, sed in ipsum cœlum. *Protegar in velamento alarum tuarum,* id est, sub defensione tuæ pietatis atque potentiæ ero securus. Hoc Is. XLIX, 2. est quod apud Isaiam Christus dicit : Pro-
texit me in umbra manus suæ. (5) *Quo-* 6
niam tu, Deus meus, qui es singularissimo modo Deus meus, tanquam summe et unice diligens me, summe quoque dilectus a me, *exaudisti orationem meam,* quemadmodum fassus sum : Gratias ago tibi, Pa- Joann. XI, 41, 42. ter, quoniam audisti me ; ego autem sciebam quoniam semper me audis. *Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum,* id est, merito incarnationis meæ ac passionis præstitisti timentibus te timore filiali et casto, ut sint filii tui adoptivi : si autem fi- Rom. VIII, 17. lii, ergo et heredes ; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Hæc autem hereditas est participatio gratiæ et gloriæ Christi, seu vita æterna, quam nobis jam dedit Pater in spe, daturus eam postmodum in re. Nunc quoque dat eam inchoative per infusionem consolationis internæ, conversationis divinæ, et gratiæ quotidianæ. Gra- Ibid. VI, 23. tia enim Dei vita æterna, secundum Apostolum. Ait etiam Salvator : Qui verbum Joann. V, 24. meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam. In futuro autem Deus dabit hanc hereditatem consummative, quando videbimus eum per speciem et I Joann. III, 2; I Cor. XIII, 12. sicuti est, cognoscentes sicut et cogniti sumus.

(6) *Dies super dies regis adjicies :* id 7
est, dies beatæ immortalitatis et securæ æternitatis addes, o Deus Pater, super dies temporales mortalis conversationis mei Filii tui, qui sum rex Messias, de quo in Zacharia legitur : Jubila, filia Jerusalem ; Zach. IX, 9. ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator. Et Isaias ait : Dominus judex noster, Is. XXXIII, 22. Dominus legifer noster, Dominus rex noster ; ipse veniet, et salvabit nos. Hos dies æternos adjecit Deus super dies Christi temporales, dum eum ad impassibilem vitam resuscitavit. Ideo subditur : *annos ejus usque in diem generationis et generationis :* id est, dies æternitatis prædictos adjicies diebus temporalibus Christi, tanquam annos ejus durantes usque in diem generationis et generationis, id est usque in diem æternitatis, omnem generationem includentis et excedentis. Dies ergo quos Deus adje-

Digitized by Google

cit Christi diebus, sunt dies æternitatis; qui A
dici possunt plures dies et anni, non quod
successione temporali discurrant ac de-
fluant, sed quoniam omne tempus compre-
hendunt et ambiunt. Unde de eis ab Isaia
Is. LXVI, 23. dictum est : Erit mensis ex mense, et sab-
batum ex sabbato. Verumtamen dies isti
magis proprie appellantur unus dies, quam
multi dies : non enim interrumpuntur no-
cte. Propriissime vero vocantur non dies,
sed ævum, seu participata æternitas.

Et quoniam hi dies æternitatis adjecti
8 sunt Christo, ideo ipse (7) *Permanet in* B
æternum in conspectu Dei in cœlo, in quo
Rom. VIII, 34; *Hebr.* IX, 24. sedet ad dexteram Patris, interpellans et
apparens nunc vultui Dei pro nobis, se-
cundum Apostolum. *Misericordiam et ve-
ritatem ejus,* id est gratiam atque justi-
tiam Jesu Christi, *quis requiret* in hac
vita præsenti, implorando gratiam remis-
sionis, observando Christi mandata, et ejus
imitando vestigia? quasi dicat : Pauci sunt
Matth. XX, 16. qui eas ex corde requirunt. Pauci enim
Philipp. II, 21. electi, et omnes quæ sua sunt quærunt.
Vel : Misericordiam et veritatem ejus quis C
requiret in vita futura? quasi dicat, Nul-
lus. Misericordia enim miseris necessaria
est; veritas autem concernit adimpletio-
nem promissi. In patria vero nemo est mi-
ser, et divina promissa in eis impleta sunt,
quoniam gaudium sempiternum adepti,
amplius pro se ipsis non rogant, saltem
pro præmio essentiali. Idcirco Salvator lo-
quens Apostolis : Vos, inquit, nunc qui- *Joann.* XVI, 22, 23.
dem tristitiam habetis; iterum autem vi-
debo vos, et gaudebit cor vestrum, et
gaudium vestrum nemo tollet a vobis; et
in illa die me non rogabitis quidquam.

(8) *Sic,* id est, quoniam ita est, ego 9
Christus *psalmum dicam nomini tuo,* id
est tibi Deo Patri, per me ipsum et meos
ministros in cœlo et in terra, *in sæculum
sæculi,* te sine fine laudando; *ut reddam
vota mea,* id est, ut offeram tibi preces meas
ac desideria pro militanti Ecclesia, pro qua
apud te, secundum quod homo, interpello, *Rom.* VIII, 34.
de die in diem, id est indesinenter usque
ad sæculi finem. Christus enim pro nobis
repræsentat Patri latus ac vulnera, et ipse
est angelus perferens nostra sacrificia in
sublime altare Dei, faciens ea Deo accepta.
Unde Joannes : Advocatum, ait, habemus I *Joann.* II, 1, 2.
apud Patrem, Jesum Christum justum; et
ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

ARTICULUS XXI

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI SEXAGESIMI.

NON est negandum quin psalmus iste ad D
litteram exponi possit de David. Sed
quoniam expositio talis parum devotionis
atque dulcedinis continet, parumque ab
expositione tropologica differt; ideo, ea
relicta, tropologicum prosequor sensum,
quomodo psalmus iste convenit unicuique
Christiano, sive Ecclesiæ Deum oranti, et
2 ei gratias referenti, dicendo : *Exaudi,
Deus, deprecationem meam,* impendendo
mihi gratiose et cito precis meæ effectum,
qua oro indulgentiam et gratiam in præ-
senti; *intende orationi meæ,* qua depre-
cor consequi gloriam in futuro : id est,
considera quanto affectu, quanta fiducia,
et quali intentione ac fine te invoco.

A finibus terræ, id est a cunctis partibus 3
atque climatibus mundi, *ad te clamavi* in
precibus ad te fusis, vel gratiarum actione
ac laude, quam tibi obtuli in adversis.
Dum anxiaretur cor meum, id est, sollici-
taretur et affligeretur timore periculorum
sibi imminentium, mœrore quoque pro-
pter quotidianos defectus et negligentias

Digitized by Google

suas, videlicet quia secundum quod desiderat non proficit, nec te quantum cupit honorat; vel, Dum anxiaretur tentationibus dæmonum, et persecutionibus hominum ac motibus passionum ; *in petra exaltasti me,* id est, in Christo sublimasti me de imperfectione naturæ ad celsitudinem gratiæ, et de inferioribus ac terrenis ad cœlestia atque divina. Quilibet quoque nostrum dicere potest : A finibus terræ, id est a superficie, qua terra in qua habito, finitur in altitudine, ad te clamavi : secundum sensum prædictum. Vel, A finibus terræ, id est a terminis corporis mei, in quo velut in terra, habitat anima mea, imo ab omnibus membris et sensibus meis, ad te clamavi : eo modo quo dictum est supra :
Ps. xxxiv, 10. Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Assuescat ergo anima nostra in omni angustia cum omni fiducia ad Deum clamare, quemadmodum Jonas propheta se
Jonæ ii, 3, 8. fecisse affirmat, dicendo : Clamavi ad Dominum de tribulatione mea, et exaudivit me. Quum angustiaretur in me spiritus meus, Domini recordatus sum.

Deduxisti me in præsenti exsilio per viam mandatorum tuorum, ostendendo mi-
Ps. cxlii, 8. hi in lumine gratiæ tuæ viam rectam, in qua ambulem. Nam sine gratia tua cæcus
Is. lxv, 2. sum mente, et ambulo vias non bonas, vitiosas ac lubricas, in quibus graviter cado, et incessabiliter pecco, nisi tu animam meam deducas de via ad patriam, de labore ad præmium, de creaturis ad Creatorem.
Ibid. xlviii, 17. Hinc enim apud Isaiam dicis : Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via in qua ambulas. Et alibi scriptum
Sap. x, 10. est : Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et Tobias
Tob. v, 21. ait : Dominus sit in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum. Deduxisti
4 autem me, Domine, *quia factus es spes mea,* id est, tu es bonum illud, in quo finaliter spero, et quod finaliter adipisci desidero, atque per cujus auxilium te ipsum adipisci confido. Fit vero Deus spes nostra, quoniam facit nos in ipso sperare. Factus quoque es mihi *turris fortitudinis,*

A id est robusta protectio atque sublimis defensor, *a facie inimici,* quicumque sit ille, id est ab omni incursu hostili, quemadmodum apud Salomonem legitur : Tur- Prov. xviii, 10.
ris fortissima nomen Domini ; ad ipsum currit justus, et exaltabitur. Et apud prophetam Habacuc : Deus Dominus fortitudo Habac. iii, 19.
mea, et ponet pedes meos quasi cervorum. Quid eum dejicere, quid ei nocere poterit, qui in hac summa atque inexpugnabili turre inhabitat? Unde beatus Job ait : Quis Job xxiii, 3.
mihi tribuat ut cognoscam Deum, et veniam usque ad solium ejus? B Nam de habitantibus in hac turre fortitudinis, id est divino auxilio innitentibus, scriptum est : Deus dextera sua teget eos, et brachio suo Sap. v, 17.
defendet eos.

Inhabitabo in tabernaculo tuo : id est, 5
ego Ecclesia militans, ad consortium triumphantis Ecclesiæ pertingere spero, et fiducialiter dico quia in ea et in cœlo empyreo post hujus vitæ incolatum morabor *in sæcula,* id est sine fine, quemadmodum Christus fidelibus repromisit, dicens, Va- Joann. xiv, 2.
C do parare vobis locum ; et, Iterum venio, Ibid. 3.
et accipiam vos ad me ipsum. Vel : Ego Christifidelis inhabitabo in tabernaculo tuo, id est in unitate Ecclesiæ, in individua caritate, sancta obedientia et fide catholica. *Protegar* ab omni periculo animæ, *in velamento alarum tuarum,* id est in subsidio misericordiæ atque potentiæ tuæ. *Quoniam tu, Deus meus,* in quo so- 6
lo confido, quem solum desidero, in quo totam salutem meam constituo, *exaudisti orationem meam,* ut spero. Tu enim dixi-
D sti : Quodcumque petieritis Patrem in no- Ibid. 13.
mine meo, dabit vobis.

Dies super dies regis adjicies, id est, 7
dies æternæ beatitudinis addes post hanc vitam diebus hujus brevis vitæ : diebus dico regis, id est dominatoris atque victoris mundi, carnis ac dæmonis, qui dominatur animo suo, et vincit se ipsum. Unde dicit Apostolus : Id quod in præsenti est II Cor. iv, 17.
momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Propter quod inferius dicitur : Lon- Ps. xc, 16.

Digitized by Google

8 gitudine dierum replebo eum. *Permanet* A
in æternum in conspectu Dei, id est, Ec-
clesia usque in finem sæculi in fide per-
sistet, quemadmodum Dominus Petro in
Luc. xxii, 32. persona Ecclesiæ : Ego, inquit, rogavi pro
te, ut non deficiat fides tua. Et ista vita
decursa, perveniet ad regis sui gloriosum
adspectum, quemadmodum in Isaia scri-
Is. xxxiii, 17. ptum est : Regem in decore suo videbunt
oculi ejus. Denique homo justus permanet
in æternum in conspectu Dei, dicens sem-
III Reg. xvii, 1. per cum sancto Elia, Vivit Dominus, in
cujus conspectu sto hodie ; et cum sancto B
Job xxvii, 6. Job, Justificationem meam quam cœpi te-
Luc. ix, 62. nere, non deseram. Nemo enim mittens
manum suam ad aratrum, et respiciens
Matth. x, 22. retro, aptus est regno Dei ; sed qui perse-
veraverit usque in finem, hic salvus erit.
9 *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæ-*
culum sæculi, id est, vita et verbis inces-
santer te laudabo : sicut ab Ecclesiastico
Eccli. li, 1. dicitur, Confitebor tibi, Domine rex, et
collaudabo te Deum salvatorem meum ; et
Ibid. 8. rursus, Laudabit usque ad mortem anima
mea Dominum. *Ut reddam vota mea de* C
die in diem, id est, quatenus promissi-
ones tibi factas in receptione Baptismi,
sacri Ordinis aut religionis, quotidie im-
pleam. Vel, Ut reddam vota mea, id est,
desideria mea purificem, tibique ea sem-
per exhibeam : sicut superius dictum est,
Domine, ante te omne desiderium meum. Ps. xxxvii, 10.
Ecce psalmum brevem, pulchrum, dele-
ctabilem ac sententiosum audivimus, qui
tam Christo quam ejus fidelibus optime
convenit : in quo a devota oratione incipi-
tur, post quam salubris doctrina inducitur,
deinde divina beneficia fervide recolun-
tur, postremo per verba bonæ fiduciæ
pium propositum inflammatur. Conforme-
mus ergo affectum nostrum psalmi hujus
sententiis, ejusque beneficia affectuosissi-
me recolamus, et conemur implere quod
dicimus : Sic psalmum dicam nomini tuo
in sæculum sæculi. Hoc est enim divinis-
simum, saluberrimum, atque dulcissimum
vitæ præsentis exercitium, Deo psallere,
eumque laudare, magnificare, et toto af-
fectu extollere, prout etiam in Ecclesiasti-
co scriptum est : Benedicentes Dominum, Eccli. xliii, 33.
exaltate illum quantum potestis ; major
est enim omni laude.

PRECATIO.

Domine Deus, spes nostra et turris for-
titudinis nostræ, protege nos sub umbra
alarum tuarum : ut in timore tuo tibi ju-
giter servientes, et conformes facti gloriæ
tuæ, mereamur in spiritualium oblatione
votorum psallere nomini tuo in sæcula.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO PSALMI SEXAGESIMI PRIMI : NONNE DEO SUBJECTA ERIT ANIMA MEA ?

Huic præterea psalmo titulus iste præ- D
1 mittitur : *In finem, pro Idithun, psalmus*
David : id est, psalmus iste a David con-
scriptus, et in finem qui Christus est, nos
dirigens, habitus est pro Idithun, id est
pro homine omnia terrena transiliente ac
parvi pendente, et sola cœlestia finaliter
cupiente. Potest quoque titulus ita exponi,
quod David fecit hunc psalmum pro Idi-
thun, id est, ut specialiter cantaretur a
cantoribus seu Levitis constitutis sub Idi-
thun, qui erat unus de principalibus tem- I Par. xxv, 1.
pli cantoribus.

Homo ergo ad divina se erigens, atque
innumerabiles mundi errores, vanita-
tes ac prævaricationes considerans, dicat :
(1) *Nonne Deo subjecta erit anima mea,* ei 2

fideliter adhærendo, et ejus præceptis in A omnibus obtemperando? Utique. Ac si dicat : Subjiciantur alii concupiscentiis carnis, alii mundi principibus, alii dæmonum suggestionibus, variisque peccatis; ego et anima mea Domino obediemus. Nemo enim (Matth. vi, 24.) potest duobus dominis deservire contraria approbantibus. Quoniam ergo non possumus Deo et sæculo obedire, potius eligo Deo parere quam mundo. Unde de inobediente apud Jeremiam scriptum est : Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, (Jer. ii, 20.) et dixisti, Non serviam. Quocontra Christus B præcipit nobis : Tollite jugum meum super vos. (Matth. xi, 29.) Subjecta igitur erit anima mea Domino. Nam Salomon ait : Mens justi meditabitur obedientiam. (Prov. xv, 28.) Ratio quoque subjectionis subjungitur : *ab ipso enim salutare meum,* id est, tota mea salus atque felicitas a Deo procedit, dependet, et profectum sortitur. Propter quod per Osee Dominus ait : Populus meus pendebit ad reditum meum. (Osee xi, 7.) Vel : Ab ipso, id est a Deo Patre, est salutare meum, id est Filius ejus meus salvator. Sic enim Deus dilexit mundum, C ut Filium suum unigenitum daret. (Joann. iii, 16.)

3 (2) *Nam et ipse* est *Deus meus,* id est causa, gubernator et conditor naturæ meæ naturaliumque donorum, *et salutaris meus,* id est justificator et gratiæ dator; *susceptor meus,* id est precum mearum auditor, semper paratus me pœnitentem brachiis pietatis amplecti, meque convertentem me, et quod in me est facientem, sibi attrahere et unire : juxta illud, Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. (Job xxxiv, 14.) Quum ergo sit ita, *non movebor amplius* ab inchoato virtutis itinere, D a bono proposito, a lege divina; nec a Deo meo per mentis aversionem recedam, sed ei immobiliter adhærebo. Hoc autem non præsumptuose aut certo, sed humiliter ac fiducialiter ait viator transiliens, nisi forte ex revelatione divina agnosceret se confirmatum in bono. Vel dicitur hoc ad designandum quid virtuoso conveniat, in quantum hujusmodi. Quemadmodum enim passiones et vitia, instabilitatis, distractionis et aversionis sunt causa; sic virtus seu gratia, interioris stabilitatis ratio perhibetur. Propter quod Salomon protestatur : Justus quasi fundamentum æternum. (Prov. x, 25.) Et in libro Job : Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris, eris stabilis et non timebis. (Job xi, 14, 15.)

4 (3) *Quousque,* o maligni, *irruitis in hominem* justum et innocentem, eum propter justitiam persequendo? *interficitis universi vos,* id est, o vos omnes, interficere vultis eum ex odio? quemadmodum Sapientia inducit : Dixerunt impii : Opprimamus virum justum, quoniam contrarius est operibus nostris. (Sap. ii, 10, 12.) Vel, Interficitis universi vos, id est, omnes occiditis vosmetipsos : quia dum justum affligitis, animas vestras per peccatum occiditis. Unde Joannes : Omnis, inquit, qui odit fratrem suum, homicida est (I Joann. iii, 15.) : vel quia animam propriam spiritualiter occidit, vel quia per affectum alium perimit, vel quia coram Deo pœnam homicidæ incurrit. *Tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ.* Aliquid subintelligendum est, ut sit sensus : Sic adversamini homini justo, quasi parieti inclinato ad casum, et quasi maceriæ a statu suo depulsæ. Putatis enim quod sicut paries talis fundamento privatur, facileque dejicitur, sic justus Deum conservatorem ac adjutorem non habeat, ideoque a vestra malignitate opprimi possit; et quum eum occideritis, ipsum omnino perisse putatis, non attendentes quid gloriæ Deus illi refundat, et quid pœnæ vobis immineat. Hinc enim scriptum est : Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo; et viri misericordiæ tolluntur, quia non est qui intelligat. (Is. lvii, 1.)

5 (4) *Verumtamen,* id est his non obstantibus, *pretium meum cogitaverunt repellere,* id est, justitiam meam seu opera virtuosa ac vitam laudabilem proposuerunt subvertere, dissipare, et a præmio impedire. Bona enim operatio pretium appellatur, quia per eam vita æterna mercatur. *Cucurri in siti,* id est, cum magno desiderio ad patriam festinavi : sicut superius

Digitized by Google

Ps. xli, 3. dictum est, Sitivit anima mea ad Deum A
Ps. cxviii, 32. fortem, vivum. Vel sic : Cucurri viam
mandatorum Dei in siti perfectionis, vide-
licet sitiendo justitiam ampliorem, et cul-
men perfectionis attingere affectuose con-
cupiscens. *Ore suo benedicebant, et corde
suo maledicebant.* Hoc faciunt subversores
animarum, adulatores, bilingues, et simu-
latores : qui eos quos aperte pervertere
nequeunt, adulando, et mala sub specie
boni proponendo, decipere quærunt. Pro-
pter quod de quolibet tali apud Jeremiam
Jer. ix, 8. legitur : In ore suo pacem cum amico suo B
loquitur, et occulte ponit ei insidias.
6 (5) *Verumtamen Deo subjecta esto, ani-
ma mea :* id est, propter persecutiones,
tentationes, et tribulationes tibi injuste
inflictas, noli deficere, noli a Dei lege re-
cedere, noli contra Deum murmurare, sed
ei subjicere ; *quoniam ab ipso patientia
mea,* per quam in adversis prævaleo, sine
tristitia omnia patiendo. Deus enim pa-
tientiam tribuit, sicut et ceteras virtutes
infusas. Solet autem interdum homo de
ipsa sua, quam in adversis habuit, pati- C
entia inaniter gloriari atque extolli, tan-
quam magnum aliquid fecerit, et Christi
vestigia excellenter secutus sit ; sed iste
non pensat patientiam suam esse a Deo,
I Cor. iv, 7. quoniam gloriatur in se quasi non acce-
perit. Sit ergo anima nostra omnino Deo
subjecta, videlicet non solum in hoc, quod
adversa æquanimiter sustinet, sed etiam
in hoc, quod de sua patientia in se ipsa
non gaudet, et eam Deo attribuit.
Ideo autem dico patientiam meam esse
7 a Deo, (6) *Quia ipse est Deus meus,* a quo D
omne bonum procedit, et tota mea suffi-
cientia fluit, *et salvator meus :* quia ab eo
solo vera beatitudo donatur. Aliter demum
convenit Christo esse salvatorem, in quan-
tum Deus ; et aliter, in quantum homo.
Nam, ut Deus, vocatur salvator per aucto-
ritatem, tanquam gratiæ in præsenti et
gloriæ in futuro creator et dator ; in quan-
tum vero est homo, appellatur salvator
quasi instrumentaliter, quum sit satisfa-
ctor pro culpa generis humani, reconcili-
ator ac mediator. Deus itaque secundum
divinitatem salvator est, quoniam ipse so- Marc. ii, 7.
lus peccata dimittit, solus justificat, solus Rom. viii, 30.
gratiam creat ac influit, beatitudinem quo-
que solus largitur. Imo hoc modo pro-
prium est Deo esse salvatorem, juxta illud
propheticum : Ego Dominus, et salvator Is. xliii, 11; Osee xiii, 4.
non est præter me. Deus quoque est *adju-
tor meus,* in omni opere bono mihi per
gratiam cooperans, meque confortans. *Non
emigrabo* de unitate Ecclesiæ et grege ele-
ctorum, ad aversos a Deo et societatem
pravorum, quoniam (7) *In Deo salutare* 8
meum, id est, salus mea in hoc consistit,
quod non emigrem ab eo, *et gloria mea :*
quia in solo Deo vera et licita habetur glo-
riatio, quemadmodum Apostolus dicit : Qui I Cor. i, 31.
gloriatur, in Domino glorietur. Et Haba-
cuc : Ego autem in Domino gaudebo, et Habac. iii, 18.
exsultabo in Deo Jesu meo. *Deus auxilii
mei,* id est, ab eo dependet ac derivatur
auxilium meum : sicut per Osee ait : Per- Osee xiii, 9.
ditio tua ex te ; in me tantummodo auxi-
lium tuum. *Et spes mea in Deo est :* quia
divinæ pietati innititur, Deumque pro im-
mediato objecto et causa sortitur, quum
sit virtus theologica et infusa. Ecce quam
præclarus et splendidus suavissimusque
versiculus, omni menti devotæ super mel Ps. xviii, 11.
et favum dulcis et saporosus.
(8) *Sperate in eo, omnis congregatio po-* 9
puli, id est tota Ecclesia ; *effundite coram
illo corda vestra,* id est, orationes vestras
et desideria, necessitates, anxietates, peri-
cula et peccata, et quidquid vestris in
mentibus residet, coram Deo exponite, in
lucem producite, ei ostendite, coram ipso
discutite : sicut Jeremias hortatur, Effun- Thren. ii, 19.
de sicut aquam cor tuum ante conspectum
Domini Dei tui. Unde primo Regum sancta
Anna testatur : Effudi animam meam co- I Reg. i, 15.
ram Domino. *Deus adjutor noster in æter-
num,* id est, quamdiu fuerimus : quoniam
in via conservat et juvat per gratiam, in
patria quoque per gloriam, quæ includit
confirmationem in bono.
(9) *Verumtamen vani filii hominum,* lo- 10
quendo de filiis hominum eo modo quo

Digitized by Google

Gen. vi, 2. de eis loquitur Moyses, dicendo, Videntes A
filii Dei filias hominum : eorum videlicet
qui sine caritate et gratia vivunt. Talium
ergo hominum filii vani sunt, quoniam
opera sua et vitam præsentem ad debitum
finem, videlicet vitam æternam, non refe-
runt, sed in rebus creatis sibi finem con-
stituunt, adhærentes creaturis magis quam
Creatori. *Mendaces filii hominum in state-
ris :* quia injusta pondera habent, vel men-
daciter judicant, præferentes mala ac falsa
bonis et veris. Quocirca Dominus per Moy-
Lev. xix, 35, 36. sen ait : Nolite facere iniquum aliquid in B
judicio, in regula, in pondere, in mensu-
ra; statera justa et æqua sint pondera, id
est justus modius, æquusque sextarius. *Ut
decipiant ipsi de vanitate in id ipsum,* id
est, se invicem fallant in rebus vanis,
temporalibus et caducis.

Hujus proinde oppositum consulens san-
11 ctus Propheta : (10) *Nolite,* inquit, *sperare
in iniquitate :* sicut de impiis scriptum
Is. lix, 4. est, Confidunt in nihili. Peccatum enim
nihil est : ergo nolite in peccato confide-
re, quasi per injustitiam atque malitiam C
possitis salvari aut prosperari. *Et rapinas
nolite concupiscere :* id est, nec manu, nec
affectu auferatis alicui sua, neque rapto-
Rom. i, 32. ribus communicetis, quia non solum mor-
te digni sunt qui faciunt, sed etiam qui
consentiunt. *Divitiæ* exteriores *si affluant*
copiose, *nolite cor apponere,* id est, volun-
tatem vestram nolite inordinate affigere,
nolite inordinate amare, retinere, augere,
nolite in eis superflue occupari, videlicet
ut cum labore acquirantur, cum timore
possideantur, cum dolore perdantur. Non D
ergo culpantur divitiæ, sed inordinatus
affectus. Custodiendæ enim et amandæ
seu colligendæ sunt divitiæ, secundum
quod ad spiritualia bona sunt necessariæ,
I Tim. vi, 8. quatenus habentes victum et vestitum,
contentemur et quiescamus, atque de eo
Luc. xi, 41. quod superest, eleemosynam faciamus. Ve-
rumtamen difficile satis est, circa affluen-
tes divitias cor non apponere, secundum
Ibid. xviii, 24. quod Christus in Evangelio asserit : Quam
difficile qui divitias habent, intrabunt in
regnum cœlorum ! Nihilo minus, sicut
Deus potentes non abjicit, quum ipse sit Job xxxvi, 5.
potens, nisi abutantur potentia ; sic ipse
divites non repellit, quum ipse sit dives,
nisi divitiarum abusi fuerint copia. San-
ctus Job divitiis suis cor non apposuit, qui
ait : Si lætatus sum super divitiis meis Ibid. xxxi, 25.
multis. Et alibi, cunctis amissis : Dominus Ibid. i, 21.
dedit (inquit), Dominus abstulit; sicut Do-
mino placuit, ita factum est : sit nomen
Domini benedictum.

(11) *Semel,* id est sine retractatione, ut- 12
pote immobiliter, firmiter atque certissi-
me, *locutus est Deus,* per se ipsum jam in-
carnatum, et per Prophetas ac Apostolos.
Duo hæc audivi, in illa locutione occulta
et interna, scilicet in illuminatione super-
naturali facta per Spiritum Sanctum. Quæ
autem sint duo hæc, subdit : *quia potestas
Dei est,* id est justa potentia ad punien-
dum iniquos ; *et tibi, Domine, misericor-* 13
dia ad coronandum bonos ultra condi-
gnum. Et hoc sic esse, constat ex eo, *quia
tu reddes unicuique juxta opera sua,* tan-
quam justissimus judex. De quo in libro
Job legitur : Absit a Deo impietas, et ab Om- Ibid. xxxiv, 10, 11.
nipotente iniquitas ; opus enim hominis
reddet ei, et juxta vias singulorum resti-
tuet eis. Videtur autem hic potestas pro
justitia accipi, quia ad exercendum justi-
tiam præcipue est necessaria potestas. Un-
de de Deo alibi scriptum est : Virtus tua, Sap. xii, 16.
justitiæ initium est. Attribuuntur itaque
hæc duo Deo potissimum, quoniam omnia
quæ de Deo affirmat divina Scriptura, præ-
sertim per comparationem ad creaturas, ad
ista duo reducuntur. Propter quod ante
dictum est : Universæ viæ Domini mise- Ps. xxiv, 10.
ricordia et veritas. Porro, ut tactum est,
hoc quod dicitur, Semel locutus est Deus,
non est referendum ad numerum, quum
multifarie multisque modis locutus sit no- Hebr. i, 1.
bis, sed ad firmitatem. Juxta quem sensum
in libro beati Job dicitur : Semel loquitur Job xxxiii, 14.
Deus, et secundo id ipsum non repetit.

Advertendum quoque quod psalmus iste
convenientissime exponi possit de Christo,
quoniam anima ejus semper perfectissime

Digitized by Google

Joann. xiv, 31. fuit Deo subjecta, sicut ipse testatur : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio ;
Ibid. viii, 29. et alibi, Quæ placita sunt ei, facio semper. Tota enim salus animæ Christi creata fuit a Deo, eratque Deus salutaris, id est beatificator, animæ Christi : propter quod apud
Ibid. iii, 27. Joannem dicitur, Non potest homo accipere quidquam, nisi ei datum fuerit desuper.
3 Quod autem adjicitur, *Non movebor amplius,* sic de Christo exponendum est : Post resurrectionem non patiar magis, sed immobilis a vita (id est impassibilis) ero.
4 *Quousque,* o Judæi increduli, *irruitis in hominem,* scilicet in me Filium hominis, quem volebatis occidere? Unde ait Judæis:
Ibid. viii, 44. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere. Et iterum di-
Ibid. vii, 20. cit ad eos : Quid me quæritis interficere ? *Interficitis universi vos,* id est animas vestras, non credendo in me. Hoc ad lit-
Ibid. viii, 21. teram Christus dixit Judæis : In pecca-
5 to vestro moriemini. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere,* id est, sanguinem meum voluerunt infructuosum efficere. Volebant enim nomen atque memo-
Ibid. xi, 47-50. riam Christi delere, omnesque homines ab ejus fide avertere, ac per hoc sanguinis effusionem sine fructu statuere. *Cucurri in siti,* id est, vitam in hoc mundo transegi in magno desiderio humanæ salutis.
Luc. xxii, 15. Propter quod in Cœna dixit : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobis-
Joann. xix, 28. cum, antequam patiar. Et pendens in cruce, Sitio, inquit. *Ore suo benedicebant* mi-

A hi Judæi, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces. Matth. xxii, 16.
Et corde suo maledicebant : talia enim dicebant, ut occasionem mortis ex verbis meis elicerent. Denique Deus dicitur Christi salvator, id est a morte resuscitator ac glorificator, non a peccato redemptor. Quomodo autem cetera Christo conveniant, ex præcedentibus innotescit.

Ecce quam ineffabilis et admiranda est pulchritudo atque sententia hujus psalmi: in quo ignea verba divini amoris, piam

B mentem totaliter inflammantia, tam copiose includuntur, totiesque repetuntur ; in quo obedientia commendatur, moralissima ac saluberrima documenta proponuntur, impii increpantur, et in ipso fine Deus pulcherrime collaudatur. Sit ergo anima nostra Deo semper subjecta, tamque reverenter ac pure intenta, ut amorosa verba psalmi præsentis ardenter et saporose pronuntiet, cor suum coram Deo confidenter Thren. ii, 19.
effundat, nec exterioribus rebus cor apponat, sed in Deum se penitus erigat, sim-
C plificet, figat.

PRECATIO.

Deus virtutum, a quo est omnis virtus Sanctorum, Deus auxilii et spei gloriæ nostræ, corda nostra effundimus coram te ; esto adjutor noster, Deus in æternum pius : ut te cooperante, animas nostras in Luc. xxi, 19.
patientia possideamus.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO PSALMI SEXAGESIMI SECUNDI : DEUS, DEUS MEUS, AD TE DE LUCE VIGILO.

1 TITULUS psalmi est : *Psalmus David, quum esset in deserto Idumææ :* id est, psalmus iste convenit Ecclesiæ seu fideli per David significato, quum esset ipsa Ecclesia in deserto Idumææ, id est in præsenti exsilio et valle hac lacrimarum, vi-

D tiis atque ærumnis repleta, a bonis vero deserta seu derelicta.

ECCLESIA ergo, seu quilibet justus, præsentis sæculi afflictiones expertus, divinamque consolationem efflagitans, di-

Digitized by Google

2 cat : (1) *Deus, Deus meus,* id est tu, Creator [A] omnipotens, qui es omnium Deus ratione creationis et gubernationis : specialiter vero Deus meus, propter specialem providentiam tuam circa me, qua me a malis protegis, in bonis promoves, atque ad ultimum finem recte perducis; itemque propter singularem dilectionem et venerationem, qua te solum summe amo et colo; *ad te de luce vigilo,* id est, statim quum splendor gratiæ tuæ infulserit animæ meæ, consurgo, ad te cordiali affectu mentem erigendo, ad te contemplandum, diligen- [B] dum, adorandum, colendum ac promerendum. Ad litteram quoque, de luce, id est summo mane, evigilare et surgere debemus ad Dei cultum ac laudem, quatenus sobrio spiritu Deum laudantes ac invocantes, sic interiores oculi illustrentur lumine gratiæ, sicut oculi exteriores perfunduntur solis splendore. Propterea Isaias : (Is. xxvi, 9.) De mane, inquit, vigilabo ad te.

(2) *Sitivit in te anima mea.* Hoc est quod (Ps. xli, 3.) dixit superius, Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. Sitis etenim animæ, est [C] ingens desiderium boni nondum adepti. Est igitur sensus : Anima mea, id est appetitus meus intellectualis, puta voluntas, sitivit in te, id est, intellectuali ac magno desiderio concupivit te adipisci, consolationem tuam acquirere, a præsentibus malis salvari, atque ad te universæ beatitudinis fontem perduci : sicut Tobias ait, (Tob. iii, 6.) Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum (Is. xxvi, 8, 9.) meum. Et Isaias : Nomen, inquit, tuum et memoriale tuum in desiderio animæ meæ. [D] Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis, etc. Hac (Philipp. i, 23.) siti ardebat mens Pauli, dicentis : Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo.

Quam multipliciter tibi caro mea! id est, quam multis suspiriis variisque affectibus sitivit tibi, id est ad gloriam tuam, caro mea, id est appetitus inferior sensitivus! Insinuat iste versiculus carnem multiplicius affici ad Deum, quam animam : quod sane intelligendum est. Sive enim caro sumatur pro corpore solo, sive pro appetitu sensitivo, non conveniet ei sitire in Deum directe, proprie et immediate. Quoniam namque Deus immaterialis et simplex est, solo immateriali appetitu ad ipsum pertingitur, sicut et solo intellectuali oculo contemplatur. Carni autem secundum se, desiderium non convenit, sed in quantum anima informatur; ipsumque desiderium potius convenit toti composito et animæ, quam carni. Quod ergo nunc dicitur caro sitire in Deum, dupliciter intelligi potest. Primo, quoniam ipsa est animæ occasio sitiendi in Deum. Corpus quippe (Sap. ix, 15.) quod corrumpitur, aggravat animam; multasque necessitudines, sollicitudines, afflictiones ac miserias incidit anima ex unione ad corpus. Nam deprimit terrena (Ibidem.) inhabitatio sensum multa cogitantem. Hinc ergo dicitur caro multipliciter Deum sitire, etiam multiplicius quam anima : quoniam anima plures causas et incitamenta sitiendi Deum sortitur ex corpore, quam ex se ipsa. Tot enim habet causas Deum concupiscendi, quot se experitur impedimentis ab eo elongari ac retrahi. Ideo ad Romanos exclamat Apostolus : Infelix ego (Rom. vii, 24.) homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Simili sensu dicitur caro con- (Galat. v, 17.) cupiscere adversus animam, non quod caro secundum se concupiscat, sed quia est animæ occasio concupiscendi adversus se ipsam. Anima enim secundum appetitum sensitivum concupiscit contra se ipsam, quantum ad appetitum intellectualem. Secundo intelligitur sic, quod caro, id est appetitus sensitivus, sitit in Deum, non directe et immediate, quasi Deus sit desiderii sui objectum; sed quoniam ea quæ desiderat, secundum Deum desiderat, scilicet secundum rationis imperium ac directiones virtutum moralium : sititque multiplicius Deum, quam appetitus superior, quoniam plures pœnas, culpas atque miserias habet homo ex parte appetitus sensitivi, quam intellectivi, præsertim quum passiones animæ, quæ nobis sunt origo peccandi, in appetitu sensitivo fundentur.

Digitized by Google

3 (3) *In terra deserta et invia et inaquosa,* A
id est in corpore isto corruptibili, ab origi-
nali justitia derelicto, ad errores proclivi,
Joann. vi, 64. et secundum se omni gratia destituto. Caro
enim non prodest quidquam. Et Aposto-
Rom. vii, 18. lus : Scio, inquit, quia non habitat in me,
hoc est in carne mea, bonum. In hac igi-
tur terra velut in carcere habitans ego, *sic
in sancto apparui tibi,* id est, in sancto af-
fectu, desiderioque cœlesti repræsentavi
me ipsum tuo conspectui, effundendo cor
meum coram te, atque perpendens me
semper a te inspici. Itaque, non obstante B
corporis mole, ad cœlestia adspiremus, et
mundo corde nos ipsos Deo exhibere cone-
mur, quatenus illud beati Apostoli vere di-
II Cor. x, 3. camus : In carne ambulantes, non secun-
dum carnem militamus. Vel sic : In terra
deserta et invia et inaquosa, id est in hoc
sæculo nequam, quod est virtutibus desti-
Matth. vii, 13. tutum, et lata via ducens ad mortem, ina-
quosum quoque, id est infructuosum et
aridum. De hac terra Christus in Evangelio
Luc. xi, 24. dicit : Quum immundus spiritus exierit ab
homine, ambulat per loca arida et inaquosa. C
Sic in sancto apparui tibi, quia in mundo
isto non sæculariter vixi, nec peccatorum
vestigia sum sectatus, sed tibi in sanctita-
te et justitia ministravi. Et hoc, *ut vide-
rem* in patria clare per speciem, *virtutem
tuam,* id est omnipotentiam tuam, qua
omnia in cœlo et in terra disponis, omnes-
que Beatos potentissime in bono confir-
mas ; *et gloriam tuam,* id est beatitudinem
Matth. xxv, 23. tuam, quatenus intrem in gaudium Domi-
ni mei, et omnem excellentiam ejus in cœ-
lo conspiciam. Vel sic : Ut viderem, o Pa- D
ter æterne, virtutem tuam et gloriam tuam,
id est Christum Filium tuum, qui est
I Cor. i, 24. virtus et sapientia Patris, secundum Apo-
Prov. x, 1. stolum. Si enim, teste Scriptura, filius
sapiens est gloria patris ; quanto magis
Christus Dei Unigenitus, qui est ipsa æter-
na, immensa et increata sapientia Patris,
dici potest gloria ejus ? Utroque itaque
modo per virtutem et gloriam Dei, intelli-
gitur ipsemet Deus sublimis et gloriosus.
Nam propter Dei visionem per speciem,
tanquam ob præmium ultimatum, finale
et consummatum, omnia quæ agimus ope-
rari debemus. Propter quod ait Salvator :
Hæc est vita æterna, ut cognoscant te so- Joann. xvii, 3.
lum verum Deum, et quem misisti Jesum
Christum. Et Moyses ait ad Dominum : Os- Exod. xxxiii, 18.
tende mihi gloriam tuam.

Hæc autem ideo oro, (4) *Quoniam melior* 4
est misericordia tua, id est gratiæ tuæ
præsentia seu pia conversatio, qua homi-
nem in esse spirituali et gratioso conser-
vas, *super vitas,* id est super omne genus
ac modum vitæ naturalis. Præstantiora
quippe sunt munera gratiæ donis naturæ;
meliusque exsistit, nec esse nec vivere vi-
ta naturali peccatis obnoxia, quam sine
caritate et gratia esse, quemadmodum Ve-
ritas de Juda protestatur : Bonum ei erat, Matth. xxvi, 24.
si natus non fuisset homo ille. Non ergo
optemus vivere, nisi ut bene vivamus ;
magisque optemus omnino non esse, quam
miserationibus Dei carere. *Labia mea lau-
dabunt te,* propter beneficia mihi ac cete-
ris a te clementer impensa. (5) *Sic benedi-* 5
cam te in vita mea, id est, toto tempore quo
subsisto et in vita permaneo, te benedi-
cam, id est, bona de te dicam, bonitatem
tuam glorificando, superexaltando, et ei
gratias referendo : sicut superius dictum
est, Benedicam Dominum in omni tempo- Ps. xxxiii, 2.
re. Et Tobias dicit : Omni tempore bene- Tob. iv, 20.
dic Deo, et pete ab eo ut vias tuas dirigat.
Vel, Benedicam te in vita mea, id est, ta-
liter vivam, quod conversatio mea erit
quædam nominis tui benedictio, quia ad
nominis tui honorem, laudem et glori-
am, totam vitam meam ordinabo. Etenim
non minus benedicitur Deus justa vita,
quam voce sonora. *Et in nomine tuo,* id
est in te atque ad tuum honorem, *levabo
manus meas* corporales ad cœlum, ut sic
spiritus promptius feratur ad Creatorem.
Cærimoniæ namque corporales disponunt
non modicum ad devotionem internam.
Vel, Levabo manus meas, id est, desideria
mea ac opera erigam atque firmabo in te,
sicut in ultimo fine : sicut admonet Jere- Thren. iii, 41.
mias, Levemus corda nostra cum manibus

Digitized by Google

ad Dominum in cœlos. Unde Apostolus :
I Tim. II, 8. Volo, inquit, viros orare in omni loco,
levantes puras manus sine ira et disce-
ptatione.
6 (6) *Sicut adipe et pinguedine* repletur,
impinguatur, et alitur caro, sic *repleatur*
anima mea consolatione interna, caritate
ardenti, et gratia spiritualiter incrassante:
I Cor. XII, 31. secundum quod ait Apostolus, Æmulamini
charismata meliora. *Et* tunc *labiis exsul-*
tationis laudabit os meum : id est, exsul-
tantibus labiis te os meum laudabit, ita
quod in laude tua gaudebo, atque ex inte-
riori lætitia ad te laudandum movebor, et
signa mentalis jucunditatis foris osten-
dam. Amanti namque delectabile est oc-
cupari in laude dilecti ; et quanto in gra-
tia Dei altius crescimus, tanto jucundius
eum laudamus : estque signum magni
amoris, in Dei laudibus exsultare.
7 (7) *Si,* id est quia, *memor fui tui,* me-
ditando, orando, plangendo, *super stra-*
tum meum, id est in lecto meo tempore
noctis, *in matutinis meditabor in te,* id est,
in hora atque officio matutinali te con-
templabor, et quæ tibi sunt placita cogi-
tabo. Hoc enim consequens est, ut qui in
lecto suo Dei non obliviscitur, extra le-
ctum tempore divini obsequii ejus remi-
niscatur : et omnino debemus esse memo-
res Dei in strato nostro, sic collocantes
nos in lecto, quasi in tumulo. Vel sic : *Si*
memor fui tui super stratum meum, id est
in quiete ac prosperitate, *in matutinis,* id
est gratiæ tuæ radio mihi illucente, *medi-*
tabor in te, recolendo bonitatem tuam at-
8 que beneficia infinita. *Quia fuisti adjutor*
meus, naturæ meæ infirmitatem confor-
Ibid. XV, 10. tando per gratiam tuam : nam gratia tua
sum id quod sum.
(8) *Et in velamento alarum tuarum ex-*
sultabo : id est, non in propriis viribus
ero securus, nec in me ipso lætabor ; sed
sub defensione tuæ potentiæ ac misericor-
diæ lætus quiescam, et quiete ac tute gau-
Job XXXIV, 29. debo. Nam, ut scriptum est, Deo conce-
dente pacem, quis est qui condemnet?
Cant. II, 3. Hinc enim Sponsa ait : Sub umbra illius

A quem desiderabam, sedi, et fructus ejus
dulcis gutturi meo. *Adhæsit,* o Domine, 9
anima mea post te, id est, per caritatem
tibi inhæsit, ad te pervenire conatur, in
anteriora extendens se ipsam, Christi ve- Philipp. III, 13.
stigia sequens, et clamans cum Sponsa :
Trahe me post te, curremus in odorem Cant. I, 3.
unguentorum tuorum. In hac adhæsione
pax nostra et salus tota consistit. Propter
quod Jeremias ait ad Dominum : Ego non Jer. XVII, 16.
sum turbatus, te pastorem sequens. Hanc
quoque adhæsionem facit ac roborat ar-
B dens dilectio Creatoris. *Me* pœnitentem,
orantem, confitentem, teque laudantem,
suscepit, et exaudivit, *dextera tua,* id est
favor gratiæ tuæ, seu pia tua præsentia,
quæ me pie prævenit, clementer conser-
vat, et ad consummationem benigne per-
ducit. (9) *Ipsi vero in vanum quæsierunt* 10
animam meam : id est, quoniam dextera
Dei me suscepit ac sustinet, propterea ho-
stes mei visibiles et invisibiles frustra co-
nati sunt vitam meam spiritualem exstin-
guere, animam meam seducere, aut alio
C modo nocere. *Introibunt,* propter peccata
sua, *in inferiora terræ,* id est in lacum
inferni, de quo alibi scriptum est : Ve- Is. XIV, 15.
rumtamen ad infernum detraheris, in pro-
fundum laci. *Tradentur in manus gladii,* 11
partes vulpium erunt, id est, hominum
fraudulentorum et diabolorum fallacium
participes erunt in pœnis.
(10) *Rex vero,* id est se ipsum rationabi- 12
liter regens, et ad regale Christi sacerdo-
tium pertinens, *lætabitur in Deo,* in quo
solo est vera ac pura lætitia. Propter quod
D in libro Job legitur : Si reversus fueris, Job XXII, 23, 26.
tunc super Omnipotentem deliciis afflues,
et elevabis ad Deum faciem tuam. Hanc
autem in Deo lætitiam habere non potest
hypocrita et dolosus, quemadmodum Job
ait : Numquid Deus audiet vocem hypocri- Ibid. XXVII, 9, 10.
tæ? aut poterit in Omnipotente delectari?
Laudabuntur omnes, id est, a Deo et San-
ctis omnibus approbabuntur, *qui jurant*
in eo cum debitis circumstantiis operis
virtuosi. Jurare namque, si debite modifi-
cetur, ordinateque fiat, est actus virtutis,

Digitized by Google

Matth. v, 33. Deut. vi, 13. scilicet latriæ. Scriptum est enim : Reddes Domino juramenta tua; et rursus, Per nomen illius jurabis. Quod vero ait Salvator, Matth. v, 34. Ego vero dico vobis non jurare omnino, non est dictum prohibitive simpliciter, sed ut sine necessitate non assuescamus jurare. Vel, Laudabuntur omnes qui jurant in eo, id est, qui fortiter bonum proponunt seu spondent, illudque fideliter prosequuntur ac implent. *Quia obstructum est os loquentium iniqua.* Jam enim obstructum est per prohibitionem divinam; in die quoque judicii obstruetur per condemnationem æternam. Nihilo minus reprobi mala loquentur in æternum : nam et in inferno Deum jugiter blasphemabunt, eo quod tantam potentiam habeat, qua eos sic cruciat, eisque prævaleat.

ARTICULUS XXIV

DECLARATIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI SEXAGESIMI SECUNDI DE CHRISTO.

I Reg. xxiii, 14. QUOD autem beatus David a facie Saul fugiens, in deserto moratus est, hoc præfiguravit quod evangelista Joannes de Joann. xi, 53, 54. Christo commemorat : Conspiraverunt, inquit, Judæi, ut eum occiderent. Jesus ergo jam non in palam ambulabat, sed erat in desertis locis cum discipulis suis, juxta civitatem quæ dicitur Ephrem. Christus igitur ut homo in hoc degens exsilio, ait ad Deum Patrem seu totam beatissimam Trinitatem, unum verum ac summum Deum :

2 *Deus, Deus meus,* qui es specialissimo modo Deus meus, secundum quod homo sum, quia summe honoratus atque dilectus a me, *ad te de luce vigilo,* id est, per claritatem lucis divinæ, animæ meæ infusæ, tibi semper intendo. Erat enim in anima Christi a suæ creationis principio non solum lux gratiæ, sed etiam excellentissimum lumen gloriæ, per quod incessabiliter vigilavit ad Deum, eum amando ac intuendo. Non enim somnus, cibus, potus, prædicatio, aut alia quælibet occupatio, animam Christi ab actuali Dei contemplatione unquam impedivit; sed ipse sine intervallo jugiter Deo intendit. *Sitivit in te anima mea :* quantum ad id quod erat viatrix atque passibilis. Anima namque Christi, quantum ad vires superiores ad Deum relatas, semper erat in beatifica Dei fruitione : nec sic proprie sitivit in Deum, quum sitis sit desiderium boni absentis; sed amabat et amplectebatur ipsum Deum. Quantum vero ad vires inferiores, erat anima Christi viatrix et passibilis : sicque sitivit in Deum, desiderando præmium accidentale, et liberationem ab omni passibilitate. Unde et ipse discipulis dixit : Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem. Joann. xiv, 28. *Quam multipliciter tibi caro mea!* Corpus etenim Christi multo pluribus passionibus subjacebat quam anima, quia mortale fuit, non glorificatum : idcirco multipliciter sitivit in Deum, desiderando resuscitationem, ascensionem et glorificationem : pro quibus etiam frequenter oravit, dicendo, Pater, salvifica me ex hac Ibid. xii, 27. hora; et, Pater, clarifica Filium tuum. Ibid. xvii, 1. Nonne utique anima corpusque Christi sitivit in Deum, dum dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu Marc. ix, 18. vos patiar? et alibi, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. xxvii, 46. Quomodo autem corpori competit sitire in Deum, dictum est in præcedenti expositione.

In terra deserta et invia et inaquosa, id 3
est in mundo isto vitioso, errabundo, et infecundo, *sic in sancto* desiderio *apparui tibi.* Nam Christus inter homines vi-

vens, vitia hominum ignoravit; sed divino A adspectui semper se ipsum repræsentavit in sancto desiderio, quo Dei Patris honorem et mundi salutem ardentissime concupivit. *Ut viderem virtutem tuam,* id est, quatenus experimentaliter intuerer potentiam tuam, qua per me passionemque meam, principem hujus mundi superare et mortem destruere decrevisti. Nam Christus divina virtute diabolum vicit, et mundum redemit. *Et gloriam tuam,* id est, ut viderem excellentiam gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, quam merito meæ B passionis dare disposuisti electis. Hanc gloriam Dei in electis Christus maxime desideravit, quoniam propter eam mori dignatus est. Vel sic : Ut viderem, non solum spirituali ac interiori, sed etiam oculo corporali corporis glorificati, virtutem tuam et gloriam tuam, post ascensionem in cœlo : intelligendo per virtutem et gloriam effectus divinæ potentiæ, in quibus virtus et gloria Dei relucet. In talium enim visione corporali, præmium accidentale partim consistit. Unde post diem judicii C corpora cœlestia et elementa splendidiora erunt quam modo, ut in eorum corporali visione Beati delectentur, divinamque in eis virtutem et gloriam admirentur. Sæpe equidem in divinis Scripturis per virtutem et gloriam Dei, intelliguntur effectus divinæ potestatis, sicut Christus ait ad Martham : Si credideris, videbis gloriam Dei, [Joann. XI, 40.] id est gloriosum miraculum resuscitationis fratris tui. Et in libro Paralipomenon : O Juda et Jerusalem, nolite timere; cras [II Par. XX, 17.] videbitis majestatem Dei in vobis, id est, D opus magnæ potestatis Dei cernetis.

4 *Quoniam melior est,* o Deus Pater, *misericordia tua,* id est gratia qua me prævenisti, implesti et perfecisti, *super vitas,* id est super omnem vitam naturæ, gratiæ et gloriæ omnium electorum. Major enim, dignior ac melior fuit gratia Christo collata, gratiis omnium intellectualium creaturarum, quia non ad mensuram dedit Deus [Joann. III, 34.] Spiritum Christo homini. *Labia mea laudabunt te.* Interioribus labiis, id est intellectu, memoria et affectu, anima Christi indesinenter sine omni interruptione Deum laudavit, sicut Beati in patria. Corporalibus quoque labiis eum laudavit, loco et tempore opportunis. Unde, Confiteor [Luc. X, 21.]
5 (inquit) tibi, Pater, id est, laudo te. *Sic benedicam te in vita mea.* Christus utique verbo et opere Deo perfectissime benedixit. Propter quod testatur : Ego honorifico Patrem meum, et non quæro gloriam [Joann. VIII, 49, 50.] meam. *Et in nomine tuo,* id est in tua virtute, vel ad nominis tui honorem, *levabo manus meas,* id est, omnia desideria mea ac opera ad te Deum altissimum dirigam, et ad cœlestem beatitudinem aliis per me promerendam ordinabo. Vel, Levabo manus meas corporales ad te in oratione, quam fudi passione instante, atque in cruce, dum obtuli me ipsum tibi hostiam beneplacentem. [Philipp. IV, 18.]

6 *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* gaudio præmii accidentalis, præsertim de salvatione electorum. Christus autem pro augmento caritatis, gratiæ habitualis, seu præmii essentialis, non oravit, quia in talibus anima ejus a principio perfectissima fuit, nec in talibus proficere potuit. *Et labiis exsultationis laudabit os meum,* id est, hilari ore et corde jucundo gratias tibi agam pro omni beneficio per me electis collato, tuamque, o Deus, bonitatem exsultanter laudabo.

7 *Si memor fui tui super stratum meum :* id est, quia in cruce in qua infirmatus et mortuus sum, memor fui tui, dicendo, o Pater, Ut quid dereliquisti me? et, Pater, [Matth. XXVII, 46. Luc. XXIII, 34, 46.] ignosce illis ; et, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum ; *in matutinis,* id est tempore resurrectionis, *meditabor in te.* Tunc enim Christus sine omni tristitia bonitatem et beneficia Patris, propriamque passionem recoluit, dicens discipulis : Nonne hæc oportuit pati Christum? [Ibid. XXIV, 26.]
8 *Quia fuisti adjutor meus,* cooperando mihi in redemptione generis humani, atque a morte resuscitans me. *Et in velamento alarum tuarum exsultabo,* id est, de tua protectione semper lætabor. Hinc enim

Digitized by Google

Joann. VIII, 29. Christus dixit Judæis : Pater non reliquit A
9 me solum. *Adhæsit anima mea post te,*
quia toto corde, tota fortitudine, totaque
mente te semper dilexit, et præceptum ca-
ritatis perfecte in hac vita implevit : quod
nulli viatori exstat possibile. *Me suscepit*
dextera tua in ascensione, quando me col-
Marc. XVI, 19. locasti ad dexteram tuam in cœlis. Vel,
Me suscepit dextera tua, id est, naturam
meam humanam assumpsit Verbum ac Fi-
lius tuus. Quemadmodum enim Spiritus
Luc. XI, 20. Sanctus vocatur digitus Dei, quoniam Deum
atque occulta per illuminationem demon- B
strat et edocet ; sic Filius appellatur bra-
chium et dextera Patris, quoniam ipse est
I Cor. I, 24. virtus Dei, et verbo virtutis suæ omnia
Hebr. I, 3. portat, secundum Apostolum.
10 *Ipsi vero,* puta Judæi increduli, *in vanum,*
id est contra animarum suarum salutem,
quæsierunt animam meam corporalem,
ut eam exstinguerent. *Introibunt,* propter
peccata in me commissa, *in inferiora ter-*
11 *ræ,* id est in profundum inferni ; *traden-*
tur in manus gladii, id est in potestatem
gladii Romanorum, scilicet Titi ac Vespa- C
siani, qui eos igne et gladio periment ;
partes vulpium erunt, id est portio atque
possessio dæmonum summe fallacium :
quia non credendo in Christum, facti sunt
filii dæmonum, atque ad eorum portionem
pertinentes. Propter quod Christus ait ad
Joann. VIII, 44. eos : Vos ex patre diabolo estis. Ad lit-
teram quoque Judæi facti sunt partes
vulpium, dum eorum cadavera insepulta,
tradita sunt vulpibus, feris et avibus de-
voranda.
12 *Rex vero,* scilicet Christus. De quo in D
Apoc. XIX, 13, 16. Apocalypsi legitur : Vocatur nomen ejus
Verbum Dei, et habet in vestimento et in
femore suo scriptum : Rex regum et Do-
minus dominantium. Hic rex *lætabitur* in-
desinenter *in Deo,* sicut de eo superius di-
Ps. XX, 2. ctum est : Domine, in virtute tua lætabitur
rex, et super salutare tuum exsultabit ve-
hementer. *Laudabuntur omnes qui jurant*
in eo : secundum sensum in præcedenti
expositione positum. Secundum quem modum juraverunt, de quibus secundo libro Paralipomenon dicitur : In omni corde suo juraverunt Domino, et in tota voluntate sua quæsierunt eum et invenerunt. (II Par. XV, 15.) *Quia obstructum est os loquentium iniqua.* Jam utique obstructum est os Judæorum Dominum Jesum blasphemantium et interficientium. Dixerunt enim : Ne forte veniant Romani, et tollant nostrum locum et gentem. (Joann. XI, 48.) Volebant quoque nomen atque memoriam Jesu prorsus delere, et ecce Deus comprehendit astutos in astutia eorum, (Job V, 13.) quoniam oppositum contigit. Nam et ipsi locum suum seu terram natalem et populum perdiderunt, nomenque Domini Salvatoris post passionem multo latius clarificatum est quam ante.

Ecce quam dulcissimus atque affectuosissimus psalmus : cujus virtutem ac suavitatem mens sapit devota et amorosa. Studeamus igitur semper mentaliter vigilare ad Dominum, sicut ad Timotheum ait Apostolus : Tu vero vigila, in omnibus labora, sobrius esto. (II Tim. IV, 5.) Et Christus ad discipulos : Vigilate, inquit, et orate, ne intretis in tentationem. (Matth. XXVI, 41.) Sitiat anima nostra ad Deum : et in carne viventes, non carnaliter conversemur ; (II Cor. X, 3.) sed Domino Deo nostro in sancto desiderio appareamus, summeque solliciti simus ; imo semper stemus in gratia Dei, potiusque optemus non esse, quam sine omni Dei misericordia, sine caritate et gratia esse. Deum in omni tempore, loco et vita laudemus, et puras ad eum manus levemus, atque in divino amore semper proficere satagamus.

PRECATIO.

Deus, Deus noster, fac nos in oratione de luce Spiritus tui ad te vigilare, ac in te sitire : ut tua præstante gratia, adipe et virtutum pinguedine repleatur anima nostra, quo tibi adhærentem eam in cœlestibus suscipiat dextera tua.

ARTICULUS XXV

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI SEXAGESIMI TERTII : EXAUDI, DEUS, ORATIONEM MEAM QUUM DEPRECOR.

1 Denique titulus psalmi præsentis est : *In* A
finem, psalmus David : id est, psalmus
iste in ultimum finem nos dirigens, convenit Christo per David præfigurato.

Christus igitur ut homo viator passibilis, passioni jam proximus, ait ad Deum
2 Patrem : (1) *Exaudi, Deus, orationem meam*
quum deprecor : vel pro me ipso, sicut dum
Luc. XXII, 42. dixi : Pater, si fieri potest, transfer a me
calicem istum; verumtamen non mea vo-
Joann. XVII, 5. luntas fiat; et iterum, Pater, clarifica me
claritate quam habui priusquam mundus B
esset. Vel, pro corpore meo mystico, sicut
Luc. XXII, 32. dum dixi : Ego pro te rogavi, Petre, ut non
Joann. XVII, 11. deficiat fides tua; et iterum, Pater sancte,
serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. *A timore inimici eripe animam meam.*
Christus qui pro mundo mori advenit, atque in bono confirmatus fuit, non oravit absolute ut non occideretur, aut ne inordinate formidando vitium laberetur. Quid ergo oravit, dicendo, A timore inimici eripe animam meam? nisi ut naturalis timor mortis ab eo recederet, vel ut ad impassi- C
bilem vitam suscitaretur, in qua nullus eum terrere posset aut persequi. Tunc enim ab omni timore adversariorum ereptus est, quando ad immortalem statum surrexit.
3 (2) *Protexisti me a conventu malignan-*
tium, id est a fallaci consilio Judæorum, qui
me frequenter tentabant, quatenus me ca-
Matth. XXII, 15. perent in sermone et accusarent. Ab hoc
conventu Deus Christum protexit, quia per sapientiam animæ suæ infusam, fecit eum irreprehensibiliter respondere, ita ut ipsi D
Joann. VII, 46. ejus adversarii dicerent : Nunquam sic lo-
cutus est homo, sicut hic loquitur. Protexisti me etiam, o Domine Pater, *a multitudine operantium iniquitatem,* id est a
Judæis volentibus me a supercilio montis Luc. IV, 29.
præcipitare, atque in porticu Salomonis la- Joann. X, 31.
pidare : tunc enim divina virtute evasi,
quia invisibilis eis effectus sum. Unde Jo- Luc. IV, 30.
annes dicit : Jesus autem abscondit se; et Joann. VIII, 59.
iterum, Quærebant eum Judæi apprehen- Ibid. X, 39.
dere, et exivit de manibus eorum. Potuit namque Christus se ipsum, dum vellet, invisibilem aliis reddere.
(3) *Quia exacuerunt* infideles Judæi *ut* 4
gladium linguas suas, verba mortifera di-
cendo adversus me, scilicet : Tolle, tolle, Ibid. XIX, 15.
crucifige eum. *Intenderunt arcum rem amaram,* id est, dolos atque insidias mihi
præparaverunt, dicentes : Non in die festo, Matth. XXVI, 5.
ne forte tumultus fieret in populo; et
item : A discipulo suo vendatur et tradatur, a præside condemnetur, ab ejus militibus occidatur; nos totum faciamus, et nihil fecisse videamur. Hæc autem fece-
runt, *ut sagittent in occultis immaculatum,* 5
id est, ut Christum agnum sine macula, lædant ac perimant in occulto, id est aliis ignorantibus eorum versutiam, atque latenter. Sic enim volebant principes sacerdotum cum suis fautoribus Christum occidere, ut nec Pilatus, nec alii scirent eorum falsas adinventiones contra Christum, et ut ipse quoque Christus improvise caperetur ab eis, quia putabant eum nescire eo-
rum consilia. (4) *Subito sagittabunt eum,* 6
id est, Christum repente occident. Non
enim tenebant eum diu in vinculis, sed ca- Ibid. XXVII, 2, 31.
ptum mox tradiderunt Pilato, et die eodem
crucifixerunt. *Et non timebunt* Deum in
tanto piaculo. Nam excæcavit et obstina- Sap. II, 21.
vit eos malitia eorum. Propterea sequitur:

Digitized by Google

Firmaverunt sibi sermonem nequam, id est, pertinaciter quæsierunt a præside, ut
Luc. xxiii, 23. Jesum occiderent. Unde Lucas dicit : At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum. Quanta enim fecit Pilatus ut eum erueret ! Sed illi firmaverunt sibi sermo-
Joann. xix, 12. nem nequam, dicentes : Si hunc dimittis,
Ibid. 13, 16. non es amicus Cæsaris. Quo audito, Pilatus timens hominem magis quam Deum, sedit pro tribunali, et Sanctum Sanctorum damnavit ad mortem.

5 *Narraverunt,* id est, inter se tractaverunt, *ut absconderent laqueos,* id est, quatenus causas ac insidias mortis Christo occulte pararent. Ideo namque mane in
Luc. xxii, 66. die Parasceves duxerunt eum in consilium suum, dicentes, Si tu es Christus, dic nobis : ut responsione sua audita, accusarent eum coram Pilato. Quemadmodum et fecerunt,
Joann. xix, 7. dicendo : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. *Dixerunt* inter se : *Quis videbit eos ?* id est, quis cognoscet nostra fraudulenta machinamenta contra hunc Jesum ? Non enim putabant suam malitiam ita omnibus manifestandam ut factum est. Nam, ut in Actibus Apostolorum legitur, volebant se excusare de morte Christi, di-
Act. v, 28. centes Apostolis : Ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis super nos inducere sanguinem hominis hujus.

7 6 *Scrutati sunt iniquitates :* id est, cum magna deliberatione atque industria excogitaverunt modum et vias quibus Christum occiderent, quemadmodum apud Jo-
Joann. xi, 47. annem dicitur : Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ?
Matth. xxvi, 4. Et Matthæus : Concilium, inquit, fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. *Defecerunt,* id est, optato effectu frustrati sunt, *scrutantes scrutinia,* id est Judæi investigantes consilia, quomodo Christum exstinguerent. Ideo namque eum interfe-
Joann. xi, 48. cerunt, ne venientibus Romanis, gentem et locum amitterent ; volebantque Jesum
Sap. ii, 20. non solum occidere, sed turpissima morte

A damnare, quatenus nomen atque memoria ejus omnino perirent, quemadmodum apud Jeremiam legitur : Eradamus eum Jer. xi, 19. de terra viventium, et nomen ejus non memoretur ultra. Et ecce oppositum contigit. Nam et ipsi vel occisi sunt a Romanis, vel expulsi et omni gloria legis paternæ privati. Christus vero ex ipsa sua passione fructificavit, quia totius mundi conversionem ad fidem promeruit. Propter quod ipse dicit : Nisi granum frumenti Joann. xii, 24, 25. cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum
B solum manet ; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Se ipsum equidem grano comparavit, quoniam ipse erat granum malitia Judæorum mortificandum, conversioneque gentium multiplicandum.

7 *Accedet homo et cor altum,* id est, homo Christus mediante corde suo alto seu sapientissimo, ad passionem sponte procedet, sicut superius dixit : Holocau- Ps. xxxix, 7, 8. stum et pro peccato non postulasti ; tunc dixi, Ecce venio. Et, teste Joanne, ait : Ne- Joann. x, 18. mo tollit animam meam a me, sed ego
C pono eam. Oblatus est enim quia voluit. Is. liii, 7. Per hoc autem quod dicitur, Accedet homo et cor altum, idem significatur. Juxta quem modum alibi scriptum est, Ego au- Tob. xiii, 9. tem et anima mea in Deo lætabimur : non quod homo et anima sint diversi lætantes ; sed quoniam anima est quasi proxima causa lætitiæ, quia per eam homo lætatur, sicut per eam vivit et ratiocinatur. Simili modo jam dicitur : Accedet homo et cor altum. Nam cor, id est intellectus, est homini causa accedendi ad ea quæ Deo
D sunt placita, quoniam intellectus dirigit actus humanos. Alii habent sic : Accedet homo ad cor altum, id est, Christus per considerationem accedet ad intuendum profundum ac mysticum Dei consilium, pensando videlicet quomodo a summa Trinitate decretum erat ut ipse sua passione mundum salvaret. Ad hoc enim cor Christus accessit, dum deprecans dixit : Ve- Luc. xxii, 42. rumtamen non mea voluntas fiat, sed tua ; et iterum, Quia sic scriptum est, et sic Ibid. xxiv, 46. oportet fieri.

Digitized by Google

8 *Et exaltabitur Deus,* id est, Christus, A
qui in passione homo accessit, in resur-
rectione agnoscetur esse Deus. Deus enim
exaltatus est, non quod divinitas perfe-
ctior aut sublimior fiat, sed quoniam in
mentibus creatis sublimatur, dum quem
ignorabant, aut non timebant, agnosce-
re, adorare et colere inchoant. Sicque in
resurrectione exaltatus est Dominus Jesus,
Hebr. II, 9. quemadmodum inducit Apostolus : Vide-
mus Jesum propter passionem mortis, glo-
ria et honore coronatum. Vel sic : Exal-
tabitur Deus, id est, Deus Trinitas per B
Christi accessum ad cor altum, ab ipso
Christo glorificabitur, atque per totum
mundum clarificabitur, et in honore ha-
bebitur. Ideo namque Christus incarnatus
et passus est, quatenus Deus a toto mundo
agnosceretur et honoraretur. Propter quod
Joann. XVII, 25. 26. apud Joannem ait : Pater juste, mundus
te non cognovit; ego autem te cognovi, et
notum feci eis nomen tuum. Et in prima
sua Canonica Joannes apertius loquens :
I Joann. V, 20. Scimus, inquit, quoniam Filius Dei venit,
et dedit nobis sensum, ut cognoscamus C
Deum verum.

(8) *Sagittæ parvulorum factæ sunt pla-
gæ eorum,* etc. Istud multipliciter intelli-
gi potest. Primo sic : *Sagittæ parvulorum,*
id est insidiæ et persecutiones Judæorum
Christo illatæ, *factæ sunt plagæ eorum,*
quia per eas meruerunt a Romanis occidi,
æternaliterque damnari : imo et se ipsos
spiritualiter occiderunt. Dicuntur autem
Judæi parvuli, non propter humilitatem,
sed propter invidiam, quæ omnem invi-
Job V, 2. dum facit parvulum, juxta illud : Virum D
stultum interficit iracundia, et parvulum
occidit invidia. Invidus enim eo ipso quo
alteri invidet, diminutum et bono alterius
se indigentem ostendit : quoniam invidia
est tristitia de bono alterius, secundum
quod æstimatur propriæ excellentiæ dimi-
9 nutivum, ut ait Philosophus. *Et infirmatæ
sunt contra eos linguæ eorum,* id est, ser-
mones, accusationes atque consilia Judæo-
rum, intento effectu privati sunt, sicut
jam patuit : et hoc contra eos, id est in
malum eorum, quoniam malum quod Chri-
sto paraverunt, ipsimet inciderunt, et ser-
mo ille quem dixerant, Sanguis ejus su- Matth. XXVII, 25.
per nos et super filios nostros, fecit eos
morti obnoxios. — Secundo sic : *Sagittæ
parvulorum,* id est prædicationes et ver-
ba humilium Christi Apostolorum, *factæ
sunt plagæ eorum,* scilicet Judæorum. Nam
per prædicationem Apostolorum clarifica-
tus est Christus, et Judæi confusi sunt, victi
et exterminati. *Et infirmatæ sunt contra
eos,* videlicet Christi Apostolos, aliosque
credentes, *linguæ eorum,* utpote Judæorum.
Non enim resistere poterant verbis atque
miraculis discipulorum Domini Salvatoris.
Unde scriptum est : Videntes principes sa- Act. IV, 13.
cerdotum Petri et Joannis constantiam,
comperto quod homines sine litteris essent
et idiotæ, mirabantur ; et rursus, Non po- Ibid. VI, 10.
terant resistere sapientiæ et Spiritui qui
loquebatur per Stephanum. — Tertio sic :
*Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eo-
rum :* id est, plagæ quas Judæi Christo in-
tulerunt, similes erant sagittis puerorum :
quoniam sicut puerorum sagittæ inanes
sunt, nec nocent, et si aliqualiter lædant,
vulnus inflictum cito sanatur; sic plagæ
a Judæis Christo illatæ, vanæ fuerunt, nec
eum in morte detinere poterant : quin po-
tius Christus tertia die ab omni læsione
sanus et immortalis surrexit. *Et infirma-
tæ sunt contra eos linguæ eorum :* id est,
Judæi proprias assertiones probare non
poterant, neque defendere. Quemadmodum
legitur, quum custodes sepulcri dixissent Matth. XXVIII, 11-13.
quæ viderant, scilicet terræ motum et an-
gelum descendentem, principes Judæorum
dederunt eis copiosam pecuniam, quate-
nus dicerent discipulos Jesu eum fuis-
se furatos ipsis dormientibus. Hoc autem
ficticium facile improbatur. Si enim cu-
stodes dormierant, scire non poterant a
quibus vel quomodo Christi corpus esset
sublatum. Sed nec apparentiam habet quod
discipuli, qui omnes a Magistro adhuc vi- Ibid. XXVI, 56.
vo aufugerant, inter armatos milites jam
defunctum requirerent. Denique impossi-
bile quasi est quod adeo fortiter dormi-

Digitized by Google

vissent, ut in revolutione lapidis a momento excitati non exstitissent. Erat namque lapis magnus valde, et diligenter signatus, fortiterque impressus : propter quod sine ingenti strepitu ab homine auferri non potuit. [*Marc.* xvi, 4. *Matth.* xxvii, 66.]

(9) *Conturbati sunt,* id est compuncti, et ad pœnitentiam moti, *omnes qui videbant eos,* id est qui cognoverunt Judæos in Christi occisione tam dire peccasse, sanguinem innocentem fundendo. Hinc enim de centurione in Evangelio dicitur, quia videns quod sic exspirasset Jesus, timuit valde, et glorificavit Deum, et dixit : Vere Filius Dei erat iste. Et Lucas ait : Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. Post resurrectionem quoque, prædicante Petro, compuncti sunt corde, et conversa sunt ad Christum octo millia Judæorum. Tunc enim impletum est quod Christus ante passionem prædixit : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. [*Ibid.* 54. *Luc.* xxiii, 48. *Act.* ii, 37, 41; iv, 4. *Joann.* viii, 28.]
10 *Et timuit omnis homo :* non simpliciter omnis homo, sed ut sit distributio pro generibus singulorum, quia de omni genere hominum quidam ad Christum conversi sunt, et Deum timuerunt. (10) *Annuntiaverunt opera Dei,* id est, prædicti jam christiani effecti, laudaverunt, et aliis nuntiaverunt opera atque miracula Christi, præsertim Apostoli, de quibus istud specialiter dicitur. De quibus et subjungitur : *et facta ejus,* scilicet Christi, *intellexerunt,* per illuminationem Spiritus Sancti, præcipue post diem Pentecostes, quando Christus implevit quod eis repromisit : Ego, inquiens, mittam promissum Patris mei in vos; et iterum, Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. [*Luc.* xxiv, 49. *Joann.* xvi, 13.]

(11) *Lætabitur justus* gratia Christi ju- 11
stificatus, et sanguine ejus redemptus, *in Domino,* non in rebus illicitis et caducis, ut ait Apostolus : Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. *Et sperabit in eo,* id est in misericordia Dei, non in sua justitia, sperans per meritum Christi ad beatam immortalitatem perduci ; *et laudabuntur* a Christo judice, *omnes recti corde,* qui Deo in sanctitate et justitia servierunt. Illis enim Christus dicturus est : Venite, benedicti Patris mei, etc. [*Philipp.* iv, 4. *Matth.* xxv, 34-40. *Luc.* i, 75. *Matth.* xxv, 34.]

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI SEXAGESIMI TERTII.

QUEMADMODUM tertium psalmum pœnitentialem quidam doctores catholici, inter quos est Cassiodorus, exponunt ad litteram de sancto Job; sic psalmum præsentem quidam ad litteram exponunt de Daniele, imitantes (ut dicunt) in hoc antiquos Hebræorum doctores. Verumtamen, sicut psalmus ille tertius pœnitentialis convenientius explanatur de quolibet vere pœnitente, sic psalmus præsens congruentius elucidatur de quocumque justo in afflictionibus posito, præcipue in persona martyrum, quorum quilibet dicere potest : [*Ps.* xxxvii.]

Exaudi, Deus, orationem meam quum 2
deprecor, id est, de cordiali affectu te precor. Translatio Romana habet, Quum tribulor. In tribulationibus namque potissimum exaudiri et conservari indigemus. Qui autem sic Deum deprecatur, utique exaudietur, quemadmodum Moyses ait : Quum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ. *A ti-* [*Deut.* iv, 29.]

Digitized by Google

more inimici eripe animam meam : non A
ut non tenter a dæmone, nec in mundo
Act. xiv, 21. persecutionem sustineam, quum per mul-
tas tribulationes oporteat nos intrare in
regnum cœlorum ; sed ut non formidem
inordinato pavore inimicos animæ meæ,
magis vero adimpleam quod tu, Domine
Luc. xii, 4. Jesu, jubes : Ne terreamini ab his qui cor-
Joann. xvi, 33. pus occidunt ; et : In mundo pressuram
habebitis; sed confidite, ego vici mundum.
Is. li, 7. Hinc apud Isaiam legitur : Nolite time-
re opprobrium hominum et blasphemias
eorum.
3 *Protexisti me a conventu malignanti-
um,* ita quod eorum iniquum consilium
mihi non nocuit, neque eorum malignitati
cor meum consensit. Hoc modo Deus mar-
tyres sanctos protexit, qui coram tyrannis
insuperabiliter perstiterunt, atque ab om-
ni fraude eorum erepti sunt. Protexisti me
quoque *a multitudine operantium iniqui-*
Ps. xvii, 27. *tatem,* ne cum perversis perverterer, aut
eorum multitudine territus superarer. Is-
tud etiam quilibet dicere potest, qui dæ-
monum tentationibus viriliter restitit, et C
Deo protegente, eorum laqueos victor eva-
sit : præcipue autem claustrales, qui mun-
dum et omnia quæ in mundo sunt, propter
Christum reliquerunt, et in cœnobiis Deo
efficaciter militant, hunc versum dicere
habent, Deo gratias referendo. Vere enim
protexit eos Deus a conventu malignan-
tium, id est a turbis propinquorum et
amicorum carnaliter viventium, et clau-
stralem conversationem dissuadentium.
Sunt et protecti a multitudine operantium
iniquitatem, id est a mundanis hominibus. D
De quibus in prima sua Canonica ait Joan-
I Joann. ii, 16. nes : Quidquid est in mundo, concupiscen-
tia carnis est, et concupiscentia oculorum,
et superbia vitæ. Sunt autem protecti ab
his, non quod penitus sint securi, sed quia
jam unum pedem habent in paradiso :
Matth. xix, 29. quia de eis ait Salvator, Qui reliquerit
patrem aut matrem, etc., centuplum acci-
piet, et vitam æternam possidebit.
4 *Quia exacuerunt* tyranni et persecu-
Rom. i, 30. tores, justorum detractores Deo odibiles,
ut gladium linguas suas, præparantes os
suum ad proferendum verba acuta, pun-
gitiva, invidiosa, accusatoria atque letalia.
Intenderunt arcum rem amaram, id est,
fraudulentas insidias excogitaverunt, *ut* 5
sagittent in occultis immaculatum, id est,
quatenus virum innocentem in lege Do-
mini ambulantem, occulte affligant, læ-
dant, diffament aut perimant. *Subito sa-* 6
gittabunt eum, id est, nocumentum ei
improvise inducent. Unde Christus ait di-
scipulis : Si me persecuti sunt, et vos per- Joann. xv,
B sequentur, quia non est servus major do- 20; xiii, 16.
mino suo. *Et non timebunt* Deum : quia
nonnunquam sic excæcantur invidia atque
malitia, ut nec peccare se putent, ut Do-
minus protestatur : Venit hora, ut omnis Ibid. xvi, 2.
qui interficit vos, arbitretur obsequium
se præstare Deo. *Firmaverunt sibi sermo-*
nem nequam, nolentes remittere minas,
nec ad pietatem ac veritatem reduci ; sed
quod animo conceperunt, ad effectum per-
ducere satagunt. *Narraverunt ut abscon-*
derent laqueos : id est, tam homines mali,
quam dæmones, inter se tractaverunt quo-
modo bonis hominibus vias perditionis
expandant, et in foveam peccati, mortis
aut damni alicujus, eos præcipitent. Inces-
sabiliter enim moliuntur insidias contra
devotos. *Dixerunt* inter se : *Quis videbit*
eos, scilicet laqueos nostros ? Frequenter
namque student occulte nocere, maxime
dæmones, qui sub specie boni mala pro-
ponunt, atque (ut dicit Apostolus) in ange- II Cor. xi,
los lucis se transformant. 14.
Scrutati sunt iniquitates, id est, modos 7
nocendi diligenter indagati sunt, sicut
apud Michæam scriptum est : Vir fratrem Mich. vii,
suum venatur ad mortem. *Defecerunt scru-* 2.
tantes scrutinia : quia justos a fide et ve-
ritate avertere non potuerunt, quemadmo-
dum Christus in Evangelio justis promittit :
Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non Luc. xxi, 15.
poterunt contradicere et resistere omnes
adversarii vestri. Denique, nonne tyranni
qui nomen Christianorum prorsus exstir-
pare conabantur, penitus defecerunt ? Nam
quo horribiliora tormenta martyribus in-

Digitized by Google

Ps. xv, 3. tulerunt, eo Deus gloriosus et fortis San- A
ctos suos excellentius mirificavit; sicque
fides catholica inter tormenta multo am-
plius crevit, quam modo tempore pacis:
in quo utique omnipotens virtus Christi
et fidei veritas lucidissime comprobantur,
dum tam experimentaliter ostenditur ope-
rata Divinitas.

Accedet homo fidelis contemplativus, *ad
cor altum,* id est ad considerationes pro-
Ps. cxviii, 18. fundas, speculando mirabilia de lege Dei,
I Cor. i, 27. quomodo quæ stulta sunt mundi elegit
Deus, ut confundat sapientes, et infirma B
mundi elegit Deus, ut confundat fortia;
quomodo etiam Deus in hoc mundo repro-
bos prosperari, electos autem multiplici-
ter affligi permittat, et qualiter per incar-
nationem ac mortem unigeniti Filii sui
mundum liberare decrevit. In hoc vero
8 hominis accessu ad cor altum, *et exalta-
bitur Deus:* quia ex horum contemplatio-
ne divinam sapientiam admiramur, divi-
nam justitiam formidamus, majestatemque
divinam venerari optamus. Unde ait ser-
Job xxxvii, 24. mo divinus: Ideo timebunt eum viri, et C
non audebunt contemplari omnes qui sibi
Ibid. xxxvi, 22. videntur esse sapientes; et rursum, Ecce
Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus
ei similis in legislatoribus.

*Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ
eorum.* Sicut in præcedenti articulo ver-
sus iste tripliciter expositus est, respectu
Christi et Judæorum; sic nunc exponi po-
test per comparationem ad tyrannos et
martyres sanctos, seu justos afflictos. Nam
et ipsi tyranni ac persecutores justorum,
sagittis et plagis, quas inferunt virtuosis D
hominibus, semetipsos damnant, spiritua-
literque occidunt. Sagittæ quoque parvu-
lorum, id est prædicatio et responsa ju-
storum ac martyrum, factæ sunt plagæ
impiorum, quia fidelibus mundum imple-
verunt, idololatriam destruendo, et perse-
cutoribus prævalendo. Ipsi quoque persecu-
tores sæpius vehementissime cruciabantur
propter responsa martyrum Christi, sicut
in legendis sancti Vincentii, Agathæ, alio-
rumque legitur. *Conturbati sunt* ad pœni- 9
tentiam *omnes qui videbant eos,* id est, qui
consideraverunt prædictorum impiorum
ruinam ac damnationem æternam; *et ti-* 10
muit, ex pœna eorum, *omnis homo* ratio-
nabiliter vivens, ne sibi simile accidat, si
Deum offenderit. Cetera patent ex præce-
denti expositione.

Ecce quam mysterialis et pulcher est
psalmus præsens, in quo Christi mysteria
continentur. Omnino igitur laboremus se-
qui Caput nostrum, desiderantes commu- Ephes. iii, 15.
nicare passionibus ejus, et in præsenti I Petr. iv, 13.
sæculo vilipendi, nesciri, variisque tribu-
lationibus emundari: quatenus vita hac
fallaci ac labili consummata, statim merea-
mur a Domino Christo amplexari et co-
ronari, a quo tanto sublimius erigemur,
quanto nunc ob ejus amorem nos ipsos
amplius abnegamus, humiliusque depri-
mimus. Propter quod ait Salvator: Quod Luc. xvi, 15.
hominibus altum est, abominatio est apud
Deum.

PRECATIO.

Benigna et summa potestas, Deus, a timore inimicorum eripe animas nostras: ut qui scrutari iniquitates contra salutem nostram non cessant, tuo insuperabili abacti brachio, deficiant a nobis scrutantes scrutinia.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI SEXAGESIMI QUARTI : TE DECET HYMNUS, ETC.

HABET interea psalmus jam exponendus
1 hunc titulum : *In finem, psalmus David,
canticum Jeremiæ et Aggæi, de verbo pe-
regrinationis, quum inciperent proficisci.*
Psalmum præsentem David conscripsit de
I *Esdr.* I. reditu Judæorum a captivitate Babylonis
et reædificatione templi. Unde secundum
sensum litteralem titulus planus est. Sic
enim intelligi debet : *Psalmus* iste sancti
David, in finem, id est in Christum, nos
dirigens, est *canticum,* id est exsultatio
seu gratiarum actio, *Jeremiæ et Aggæi*
prophetarum : canticum, inquam, loquens
de verbo peregrinationis, seu populo trans-
migrationis, ut alii habent, *quum incipe-
rent proficisci* de Babylone ad Judæam.
Tractat enim hic psalmus de peregrina-
tione et transmigratione ac reductione
Judæorum. Et dicitur canticum Jeremiæ
seu Ezechielis, et Aggæi, non quod ipsi
psalmum hunc fecerint, sed quoniam eis
Jer. L, 28. appropriatur, ob hoc quod Jeremias atque
Ezech. XXXIX, 25-28. Ezechiel reditum Judæorum a Babylonia
prædixerunt; Aggæus vero reversis pro-
Agg. I, 1-11. phetavit de templi reædificatione, sicut et
Zach. I, 16. Zacharias. Propter quod (ut videtur) pos-
set in titulo poni canticum Zachariæ tam
bene, sicut Aggæi aut Jeremiæ, præsertim
quum omnia ista, videlicet, Canticum Je-
remiæ, etc., usque ad finem, sint quædam
additiones expositorum : non enim in He-
bræo habentur, nec in translatione Hiero-
nymi juxta Hebræum.

LOQUENS igitur David in persona po-
puli a prædicta captivitate cum ingenti
2 lætitia redeuntis, ait : (1) *Te decet hymnus,*
id est laus divina cum cantico, o *Deus, in
Sion,* id est in loco quo templum a Baby-
loniis dissipatum fuerat situm, quia hunc
locum Deus elegit ad suum cultum, quem-
admodum in libro Paralipomenon ostendi- II *Par.* VII, 12-16.
tur; *et tibi reddetur votum,* id est, pro-
missio persolvetur, vel desideria sancta
offerentur, *in Jerusalem :* quia in ea erat
templum construendum, in quo offereban-
tur quæ per votum Domino debebantur.
(2) *Exaudi orationem meam,* quam pro ci- 3
vitatis ac templi reparatione effundo; *ad
te omnis caro veniet,* id est, de omni natio-
ne aliqui venient, templo restaurato, qua-
tenus te in eo adorent. Nam et multi gen-
tilium ad ipsum convenerant, ut in Actis
legitur de eunucho reginæ Candacis. Et in *Act.* VIII, 27.
libro Machabæorum habetur, quod tem-
plum illud toto orbe famosissimum erat, II *Mach.* III, 2, 3.
ita ut Seleucus rex Asiæ maximas ad ip-
sum immolationes transmitteret. (3) *Verba* 4
iniquorum prævaluerunt super nos, id est,
dicta et facta Babyloniorum oppresserunt
nos propter scelera nostra; *et impietatibus
nostris tu propitiaberis,* eas dimittendo,
quemadmodum per Jeremiam dixisti, quod
septuaginta annis expletis, reduceres nos, *Jer.* XXV, 12.
templumque et civitatem Jerusalem reæ-
dificares.
(4) *Beatus* est jam in spe, *quem elegisti* 5
et assumpsisti, ut eum ad terram Judææ
reducas, et in ea tibi servire habitareque
facias. Propterea Baruch ait : Filii, patien- *Baruch* IV, 25, 29.
ter sustinete iram quæ superveniet vobis;
qui enim induxit vobis mala, ipse rursus
adducet vobis sempiternam jucunditatem
cum vestra salute. *Inhabitabit in atriis
tuis,* id est in locis ac domibus circa tem-
plum situatis, in quibus sacrificia, orationes
lectionesque legis fiebant. (5) *Replebimur
in bonis domus tuæ :* nam temporalium spi-
ritualiumque bonorum sufficientiam con-
tulit Deus reversis a Babylone; ministri

Digitized by Google

quoque templi ex oblatis in templo copio- A
se sustentabantur. *Sanctum est templum*
tuum materiale, id est ad sanctum tuum
6 obsequium deputatum ; *mirabile in æqui-*
Deut. xvii, 8. *tate :* quia in eo sacerdotes causas dubias
atque difficiles judicabant, prout Domi-
nus Moysi jussit. Vel : Sanctum est tem-
plum tuum, id est, congregatio populi tui
quam reducis ad terram tuam, est sancta
et mirabilis in æquitate : quia in ea fue-
rant sanctissimi atque justissimi viri, ut-
pote Esdras, Nehemias, et alii multi.

(6) *Exaudi nos, Deus salutaris noster,* B
ut templum istud secundum præferatur
in gloria templo primo a Salomone con-
Agg. ii, 10. structo : sicut Aggæus promittit, Magna,
inquiens, erit gloria domus hujus novissi-
mæ, magis quam primæ. *Spes omnium*
finium terræ, id est spes omnium homi-
num in toto orbe morantium, *et in mari*
longe : non enim ponenda est spes, nisi in
7 Deo; et qui alibi eam ponit, errat. (7) *Præ-*
parans montes in virtute tua. Tanquam
dicat : Tu, Domine Deus, exaudire nos po-
tes, et bona Israel promissa facile adim- C
plere, qui es tantæ potestatis, ut sis præ-
parans, id est fundans, sustentans, et pro
tua voluntate disponens, montes terræ,
quorum nonnulli mirabiliter alti sunt. Et
hoc agis in virtute tua propria, non aliun-
Sap. xii, 18. de adepta : subest enim tibi, quum volue-
Ps. ciii, 8. ris, posse. Unde inferius dicitur : Ascen-
dunt montes et descendunt campi in locum
quem fundasti eis. *Accinctus potentia.* Hoc
de Deo metaphorice dicitur. Deus namque
est ipsa sua potentia, suntque in Deo om-
nino idem, esse, posse, et agere. Dicitur D
ergo Deus accinctus potentia, id est pote-
state et omnipotentia undique adornatus
atque indutus : quoniam sicut homo armis
accingitur, ut ad præliandum sit fortis, et
ad exercitium expeditus ; sic Deus se ipso
seu propria et consubstantiali sibi poten-
tia, ad prævalendum omni adversæ pote-
stati est fortis, et ad operandum quidquid
8 sibi placuerit, promptus et expeditus. *Qui*
conturbas profundum maris, commovendo
in eo varias tempestates; *sonum fluctu-*
um ejus : id est, inundationem ac strepi-
tum gurgitum pelagi tu auges et mitigas
supra naturam, secundum propriæ volun-
tatis imperium. Propter quod infra habe-
tur : Tu dominaris potestati maris, motum Ps. lxxxviii, 10.
autem fluctuum ejus tu mitigas. Et alio in
loco : Dominus misit ventum magnum in Jonæ i, 4.
mare, et facta est tempestas magna in
mari. Unde de Domino Jesu ait Evange-
lista : Surgens comminatus est vento, et Marc. iv, 39.
dixit mari, Tace et obmutesce ; et facta
est tranquillitas magna.

(8) *Turbabuntur gentes, et timebunt qui* 9
habitant terminos, a signis tuis, id est,
omnes in toto orbe manentes, admirabun-
tur et pavebunt propter mirabilia quæ fa-
cis in mari et terra : sicut et frequenter
factum est in terræ motibus, tempestati-
bus aliisque prodigiis. *Exitus matutini et*
vesperi delectabis : id est, immolationes
sacrificii quod offertur mane, et ejus quod
vespere immolatur, facies tibi acceptas,
tuisque fidelibus delectabiles. Propter quod
in Esdra scriptum est, quod templo reæ-
dificato, obtulerunt in eo holocaustum Do- I Esdr. iii, 3.
mino mane et vespere.

Consequenter beatus David prophetat
de ubertate terræ post reditum a prædicta
captivitate : de qua etiam ubertate Jere- Jer. xxxi, 12.
mias atque Ezechiel clare prophetant. Ait
enim de futuro per modum præteriti, pro- Ezech. xxviii, 25, 26.
pter prophetiæ certitudinem inconcussam :
(9) *Visitasti terram* Judææ, dando ei uberes 10
fructus ; *et inebriasti eam,* id est, plu-
viis opportunis eam copiose irrigasti :
quemadmodum Isaias inducit, Descendit Is. lv, 10.
imber et nix de cœlo, et illuc ultra non
revertitur, sed inebriat terram, et infun-
dit eam. *Multiplicasti locupletare eam,* id
est, pluribus modis terram ditasti : quo-
niam ex fertilitate terræ nascentium, quæ
sunt naturales divitiæ, acquiruntur et au-
gmentantur divitiæ artificiales.

(10) *Flumen Dei repletum est aquis,* id
est, Jordanis aquis abundavit. Dicitur au-
tem Jordanis flumen Dei, propter mirabi-
lia quæ Deus in eo peregit, arefaciens al- Josue iii, 16, 17.
veum ejus, et aquas ejus superiores in

Digitized by Google

altitudinem turris ascendere, permanere-
que faciens, donec filii Israel pertransis-
sent, quemadmodum in libro Josue legi-
tur. *Parasti cibum illorum,* id est, escam
Judæis revertentibus præparasti, terram
fecundando; *quoniam ita est præparatio
ejus,* id est, quia repletio Jordanis facit
ad terræ fecundationem et cibi præpara-
11 tionem. (11) *Rivos ejus inebria,* id est, ri-
vos Jordanis fac copiosum fructum pro-
ducere; *multiplica genimina ejus.* Hoc est
expositio verbi præcedentis : multiplicatio
namque geniminum seu fructuum terræ,
est inebriatio rivorum. Vel, Rivos ejus in-
ebria, id est, abundanter auge ac imple. *In
stillicidiis ejus lætabitur germinans,* id est,
in guttis aquarum Jordanis a cœlo stillan-
tibus, terra lætabitur, id est, habitatores
suos faciet gloriari. Vel, Lætabitur, meta-
phorice, sicut pratum ridere asserimus.
12 (12) *Benedices coronæ,* id est circumvolu-
tioni seu circulo, *anni benignitatis tuæ,* id
est tempori misericordiæ tuæ, dando ea
quæ ad fructuum productionem exigun-
tur. Dicitur enim Deus benedicere tempo-
ri, quando his quæ in tempore fiunt aut
sunt, benedicit, id est, gratiam seu boni-
A tatem aliquam eis impendit. *Et campi tui,*
id est campi culti Judææ, *replebuntur
ubertate* fructuum diversorum. (13) *Pin-* 13
guescent speciosa deserti, id est, pinguia
pascua proferent ad animalia nutrienda;
et exsultatione colles accingentur, id est,
fructu seu germine homines lætificante
undique implebuntur. (14) *Induti sunt* la- 14
na copiosa *arietes ovium :* sicque non erit
indigentia vestimentorum; *et valles abun-
dabunt frumento :* quia valles terræ illius
aptæ dicuntur ut in eis grana bona seran-
B tur. *Clamabunt, etenim hymnum dicent.*
Dicuntur autem inanimata, sicut terræ na-
scentia, atque similia, Deo benedicere et
clamare materialiter, quoniam sunt mate-
ria et occasio unde homines ad laudem
divinam provocentur, suaque pulchritudi-
ne, fecunditate et dispositione inducunt
nos, si bene consideremus, ad claman-
dum, benedicendumque Dominum. Propter
quod in Ecclesiastico legitur : Quam de- *Eccli.* XLII,
siderabilia sunt opera Dei! Et quis sati- 23, 26.
abitur, videns gloriam ejus? Hinc nem-
C pe apud Danielem omnes creaturæ, etiam *Dan.* III, 57-
inanimatæ, invitantur ad benedicendum 90.
Creatori.

ARTICULUS XXVIII

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI SEXAGESIMI QUARTI.

PORRO moraliter titulus præinductus ita exponitur : *In finem, psalmus David,* id est, psalmus iste tendens in Christum, convenit David, id est Ecclesiæ militanti jam peregrinanti, et ad patriam suspiranti; cuilibet quoque fideli, de Babylone, id est de confusione vitiorum, ad terram Judææ et Sion, id est ad confessionem, laudem ac speculationem divinam redeunti. Et psalmus iste est *canticum Jeremiæ et Aggæi, de verbo transmigrationis,* id est, agit de re significata per
D transmigrationem ac reditum Judæorum a Babylone, videlicet de reditu nostro a captivitate vitiorum atque diaboli, ad pacem Ecclesiæ et libertatem filiorum Dei. Qui enim vitiis servit, a dæmone captus est, sicut ait Apostolus, de peccatoribus
loquens : Resipiscant a diaboli laqueis, a II *Tim.* II,
quo captivi detinentur ad ipsius volunta- 26.
tem. Et evangelica ait Scriptura : Omnis *Joann.* VIII,
qui facit peccatum, servus est peccati. Re- 34.
vertendum ergo est nobis a confusione ad ordinationem, a culpa ad gratiam, a regno

Digitized by Google

diaboli ad regnum Christi. Sicque rede- A
untes, cum præcordiali hilaritate dicamus:
2 *Te decet hymnus, Deus, in Sion,* id est
in sancta ac militanti Ecclesia, in qua in-
cessabiliter Deum laudare ac honorare de-
I Tim. i, 17. bemus, implentes quod ait Apostolus: Regi
sæculorum immortali, invisibili, soli Deo
honor et gloria. Sion namque speculatio
dicitur : per quam Ecclesia designatur,
quæ Christum jam fideliter contemplatur.
Et tibi reddetur votum, id est, tibi perfe-
cte solvetur promissio, *in Jerusalem,* illa
Galat. iv, 26. quæ sursum est, quæ est mater nostra at- B
que triumphans Ecclesia. Dum enim in
sacro Baptismate, per votum fidelitatis, di-
abolo et omnibus ejus operibus abrenun-
tiamus, corpusque nostrum ac animam
Deo offerimus, ejus nos cultui totaliter
dedicantes, tenemur sic vitam nostram
dirigere, ut omnis nostra cogitatio, locu-
tio et operatio Deo semper intendat, Deum
loquatur ac veneretur : in quo consistit
perfecta adimpletio præcepti de caritate.
Istud autem in præsenti perfecte implere
non possumus, sed in patria perfecte im- C
plebitur : tunc enim corpus animam non
retardabit.
3 *Exaudi orationem meam,* o Domine, ut
te in hoc sæculo ac militanti Ecclesia tam
pulchris atque devotis hymnis collaudem,
quatenus quod nunc perfecte solvere ne-
queo, in superna illa Jerusalem sine fine
feliciter reddam. *Ad te omnis caro veniet,*
id est omnis homo, præsertim in finali
Matth. xxv, 32. judicio, quando congregabuntur ante Fi-
lium hominis omnes gentes. Ponitur ita-
que hic pars pro toto, videlicet caro pro D
toto composito : sicut in Genesi et Exodo
Gen. xlvi, 27; Exod. i, 5. dicitur Jacob descendisse in Ægyptum in
animabus septuaginta. Sed nonne sic ac-
cipiendo carnem, equus et mulus caro
Is. xxxi, 3. sunt? Nonne veraciter scriptum est, Ægy-
ptus homo et non Deus, et equi eorum ca-
ro et non spiritus? Numquid ergo et irra-
tionabilia animantia ad Christum in die
judicii venient ? Et respondendum, quod
ponit hic genus pro specie, scilicet carnem
pro carne humana. Vel, sicut nomen Pro-
phetæ antonomastice convenit David, sic
caro per se posita, pro carne humana, quæ
nobilissima est, sumitur.
Verba iniquorum prævaluerunt super 4
nos. Interdum in sacra Scriptura verbum
pro facto accipitur, prout dixit David :
Quod est verbum quod factum est? Et Za- II Reg. i, 4.
charias propheta : Hæc sunt, inquit, verba Zach. viii, 16.
quæ facietis. Est igitur sensus : Verba ini-
quorum, id est persecutiones peccatorum,
tentationesque dæmonum, prævaluerunt
super nos, id est, a via justitiæ abduxe-
runt nos, et in magnam nos miseriam de-
jecerunt. Vel : *Verba iniquorum,* id est
suggestio dæmonis, protoplastos nostros Gen. iii, 4, 5.
parentes tentantis, persuasio quoque Evæ, Ibid. 6.
quæ virum suum infecit, et excusatio Adæ, Ibid. 12.
peccatum suum in feminam retorquentis,
prævaluerunt super nos, quoniam de pa- Ibid. 23, 24.
radiso nos expulerunt, estque grave jugum Eccli. xl, 1.
inductum super omnes filios Adæ, et ori-
ginalis justitia nobis ablata est, et nasci- Ephes. ii, 3.
mur filii iræ, id est in originali peccato. *Et
impietatibus nostris tu propitiaberis,* id est,
peccata actualia quæ ex originali peccato
incurrimus, tu pie dimittes pœnitentibus
nobis, dando nobis pœnitendi tempus ac
locum : quemadmodum Isaias dicit, Pro- Is. xxx, 18.
pterea exspectat Dominus, ut misereatur
vestri. Vel : *Impietatibus nostris,* de qui-
bus superius dictum est, Ecce enim in Ps. l, 7.
iniquitatibus conceptus sum, *tu,* Unige-
nite Dei, *propitiaberis* miserendo, succur-
rendo, et satisfaciendo pro nobis : quod
nos ipsi facere non poteramus. Hinc per
Isaiam Dominus ait : Servire me fecisti in Is. xliii, 24.
peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in
iniquitatibus tuis.
Beatus quem elegisti et assumpsisti. Pro- 5
prie accipiendo electionem, omnis electus
assumitur : sic enim soli prædestinati di-
cuntur electi. Quandoque tamen electio
communiter sumitur pro vocatione alicu-
jus ad gratiam, sive perducatur ad glo-
riam, sive non : et ita non omnis electus
assumitur, sicut de Juda proditore ait Sal-
vator : Nonne ego vos duodecim elegi, et Joann. vi, 71.
unus ex vobis diabolus est? Ait itaque :

Digitized by Google

Beatus est, *quem elegisti* ab æterno, *et assumpsisti* in tempore, dando ei gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. Unde et Baruch dicit : Beati sumus nos, quia quæ Deo sunt placita, manifesta sunt nobis. *Inhabitabit in atriis tuis :* id est, nunc moratur in militanti Ecclesia per totum mundum diffusa, et postea habitabit in Ecclesia triumphanti. Dicitur autem Ecclesia militans ac triumphans pluraliter atria, propter amplissimam capacitatem, omniumque bonorum plenitudinem, juxta illud : O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus ! Magnus et non habens finem, excelsus et immensus. Vel Ecclesia triumphans dicitur atria propter mansiones diversas, quemadmodum Christus testatur : In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Baruch IV, 4. — Ibid. III, 24, 25. — Joann. XIV, 2.

Replebimur in bonis domus tuæ ; san-
6 *ctum est templum tuum, mirabile in æqui-*
tate. Versus iste primo intelligi potest de Ecclesia militanti, ut sit sensus : *Replebimur in bonis domus tuæ,* id est in divitiis Ecclesiæ, quæ sunt sacramenta, virtutes, et gratiæ multiformes, in quibus jam devoti quotidie adimplentur et impinguantur in tantum, ut superius dictum sit : Nihil deest timentibus eum. Et Christus : Omnia, inquit, quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Sanctum est templum tuum,* id est nomini tuo consecratum. Vel, Sanctum est templum tuum, id est, homines sancti sunt, in quorum cordibus tu per fidem et gratiam habitas. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, ait Apostolus. *Mirabile in æquitate.* Magna namque et admiranda est sanctitas æquitasque Sanctorum in hac vita : qui in carne et sæculo non carnaliter aut sæculariter vivunt, sed spiritualiter atque divine secundum perfectissimam Christi doctrinam, quæ in omni æquitate valde mirabilis est, suosque sectatores admirabiles efficit. — Secundo exponitur versus iste de triumphanti Ecclesia. *Replebimur in bonis domus tuæ,* id est in beatitudinibus patriæ. In essentiali enim beatitudine, quæ est visio Dei, omnes Beati replentur, quoniam Deum tam clare vident sicut desiderant. In accidentalibus quoque præmiis maxime replebuntur post diem judicii, dum animæ sanctæ corporibus gloriosis reunitæ, non solum in intellectualibus viribus, sed in sensitivis quoque potentiis felicitabuntur. Unde Isaias dicit : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te. Quod Apostolus clarius introducit, dicendo : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. De quibus et supra inductum est : Adimplebis me lætitia cum vultu tuo ; et, Satiabor quum apparuerit gloria tua. *Sanctum est templum tuum,* id est triumphans Ecclesia. Nihil enim imperfectionis aut maculæ esse valet in patria, ubi omnes Beati fonti puritatis immediate conjuncti sunt. *Mirabile in æquitate.* Quamvis enim omnes nostræ justitiæ in via, sint velut pannus menstruatæ, justitia tamen Beatorum in patria, perfecta mirabilisque consistit : quoniam quidquid a Deo receperunt, ei plenissime offerunt, et incessabiliter atque totaliter stant Deo intenti, in ipsum conversi, demersi, absorpti.

Ps. XXXIII, 10. — Marc. XI, 24. — I Cor. III, 17. — Is. LXIV, 4. — I Cor. II, 9. — Ps. XV, 11. — Ps. XVI, 15. — Is. LXIV, 6.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, id est salvator noster, sine cujus auxilio nihil valemus, tu qui es *spes,* id est causa et objectum spei, *omnium finium terræ, et in mari longe,* id est universorum fidelium in toto mundo et insulis maris manentium : quia in te solo consistit omnium vera salus, qui per Prophetam Domini locutus es, Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terræ. *Præparans*
montes, id est angelos sanctos : de quibus 7
infra habetur, Levavi oculos meos in montes ; et iterum, Montes in circuitu ejus. *In virtute tua,* quia propria potestate eos disponis ad agenda cuncta tibi placentia, ad gubernandum Ecclesiam, ad refrenandum diabolos, ad custodiendum promovendumque homines. Vel : Præparans montes in virtute tua, id est, tua omnipotentia per-

Ibid. XLV, 22. — Ps. CXX, 1. — Ps. CXXIV, 2.

Digitized by Google

ficiens sanctos Apostolos, ceterosque om- A
nes vita et doctrina sublimes, ita ut alios
instruant, regant, et ad te omnium rerum
ultimum finem perducant. *Accinctus po-
tentia.* Hoc in præcedenti articulo de Deo
satis videtur expositum. Sed de Christo
incarnato specialiter explanatur, tanquam
dicat : Tu, Christe, quamvis humana et
naturali virtute hæc facere nequeas, ta-
men quum sis accinctus potentia, id est
divina potestate armatus, accinctus, et ad
operandum idoneus, ista potes. Propter
Joann. v, 19. quod verissime dicis : Quæcumque fecerit B
8 Pater, hæc et Filius similiter facit. *Qui
conturbas,* id est, timore concutis, ad pœ-
nitentiamque convertis, *profundum ma-
ris,* id est sæculum nequam, seu corda
vitiosa in peccatorum amaritudine mersa.
Conturbas autem et *sonum fluctuum ejus,*
id est contradictiones superbas ac impe-
tuosas sæcularium principum : quorum
nonnulli salubriter sunt turbati, id est ad
pœnitentiam moti.
9 *Turbabuntur gentes et timebunt qui
habitant terminos, a signis tuis.* Hoc tem- C
pore Apostolorum præsertim impletum est,
quando propter excellentissima eorum mi-
racula, homines in toto mundo morantes,
pro magna parte ad Christum conversi
sunt, ex consideratione vitiorum suorum
se ipsos turbantes, et pœnas inferni ti-
mentes. *Exitus matutini et vesperi dele-
ctabis :* id est, conversionem seu pœniten-
tiam tam eorum qui in juventute a vitiis
exeunt, atque ad Deum confugiunt, quam
eorum qui in senectute convertuntur, ac-
ceptam habebis et delectabilem facies an- D
Ezech. xviii, 21, 22. gelis sanctis. Nam quacumque hora pecca-
tor convertitur, omnium iniquitatum ejus
Luc. xv, 10. mox oblivisceris. Gaudium quoque est an-
gelis Dei super uno peccatore pœniten-
tiam agente. Hoc est quod Christus in
Ibid. xii, 38. Evangelio loquitur : Si in secunda vigilia
venerit Dominus, et si in tertia vigilia
venerit, et ita invenerit, scilicet servos
suos vigilantes, beati sunt servi illi. Vel
sic : *Exitus matutini,* id est conversiones
eorum qui tempore prosperitatis, quæ ma-
ne ac lumini comparatur, veniunt ad te,
et vesperi, id est conversiones eorum qui
tempore adversitatis pergunt ad te, *dele-
ctabis.* Sive tempore abundantiæ et pro-
speritatis, sive tempore inopiæ et adversi-
tatis, quis convertatur ad Dominum, ab eo
misericorditer recipietur, quemadmodum
Christus fatetur : Eum qui venit ad me, Joann. vi, 37.
non ejiciam foras.
Visitasti visitatione benigna, *terram,* id 10
est habitantes in terra, videlicet homines,
destinando Apostolos per totum mundum,
dicens eis : Euntes in mundum univer- Marc. xvi, 15.
sum, prædicate Evangelium omni creatu-
ræ. *Et inebriasti eam,* id est, conversos
ad fidem, spiritualibus donis exuberanter
implesti, divino amore a se ipsis alienasti,
et sobria spiritus ebrietate potasti. Pro-
pter quod ait Apostolus : Gratias ago Deo I Cor. i, 4, 5.
meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ
data est vobis in Christo Jesu, quia in
omnibus divites facti estis in illo. *Mul-
tiplicasti locupletare eam,* id est, multipli-
citer eam ditasti charismatibus spiritua-
libus ac divinis. Alii enim datur (ut ait Ibid. xii, 8-10.
Apostolus) sermo sapientiæ, alii sermo sci-
entiæ, alii gratia sanitatum, alii opera-
tio virtutum, etc. Et iterum : Unusquisque Ibid. vii, 7.
proprium donum habet a Deo. — Vel sic :
Visitasti terram, id est primitivam Eccle-
siam, mittendo ei in die Pentecostes in
signo visibili Spiritum Sanctum ; *et ine-
briasti eam* ardore caritatis, et lumine
sapientiæ, omniumque linguarum notitia,
ita ut Judæi increduli dicerent : Quia musto Act. ii, 13.
pleni sunt isti. *Multiplicasti locupletare
eam,* quia per gratiam illis collatam alios
quoque locupletasti. Unde Dominus : Noli, Is. xliv, 2, 3.
inquit, timere, serve meus Jacob. Effun-
dam spiritum meum super semen tuum,
et benedictionem meam super stirpem
tuam. Et apud Joelem legimus : Effundam Joel ii, 28.
spiritum meum super omnem carnem, et
prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ.
Hinc nempe tempus evangelicæ legis, tem-
pus gratiæ appellatur.
Flumen Dei repletum est aquis : id
est, fons Baptismatis impletus est donis

Digitized by Google

Spiritus Sancti, abluendo et sanctificando A
in ipso renatos. Vel dicitur fons iste aquis
repletus, quia in Jerusalem primo cœpit
operari, et jam in universo mundo multi-
plicatur, operatur, et consecratur. De hoc
fonte seu flumine alio loco scriptum est :
Joel III, 18. Fons de domo Domini egredietur, et irriga-
bit torrentem spinarum, id est, corda pec-
catorum lavabit, sicut in Zacharia apertius
Zach. XIII, 1. commemoratur : In die illa erit fons patens
domui David et habitantibus Jerusalem,
in ablutionem peccatoris et menstruatæ.
Parasti cibum illorum, id est, spiritua- B
lem escam fidelium præparasti, videlicet
Sacramentum corporis et sanguinis Chri-
Ps. XXII, 5. sti : de qua dictum est supra, Parasti in
conspectu meo mensam adversus eos qui
tribulant me. *Quoniam ita est præpara-
tio ejus,* id est, quia hæc esca non datur
nisi in fonte Baptismatis denuo natis :
cujus figura fuit, quod populus Hebræus
non pervenit ad manna, nisi postquam
pertransiit mare Rubrum. Quemadmodum
enim mare Rubrum erat typus Baptismi,
sic manna erat figura Eucharistiæ. Propter C
I Cor. X, 2, 3. quod ait Apostolus : Omnes in Moyse ba-
ptizati sunt in nube et in mari, et omnes
eamdem escam spiritualem manducave-
runt. Illi baptizati sunt figuraliter; nos
baptizamur veraciter. Illi quoque mandu-
caverunt eamdem escam spiritualiter seu
Ibid. 4. significative, sicque eumdem potum spi-
ritualem biberunt; nos manducamus ac
bibimus eamdem escam, eumdemque po-
tum essentialiter, scilicet corpus et san-
guinem Salvatoris.
11 *Rivos ejus inebria,* id est particulares D
baptismos ex Baptismo primitivæ Ecclesiæ
derivatos sicut rivi propagantur ex fonte :
hos rivos inebria, ita ut undique multi-
plicentur, et sacramentalibus gratiis im-
pleantur. *Multiplica genimina,* id est fru-
ctus *ejus,* quatenus plurimi renascantur
per Baptismum in Christo, sicque Ecclesia
impleatur fidelibus. *In stillicidiis ejus,* id
est in guttis Baptismi super capita bapti-
zatorum cadentibus dum baptizantur, *læ-
tabitur germinans,* id est sancta mater
Ecclesia, novos in Christo filios adipi-
scens ac procreans.
Benedices, id est, gratiarum munera 12
tribues, *coronæ,* id est populo ad te undi-
que confugienti per modum coronæ seu
circuli : sicut superius dictum est, Syna- Ps. VII, 8.
goga populorum circumdabit te. Infra quo-
que de Deo inducitur : Magnus et terribilis Ps. LXXXVIII, 8.
super omnes qui in circuitu ejus sunt.
Benedices ergo coronæ *anni benignitatis
tuæ,* id est tempori misericordiæ seu gra-
tiæ tuæ. Ac si dicat : Benedices populo
christiano tempore evangelicæ legis. An-
nus namque benignitatis divinæ, a primo
Christi adventu incepit, et usque ad finem
sæculi durat : et hoc tempore Deus populo
suo copiosius benedicit, quam tempore
legis naturalis ac scriptæ; propterea ap-
pellatur tempus gratiæ et annus benigni-
tatis divinæ. *Et campi tui,* id est corda
fidelium, quæ tu colis, impinguas et fe-
cundas semine verbi, *replebuntur uberta-
te* divinorum charismatum, operationum
sanctarum, spiritualiumque profectuum.
Pinguescent speciosa deserti : id est, 13
animæ peccatorum a gratia derelictæ, et
tamen naturali summæ Trinitatis imagine
insignitæ atque decoratæ, in spiritualibus
bonis abundabunt per conversionem ad
fidem atque obedientiam Christi. Unde et
ipse ait : Venit Filius hominis quærere et Luc. XIX, 10.
salvum facere quod perierat. Et sicut di-
cit Apostolus, Ubi abundavit peccatum, Rom. V, 20.
abundat et gratia. Siquidem cui plus do- Luc. VII, 47.
natur, plus diligit. *Et exsultatione colles
accingentur.* Quemadmodum nomine mon-
tium intelliguntur Apostoli, sic nomine
collium, qui montibus sunt minores, in-
telliguntur viri perfecti, apostolicam vi-
tam sectantes, et maxime martyres, qui
non solum vitam, sed etiam passionem ac
mortem Apostolorum secuti sunt. Tales
igitur colles accingentur exsultatione, id
est gaudio spirituali, recipiendo in hac vi-
ta consolationem internam, in futuro au-
tem beatitudinem consummatam. *Induti* 14
sunt arietes ovium, id est, duces ovium
Christi, videlicet prælati, pastores atque

Digitized by Google

doctores, induti sunt fortitudine Spiritus Sancti, sapientia et justitia, quatenus alios fortiter pascant, corripiant, instruant et confirment. Taliter induuntur veri et digni prælati Ecclesiæ, quatenus alios vita, doctrina, et omni perfectione præcedant. De arietibus sic indutis apud Jeremiam ait
Jer. III, 15. Dominus : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. *Et valles,* id est subjecti et inferiores, *abundabunt frumento,* id est, semine verbi quod a suis superioribus audient, diligenter implebuntur, ut fructibus vitæ æternæ ditentur. *Clamabunt,* affectuose orando, ac Dei beneficia confitendo; *etenim hymnum dicent,* Domino regratiantes pro universis beneficiis suis, ejusque bonitatem indesinenter laudantes, quemadmodum Do-
Is. LXV, 14. minus per Isaiam ait : Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis.

Ecce psalmum mirabili venustate splendentem transcurri : in quo Deus benedictus et sanctus pulchre laudatur, affectuosæ preces comprehenduntur, divina beneficia commemorantur. Conemur ergo totis viribus, tam immaculatam ac sanctam ducere vitam, ut Deum cum omni affectu laudemus, in ejus præconio delectemur, ipsum cordialiter invocemus, beneficiorumque ejus nunquam immemores efficiamur; sed taliter ei in præsenti hymnos cantemus, ut hinc emigrantes, in cœlesti Jerusalem eum continuo collaudemus.

PRECATIO.

Deus, Pater indulgentiæ, spes omnium finium terræ et in mari longe, impietatibus nostris, quæsumus, propitiare; et ne verba iniquorum super nos in æternum prævaleant, tua nos invicta tuitio non derelinquat.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO PSALMI SEXAGESIMI QUINTI : JUBILATE DEO, OMNIS TERRA; PSALMUM DICITE.

1 Psalmi præsentis titulus talis est : *In*
* psalmi *finem, canticum, psalmus* resurrectionis :* id est, psalmus iste de spirituali fidelium resurrectione pertractans, et in finem, qui est vita æterna, nos dirigens, est canticum, id est exsultatio magna, de resurrectione prædicta.

Loquens ergo Propheta in persona Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis, ait : (1) *Jubilate Deo, omnis terra.* Jubilus gaudium est, quod propter exuberantiam suam non potest totaliter reprimi, neque totaliter explicari : magis autem jubilatur mente, quam voce. Ait itaque : Jubilate, id est, ineffabiliter exsultate, Deo, id est in Deo et ad gloriam Dei, ex contemplatione bonitatis divinæ et ex consideratione beneficiorum ac promissorum ipsius : et hoc faciat omnis terra, id est totus mundus seu incolæ ejus, non solum Judæa, sed universa gentilitas ad fidem conversa, spemque futuræ resurrectionis per Christum ade-
pta. Cui dicit etiam Isaias, Lauda, sterilis *Is.* LIV, 1.
quæ non paris, decanta laudem et hinni, quæ non parturiebas : quod ad plebem gentilium olim sterilem, nunc vero in Chri-
sto fecundam dictum esse, docet Aposto- *Gal.* IV, 27.
lus. *Psalmum dicite nomini ejus.* Psalmus 2
bonam operationem significat. Quid ergo est Deo psallere, nisi voce et opere ipsum laudare ? Qui enim Deum verbis magnificat, et operibus inhonorat, sibimetipsi contradicit : imo, quoniam opera præpon-

derant verbis, magis affirmat Deum inhonorabilem esse, quam honorandum. *Date gloriam laudi ejus,* id est, clarificate laudem divinam verbis ac factis, docendo seu ostendendo quam excellenter laudandus sit Deus. Gloria quippe dicitur clara cum laude notitia. Dum ergo quis docet quam magnifica atque incomparabilis laus Deo debetur, tunc dat gloriam laudi ejus, id est, laudem Dei glorificat.

3 (2) *Dicite Deo,* confitendo magnificentiam ejus, majestatemque ejus laudando : *Quam terribilia sunt opera tua, Domine!* Terribilia namque sunt opera divinæ justitiæ quæ a principio mundi fecit, videlicet condemnando totum genus humanum (Rom. v, 12-19.) propter primorum parentum peccatum, perdendo mundum diluvio, submergendo (Gen. vii, 1-23. Exod. xiv, 7, 28.) Ægyptios in mari Rubro ; et alia quæ sacra Scriptura commemorat. Maxime tamen metuenda sunt opera Dei circa iniquos, quos æternaliter damnat. Unde scriptum est : Horribilis Dominus super impios. (Soph. ii, 11.) Et alibi : Unus est Altissimus, creator omnium omnipotens, rex potens et metuendus nimis. (Eccli. i, 8.) *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui,* id est, propter multa mirabilia atque miracula tua non convertentur ad te, potentiam tuam humiliter venerando : nam etsi verbis opera tua fatentur, tamen operibus negant. (Tit. i, 16.) Hoc modo mentiti sunt Christo Judæi, qui miracula ejus adscripserunt diabolo, dicentes, In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia ; (Luc. xi, 15.) et, Non est hic homo a Deo ; (Joann. ix, 16.) et, A Nazareth non surgit Propheta. (Ibid. i, 46.) Sic quoque Deo mentiti sunt Ananias et uxor ipsius, dicente Petro ad Ananiam, Non es mentitus hominibus, sed Deo. (Act. v, 4.)

4 (3) *Omnis terra adoret te,* id est, cultum latriæ tibi soli exhibeant omnes homines in terra morantes, falsos deos spernendo, teque in omnibus et super omnia venerando. Adoratio enim proprie sumpta, est cultus latriæ, et soli Deo debetur, tanquam omnium creatori omnipotenti, altissimo principi, Deo vero, vivo, trino ac simplici. Unde Deus sublimis apud Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. (Is. xlii, 8.) In hoc quoque quod ait Propheta, Omnis terra adoret te, Deus, prophetavit implicite totum mundum ad unius Dei summi cultum fuisse convertendum, atque ab omnibus adorandum esse, sicut per Christi Apostolos factum est. Propter quod in Isaia habetur : Redemptor tuus, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur ; (Ibid. liv, 5.) et apud Zachariam, In die illa erit Dominus rex super omnem terram. (Zach. xiv, 9.) *Et psallat tibi,* mentaliter te laudando : sicut ait Apostolus, Psallentes in cordibus vestris Deo semper. (Ephes. v, 19.) *Psalmum dicat nomini tuo,* ore seu vocibus te laudando : sicut ait Apostolus, Loquentes vobismetipsis in hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus. (Ibidem.)

(4) *Venite* ad audiendum verbum Dei, venite ad ecclesiam, venite non tam corporis gressu, quam fidei passu, contemplationis profectu, interiorique reditu ; *et videte* per contemplationem internam, per fidei lumen, per Spiritus Sancti irradiationem, *opera Dei,* qui est *terribilis in consiliis super filios hominum.* 5 Hæc opera, in quibus Deus tam metuendus ostenditur, maxime sunt effectus prædestinationis ac reprobationis divinæ, quibus nonnulli per misericordiam sunt electi, ceteri vero, justitia exigente, præsciti.

Porro, quam terribilis sit Deus in consiliis super filios hominum, advertere possumus, si divinæ Scripturæ testimonia diligenter pensemus. Ecce Dominus apud Ezechielem ait : Revertimini et vivite, quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. (Ezech. xviii, 32. Ibid. xxxiii, 11.) Cui concordat quod dicit Apostolus : Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. (I Tim. ii, 4.) Et nihilo minus in Actibus Apostolorum legitur : Vetati sunt (Paulus et sui) a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia, et non permisit eos Spiritus Jesu. (Act. xvi, 6, 7.) Quomodo ergo vult Deus omnes converti, quando ipsemet prohibet prædicatores ab instructione quorumdam? Sed forte quis dicet

Digitized by Google

diaboli ad regnum Christi. Sicque rede- A
untes, cum præcordiali hilaritate dicamus:
2 *Te decet hymnus, Deus, in Sion,* id est
in sancta ac militanti Ecclesia, in qua in-
cessabiliter Deum laudare ac honorare de-
I Tim. I, 17. bemus, implentes quod ait Apostolus: Regi
sæculorum immortali, invisibili, soli Deo
honor et gloria. Sion namque speculatio
dicitur : per quam Ecclesia designatur,
quæ Christum jam fideliter contemplatur.
Et tibi reddetur votum, id est, tibi perfe-
cte solvetur promissio, *in Jerusalem,* illa
Galat. IV, 26. quæ sursum est, quæ est mater nostra at- B
que triumphans Ecclesia. Dum enim in
sacro Baptismate, per votum fidelitatis, di-
abolo et omnibus ejus operibus abrenun-
tiamus, corpusque nostrum ac animam
Deo offerimus, ejus nos cultui totaliter
dedicantes, tenemur sic vitam nostram
dirigere, ut omnis nostra cogitatio, locu-
tio et operatio Deo semper intendat, Deum
loquatur ac veneretur : in quo consistit
perfecta adimpletio præcepti de caritate.
Istud autem in præsenti perfecte implere
non possumus, sed in patria perfecte im- C
plebitur : tunc enim corpus animam non
retardabit.
3 *Exaudi orationem meam,* o Domine, ut
te in hoc sæculo ac militanti Ecclesia tam
pulchris atque devotis hymnis collaudem,
quatenus quod nunc perfecte solvere ne-
queo, in superna illa Jerusalem sine fine
feliciter reddam. *Ad te omnis caro veniet,*
id est omnis homo, præsertim in finali
Matth. XXV, 32. judicio, quando congregabuntur ante Fi-
lium hominis omnes gentes. Ponitur ita-
que hic pars pro toto, videlicet caro pro D
toto composito : sicut in Genesi et Exodo
Gen. XLVI, 27; Exod. I, 5. dicitur Jacob descendisse in Ægyptum in
animabus septuaginta. Sed nonne sic ac-
cipiendo carnem, equus et mulus caro
Is. XXXI, 3. sunt? Nonne veraciter scriptum est, Ægy-
ptus homo et non Deus, et equi eorum ca-
ro et non spiritus? Numquid ergo et irra-
tionabilia animantia ad Christum in die
judicii venient? Et respondendum, quod
ponit hic genus pro specie, scilicet carnem
pro carne humana. Vel, sicut nomen Pro-
phetæ antonomastice convenit David, sic
caro per se posita, pro carne humana, quæ
nobilissima est, sumitur.
Verba iniquorum prævaluerunt super 4
nos. Interdum in sacra Scriptura verbum
pro facto accipitur, prout dixit David :
Quod est verbum quod factum est? Et Za- II Reg. I, 4.
charias propheta : Hæc sunt, inquit, verba Zach. VIII, 16.
quæ facietis. Est igitur sensus : Verba ini-
quorum, id est persecutiones peccatorum,
tentationesque dæmonum, prævaluerunt
super nos, id est, a via justitiæ abduxe-
runt nos, et in magnam nos miseriam de-
jecerunt. Vel : *Verba iniquorum,* id est
suggestio dæmonis, protoplastos nostros Gen. III, 4, 5.
parentes tentantis, persuasio quoque Evæ, Ibid. 6.
quæ virum suum infecit, et excusatio Adæ, Ibid. 12.
peccatum suum in feminam retorquentis,
prævaluerunt super nos, quoniam de pa- Ibid. 23, 24.
radiso nos expulerunt, estque grave jugum Eccli. XL, 1.
inductum super omnes filios Adæ, et ori-
ginalis justitia nobis ablata est, et nasci- Ephes. II, 3.
mur filii iræ, id est in originali peccato. *Et*
impietatibus nostris tu propitiaberis, id est,
peccata actualia quæ ex originali peccato
incurrimus, tu pie dimittes pœnitentibus
nobis, dando nobis pœnitendi tempus ac
locum : quemadmodum Isaias dicit, Pro- Is. XXX, 18.
pterea exspectat Dominus, ut misereatur
vestri. Vel : *Impietatibus nostris,* de qui-
bus superius dictum est, Ecce enim in Ps. L, 7.
iniquitatibus conceptus sum, *tu,* Unige-
nite Dei, *propitiaberis* miserendo, succur-
rendo, et satisfaciendo pro nobis : quod
nos ipsi facere non poteramus. Hinc per
Isaiam Dominus ait : Servire me fecisti in Is. XLIII, 24.
peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in
iniquitatibus tuis.
Beatus quem elegisti et assumpsisti. Pro- 5
prie accipiendo electionem, omnis electus
assumitur : sic enim soli prædestinati di-
cuntur electi. Quandoque tamen electio
communiter sumitur pro vocatione alicu-
jus ad gratiam, sive perducatur ad glo-
riam, sive non : et ita non omnis electus
assumitur, sicut de Juda proditore ait Sal-
vator : Nonne ego vos duodecim elegi, et Joan. VI, 71.
unus ex vobis diabolus est? Ait itaque :

Digitized by Google

Beatus est, *quem elegisti* ab æterno, *et as-* A
sumpsisti in tempore, dando ei gratiam
in præsenti, et gloriam in futuro. Unde et
Baruch IV, Baruch dicit : Beati sumus nos, quia quæ
Deo sunt placita, manifesta sunt nobis.
Inhabitabit in atriis tuis: id est, nunc mo-
ratur in militanti Ecclesia per totum mun-
dum diffusa, et postea habitabit in Eccle-
sia triumphanti. Dicitur autem Ecclesia
militans ac triumphans pluraliter atria,
propter amplissimam capacitatem, omni-
umque bonorum plenitudinem, juxta il-
Ibid. III, 24, lud : O Israel, quam magna est domus B
Dei, et ingens locus possessionis ejus! Ma-
gnus et non habens finem, excelsus et
immensus. Vel Ecclesia triumphans dicitur
atria propter mansiones diversas, quem-
Joann. XIV, admodum Christus testatur : In domo Pa-
tris mei mansiones multæ sunt.

Replebimur in bonis domus tuæ; san-
6 *ctum est templum tuum, mirabile in æqui-*
tate. Versus iste primo intelligi potest de
Ecclesia militanti, ut sit sensus : *Replebi-*
mur in bonis domus tuæ, id est in divitiis
Ecclesiæ, quæ sunt sacramenta, virtutes, et C
gratiæ multiformes, in quibus jam devo-
ti quotidie adimplentur et impinguantur
Ps. XXXIII, in tantum, ut superius dictum sit : Nihil
Marc. XI, deest timentibus eum. Et Christus : Om-
nia, inquit, quæcumque orantes petitis,
credite quia accipietis, et evenient vobis.
Sanctum est templum tuum, id est nomini
tuo consecratum. Vel, Sanctum est tem-
plum tuum, id est, homines sancti sunt, in
quorum cordibus tu per fidem et gratiam
I Cor. III, habitas. Templum enim Dei sanctum est,
quod estis vos, ait Apostolus. *Mirabile in* D
æquitate. Magna namque et admiranda est
sanctitas æquitasque Sanctorum in hac vi-
ta : qui in carne et sæculo non carnali-
ter aut sæculariter vivunt, sed spirituali-
ter atque divine secundum perfectissimam
Christi doctrinam, quæ in omni æquita-
te valde mirabilis est, suosque sectatores
admirabiles efficit. — Secundo exponitur
versus iste de triumphanti Ecclesia. *Re-*
plebimur in bonis domus tuæ, id est in
beatitudinibus patriæ. In essentiali enim

beatitudine, quæ est visio Dei, omnes Beati
replentur, quoniam Deum tam clare vident
sicut desiderant. In accidentalibus quoque
præmiis maxime replebuntur post diem
judicii, dum animæ sanctæ corporibus glo-
riosis reunitæ, non solum in intellectuali-
bus viribus, sed in sensitivis quoque po-
tentiis felicitabuntur. Unde Isaias dicit :
Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ Is. LXIV, 4.
præparasti exspectantibus te. Quod Apo-
stolus clarius introducit, dicendo : Oculus I Cor. II, 9.
non vidit, nec auris audivit, nec in cor
hominis ascendit, quæ præparavit Deus
diligentibus se. De quibus et supra indu-
ctum est : Adimplebis me lætitia cum vul- Ps. XV, 11.
tu tuo; et, Satiabor quum apparuerit gloria Ps. XVI, 15.
tua. *Sanctum est templum tuum,* id est
triumphans Ecclesia. Nihil enim imper-
fectionis aut maculæ esse valet in patria,
ubi omnes Beati fonti puritatis immedi-
ate conjuncti sunt. *Mirabile in æquitate.*
Quamvis enim omnes nostræ justitiæ in
via, sint velut pannus menstruatæ, justi- Is. LXIV, 6.
tia tamen Beatorum in patria, perfecta mi-
rabilisque consistit : quoniam quidquid
a Deo receperunt, ei plenissime offerunt,
et incessabiliter atque totaliter stant Deo
intenti, in ipsum conversi, demersi, ab-
sorpti.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, id
est salvator noster, sine cujus auxilio ni-
hil valemus, tu qui es *spes,* id est causa
et objectum spei, *omnium finium terræ,*
et in mari longe, id est universorum fi-
delium in toto mundo et insulis maris
manentium : quia in te solo consistit om-
nium vera salus, qui per Prophetam Do-
mini locutus es, Convertimini ad me, et Ibid. XLV, 22.
salvi eritis, omnes fines terræ. *Præparans* 7
montes, id est angelos sanctos : de quibus
infra habetur, Levavi oculos meos in mon- Ps. CXX, 1.
tes; et iterum, Montes in circuitu ejus. *In* Ps. CXXIV, 2.
virtute tua, quia propria potestate eos dis-
ponis ad agenda cuncta tibi placentia, ad
gubernandum Ecclesiam, ad refrenandum
diabolos, ad custodiendum promovendum-
que homines. Vel : Præparans montes in
virtute tua, id est, tua omnipotentia per-

Digitized by Google

diaboli ad regnum Christi. Sicque rede- A
untes, cum præcordiali hilaritate dicamus:
2 *Te decet hymnus, Deus, in Sion,* id est
in sancta ac militanti Ecclesia, in qua in-
cessabiliter Deum laudare ac honorare de-
I Tim. I, 17. bemus, implentes quod ait Apostolus: Regi
sæculorum immortali, invisibili, soli Deo
honor et gloria. Sion namque speculatio
dicitur : per quam Ecclesia designatur,
quæ Christum jam fideliter contemplatur.
Et tibi reddetur votum, id est, tibi perfe-
cte solvetur promissio, *in Jerusalem,* illa
Galat. IV, 26. quæ sursum est, quæ est mater nostra at- B
que triumphans Ecclesia. Dum enim in
sacro Baptismate, per votum fidelitatis, di-
abolo et omnibus ejus operibus abrenun-
tiamus, corpusque nostrum ac animam
Deo offerimus, ejus nos cultui totaliter
dedicantes, tenemur sic vitam nostram
dirigere, ut omnis nostra cogitatio, locu-
tio et operatio Deo semper intendat, Deum
loquatur ac veneretur : in quo consistit
perfecta adimpletio præcepti de caritate.
Istud autem in præsenti perfecte implere
non possumus, sed in patria perfecte im- C
plebitur : tunc enim corpus animam non
retardabit.
3 *Exaudi orationem meam,* o Domine, ut
te in hoc sæculo ac militanti Ecclesia tam
pulchris atque devotis hymnis collaudem,
quatenus quod nunc perfecte solvere ne-
queo, in superna illa Jerusalem sine fine
feliciter reddam. *Ad te omnis caro veniet,*
id est omnis homo, præsertim in finali
Matth. XXV, 32. judicio, quando congregabuntur ante Fi-
lium hominis omnes gentes. Ponitur ita-
que hic pars pro toto, videlicet caro pro D
toto composito : sicut in Genesi et Exodo
Gen. XLVI, 27; Exod. I, 5. dicitur Jacob descendisse in Ægyptum in
animabus septuaginta. Sed nonne sic ac-
cipiendo carnem, equus et mulus caro
Is. XXXI, 3. sunt? Nonne veraciter scriptum est, Ægy-
ptus homo et non Deus, et equi eorum ca-
ro et non spiritus? Numquid ergo et irra-
tionabilia animantia ad Christum in die
judicii venient? Et respondendum, quod
ponit hic genus pro specie, scilicet carnem
pro carne humana. Vel, sicut nomen Pro-
phetæ antonomastice convenit David, sic
caro per se posita, pro carne humana, quæ
nobilissima est, sumitur.

Verba iniquorum prævaluerunt super 4
nos. Interdum in sacra Scriptura verbum
pro facto accipitur, prout dixit David :
Quod est verbum quod factum est? Et Za- II Reg. I, 4
charias propheta : Hæc sunt, inquit, verba Zach. VIII, 16.
quæ facietis. Est igitur sensus : Verba ini-
quorum, id est persecutiones peccatorum,
tentationesque dæmonum, prævaluerunt
super nos, id est, a via justitiæ abduxe-
runt nos, et in magnam nos miseriam de-
jecerunt. Vel : *Verba iniquorum,* id est
suggestio dæmonis, protoplastos nostros Gen. III, 4, 5
parentes tentantis, persuasio quoque Evæ, Ibid. 6.
quæ virum suum infecit, et excusatio Adæ, Ibid. 12.
peccatum suum in feminam retorquentis,
prævaluerunt super nos, quoniam de pa- Ibid. 23, 24
radiso nos expulerunt, estque grave jugum Eccli. XL, 1.
inductum super omnes filios Adæ, et ori-
ginalis justitia nobis ablata est, et nasci- Ephes. II, 3
mur filii iræ, id est in originali peccato. *Et*
impietatibus nostris tu propitiaberis, id est,
peccata actualia quæ ex originali peccato
incurrimus, tu pie dimittes pœnitentibus
nobis, dando nobis pœnitendi tempus ac
locum : quemadmodum Isaias dicit, Pro- Is. XXX, 18.
pterea exspectat Dominus, ut misereatur
vestri. Vel : *Impietatibus nostris,* de qui-
bus superius dictum est, Ecce enim in Ps. L, 7.
iniquitatibus conceptus sum, *tu,* Unige-
nite Dei, *propitiaberis* miserendo, succur-
rendo, et satisfaciendo pro nobis : quod
nos ipsi facere non poteramus. Hinc per
Isaiam Dominus ait : Servire me fecisti in Is. XLIII, 24.
peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in
iniquitatibus tuis.

Beatus quem elegisti et assumpsisti. Pro- 5
prie accipiendo electionem, omnis electus
assumitur : sic enim soli prædestinati di-
cuntur electi. Quandoque tamen electio
communiter sumitur pro vocatione alicu-
jus ad gratiam, sive perducatur ad glo-
riam, sive non : et ita non omnis electus
assumitur, sicut de Juda proditore ait Sal-
vator : Nonne ego vos duodecim elegi, et Joan. VI,
unus ex vobis diabolus est? Ait itaque : 71.

Digitized by Google

Beatus est, *quem elegisti* ab æterno, *et assumpsisti* in tempore, dando ei gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. Unde et
Baruch IV, 4. Baruch dicit : Beati sumus nos, quia quæ Deo sunt placita, manifesta sunt nobis. *Inhabitabit in atriis tuis:* id est, nunc moratur in militanti Ecclesia per totum mundum diffusa, et postea habitabit in Ecclesia triumphanti. Dicitur autem Ecclesia militans ac triumphans pluraliter atria, propter amplissimam capacitatem, omniumque bonorum plenitudinem, juxta il-
Ibid. III, 24, 25. lud : O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus! Magnus et non habens finem, excelsus et immensus. Vel Ecclesia triumphans dicitur atria propter mansiones diversas, quem-
Joann. XIV, 2. admodum Christus testatur : In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Replebimur in bonis domus tuæ; san-
6 *ctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Versus iste primo intelligi potest de Ecclesia militanti, ut sit sensus : *Replebimur in bonis domus tuæ,* id est in divitiis Ecclesiæ, quæ sunt sacramenta, virtutes, et gratiæ multiformes, in quibus jam devoti quotidie adimplentur et impinguantur
Ps. XXXIII, 10. in tantum, ut superius dictum sit : Nihil
Marc. XI, 24. deest timentibus eum. Et Christus : Omnia, inquit, quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. *Sanctum est templum tuum,* id est nomini tuo consecratum. Vel, Sanctum est templum tuum, id est, homines sancti sunt, in quorum cordibus tu per fidem et gratiam
I Cor. III, 17. habitas. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, ait Apostolus. *Mirabile in æquitate.* Magna namque et admiranda est sanctitas æquitasque Sanctorum in hac vita : qui in carne et sæculo non carnaliter aut sæculariter vivunt, sed spiritualiter atque divine secundum perfectissimam Christi doctrinam, quæ in omni æquitate valde mirabilis est, suosque sectatores admirabiles efficit. — Secundo exponitur versus iste de triumphanti Ecclesia. *Replebimur in bonis domus tuæ,* id est in beatitudinibus patriæ. In essentiali enim beatitudine, quæ est visio Dei, omnes Beati replentur, quoniam Deum tam clare vident sicut desiderant. In accidentalibus quoque præmiis maxime replebuntur post diem judicii, dum animæ sanctæ corporibus gloriosis reunitæ, non solum in intellectualibus viribus, sed in sensitivis quoque potentiis felicitabuntur. Unde Isaias dicit : Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ Is. LXIV, 4. præparasti exspectantibus te. Quod Apostolus clarius introducit, dicendo : Oculus I Cor. II, 9. non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. De quibus et supra inductum est : Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; Ps. XV, 11. et, Satiabor quum apparuerit gloria tua. Ps. XVI, 15. *Sanctum est templum tuum,* id est triumphans Ecclesia. Nihil enim imperfectionis aut maculæ esse valet in patria, ubi omnes Beati fonti puritatis immediate conjuncti sunt. *Mirabile in æquitate.* Quamvis enim omnes nostræ justitiæ in via, sint velut pannus menstruatæ, justi- Is. LXIV, 6. tia tamen Beatorum in patria, perfecta mirabilisque consistit : quoniam quidquid a Deo receperunt, ei plenissime offerunt, et incessabiliter atque totaliter stant Deo intenti, in ipsum conversi, demersi, absorpti.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, id est salvator noster, sine cujus auxilio nihil valemus, tu qui es *spes,* id est causa et objectum spei, *omnium finium terræ, et in mari longe,* id est universorum fidelium in toto mundo et insulis maris manentium : quia in te solo consistit omnium vera salus, qui per Prophetam Domini locutus es, Convertimini ad me, et Ibid. XLV, 22.
salvi eritis, omnes fines terræ. *Præparans*
montes, id est angelos sanctos : de quibus 7
infra habetur, Levavi oculos meos in montes; Ps. CXX, 1. et iterum, Montes in circuitu ejus. Ps. CXXIV, 2. *In virtute tua,* quia propria potestate eos disponis ad agenda cuncta tibi placentia, ad gubernandum Ecclesiam, ad refrenandum diabolos, ad custodiendum promovendumque homines. Vel : Præparans montes in virtute tua, id est, tua omnipotentia per-

Digitized by Google

ficiens sanctos Apostolos, ceterosque om- A
nes vita et doctrina sublimes, ita ut alios
instruant, regant, et ad te omnium rerum
ultimum finem perducant. *Accinctus po-
tentia.* Hoc in præcedenti articulo de Deo
satis videtur expositum. Sed de Christo
incarnato specialiter explanatur, tanquam
dicat : Tu, Christe, quamvis humana et
naturali virtute hæc facere nequeas, ta-
men quum sis accinctus potentia, id est
divina potestate armatus, accinctus, et ad
operandum idoneus, ista potes. Propter
Joann. v, 19. quod verissime dicis : Quæcumque fecerit B
8 Pater, hæc et Filius similiter facit. *Qui
conturbas,* id est, timore concutis, ad pœ-
nitentiamque convertis, *profundum ma-
ris,* id est sæculum nequam, seu corda
vitiosa in peccatorum amaritudine mersa.
Conturbas autem et *sonum fluctuum ejus,*
id est contradictiones superbas ac impe-
tuosas sæcularium principum : quorum
nonnulli salubriter sunt turbati, id est ad
pœnitentiam moti.

9 *Turbabuntur gentes et timebunt qui
habitant terminos, a signis tuis.* Hoc tem- C
pore Apostolorum præsertim impletum est,
quando propter excellentissima eorum mi-
racula, homines in toto mundo morantes,
pro magna parte ad Christum conversi
sunt, ex consideratione vitiorum suorum
se ipsos turbantes, et pœnas inferni ti-
mentes. *Exitus matutini et vesperi dele-
ctabis :* id est, conversionem seu pœniten-
tiam tam eorum qui in juventute a vitiis
exeunt, atque ad Deum confugiunt, quam
eorum qui in senectute convertuntur, ac-
ceptam habebis et delectabilem facies an- D
Ezech. xviii, 21, 22. gelis sanctis. Nam quacumque hora pecca-
tor convertitur, omnium iniquitatum ejus
Luc. xv, 10. mox oblivisceris. Gaudium quoque est an-
gelis Dei super uno peccatore pœniten-
tiam agente. Hoc est quod Christus in
Ibid. xii, 38. Evangelio loquitur : Si in secunda vigilia
venerit Dominus, et si in tertia vigilia
venerit, et ita invenerit, scilicet servos
suos vigilantes, beati sunt servi illi. Vel
sic : *Exitus matutini,* id est conversiones
eorum qui tempore prosperitatis, quæ ma-
ne ac lumini comparatur, veniunt ad te,
et vesperi, id est conversiones eorum qui
tempore adversitatis pergunt ad te, *dele-
ctabis.* Sive tempore abundantiæ et pro-
speritatis, sive tempore inopiæ et adversi-
tatis, quis convertatur ad Dominum, ab eo
misericorditer recipietur, quemadmodum
Christus fatetur : Eum qui venit ad me, Joann. vi, 37.
non ejiciam foras.

Visitasti visitatione benigna, *terram,* id 10
est habitantes in terra, videlicet homines,
destinando Apostolos per totum mundum,
dicens eis : Euntes in mundum univer- Marc. xvi, 15.
sum, prædicate Evangelium omni creatu-
ræ. *Et inebriasti eam,* id est, conversos
ad fidem, spiritualibus donis exuberanter
implesti, divino amore a se ipsis alienasti,
et sobria spiritus ebrietate potasti. Pro-
pter quod ait Apostolus : Gratias ago Deo I Cor. i, 4, 5.
meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ
data est vobis in Christo Jesu, quia in
omnibus divites facti estis in illo. *Mul-
tiplicasti locupletare eam,* id est, multipli-
citer eam ditasti charismatibus spiritua-
libus ac divinis. Alii enim datur (ut ait Ibid. xii, 8-10.
Apostolus) sermo sapientiæ, alii sermo sci-
entiæ, alii gratia sanitatum, alii opera-
tio virtutum, etc. Et iterum : Unusquisque Ibid. vii, 7.
proprium donum habet a Deo. — Vel sic :
Visitasti terram, id est primitivam Eccle-
siam, mittendo ei in die Pentecostes in
signo visibili Spiritum Sanctum ; *et ine-
briasti eam* ardore caritatis, et lumine
sapientiæ, omniumque linguarum notitia,
ita ut Judæi increduli dicerent : Quia musto Act. ii, 13.
pleni sunt isti. *Multiplicasti locupletare
eam,* quia per gratiam illis collatam alios
quoque locupletasti. Unde Dominus : Noli, Is. xliv, 2, 3.
inquit, timere, serve meus Jacob. Effun-
dam spiritum meum super semen tuum,
et benedictionem meam super stirpem
tuam. Et apud Joelem legimus : Effundam Joel ii, 28.
spiritum meum super omnem carnem, et
prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ.
Hinc nempe tempus evangelicæ legis, tem-
pus gratiæ appellatur.

Flumen Dei repletum est aquis : id
est, fons Baptismatis impletus est donis

Digitized by Google

Spiritus Sancti, abluendo et sanctificando A
in ipso renatos. Vel dicitur fons iste aquis
repletus, quia in Jerusalem primo cœpit
operari, et jam in universo mundo multi-
plicatur, operatur, et consecratur. De hoc
fonte seu flumine alio loco scriptum est :
Joel III, 13. Fons de domo Domini egredietur, et irriga-
bit torrentem spinarum, id est, corda pec-
catorum lavabit, sicut in Zacharia apertius
Zach. XIII, 1. commemoratur : In die illa erit fons patens
domui David et habitantibus Jerusalem,
in ablutionem peccatoris et menstruatæ.
Parasti cibum illorum, id est, spiritua- B
lem escam fidelium præparasti, videlicet
Sacramentum corporis et sanguinis Chri-
Ps. XXII, 5. sti : de qua dictum est supra, Parasti in
conspectu meo mensam adversus eos qui
tribulant me. *Quoniam ita est præpara-
tio ejus,* id est, quia hæc esca non datur
nisi in fonte Baptismatis denuo natis :
cujus figura fuit, quod populus Hebræus
non pervenit ad manna, nisi postquam
pertransiit mare Rubrum. Quemadmodum
enim mare Rubrum erat typus Baptismi,
sic manna erat figura Eucharistiæ. Propter C
I Cor. X, 2. quod ait Apostolus : Omnes in Moyse ba-
ptizati sunt in nube et in mari, et omnes
eamdem escam spiritualem manducave-
runt. Illi baptizati sunt figuraliter ; nos
baptizamur veraciter. Illi quoque mandu-
caverunt eamdem escam spiritualiter seu
Ibid. 4. significative, sicque eumdem potum spi-
ritualem biberunt ; nos manducamus ac
bibimus eamdem escam, eumdemque po-
tum essentialiter, scilicet corpus et san-
guinem Salvatoris.
11 *Rivos ejus inebria,* id est particulares D
baptismos ex Baptismo primitivæ Ecclesiæ
derivatos sicut rivi propagantur ex fonte :
hos rivos inebria, ita ut undique multi-
plicentur, et sacramentalibus gratiis im-
pleantur. *Multiplica genimina,* id est fru-
ctus *ejus,* quatenus plurimi renascantur
per Baptismum in Christo, sicque Ecclesia
impleatur fidelibus. *In stillicidiis ejus,* id
est in guttis Baptismi super capita bapti-
zatorum cadentibus dum baptizantur, *læ-
tabitur germinans,* id est sancta mater
Ecclesia, novos in Christo filios adipi-
scens ac procreans.
Benedices, id est, gratiarum munera 12
tribues, *coronæ,* id est populo ad te undi-
que confugienti per modum coronæ seu
circuli : sicut superius dictum est, Syna- Ps. VII, 8.
goga populorum circumdabit te. Infra quo-
que de Deo inducitur : Magnus et terribilis Ps. LXXXVIII, 8.
super omnes qui in circuitu ejus sunt.
Benedices ergo coronæ *anni benignitatis
tuæ,* id est tempori misericordiæ seu gra-
tiæ tuæ. Ac si dicat : Benedices populo
christiano tempore evangelicæ legis. An-
nus namque benignitatis divinæ, a primo
Christi adventu incepit, et usque ad finem
sæculi durat : et hoc tempore Deus populo
suo copiosius benedicit, quam tempore
legis naturalis ac scriptæ ; propterea ap-
pellatur tempus gratiæ et annus benigni-
tatis divinæ. *Et campi tui,* id est corda
fidelium, quæ tu colis, impinguas et fe-
cundas semine verbi, *replebuntur uberta-
te* divinorum charismatum, operationum
sanctarum, spiritualiumque profectuum.
Pinguescent speciosa deserti : id est, 13
animæ peccatorum a gratia derelictæ, et
tamen naturali summæ Trinitatis imagine
insignitæ atque decoratæ, in spiritualibus
bonis abundabunt per conversionem ad
fidem atque obedientiam Christi. Unde et
ipse ait : Venit Filius hominis quærere et Luc. XIX, 10.
salvum facere quod perierat. Et sicut di-
cit Apostolus, Ubi abundavit peccatum, Rom. V, 20.
abundat et gratia. Siquidem cui plus do- Luc. VII, 47.
natur, plus diligit. *Et exsultatione colles
accingentur.* Quemadmodum nomine mon-
tium intelliguntur Apostoli, sic nomine
collium, qui montibus sunt minores, in-
telliguntur viri perfecti, apostolicam vi-
tam sectantes, et maxime martyres, qui
non solum vitam, sed etiam passionem ac
mortem Apostolorum secuti sunt. Tales
igitur colles accingentur exsultatione, id
est gaudio spirituali, recipiendo in hac vi-
ta consolationem internam, in futuro au-
tem beatitudinem consummatam. *Induti* 14
sunt arietes ovium, id est, duces ovium
Christi, videlicet prælati, pastores atque

Digitized by Google

doctores, induti sunt fortitudine Spiritus A Sancti, sapientia et justitia, quatenus alios fortiter pascant, corripiant, instruant et confirment. Taliter induuntur veri et digni prælati Ecclesiæ, quatenus alios vita, doctrina, et omni perfectione præcedant. De arietibus sic indutis apud Jeremiam ait
Jer. III, 15. Dominus : Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. *Et valles,* id est subjecti et inferiores, *abundabunt frumento,* id est, semine verbi quod a suis superioribus audient, diligenter implebuntur, ut fructibus vitæ æternæ B ditentur. *Clamabunt,* affectuose orando, ac Dei beneficia confitendo; *etenim hymnum dicent,* Domino regratiantes pro universis beneficiis suis, ejusque bonitatem indesinenter laudantes, quemadmodum Do-
Is. LXV, 14. minus per Isaiam ait : Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis.

Ecce psalmum mirabili venustate splendentem transcurri : in quo Deus benedictus et sanctus pulchre laudatur, affectuosæ preces comprehenduntur, divina beneficia commemorantur. Conemur ergo totis viribus, tam immaculatam ac sanctam ducere vitam, ut Deum cum omni affectu laudemus, in ejus præconio delectemur, ipsum cordialiter invocemus, beneficiorumque ejus nunquam immemores efficiamur; sed taliter ei in præsenti hymnos cantemus, ut hinc emigrantes, in cœlesti Jerusalem eum continuo collaudemus.

PRECATIO.

Deus, Pater indulgentiæ, spes omnium finium terræ et in mari longe, impietatibus nostris, quæsumus, propitiare; et ne verba iniquorum super nos in æternum prævaleant, tua nos invicta tuitio non derelinquat.

ARTICULUS XXIX

ELUCIDATIO PSALMI SEXAGESIMI QUINTI : JUBILATE DEO, OMNIS TERRA ; PSALMUM DICITE.

1 PSALMI præsentis titulus talis est : *In* C
* psalmi *finem, canticum, psalmus* * *resurrectionis :* id est, psalmus iste de spirituali fidelium resurrectione pertractans, et in finem, qui est vita æterna, nos dirigens, est canticum, id est exsultatio magna, de resurrectione prædicta.

LOQUENS ergo Propheta in persona Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis, ait : (1) *Jubilate Deo, omnis terra.* Jubilus gaudium est, quod propter exuberantiam suam non potest totaliter reprimi, neque totaliter D explicari : magis autem jubilatur mente, quam voce. Ait itaque : Jubilate, id est, ineffabiliter exsultate, Deo, id est in Deo et ad gloriam Dei, ex contemplatione bonitatis divinæ et ex consideratione beneficiorum ac promissorum ipsius : et hoc faciat omnis terra, id est totus mundus seu incolæ ejus, non solum Judæa, sed universa gentilitas ad fidem conversa, spemque futuræ resurrectionis per Christum adepta. Cui dicit etiam Isaias, Lauda, sterilis *Is.* LIV, quæ non paris, decanta laudem et hinni, quæ non parturiebas : quod ad plebem gentilium olim sterilem, nunc vero in Christo fecundam dictum esse, docet Aposto- *Gal.* IV, lus. *Psalmum dicite nomini ejus.* Psalmus 2
bonam operationem significat. Quid ergo est Deo psallere, nisi voce et opere ipsum laudare ? Qui enim Deum verbis magnificat, et operibus inhonorat, sibimetipsi contradicit : imo, quoniam opera præpon-

Digitized by Google

derant verbis, magis affirmat Deum inhonorabilem esse, quam honorandum. *Date gloriam laudi ejus,* id est, clarificate laudem divinam verbis ac factis, docendo seu ostendendo quam excellenter laudandus sit Deus. Gloria quippe dicitur clara cum laude notitia. Dum ergo quis docet quam magnifica atque incomparabilis laus Deo debetur, tunc dat gloriam laudi ejus, id est, laudem Dei glorificat.

3 (2) *Dicite Deo,* confitendo magnificentiam ejus, majestatemque ejus laudando : *Quam terribilia sunt opera tua, Domine!* Terribilia namque sunt opera divinæ justitiæ quæ a principio mundi fecit, videlicet condemnando totum genus humanum propter primorum parentum peccatum, [Rom. v, 12-.] perdendo mundum diluvio, submergendo Ægyptios in mari Rubro ; et alia quæ sacra Scriptura commemorat. [Gen. vii, 23. Exod. xiv, 28.] Maxime tamen metuenda sunt opera Dei circa iniquos, quos æternaliter damnat. Unde scriptum est : Horribilis Dominus super impios. [oph. ii, 11.] Et alibi : Unus est Altissimus, creator omnium omnipotens, rex potens et metuendus nimis. [Eccli. i, 8.] *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui,* id est, propter multa mirabilia atque miracula tua non convertentur ad te, potentiam tuam humiliter venerando : nam etsi verbis opera tua fatentur, tamen operibus negant. [Tit. i, 16.] Hoc modo mentiti sunt Christo Judæi, qui miracula ejus adscripserunt diabolo, dicentes, In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia ; [uc. xi, 15.] et, Non est hic homo a Deo ; [oann. ix,] et, A Nazareth non surgit Propheta. [id. i, 46.] Sic quoque Deo mentiti sunt Ananias et uxor ipsius, dicente Petro ad Ananiam, Non es mentitus hominibus, sed Deo. [ct. v, 4.]

4 (3) *Omnis terra adoret te,* id est, cultum latriæ tibi soli exhibeant omnes homines in terra morantes, falsos deos spernendo, teque in omnibus et super omnia venerando. Adoratio enim proprie sumpta, est cultus latriæ, et soli Deo debetur, tanquam omnium creatori omnipotenti, altissimo principi, Deo vero, vivo, trino ac simplici. Unde Deus sublimis apud Isaiam testatur : Ego Dominus, hoc est nomen meum ; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. [Is. xlii, 8.] In hoc quoque quod ait Propheta, Omnis terra adoret te, Deus, prophetavit implicite totum mundum ad unius Dei summi cultum fuisse convertendum, atque ab omnibus adorandum esse, sicut per Christi Apostolos factum est. Propter quod in Isaia habetur : Redemptor tuus, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur ; [Ibid. liv, 5.] et apud Zachariam, In die illa erit Dominus rex super omnem terram. [Zach. xiv, 9.] *Et psallat tibi,* mentaliter te laudando : sicut ait Apostolus, Psallentes in cordibus vestris Deo semper. [Ephes. v, 19.] *Psalmum dicat nomini tuo,* ore seu vocibus te laudando : sicut ait Apostolus, Loquentes vobismetipsis in hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus. [Ibidem.]

5 (4) *Venite* ad audiendum verbum Dei, venite ad ecclesiam, venite non tam corporis gressu, quam fidei passu, contemplationis profectu, interiorique reditu ; *et videte* per contemplationem internam, per fidei lumen, per Spiritus Sancti irradiationem, *opera Dei,* qui est *terribilis in consiliis super filios hominum.* Hæc opera, in quibus Deus tam metuendus ostenditur, maxime sunt effectus prædestinationis ac reprobationis divinæ, quibus nonnulli per misericordiam sunt electi, ceteri vero, justitia exigente, præsciti.

Porro, quam terribilis sit Deus in consiliis super filios hominum, advertere possumus, si divinæ Scripturæ testimonia diligenter pensemus. Ecce Dominus apud Ezechielem ait : Revertimini et vivite, quia nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. [Ezech. xviii, 32. Ibid. xxxiii, 11.] Cui concordat quod dicit Apostolus : Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. [I Tim. ii, 4.] Et nihilo minus in Actibus Apostolorum legitur : Vetati sunt (Paulus et sui) a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia, et non permisit eos Spiritus Jesu. [Act. xvi, 6, 7.] Quomodo ergo vult Deus omnes converti, quando ipsemet prohibet prædicatores ab instructione quorumdam ? Sed forte quis dicet

Digitized by Google

istud non esse multum mirabile, neque A
Deum ostendi terribilem in consiliis super
filios hominum ex isto facto; asseretque
Spiritum Sanctum propterea prohibuisse
Paulum ab informatione Asianorum, quia
prævidit eos non credituros, et ita ad mi-
sericordiam pertinet, quod verbum Dei eis
prædicatum non fuit; vel forte, quoniam
digni non erant prædicationem divini ver-
bi audire. Sed nonne aliis multis prædi-
catum est Evangelium Christi a sanctis
Apostolis, qui illud non receperunt, atque
omnino indigni fuerunt? Denique fortius B
movet quod ad Ezechielem Dominus ait:
Ezech. III, 4-7. Fili hominis, vade ad domum Israel. Non
enim ad populum profundi sermonis et
ignotæ linguæ tu mitteris: et si ad illos
mittereris, ipsi audirent te; domus autem
Israel nolunt audire te, quia nolunt audi-
re me. Ecce non misit sanctum Prophetam
ad eos quos noverat audituros, si eis mis-
sus fuisset Propheta; et misit eum ad eos
quos noverat non audituros. Nonne terri-
bile est hoc consilium justi Dei? Terribile
quoque est illud consilium Dei, quod Pau- C
lus ad Romanos, de Jacob et Esau loquens,
Rom. IX, 11-13. commemorat: Quum nondum nati fuis-
sent, aut aliquid egissent boni aut mali, ut
secundum electionem propositum Dei ma-
neret, non ex operibus, sed ex vocante di-
ctum est, Quia major serviet minori: sic-
Malach. I, 2, 3. ut scriptum est, Quoniam Jacob dilexi,
Esau autem odio habui.

Alia multa sunt in divinis Scripturis, in
quibus Deus terribilis esse demonstratur
in consiliis suis super filios hominum:
quæ investigatione non indigent, sed pia D
ac sobria fide. Propter quod Salomon pro-
Prov. XXV, 27. testatur: Sicut qui mel comedit multum,
non est ei bonum; sic qui perscrutator est
majestatis, opprimetur a gloria. Verumta-
men advertendum quod consilium proprie
sumptum, non competit Deo. Consilium
namque proprie dicitur inquisitio de fa-
ciendis, et ita dubitationem præsupponit.
Propterea Damascenus: Consilium, inquit,
est ignorantis naturæ. Dum ergo consilium
Deo adscribitur, sumitur ipsum consilium
pro eo quod perfectionis in ipso est, omni
sua imperfectione seclusa.

(5) *Qui convertit mare in aridam.* Hoc 6
Deus ad litteram fecit in mari Rubro at- *Exod.* XIV, 21; *Josue* III, 16, 17.
que Jordane. Spiritualiter vero per mare
intelliguntur peccatores in fluctibus vitio-
rum submersi: hos Deus convertit in ari-
dam, dum fluctuatione animi vitiosa per
gratiam Dei exstincta, incipiunt igne amo-
ris siccari, justitiamque sitire. *In flumi-
ne,* id est in mundo, qui mari magno et
flumini comparatur; vel, In flumine præ-
sentis mortalitatis; vel, In flumine ten-
tationum et adversitatum; *pertransibunt*
homines boni, *pede* sancti desiderii, su-
spirando ad patriam, et ob æternæ vitæ
amorem omnia prospera mundi spernen-
tes, omnia quoque ejus adversa fortiter to-
lerantes, quemadmodum monet Apostolus:
Deponentes omne pondus et circumstans *Hebr.* XII, 1, 2.
nos peccatum, per patientiam curramus
ad propositum nobis certamen, adspicien-
tes in auctorem fidei et consummatorem
Jesum. *Ibi lætabimur in ipso,* id est, in
prædicta transitione de via ad patriam, de
mundo ad cœlum, de fluctibus vitiorum
ad quietis securitatisque portum, gaudebi-
mus spirituali lætitia, sicut in omni actu
virtuoso gaudendum est in eo, de quo
subjungitur:

(6) *Qui dominatur,* in cœlo et terra omni- 7
busque abyssis, *in virtute sua* sibi con-
substantiali, coæterna ac propria, non ali-
ena aut aliunde adepta, *in æternum,* sine
fine, sicut de Deo conscriptum est: Juxta *Dan.* IV, 32, 31.
voluntatem suam facit tam in virtutibus
cœli, quam in habitatoribus terræ; et non
est qui resistat manui ejus. Potestas ejus,
potestas sempiterna, et regnum ejus in ge-
neratione et generationem. *Oculi ejus su-
per gentes respiciunt,* id est, intellectus
divinus omnia opera hominum intuetur
ac pensat, ut singulis quod merentur re-
stituat. Unde ipse Dominus dicit: Si occul- *Jer.* XXIII, 24.
tabitur vir in absconditis, et ego non vi-
debo eum? Et alibi: Domine Deus, cujus *Ibid.* XXXII, 19.
oculi aperti sunt super omnes vias filio-
rum Adam, ut reddas unicuique secundum

Digitized by Google

vias suas. *Qui exasperant,* id est, Deum A
ad iracundiam provocant ex pertinacia et
elatione peccando, *non exaltentur in se-
metipsis,* id est, in interioribus suis nihil
proficiant, sed omni gratia destituantur,
Num. xv, 30. atque dispereant, sicut ait Scriptura : Ani-
ma quæ per superbiam aliquid commise-
rit, quoniam adversus Dominum rebellis
fuit, peribit de populo suo. Hæc autem
Propheta non imprecando, sed prænunti-
ando, aut divinæ se justitiæ conformando
locutus est. Et quoniam (ut per Ezechie-
Ezech. ii, iii, xii, xvii, xliv. lem Dominus frequentissime asserit) do- B
mus Israel exasperans fuit, idcirco exal-
tati non sunt, sed propter iniquitatem
suam in Christum commissam, humiliati
sunt, oppressi, dejecti.
8 (7) *Benedicite, gentes, Deum nostrum,*
ipsum laudando, *et auditam facite vocem
laudis ejus,* coram aliis ipsum glorifican-
do, et universos, quantum potestis, ad
9 ejus laudem alliciendo. (8) *Qui posuit ani-
mam meam ad vitam* spiritualem, a morte
peccati eam eripiens, et dono gratiæ eam
Ephes. ii, 5. vivificans : sicut ait Apostolus : Deus qui C
dives est in misericordia, propter nimiam
caritatem suam, qua dilexit nos, quum es-
semus mortui peccatis, convivificavit nos
in Christo, cujus gratia estis salvati. *Et non
dedit in commotionem pedes meos :* id est,
desideria mea et opera non permisit esse
instabilia, vaga et lubrica ; sed confirma-
vit ac fixit cor meum in se, ita quod nec
propter tentationes diaboli, nec propter
blandimenta adversitatesve sæculi, potui
ab ejus amore atque obsequio separari :
imo perseverantiam contulit mihi. Hoc D
modo stabiliti erant pedes Apostoli, dicen-
Rom. viii, 39. tis : Certus sum quia neque mors, neque
vita, neque angeli, neque principatus, ne-
que creatura alia poterit nos separare a
caritate Dei.
10 (9) *Quoniam probasti nos, Deus,* per ad-
versa et prospera, per te ipsum quoque
effective, et per adversarios nostræ salutis
permissive. Probat equidem Deus homines,
quatenus innotescat, non ipsi Deo, sed
aliis, an veraciter timeant Deum, non re-
cedendo ab ejus præceptis propter ea quæ
retrahere solent a bono. Et hoc facit Deus
interdum effective, per se vel per suos
pios ministros, non statim preces oran-
tium exaudiendo, gratiam suspendendo,
penuriam seu aliquam infirmitatem infli-
gendo. Propter quod Moyses : Recordabe- Deut. viii, 2.
ris, inquit, cuncti itineris per quod adduxit
te Dominus Deus tuus, ut affligeret te at-
que tentaret, et nota fierent quæ versa-
bantur in corde tuo, utrum custodires
mandata illius, an non. Interdum autem
probat nos Deus permissive, per tentatio-
nes dæmonum persecutionesque hominum,
juxta illud : Tanquam aurum in fornace Sap. iii, 6.
probavit eos Dominus. *Igne nos examina-
sti,* id est, acuta tribulatione nos discussi-
sti, si fideliter essemus tibi adhærentes,
sicut examinatur argentum, id est, quem-
admodum per ignem inquiritur an aliquid
sit verum argentum. Hinc enim in libro
Job dicitur : Deus scit viam meam, et pro- Job xxiii, 10.
bavit me quasi aurum quod per ignem
transit.
(10) *Induxisti nos in laqueum.* Quidam 11
est laqueus deceptionis et culpæ ; alius
vero est laqueus probationis et pœnæ. In
primum laqueum introducit nos Deus per-
missive, dum nos suo justo judicio tentari,
separari *, ac falli permittit. In laqueum * superari
vero secundum sæpe inducit nos effecti-
ve, quandoque vero permissive dumta-
xat. *Posuisti tribulationes in dorso nostro.*
Per dorsum intelligitur totus homo, qui
frequenter anima et corpore tribulatur.
Quemadmodum enim super dorsum cor-
poris onera ponuntur et deferuntur, sic
super totum hominem variæ tribulationes
cadunt ac perferuntur. *Imposuisti homi-* 12
nes super capita nostra, id est super nos
ipsos et super propriam nostram liberta-
tem ac rationem : ita quod nec proprium
sensum, nec propriam voluntatem sequi
præsumimus. Hoc Deus aliquando effici-
enter agit, sicut dum bonos præsidere fa-
cit ; interdum vero permissive, sicut dum
impii præferuntur. Unde apud Job habe-
tur : Regnare facit Deus hominem hypo- Ibid. xxxiv, 30.

Digitized by Google

critam propter peccata populi. Et Dominus A
Is. III, 4. dicit per Isaiam : Dabo pueros principes
eorum, et effeminati dominabuntur eis.
Dum ergo indigni et impii præsunt, pati-
enter ferre debemus, a quorum dominio
liberari nequimus, cogitantes sic accidisse
propter nostra demerita; nec debemus po-
testati resistere quantumcumque aperta et
magna sit præsidentis iniquitas, dummo-
do ea præcipiat in quibus ei subjicimur,
utpote quæ divino honori et nostræ saluti
non opponuntur.

(11) *Transivimus per ignem et aquam*, id B
est per contrarias pœnas, sustinendo affli-
ctiones oppositas, ut sunt abundans aeris
seu corporis calor, et intemperata frigi-
ditas. Vel, per ignem et aquam, tanquam
per duo extrema, intelligenda sunt omnia
genera tribulationum intermedia, quibus
electi in hoc mundo purgantur, quemad-
Job V, 17. modum scriptum est : Beatus homo qui
corripitur a Domino. *Et eduxisti nos in*
I Cor. X, 13. *refrigerium*. Non enim permittit nos Deus
tentari supra id quod possumus, nec solet
tribulatio esse continua; sed Deus vicis- C
sim consolatur et relevat suos fideles,
Job V, 17, 18. quemadmodum scriptum est : Increpatio-
nem Domini ne reprobes, quoniam ipse
vulnerat, et medetur; percutit, et manus
Tob. III, 21, 22. ejus sanabunt. Et alibi : Pro certo habet
omnis qui colit te, Domine, quia si in tri-
bulatione fuerit, liberabitur : quia post
tempestatem tranquillum facis, et post fle-
tum exsultationem infundis. Denique, si
in hac vita refrigerium non præstatur, in
futuro utique tanto copiosius dabitur, quan-
to jam magis negatur. D

13 (12) *Introibo in domum tuam*, id est ad
animam meam, quæ est domus et templum
sui Creatoris, dummodo juste vivat, exa-
minando, dijudicando et exercitando me
Is. XLVI, 8. ipsum : quemadmodum scriptum est, Re-
Galat. VI, 1. dite, prævaricatores, ad cor; et alibi, Con-
sidera te ipsum. Vel, Introibo in domum
tuam, puta militantem Ecclesiam, fide et
opere in ecclesiastica unitate morando. Vel,
Introibo, ut confido, post hanc vitam, in
domum tuam, id est in regnum cœlorum
seu Ecclesiam triumphantem, sicut tu, Do-
mine Jesu, dixisti : Pater, quos dedisti *Joann.* XVII, 24.
mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint me-
cum. In quamlibet harum domorum intro-
ibo *in holocaustis*, id est in fervida obla-
tione mei ipsius, me totum tuæ voluntati
offerendo et exponendo, nec aliquid mihi
proprium retinendo. Holocaustum namque
dicebatur sacrificium divinæ majestati ob-
latum, quod ad ejus honorem totaliter
comburebatur, in signum quod homo de-
bet se ipsum omnino relinquere, atque
divino honori se penitus mancipare cum
ardenti amore. Dum ergo hoc modo nos
Deo impendimus, domum ejus ingredimur,
Deo unimur, et in ipso manemus. *Reddam*
tibi vota mea, id est, promissa mea per-
solvam, quæ vel in Baptismo, vel in Or-
dinis seu religionis susceptione promisi.
Secundum quod Salomon jubet : Si quid *Eccle.* V, 3.
vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet
enim ei stulta et infidelis promissio. Vel,
Reddam tibi vota mea, id est, tibi soli of-
feram omnia desideria mea, nil desideran-
do extra te, præter te, contra te, sed totum
affectum colligendo in te : sicut superius
dictum est, Domine, ante te omne deside- *Ps.* XXXVII, 10.
rium meum. *Quæ* promissa seu desideria 14
distinxerunt, id est, distincte et ordinate
pronuntiaverunt, *labia mea*. Si enim illi-
citum aliquid esset promissum, non esset
solvendum.

(13) *Et locutum est os meum* verba pro-
missionis et orationis, *in tribulatione mea*.
Homines enim in tribulatione constituti,
orationes atque promissiones facere solent
ut liberentur. Quid autem promiserit, sub-
jungit : (14) *Holocausta medullata*, id est 15
bona ac pinguia, scilicet me ipsum igne
amoris inflammatum, et corpore ac anima
tuæ voluntati paratum, *offeram tibi*, o Do-
mine Deus, *cum incenso arietum*, id est
cum oratione ducum gregis dominici, vi-
delicet prælatorum Ecclesiæ, quatenus per
intercessionem eorum fiat accepta oblatio
mea. *Offeram tibi boves*, id est doctores
ac prædicatores verbi Dei, *cum hircis*, id
est peccatoribus pœnitentibus, ut omnes

Digitized by Google

isti orent pro me. Recte autem per holo- A
causta medullata accipitur proprii corpo-
ris et animæ amorosa oblatio : quia me-
dulla, quæ est ossis pinguedo, designat
cordis devotionem atque amorem. Arietes
vero dicuntur prælati, quoniam sicut aries
ductor est ovium, sic ipsi aliorum ducto-
1 Cor. IX, 9. res sunt. Boves quoque (teste Apostolo)
prædicatores figurant, eo quod corda au-
dientium vomere prædicationis scindant,
et semine verbi fecundent. Hircus etiam,
qui est animal vile ac fœtidum, peccatores
significat. B
16 (15) *Venite* mentis affectu, et si opus est,
Eccli. II, 31. etiam corporis gressu, et in domo disci-
plinæ congregate vos; *audite* auribus car-
nis et cordis, *et narrabo* vobis, o *omnes
qui timetis Deum* timore casto et filiali.
Talibus namque narranda sunt occulta ac
specialia dona Creatoris, non impœniten-
tibus et perversis, juxta illud Salvatoris :
Matth. VII, 6. Nolite sanctum dare canibus, neque mar-
garitas vestras ponatis ante porcos. Quid
autem narrare velit, adjungit : *quanta fe-
cit animæ meæ,* id est, quam multa bene- C
ficia pie et dulciter contulit mihi, præser-
vando a malis, conservando in bonis. Debet
autem quilibet diligenter pensare specialia
beneficia Dei sibi exhibita, quatenus Deo
gratus exsistat. Elucescit ex his quoque,
quod interdum specialia beneficia Dei,
sint aliis enarranda ad gloriam Dei et ædi-
ficationem auditorum, sicut in Evangelio
Luc. VIII, 39. Christus ait cuidam : Vade, et narra quan-
ta tibi fecit Deus. Hæc autem enarratio
maxime licita est prælatis, et eis qui ina-
nis gloriæ tentationem vicerunt; ceteris D
non videtur multum secura, nisi ædifica-
tio proximi id requirat. Propter quod Chri-
Matth. VIII, 4. stus in Evangelio cuidam ait : Vide ne-
Is. XXIV, 16. mini dixeris. Et Isaias : Secretum, inquit,
17 meum mihi, secretum meum mihi. (16) *Ad
ipsum ore meo clamavi,* Deum laudando
et invocando, *et exsultavi sub lingua mea,*
id est, delectationem quamdam in consci-
entia sensi ex ipsa laude et invocatione
Altissimi. Hæc autem delectatio mentis
quandoque tam magna est, ut redundet in
corpus, faciatque delectationem seu exsul-
tationem in ore.
(17) *Iniquitatem si adspexi in corde meo,* 18
per approbationem seu consensum pecca-
ti, *non exaudiet Dominus.* Qui enim sibi
de peccato mortali conscius est, in pec-
candi proposito manens, non exauditur,
quemadmodum scriptum est : Deus non Job VIII, 20.
projiciet simplicem, nec porriget manum
malignis. Et in Evangelio legitur : Sci- Joann. IX, 31.
mus quoniam peccatores Deus non audit.
(18) *Propterea,* id est, quia mihi de pecca- 19
to mortali conscius non sum, *exaudivit
Deus, et,* pro id est, *intendit* voci depreca-* * attendit
tionis meæ. Hoc est quod in libro Job scri-
bitur : Si Omnipotentem fueris depreca- Job VIII, 5, 6.
tus, si mundus et rectus incesseris, statim
evigilabit ad te; et alibi, Si quis cultor Joann. IX, 31.
est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc
exaudit. Oranti autem et in peccandi pro-
posito perseveranti, Dominus per Jere-
miam ait : Quid clamas ad me? Insanabilis Jer. XXX, 15.
est dolor tuus. Oportet ergo ut vitam stu-
deamus precibus conformare, proponentes
semper ex toto corde emendationem in
omnibus.

Postremo, vir sanctus gratias refert Deo
de beneficiis tantis. (19) *Benedictus Deus,* 20
id est, benedictus sit et laudetur seu bene-
dicatur ab omnibus, *qui non amovit ora-
tionem meam, et misericordiam suam a
me,* sed eam pie accepit, misericorditerque
implevit.

Ecce in psalmo isto præclaro accenditur
animus noster in laude divina, renovatur
in eo divinorum beneficiorum memoria,
informatur in eo intellectus noster quanta
oporteat pati electos in vita præsenti, ro-
boratur quoque in eo bonum propositum
bene agendi. Cum omni ergo hilaritate,
fervore, compunctione et puritate decante-
mus hunc psalmum, in laude divina inti-
me gloriantes, Deumque sublimem ab om-
nibus benedici ac honorari optantes, ejus
beneficia affectuose reminiscentes, ob ejus
amorem universa contraria libentissime
tolerantes, et sibi in omnibus finaliter re-
gratiantes.

Digitized by Google

PRECATIO.

Deus conditor universorum, qui domi-
naris in virtute tua in æternum, oculis
A clementiæ, quæsumus, super nos semper
respice; pone animam nostram ad bonæ
actionis vitam, et nunquam amoveas a no-
bis misericordiam tuam.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO PSALMI SEXAGESIMI SEXTI : DEUS MISEREATUR NOSTRI.

Hujus insuper psalmi iste est titulus :
1 *In finem, in hymnis, psalmus cantici Da-
vid :* id est, psalmus iste in finem seu
Christum nos dirigens, est psalmus canti-
ci, id est spiritualis jucunditatis, et conve-
nit David, id est fideli, in hymnis, id est
in laudibus Deo exhibendis. Psalmus iste
ad litteram est invocatio et gratiarum ac-
tio pro Christi incarnatione olim futura,
jamque præterita.

2 Ait ergo : (1) *Deus misereatur nostri,*
culpam nostram delendo, et omne im-
pedimentum a Christi adventu impediens
removendo, *et benedicat nobis,* id est, mu-
nera gratiæ nobis impendat, eademque in
nobis copiose multiplicet. Benedicit autem
Creator rationali creaturæ, eam per gra-
tiam sanctificando. Creatura quoque bene-
dicit Creatori, eum laudando et omne bo-
num ipsi attribuendo. *Illuminet vultum
suum super nos,* id est, intellectum suum
faciat radiare super nos : sicut superius
Ps. xxx, 17. dictum est, Illustra faciem tuam super ser-
vum tuum. Illuminat igitur Deus vultum
suum super nos, dum per sapientiam no-
bis ab ipso infusam, facit nos contempla-
tores intellectus divini, dumque precibus
nostris et actibus pie arridet. *Et miserea-
tur nostri,* præservando nos a malis futu-
ris, ne efficiamur adventu ejus indigni,
3 gratiam pristinam amittendo. (2) *Ut cogno-
scamus,* o Deus Pater, *in terra,* id est in
præsenti exsilio, *viam tuam,* ambulando
in præceptis legis divinæ; vel, Viam, id est
B Christum, qui de se ipso ait, Ego sum via, *Joann. xiv, 6.*
veritas et vita. *In omnibus gentibus salu-
tare tuum :* id est, ad hoc peto misereri,
ut cognoscamus omnes gentes converti ad
Christum, qui est salutare tuum : de quo
Simeon ait, Quia viderunt oculi mei salu- *Luc. ii, 30.*
tare tuum. Orat ergo fidelis in isto versu
pro illuminatione Spiritus Sancti, ne er-
ret in via vitæ præsentis, sed operando
cognoscat, et cognoscendo ambulet in via
Domini, de qua Salvator in Evangelio di-
cit : Quam angusta est via quæ ducit ad *Matth. vii, 14.*
C vitam ! et pauci inveniunt eam. Unde apud
Tobiam habetur : Pete a Deo ut viam *Tob. iv, 20.*
tuam dirigat. In hoc quoque quod ait, In
omnibus gentibus salutare tuum, orat Chri-
stum ab omnibus gentibus agnosci et ho-
norari.

Consequenter pro beneficio incarnatio-
nis Christi, conversionisque mundi, gra-
tias agit. (3) *Confiteantur tibi populi, Deus,* 4
confessione laudis tuæ et propriæ culpæ,
te glorificando, et se ipsos accusando; *con-
fiteantur tibi populi omnes,* beneficia tua
D recolendo ac prædicando, tibique gratias
infinitas referendo pro Christi incarnatio-
ne et sua conversione : quemadmodum ab
Isaia scriptum est, Miserationum Domini *Is. lxiii, 7.*
recordabor, laudem Domini super omni-
bus quæ reddidit nobis, et quæ largitus
est nobis secundum indulgentiam suam.
(4) *Lætentur* interiori lætitia, *et exsultent,* 5
forinsecus signa internæ jucunditatis os-
tendendo, *gentes* ad fidem Christi vocatæ,
quoniam judicas populos in æquitate. Nunc

enim quotidie judicat Deus populos in A
æquitate judicio discretionis : de quo ait
Joann. XII, 31. Salvator, Nunc judicium est mundi. Nam
Ephes. VI, 9. sine personarum acceptione dat Deus fi-
dem et gratiam cunctis se disponentibus,
et quod in se est facientibus, ceteros de-
relinquens : et ita nunc separat electos a
reprobis voto et merito. In morte autem
cujuslibet atque in fine sæculi erit judi-
Matth. XXV, 32. cium remunerationis, quo separabuntur
boni a malis loco et præmio. Sed quoniam,
Hebr. X, 31. teste Apostolo, Horrendum est incidere in
manus Dei viventis, mirum apparet cur B
hortetur Propheta gentes lætari, et non
potius formidare, quoniam Deus judicat
populos in æquitate, nisi quod illas gentes
alloquitur, de quibus prædixit : Confitean-
tur tibi populi, Deus. Qui enim Deum nunc
laudant, seque accusant et corrigunt, fu-
turum judicium securi exspectant, et de
ejus adventu gaudere merito possunt, quo-
niam tunc beatam immortalitatem beati-
tudinemque completam recipient. Propter
Luc. XXI, 28. quod Christus discipulos exhortatur : His
autem fieri incipientibus, levate capita ve- C
stra, id est, exhilarate corda, quoniam ap-
propinquat redemptio vestra. Ideo quo-
que gentes præsertim lætentur, quia *et
gentes in terra dirigis,* per gratiam tuam
atque angelicam opem dirigendo eas in
viam salutis æternæ. Hac namque dire-
ctione maxime indigemus, juxta illud Je-
Jer. X, 23. remiæ : Scio, Domine, quia non est homi-
nis via ejus, nec viri est ut ambulet, et
dirigat gressus suos.
6 (5) *Confiteantur tibi populi, Deus, con-
fiteantur tibi populi omnes.* Resumitur ver- D
sus iste propter sententiæ suæ jucundam
7 et fructuosam dulcedinem. *Terra dedit fru-
ctum suum,* id est, virgo Maria peperit
Is. XLV, 8. Christum. De qua terra scriptum est : Ape-
riatur terra et germinet Salvatorem. De
fructu etiam hujus terræ apud Isaiam in-
Ibid. IV, 2. ducitur : In die illa erit germen Domini in
magnificentia et gloria, et fructus terræ
sublimis. Moraliter vero terra dat fructum,
dum sancta Ecclesia filios suos spirituali-
ter instruit, perficit et conservat, et dum
corpus nostrum sobrie vivit, profectibus
animæ in cunctis deserviens.
(6) *Benedicat nos Deus, Deus noster, be-* 8
nedicat nos Deus. Quamvis oratio ista ad to-
tam superbeatissimam Trinitatem, singu-
lasque divinas Personas dirigi possit, tamen
ad insinuandum personalem distinctionem
in Deo, hoc modo exponi potest : Benedicat
nos Deus Pater per Filium suum : quem-
admodum ait Apostolus, Benedixit nos in Ephes. I, 3.
omni benedictione spirituali in cœlestibus
in Christo Jesu. Benedicat etiam nos Deus
noster, id est Filius Dei incarnatus, qui
specialiter dicitur Deus noster, juxta illud,
Hoc est nomen quod vocabunt eum, Domi- Jer. XXIII, 6.
nus justus noster ; et illud, Vocabitur no- Matth. I,
men ejus Emmanuel, quod interpretatur, 23; Is. VII,
nobiscum Deus. Benedicat nos Deus, id est 14.
Spiritus Sanctus. *Et metuant eum,* scili-
cet Deum unum in essentia, et trinum in
personis, *omnes fines terræ,* id est omnes
homines in toto orbe morantes : hi me-
tuant Deum timore sancto ac filiali. Se-
cundum doctores catholicos, in eo quod
ter nominatur hic Deus, et post singulari-
ter repetitur, Eum, innuitur Trinitas in
personis, et unitas in natura, quemadmo-
dum de Seraphim per Isaiam dicitur : Cla- Is. VI, 3.
mabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus,
Sanctus, Dominus Deus exercituum. Et
Dominus per Zachariam dixit ad Satan :
Increpet Dominus in te, Satan, et increpet Zach. III, 2.
Dominus in te. Judæi tamen affirmant,
quod in talibus locis Scripturæ ter dicitur
Deus, propter majorem expressionem, se-
cundum quod apud Jeremiam habetur :
Terra, terra, terra, audi verbum Domini. Jer. XXII, 29.

Ecce psalmus brevis, et omni fervore ac
devotione plenissimus. Conformemus ergo
cordis nostri affectum sacratissimis verbis
psalmi præsentis, totisque medullis divi-
nam in omnibus misericordiam implore-
mus, quatenus vitiis pulsis, benedictio-
nibus Christi ditemur, divinique vultus
illustratione erudiamur. Deinde pro omni
bono communi et generali universorum
salute cordialissime Deum deprecemur,
quatenus omnes Domino confiteantur, et

Digitized by Google

eum honorent. In hujuscemodi etenim pre- A ce divinæ mentis amori utcumque assimilamur, sequentes Patrem nostrum cœle-
Tim. ii, 4. stem, qui omnes homines vult salvos fieri,
Matth. v, 45. et solem suum facit super bonos impiosque
I Tim. ii, 1, 2. oriri. Unde ait divinus Apostolus : Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, etc., pro omnibus hominibus, pro regibus, etc., ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate.

PRECATIO.

Deus miserator omnium, Deus lux lucis et fons luminis, illumina super nos vultum tuæ miserationis, benedic nos, et fac cognoscere in terra viam tuam : ut in hac inoffense ambulantes, lætantes et exsultantes, ad mansionem pertingamus æternam, qui in Trinitate vivis et regnas, Deus.

ARTICULUS XXXI

EXPLANATIO PSALMI SEXAGESIMI SEPTIMI : EXSURGAT DEUS.

1 DECLARANDI nunc psalmi titulus est : *In finem, psalmus cantici David :* id est, psalmus iste in Christum nos erigens, est cantici, id est spiritualis exsultationis, quia de nostræ reparationis mysteriis copiose et clare pertractat : et convenit David prophetæ, tanquam auctori; significato autem per David, videlicet Christo, competit sicut subjecto. Præsens etenim psalmus iste ad litteram loquitur de Christo et ejus mysteriis : quia Apostolus plenus Spiritu Sancto, introducit hujus psalmi scripturam de
Ephes. iv, 7, 8. missione Spiritus Sancti : Unicuique, inquiens, nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi : propter quod dicit, Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona homini-
Ibid. 9. bus. Et subjungit : Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ ? Ecce per hanc scripturam, Christi ascensionem probat Apostolus. Probatio autem non valet, nisi ex sensu litterali, ut Augustinus testatur.

2 AIT ergo : (1) *Exsurgat Deus,* id est, Christus qui est verus Deus, a morte resurgat ; *et dissipentur inimici ejus,* id est, Judæi qui eum occiderunt, vastentur, dispergantur et occidantur. Hoc enim con- B tigit eis a Tito atque Romanis in ultionem sanguinis Christi, quemadmodum apud Danielem prædictum est : Civitatem et san- Dan. ix, 26.
ctuarium dissipabit populus cum duce venturo. *Et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus,* id est infideles Judæi, de quibus Christus in Evangelio ait, Nunc autem Joann. xv, 24.
et viderunt et oderunt et me et Patrem meum gratis : hi fugiant a facie ejus, id est ab adspectu seu animadversione vindictæ, quam Christus in eos exercuit per Romanos. De qua vindicta Christus apud C Isaiam ait : Dies ultionis in corde meo, an- Is. lxiii, 4.
nus retributionis meæ venit. Nam ante obsidionem Judææ a Romanis, omnes Judæi confugerant in Jerusalem propter timorem illorum. (2) *Sicut deficit fumus, deficiant.* 3
Sicut enim deficit fumus lignis subtractis, ita prædicti Judæi defecerunt victualibus jam consumptis, compulsique sunt se hostibus tradere. Paulatim quoque defecerunt ab illo tempore usque in præsens, non solum numero et merito, sed potestate, regno, sacerdotio, et omni honore legis pa- D ternæ. *Sicut fluit cera a facie,* id est ab adspectu et influentia, *ignis, sic pereant peccatores,* id est Christicidæ prædicti, *a facie Dei,* id est ab adspectu et inflictione ultionis divinæ : non ut eorum essen-

Digitized by Google

tia corrumpatur, sed ut omnis gratia eis subtrahatur, et in præsenti vita multipliciter opprimantur, atque in sæculo futuro æternaliter crucientur.

Denique locus iste, de invisibilibus Christi hostibus intelligi potest, ut sit sensus : *Exsurgat Deus* (ut dictum est), *et dissipentur inimici ejus :* id est, potestas et malignitas dæmonum, quibus hominibus nocuerunt, debilitentur. Christus namque
Luc. xi, 21, 22. fortem armatum ligavit, et merito suæ passionis dæmonum potestatem maxime minoravit. *Et fugiant qui oderunt eum,* id est, dæmones a cordibus peccatorum atque corporibus obsessorum ejiciantur, *a facie ejus,* id est virtute præsentiæ Christi, qui operatur ubique. Unde Christus
Joann. xii, 31. passione instante, dixit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Post resur
Marc. xvi, 17. rectionem quoque ait Apostolis : Signa eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient. *Sicut deficit fumus, deficiant :* id est, cultus dæmonum seu idololatria per Christi ministros evacuetur, et ipsi diaboli a Christi Apostolis et eorum successoribus penitus superentur, solusque Christus a sæculo sicut Deus colatur. Unde per Isaiam dicitur :
Is. ii, 17, 18. Elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur. Hinc etiam ait
Luc. x, 19. Salvator : Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores,* id est diaboli in malo obstinati, *a facie Dei :* quia in fine mundi in infernum retrudentur. Ad litteram quoque, istud impletum fuit in Jesu Christo adhuc in mundo conversante, secundum quod in Evangelio
Marc. iii, 10-12. legitur : Quotquot habebant plagas, et spiritus immundi quum Jesum videbant, procidebant ei, dicentes : Tu es Filius Dei. Et
Matth. viii, 29. iterum : Quid nobis, inquiunt, et tibi, Jesu, fili Dei summi ? Venisti ante tempus perdere nos ?

Potest etiam locus iste magis communiter explanari, et de Deo secundum divinam operationem intelligi, hoc modo :

A *Exsurgat Deus,* non motu aut loco, sed operatione, quatenus bonis subveniat, impiisque resistat, et ita per modum exsurgentis se habeat, sicut superius dictum est : Exsurge, Domine, adjuva nos. *Et dis- Ps.* xliii, 26.
sipentur inimici ejus, qui nolunt converti, videlicet hæretici, schismatici, pagani, Judæi, et indurati. *Et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus,* id est, taliter flagellentur a Deo, ut se abscondere cupiant, nec tamen possint, quoniam Deus ubique est. Unde ait Scriptura : Reges terræ, princi- *Apoc.* vi, 15, 16.
B pes, tribuni, divites et fortes, absconderunt se in speluncis et petris montium, dicentes montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni. *Sicut deficit fumus, deficiant,* ne opus malum queant implere, et sanctis nocere. Impii namque indesinenter deficiunt, quoniam tanquam *Ps.* xxxvi, 2.
fœnum velociter arescent. *Sicut fluit cera a facie ignis,* etc. Hoc est quod apud Isaiam scriptum est : Sicut devorat sti- *Is.* v, 24.
pulam lingua ignis, sic radix impiorum
C quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet.

Hæc autem orat Ecclesia, quilibetque fidelis, non zelo vindictæ, sed amore justitiæ, conformans se æquitati divinæ. Vel orat, ut in præsenti sæculo castigentur, ne æternaliter condemnentur. Possent autem ista, dissipatio, fuga, defectio ac disperitio peccatorum, accipi in bono, videlicet ut oremus in eis dissipari, fugari, deficere atque perire, non naturam aut gratiam, sed malitiam. Unusquisque vero tentatus, ver-
D sus istos dicere potest pro dissipatione, expulsione atque victoria dæmonum, scilicet ut Deus ad auxilium suum exsurgat, sicque virtute gratiæ Dei dæmones tentatores dissipentur, fugiant, deficiant, pereant.

(5) *Et justi epulentur et exsultent in* 4
conspectu Dei, et delectentur in lætitia. Hoc ad litteram accipi potest de sanctis Apostolis ac primitiva Ecclesia in Jerusalem primo collecta. De quibus scribitur in Actis Apostolorum : Erant perseveran- *Act.* ii, 42.
tes in doctrina et communicatione fractio-

Digitized by Google

Act. II, 44. nis panis; et iterum : Omnes qui credebant, erant pariter, et erant illis omnia Ibid. 46. communia; et sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis.

Generaliter vero exponi potest hoc modo : *Et justi epulentur,* nunc per fidem Eccli. XV, 3. contemplatione divina, reficianturque pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris, id est caritate et gratia ac donis Spiritus Sancti, præcipue autem Sacramento corporis et sanguinis Christi. In fu-Luc. XIV, 15. turo quoque epulentur cum angelis, manducantes panem in regno Dei, id est, ipsa superbeatissima Deitate, quæ est omnium Beatorum refectio, beatifice perfruentes. De hac enim epulatione spirituali ait Sa-Cant. V, 1. lomon in Canticis : Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. Et Filius Luc. XXII, 29, 30. Dei ait ad suos : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. *Et exsultent in conspectu Dei,* id est, justi gaudeant coram II Cor. X, 17. Deo : sicut Apostolus dicit, Qui gloriatur, in Domino glorietur. In præsenti enim vita coram Deo, seu in conspectu divino exsultare, est de his et in his lætari, quæ Deo sunt placita, atque se ipsum coram Deo statuere, et in serenitate sanctæ conscientiæ de actibus virtuosis ac divino honore gaudere. In patria enim Sancti exsultant in conspectu Dei, id est de ipsa I Joann. III, 2. visione divinæ essentiæ, quoniam vident eum sicuti est. Propter quod dictum est Ps. XV, 11. supra : Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. *Et delectentur in lætitia,* quam Deus præstitit eis. Unde de Christianis primi-Act. XV, 31. tivæ Ecclesiæ scriptum est : Gavisi sunt super consolatione. Intellectuales namque potentiæ, scilicet ratio et voluntas, reflectuntur super proprium actum : et ita mens ipsa delectari potest de sua lætitia.

5 (4) *Cantate Deo,* corde ac vocibus eum laudando; *psalmum,* id est verba ac laudem psalmorum, *dicite nomini ejus :* quia in psalmis Deus pulcherrime collaudatur. Vel : Psalmum, id est bonam operationem, dicite nomini ejus, non solum verbis, sed etiam actibus eum prædicando, prout Christus hortatus est : Videant, inquiens, Matth. V, 16. bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Non enim oblivioni tradendum est, quod liber iste idcirco Psalterium nuncupatur, quoniam David in instrumento quod psalterium dicitur, psalmos decantare solebat, ore canens et manibus ludens, sicut nunc agit Ecclesia in organis. Psalmus vero proprie dicebatur ipse sonus seu modulatio instrumenti, quod psalterium dictum est : ideoque cantica hujus libri, psalmi vocantur, quia cum tali modulamine canebantur. Hinc ergo per psalterium intelligi potest operatio bona ad laudem Dei exhibita, vel ipsa laus Deo impensa.

Iter facite ei qui ascendit super occasum, id est, viam Christo parate, qua veniat habitaturus in cordibus vestris, quia deliciæ ejus sunt esse cum filiis hominum. Prov. VIII, 31. Quid utique est Deo iter facere, nisi se ipsum pro posse ad gratiam Dei disponere, obicem removere, propositum peccandi abjiciendo, de præteritis malis dolendo, atque ad obediendum divinis præceptis se extendendo? Hinc enim Joannes Baptista ait allegans verba Isaiæ : Parate viam Do- Luc. III, 4; Is. XL, 3. mini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Itaque iter Deo parare, aliud nihil est nisi quod jubet Amos propheta, Præparare in occursum Dei tui, Israel. Iter Amos IV, 12. igitur facite ei qui ascendit super occasum, id est Christo, qui omnem mortalitatem, passibilitatem ac defectibilitatem in resurrectione transcendit, quoniam, teste Apostolo, Christus resurgens ex mortuis, Rom. VI, 9. jam non moritur. Verumtamen diligenter advertere congruit, quod loco ejus quod hic dicitur, Super occasum, Hebraica veritas habet, Arabot, quod secundum Hebræos est nomen proprium unius de septem cœlis. Et ergo secundum eos, ista est vera littera : Iter facite ei qui ascendit in cœlum : quod proprie competit Christo, qui in cœlum empyreum gloriose ascendit, quod sine additamento antonomastice cœlum vocatur. Ad idem quoque reduci potest quod dicitur, Super occasum. Ju-

Digitized by Google

dæi enim versus occidentem adorabant, A
quatenus a gentilibus distinguerentur, qui
omnes versus orientem orabant ad reve-
rentiam solis : et ita per hoc quod Chri-
stus asseritur ascendisse super occasum,
datur intelligi quod ascendit super locum
adorationis humanæ, ad locum habitatio-
nis angelicæ, scilicet in cœlum empyreum.

Dominus nomen illi. Per hoc Propheta
demonstrat Christum esse verum Deum,
quoniam Dominus est nomen proprium
Is. XLII, 8. Deo, juxta illud : Ego Dominus, hoc est
Amos V, 8. nomen meum ; et illud, Qui vocat aquas, B
et effundit eas super faciem terræ, Domi-
nus nomen illi. Quamvis enim hoc no-
men, Dominus, conveniat aliis secundum
participationem et imperfecte, tamen Deo
est proprium ratione propriæ naturæ, et
secundum plenitudinem universalem, quo-
Esther XIII, 9. niam in ditione ejus cuncta sunt posita.
Is. XLV, 18. Unde in Isaia ait : Ego Dominus, et non
est alius. Christo quoque secundum hu-
manam naturam convenit, esse omnium
dominatorem ac Dominum, secundum quod
Joann. III, 35. ipse ait : Pater diligit Filium, et omnia C
Matth. dedit in manu ejus ; et alibi, Data est mihi
XXVIII, 18. omnis potestas in cœlo et in terra. Sed
hoc dominium competit sibi, ut homo est,
non per naturam, sed per gratiam.

(5) *Exsultate in conspectu ejus.* Hoc est
quod superius dixit, Justi epulentur et ex-
sultent in conspectu Dei. *Turbabuntur a*
6 *facie ejus, patris orphanorum et judicis*
viduarum, id est, infideles Judæi et omnes
perversi turbabuntur ab adspectu seu ul-
tione Christi, qui est pater orphanorum et
judex viduarum. Judæi enim turbabantur, D
quando a Romanis vastabantur. In extre-
mo quoque judicio omnes maligni turban-
di sunt, sicut in libro Sapientiæ scriptum
Sap. V, 2, 3. est : Videntes turbabuntur timore horri-
bili, gementes præ angustia spiritus.

(6) *Deus in loco sancto suo.* Locus san-
ctus, in quo Deus esse et habitare cense-
tur, est anima pura, quemadmodum scri-
Ibid. VII, 27. ptum est, Anima justi sedes est Sapientiæ ;
vel cœlum empyreum, in quo Divinitas
eminentius operatur, clariusque refulget :
propter quod apud Isaiam dicitur, Cœlum *Is.* LXVI, 1.
mihi sedes est ; vel ipsa Ecclesia militans
ac triumphans, quarum utraque appella-
tur templum, domus et locus Dei : unde
et alibi, Dominus in templo sancto suo ; et *Ps.* X, 5.
rursus Dominus protestatur, Ubi sunt duo *Matth.*
vel tres congregati in nomine meo, ibi XVIII, 20.
sum in medio eorum. *Deus qui inhabitare* 7
facit unius moris in domo. Per hanc do-
mum intelligi potest Ecclesia militans, et
quælibet congregatio devota, vel ipsum
habitaculum devotorum. Deus namque per
fidem, caritatem, et gratiam efficit servos
suos unius voluntatis, ejusdemque ritus et
consuetudinis. Unde in Actis Apostolorum
legitur de primitiva Ecclesia : Multitudi- *Act.* IV, 32.
nis credentium erat cor unum et anima
una. Propter quod ait Apostolus : Obsecro *I Cor.* I, 10.
vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu
Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non
sint in vobis schismata. Multum ergo vi-
tandum est vitium singularitatis, præser-
tim in claustralibus, quibus una præfixa
est regula. Verumtamen, quoniam (teste
Apostolo) unusquisque in suo sensu abun- *Rom.* XIV, 5.
dat, non potest esse perfecta conformitas
morum in omnibus in vita præsenti, sicut
nec perfecta caritas aut gratia. Sed quanto
caritas et gratia fuerint ampliores, tanto
laudabilium morum major erit conformi-
tas : ideo quod ait, Qui inhabitare facit
unius moris in domo, præcipue verum est
de civibus triumphantis Ecclesiæ, quia in
eis summa concordia est, plena conformi-
tas, gratia consummata, caritasque per-
fecta.

(7) *Qui,* scilicet Christus, *educit vinctos,*
id est patres et justos omnes antiqui tem-
poris in limbo olim detentos, *in fortitudine*
propria divina. Christus enim statim post
resurrectionem, de limbo patrum eduxit
sanctos in eo captivos, ut Zacharias ad
Christum loquens, ait : Tu quoque in san- *Zach.* IX,
guine testamenti tui, emisisti vinctos tuos 11.
de lacu in quo non est aqua. Sed quia de
ista eductione infra clarius scribitur, ideo
verba prædicta convenientius aliter expo-
nuntur, hoc modo : *Qui educit vinctos,* id

Digitized by Google

est peccatores, vinculis vitiorum irretitos, et dæmonum jugo subjectos, *in fortitudine* sua omnipotenti atque divina. Nam peccata relaxare, gratiam impertiri, et impium justificare, Deo est proprium : estque majus et fortius opus, impium justificare, quam cœlum et terram creare, secundum Augustinum. Hos vinctos Christus educit de morte ad vitam, de culpa ad gratiam, de statu damnationis ad salutem.

Similiter eos qui exasperant : id est, illos quoque Deus educit juxta modum expositum, qui non solum peccant, sed etiam fidem impugnant, Deo rebelles sunt, et eum exasperant : qualis erat Saulus, quem
Act. IX, 4. allocutus est Christus : Saule, Saule, inquiens, quid me persequeris? *Qui habitant in sepulcris.* Exasperatores enim divinæ majestatis habitant in sepulcris, id est in pessima consuetudine, in profundissimo miseriæ lacu, sub gravi sarcina habitus vitiosi. Quibus convenit illud Pro-
Prov. XVIII, 3. verbiorum : Impius quum in profundum venerit peccatorum, contemnit. In talium ergo eductione seu conversione major refulget divina potentia, quam in justificatione peccatoris non indurati, nec in vitiis habituati. Quidam vero satis convenienter distinguunt hoc quod dicitur, Similiter eos qui exasperant, ab eo quod subditur, Qui habitant in sepulcris, ita quod non solum Deus educit habituatos in vitiis, sed etiam in mortali peccato defunctos, resuscitans illos ad vitam naturalem ac meritoriam, ut patet de juvene quem suscitavit Joannes evangelista, de mortuo quoque qui se ipsum suspendit, quem suscitavit B. Martinus : et in hoc maxime declaratur omnipotentia Creatoris.

Consequenter ponit Propheta exemplum, vel potius argumentum ab exemplo acce-
8 ptum. (8) *Deus, quum egredereris in conspectu populi tui,* educendo filios Israel ex Ægypto; *quum pertransires in deserto,* perducendo eos ad montem Sinai. Dicitur autem Deus egredi et pertransire, non locum mutando, quum ipse incircumscriptibilis incommutabilisque consistat ; sed

A quia in die ostendebat populo suo viam *Exod.* XIII, 21.
per columnam nubis, et in nocte per columnam ignis. Secundo, ratione protectionis et providentiæ, qua misericorditer eos defendit et gratiose providit. Hinc enim Moyses ait ad Dominum : Si non tu ipse *Ibid.* XXXIII, 15.
præcedas nos, ne educas nos de loco isto. Tertio dicitur Deus tunc egressus, et pertransisse in conspectu populi sui, quoniam nuntius ejus, videlicet angelus ex persona Dei apparens et loquens, eos præcessit, secundum quod Moysi dixit Dominus : Ec- *Ibid.* XXIII, 20.
B ce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi. (9) *Terra mota est.* 9
Tunc enim mons Sinai videbatur moveri *Ibid.* XIX, 18.
ac tremere. Vel, Terra mota est, id est, habitantes in terra, hominesque terreni commoti sunt, ut in Exodo legitur : Tunc *Ibid.* XV, 15.
conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor. *Etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel :* id est, cœli aerii tunc pluviam emiserunt a præsentia Dei, apparentis per
C creaturam subjectam in monte Sinai, et a præsentia Dei Israel, id est populi ex Jacob progeniti. Tunc namque nubes den- *Ibid.* XIX, 16.
sissima operuit montem Sinai, et ex nube illa pluvia emanabat : et manna de cœlo *Ibid.* XVI, 14.
per modum stillicidiorum descendit.

Denique ista mystice exponi possunt, hoc modo : *Deus,* Dei Unigenite, *quum egredereris* de secretissimo sinu Dei Patris, apparendo in mundo per carnem assumptam, egrediens *in conspectu populi tui,* scilicet Apostolorum ac aliorum cre-
D dentium, inter quos conversari dignatus es ; *quum pertransires in deserto,* id est in mundo vitiis pleno, et bonis derelicto ; vel, In deserto, mittendo Apostolos ad gentilitatem olim desertam ac sterilem. *Terra mota est :* id est, homines terreni et peccatores, ad fidem pœnitentiamque conversi sunt; *etenim cœli,* id est sancti Apostoli, *distillaverunt* aquam sapientiæ salutaris, et pluviam gratiæ cœlestis, *a facie Dei Sinai,* id est a gratiosa præsentia Dei, qui legem dedit in monte Sinai. Hoc modo

Digitized by Google

Apostoli prædicatoresque sancti irrigaverunt ad fidem conversos. Propter quod I Cor. III, 6. Apostolus loquitur : Ego plantavi, Apollo rigavit.

Ex primo autem et litterali sensu horum duorum versuum Propheta concludit, dicendo :
10 (10) *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hereditati tuæ.* Quasi dicat : Si tu tantam gratiam contulisti Israelitis in deserto et monte Sinai, dando eis manna et legem per descensum angeli in montem Sinai ; tunc utique multo amplius gratiam magnam dabis populo tuo per ascensionem tuam in cœlum. Ait ergo : *Pluviam voluntariam,* id est rorem gratiæ tuæ, fluenta doctrinæ, irrigationesque varias Spiritus Sancti gratis ac sponte infusas, *segregabis,* id est, seorsum ac specialiter dabis, *hereditati tuæ,* id est populo christiano electo, quem proprio sanguine liberasti. Hoc Christus in die Pentecostes et interim sæpe fecit. *Et infirmata est :* id est, Ecclesia quæ est hereditas tua, ex se ipsa sibi sufficiens non fuit, nec per naturam salvari aut aliquid promereri valebat. I Cor. III, 5. Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ideo subdit : *tu vero perfecisti eam,* conferendo ei per gratiam, quod non habuit per naturam. Hinc namque Christus post resurrectionem dixit Luc. XXIV, 9. discipulis : Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto. Ad litteram quoque Ecclesia Dei sæpe infirmata est, re- Matth. XXIV, 12. frigescente caritate multorum, et propter varias persecutiones tyrannorum. Deus vero perficit eam, gratiam renovando, et adversarios auferendo.

11 (11) *Animalia tua,* id est populi christiani, qui sunt oves tuæ, *habitabunt in ea,* id est in Ecclesia, per fidem et obedientiam manendo in ecclesiastica unitate. *Parasti in dulcedine tua,* id est dulci bonitate ac pia clementia tua, *pauperi, Deus,* id est populo christiano pauperi spiritu, qui in primitiva Ecclesia pauper erat atque abjectus : huic populo parasti temporalia bo- Ibid. VI, 33. na ad sufficientiam, juxta illud, Primum A quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Parasti etiam ei cibum ac potum superdignissimum, corpus tuum ac sanguinem, sub sacramentalibus formis contentum. Sed et gratiam, consolationem internam, omniumque divinorum charismatum abundantiam nobis parasti, quibus promisisti : Quodcumque Joann. XIV, 13. petieritis (inquiens) Patrem in nomine meo, hoc faciam. (12) *Dominus dabit verbum,* id est sermonem promptum atque 12 prudentiam, *evangelizantibus virtute mul-* B *ta,* id est sanctis Apostolis et eorum sequacibus, qui potenter prædicaverunt, confirmando doctrinam miraculis atque effusione proprii sanguinis. Illis enim in Evangelio Christus ait : Ego dabo vobis os et sapien- Luc. XXI, 15. tiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

(13) *Rex virtutum dilecti dilecti.* Versus 13 iste intricatus est atque obscurus. Interdum vero una translatio aliam exponit, et ita utile fuit plures fieri translationes. Translatio autem Hieronymi juxta Hebræ- C um, sic habet : Reges exercituum fœderabuntur. Nam per Apostolorum doctrinam, in Christi amore, fide et cultu unanimes facti sunt multi reges, principes, nobiles et potentes. Sic ergo nunc dicitur : *Rex virtutum,* id est reges fortes, accipiendo singulare pro plurali, ut in Exodo Dominus ait ad Pharaonem : Adhuc retines fi- Exod. IV, 23. lium meum (id est filios Israel)? Sic ergo, Reges fortes, supplendum est, facti sunt, *dilecti,* id est amici, *dilecti,* id est Jesu Christi, de quo ait Pater : Hic est Filius Matth. III, 17. D meus dilectus. Vel sic : Rex virtutum, id est Deus Pater qui est rex angelorum, qui dicuntur virtutes cœlestes, et sunt dilecti, id est ipsius Christi, qui est Filius Dei carissimus. Omnes enim angeli sancti, sunt ipsius Christi, sicut servi sunt dominorum suorum. Unde Christus in Evangelio de se ipso asserit : Mittet Filius hominis angelos Ibid. XIII, 41. suos. Repetitur autem, Dilecti, et sequitur, *et speciei domus dividere spolia :* id est, Christus qui est Dei Patris dilectus, est etiam dilectus in quantum homo, et ele-

Digitized by Google

ctus dividere spolia, id est secundum diversos gradus ac status distinguere homines, quos ipse de ore inimici redemit, atque de morte eripuit, dando eis diversa munera gratiarum, quemadmodum Apo-
I Cor. xii, 28. stolus attestatur : Quosdam, inquiens, posuit in Ecclesia, primo Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores : et hoc fit speciei domus, id est ad ornamentum Ecclesiæ. Talis enim distinctio ecclesiasticarum personarum, cedit in ornamentum Ecclesiæ.

Deinceps alloquitur sanctus David fide-
14 les, dicendo : (14) *Si dormiatis inter medios cleros*, id est, si tranquilla conscientia quiescatis inter duas hereditates, seu inter duo genera bonorum divinitus concessorum, id est inter bona temporalia vitæ præsentis et bona spiritualia vitæ futuræ, sic transeundo per bona temporalia, ut non amittatis æterna; tunc *pennæ columbæ*, id est virtutes ac operationes Ecclesiæ, fiunt et sunt *deargentatæ*, id est puræ et immaculatæ, quando temporalia non appetuntur inordinate, sed solum prout necessaria sive utilia sunt ad adipiscenda bona cœlestia ; *et posteriora*, id est extrema opera, *dorsi ejus*, id est scapularum columbæ seu Ecclesiæ, super se portantis jugum Domini, *in pallore auri*, id est, terminabuntur in fervore caritatis perfectæ,
Ibid. xiii, 8. quæ designatur per aurum. Caritas enim non excidit, sed quæ nunc imperfecta est, in patria fit perfecta, dummodo quiescamus inter medios cleros, ut dictum est : quo-
Matth. x, 22. niam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Per cleros itaque intelliguntur hereditates, quoniam κλῆρος Græce, Latine dicitur sors : sortes autem ex divina promissione, partes hereditatis vocantur. Ecclesia quoque appellatur columba, propter innocentiam atque munditiam vitæ. Aurum vero caritatem significat, juxta
Apoc. iii, 18. illud : Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum.

15 (15) *Dum discernit cœlestis reges super eam*, id est, dum Christus, qui singulariter vocatur cœlestis, quippe de quo scriptum

A est, Qui de cœlo venit, super omnes est : Joann. iii, 31.
dum ergo iste rex cœlestis discernit, id est, discrete ac sapienter disponit, reges super eam, id est rectores, videlicet Apostolos et eorum imitatores, super Ecclesiam, destinando eos per totum mundum ad docendum omnes gentes; *nive deal-* Matth. xxviii, 19.
babuntur in Selmon, id est, super nivem purificabuntur fideles in umbra gratiæ Dei. Selmon enim uno modo est proprium nomen cujusdam montis; alio modo est nomen commune, obscuritatem signifi-
B cans, sicque accipitur modo, et potest designare gratiam viæ, quæ obscura est per comparationem ad gratiam patriæ. Vel potest ita intelligi : Nive dealbabuntur gentes, quæ ante conversionem ad fidem seu gratiam, erant in obscuritate ac tenebris.

Et quoniam fideles taliter mundabuntur, idcirco *mons Dei*, id est Ecclesia mi- 16
litans : de qua in Isaia dicitur, Erit præ- Is. ii, 2.
paratus mons domus Domini in vertice montium. Dicitur enim Ecclesia mons propter altitudinem gratiæ Dei, sublimitatem-
C que vitæ fidelium cœlestia contemplantium. Hic itaque mons Dei, est *mons pinguis*, id est spiritualibus bonis abundans, ex infusione donorum Spiritus Sancti. Est quoque hic, (16) *Mons coagulatus*, id est per modum casei ex diversis personis compactus, videlicet ex simplicibus, pauperibus, et abjectis collectus ; *mons pinguis :* quoniam multas elegantes personas intra se habet, sicut sunt viri orthodoxi, id est gloriose fideles, alios verbo atque exemplo spiritualiter impinguantes. Quum
D ergo sit una Ecclesia, extra quam nullus salvatur, sicut nec extra arcam Noe ali- I Petr. iii, 20.
quis salvabatur, *ut quid suspicamini mon-* 17
tes coagulatos ? id est, cur æstimatis esse separatas ecclesias, seu loca salutis extra catholicam apostolicamque Ecclesiam? Quæ est (17) *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. Hic enim mons est congregatio electorum, de quibus increata Sapientia in Proverbiis ait : Deliciæ meæ, Prov. viii, 31.
esse cum filiis hominum; et in Apocalypsi, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et Apoc. xxi, 3.

Digitized by Google

habitabit cum eis. *Etenim Dominus habitabit in finem :* non ad horam, seu modicum temporis, sed usque ad finem sæculi, imo in sempiternum habitabit cum Ecclesia electorum, habitando in eis per fidem et gratiam, quemadmodum Christus promisit : Ecce, inquiens, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. (*Matth.* xxviii, 20.)

18 (18) *Currus Dei decem millibus multiplex.* Versus iste primo de angelis sanctis exponitur. Invitat enim Propheta angelos ad exhibendum Christo ascendenti consortium, quoniam ad magnificentiam regis pertinet comitantium multitudo, juxta illud : In multitudine populi, dignitas regis; in paucitate vero plebis, ignominia principis. (*Prov.* xiv, 28.) Præmittit autem Propheta ad suum propositum quoddam exemplum de multitudine angelorum adsistentium in datione legis Mosaicæ, secundum quod in Deuteronomio scribitur : Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia, haud dubium quin angelorum sanctorum. (*Deut.* xxxiii, 2.) Ait ergo : *Currus Dei,* id est numerus angelorum Deum in se recipientium, deferentium, atque ad humanas mentes Dei notitiam circumducentium, *decem millibus multiplex,* id est, decem millia angelorum intra se comprehendit : non quod hic exprimatur certus numerus angelorum sanctorum; sed ponitur finitum pro infinito, seu determinatum pro indeterminato. Nam per millenarium, qui est numerus perfectionis, decies repetitum, insinuatur inæstimabilis multitudo angelorum sanctorum. Quemadmodum enim Dionysius docet, multitudo angelorum sanctorum omnem materialem atque sensibilem multitudinem incomparabiliter excedit. Et juxta hunc sensum apud Danielem scriptum est : Millia millium ministrabant ei. (*Dan.* vii, 10.) *Millia lætantium,* id est, multitudo angelorum in Deo gaudentium, indeterminata millia continet, prout Daniel subdit : Decies millies centena millia adsistebant ei. (*Ibidem.*) *Dominus in eis,* id est, associatus fuit

A ipsis, *in Sinai, in sancto,* id est in monte Sinai, qui est mons sanctus et locus sacratus. Angelus namque qui Moysi loquebatur, habebat Deum sibi adsistentem; omnesque angeli dationi legis adsistentes, Deum sibi præsidentem habebant, sicut Moyses ait : Omnes Sancti in manu ejus sunt. (*Deut.* xxxiii, 3.)

Ex his infert Propheta, quod major debuit esse multitudo angelorum associantium se Christo ascendenti, subjungens : (19) *Ascendisti,* o Christe, *in altum,* id est 19 in cœlum empyreum; *cepisti captivitatem,* id est, in limbo detentos et captos, B atque in purgatorio sufficienter mundatos eripuisti antequam ascendebas, eosque tecum ducebas; *accepisti dona in hominibus :* id est, tu, Christe, prout homo es, accepisti a Deo Patre seu tota superfelicissima Trinitate, dona seu gratias conferendas hominibus. Hæc dona anima Christi accepit a primo suæ creationis instanti, quia Christus semper plenus fuit gratia et veritate, et de plenitudine ejus omnes accepimus. (*Joann.* i, 14, 16.) Erat enim in Christo non solum C gratia personalis unionis, gratia quoque beatæ fruitionis, sed etiam gratia capitis, per quam ipse omnibus suis membris, seu toti Ecclesiæ influere potest, et omnes ditare, quemadmodum post resurrectionem dixit, Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : (*Matth.* xxviii, 18.) non quod tunc primo sibi præstita fuit ista potestas, sed quia ex tunc cœpit innotescere omnia esse Christo subjecta. Sic nunc ait Propheta de Christo, Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus : non quod in ascensione primo D accepit charismata gratiarum hominibus distribuenda, sed quia ex tunc evidentissime cœpit patere Christum omni beatitudine ac plenitudine Spiritus Sancti esse impletum. Unde in signum perfectæ glorificationis Christi, datus est Spiritus Sanctus post ascensionem in signo visibili. (*Act.* ii, 1-4.) Propter quod apud Joannem scriptum est : Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. (*Joann.* vii, 39.) (20) *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum :* id est, tu, Christe, accepisti hoc donum, vi-

delicet non credentes, id est infideles, inhabitare Dominum. Christo enim merito suæ passionis est datum, ut per eum infideles converterentur ad fidem, sicque in illis habitaret Deus, in quibus ante inhabitabat diabolus.

Porro Apostolus scripturam istam allegans, sensum magis quam verba inducit. Ephes. IV, 8. Ait enim : Propter quod dicit : Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Solent namque Christus et Evangelistæ atque Apostoli in allegatione Scripturarum veteris Testamenti, magis sententiam quam verba commemorare. Nec mirum, quoniam mentem Prophetarum clarissime cognoverunt, et eam magis quam verba attenderunt.

Constat ergo ex præinductis, quod hoc loco nomine currus seu curruum, intelliguntur deiferi angeli, qui et sedes Dei dicuntur. Et ita accipiuntur currus, ubi Dominus ait ad Synagogam seu viros Is- Is. LXVI, 19, 20. raelitas : Mittam ex eis qui salvati fuerint, in Africam et Lydiam, in Italiam et Græciam; et adducent omnes fratres vestros in equis et quadrigis, in lecticis et mulis. Hæc namque vehicula spiritualiter exponenda sunt, quia intelliguntur per ea sanctorum angelorum ministeria, quibus cooperabantur Apostolis in Judæorum ac gentium conversione.

Secundo autem exponitur quod dictum est, Currus Dei decem millibus multiplex, de sanctis hominibus. Superius namque dixit, Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo : et hunc montem nominat currum, quia fideles Deum intra se portant, I Cor. VI, 20. sicut ait Apostolus, Glorificate et portate Deum in corpore vestro; vel ideo, quoniam Deus eos dirigit, sicut auriga di- IV Reg. II, 12. rigit currum. Unde Eliseus vocat Eliam currum Israel et aurigam ejus. Nam sicut pastor gregem suum portat ac dirigit, sic Elias filios Israel portavit atque direxit. Simili quoque modo rex Israel Eliseo mo- Ibid. XIII, 14. rituro dixit : Pater mi, currus Israel et auriga ejus. Itaque, *Currus Dei*, id est po- A pulus fidelis, *decem millibus multiplex*, id est ex innumerabilibus populis, linguis ac tribubus constans et congregatus : nam ex omni genere hominum collecta est Christi Ecclesia. Maxime vero per currum Dei, intelliguntur Apostoli et successores eorum, qui nomen Salvatoris per totum Ps. XVIII, 5. mundum vehebant, sicut de Paulo ait Salvator : Vas electionis est mihi iste, ut por- Act. IX, 15. tet nomen meum coram regibus et gentibus et filiis Israel. Et hic currus est decem millibus multiplex, id est per innumera- B bilia credentium millia multiplicatus. Dicitur enim aliquis multiplicari, per multiplicationem eorum quos vel spiritualiter vel carnaliter generat. Unde Dominus ait ad Jacob : Augebo et multiplicabo te. Gen. XLVIII, 4. *Millia lætantium*, id est, multa et innumerabilia sunt millia fidelium hominum, qui in præsenti sæculo gloriantur in Domino, ex contemplatione bonitatis beneficiorumque ejus, ex spe quoque futurorum bonorum, et de omni spirituali profectu proximorum. *Dominus in eis*. Nam per caritatem C et gratiam demoratur in ipsis : et hoc, *in Sinai*, id est in mandato seu observatione mandati in Sinai præstiti. Sinai enim interpretatur mandatum. *In sancto*, quia mandatum sanctum est; vel, In sancto, Rom. VII, 12. quoniam sanctitas est ratio propter quam Deus in nobis manet. In illis enim Deus est, manet et habitat, qui suis mandatis obediunt, prout asserit Christus : Si quis Joann. XIV, 23. diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

D *Ascendisti*, Domine Jesu, *in altum*, quemadmodum de te in Actis dicitur : Videntibus illis, elevatus est, et nubes Act. I, 9. suscepit eum ab oculis eorum; et alio in loco, Elevatis manibus, benedixit eis, et Luc. XXIV, 50, 51. ferebatur in cœlum. *Cepisti captivitatem*, id est, totum mundum, quantum in te est, eruisti de manu diaboli, qui eum propter reatum peccati tenebat captivum; sed a te ejectus est foras, qui ais : Ego si exaltatus Joann. XII, 32. fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXII

PROSECUTIO EXPLANATIONIS PSALMI PRÆSENTIS.

20 (21) BENEDICTUS *Dominus die quotidie.* A Hic agit Propheta de profectu Ecclesiæ. Tanquam dicat : Laudatus sit Deus, et glorificetur ab omnibus de die in diem, propter prædicta beneficia nobis collata, et item propter beneficia conferenda. Nam *prosperum iter faciet nobis :* id est, beatam atque securam viam veniendi ad vitam æternam nobis ostendet, illuminando corda nostra, et dirigendo opera nostra in ultimum finem, quemadmodum ipse ait:
Ezech. xxxvi, 27. Faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini. Non B enim potest homo rectam viam incedere sine gratia duce. Propter quod Salomon
Prov. xvi, 9. ait : Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus ejus. Unde Apo-
II Thess. iii, 5; Philipp. iv, 7; I Thess. v, 23. stolus etiam deprecatur : Ipse Deus dirigat corda vestra et intelligentias vestras, ut integer spiritus vester servetur in adventu Domini nostri Jesu Christi. Itaque, Prosperum iter faciet nobis *Deus salutarium nostrorum,* id est auctor et finis sal-
Matth. v, 3-10. vationum seu beatitudinum nostrarum. Octo sunt enim beatitudines, quas enumerat C Christus apud Matthæum ; totque nobis salvationes largitur, a quantis peccatis atque periculis nos salvare dignatur : et omnis nostra salus ab ipso dependet. Ideo sequitur :

21 (22) *Deus noster,* scilicet Christus Jesus, seu Trinitas sancta, est *Deus salvos faciendi,* id est salvandi. Ideo namque in Evan-
Joann. iii, 17. gelio loquitur : Non venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et Deo proprium est sal-
Osee xiii, 4. vare, juxta illud : Ego Dominus, et salva- D tor non est præter me. Dicitur etiam, Deus
I Tim. ii, 4. noster, Deus salvos faciendi, quoniam omnes homines vult salvari, et ad veritatis notitiam pervenire, quemadmodum etiam in libro Tobiæ dicitur : Non delectaris in perditionibus nostris. Et in Evangelio ait Salvator : Non est voluntas ante Patrem ut pereat unus ex pusillis istis. *Et Domini Domini exitus mortis.* Bis ponitur, Domini, propter expressionem majorem ; et est sensus : Exitus mortis, id est egressus de morte, videlicet liberatio a morte peccati atque gehennæ, est Domini sicut auctoris, justificatoris et redemptoris, quoniam ipse solus peccata dimittit, et pœnas æternas relaxat, gratiamque infundit. Vel per hoc quod ait, Et Domini Domini exitus mortis, dubitationem quamdam absolvit. Posset namque quis dicere, Si Deus est Deus salvandi, cur igitur morimur ? Ad quod respondet, hoc mirum non esse, quia et ipsius Domini, scilicet Jesu Christi, est exitus mortis, quoniam ipse per mortem hunc mundum exivit, et amarissimam mortem sustinuit. Dicitur ergo Deus, Deus salvos faciendi, quia a morte culpæ seu animæ eripit, atque a mortalitate corporis in die novissimo liberabit, quando mortale hoc induet immortalitatem. Propterea per Osee, De manu, inquit, mortis liberabo eos, de morte redimam eos.
[Tob. iii, 22. Matth. xviii, 14. Marc. ii, 7. I Cor. xv, 54. Osee xiii, 14.]

22 (23) *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum,* etc. Sequendo pro viribus sensum litteralem, quæ sequuntur sic exponenda sunt : *Verumtamen,* id est, quamvis Deus sit Deus salvandi, quantum in se est, non tamen salvat omnes, propter eorum malitiam, sed *confringet capita,* id est principales et capitaneos, *inimicorum suorum,* videlicet principes sacerdotum. Hos Deus confregit, omne spirituale esse ab eis tollendo, eosque excæcando et in æternum damnando. *Verticem capilli per-*

Digitized by Google

ambulantium in delictis suis: id est, Deus A confringet et destruet per exercitum Romanorum civitatem Jerusalem, quæ erat urbs perambulantium in delictis suis, id est habitatio Judæorum, qui Christum et
Matth. xxiii, 37. Prophetas atque Apostolos occiderunt, persecuti sunt, sicut ad eos Stephanus dixit :
Act. vii, 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Dicitur autem Jerusalem vertex capilli, id est vertex capillosus, quoniam propter turres ac muros eam cingentes, inexpugnabilis videbatur, sicut et vertex capillosus robustus est. Nihilo minus fuit B subversa, quemadmodum prædixerat Chri-
Luc. xix, 44. stus : Quia ad terram prosternent te, et non relinquent in te lapidem super lapidem.

23 (24) *Dixit Dominus : Ex Basan convertam.* Basan terra erat vicina Judææ ex uno latere; mare autem Mediterraneum ex alio latere Judææ vicinum. Vespasianus vero et Titus, ab Imperatore contra Judæam (cujus metropolis erat Jerusalem) missi, ex utroque loco seu latere contraxerunt exercitum ad devastandum Judæam. Est igitur C sensus : *Dixit Dominus,* quoniam ex divina ordinatione fiebat devastatio Jerusalem in ultionem sanguinis Christi : *Ex Basan,* id est ex illo loco, *convertam* exercitum versus Judæam. *Convertam in profundum maris,* id est, exercitum Romanorum dirigam ad mare, ut inde sibi auxilium capiant, sicque combinati in unum, Judæam
24 suppeditent. (25) *Ut intingatur pes tuus,* o habitator Jerusalem, seu pugnator Romane, *in sanguine* occisorum, quia tot millia occidebantur, quod in sanguine de- D fluente poterant ambulantium intingi pedes. *Lingua canum tuorum* etiam intingi valebat *ex inimicis ab ipso,* id est ab ipso sanguine ex inimicis Christi occisis manante, ita ut canes sanguinem bibere pos-
De bello Jud. lib. VI, cap. 9. sent ad satietatem. Nempe, ut Josephus scribit in libro de Judaico bello, a principio obsidionis usque ad finem, interfecti fuerunt decies centum millia.

Deinde ponit Propheta causam tantæ
25 dejectionis. (26) *Viderunt ingressus tuos, Deus :* id est, Judæi increduli et perversi viderunt opera tua, conversationem tuam atque miracula, Domine Jesu Christe, teque prædicantem audierunt; sed converti et credere contempserunt : idcirco vastari et opprimi meruerunt. Et hoc est quod in Evangelio affirmas : Si non venissem, et *Joann.* xv, 22.
locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent. Et rursus : Si opera non fecissem in *Ibid.* 24.
eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum gratis. Viderunt ergo *ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto,* id est Christi Unigeniti Dei Patris, qui est Deus meus et rex meus. Ecce in hoc versu apertissime declaratur incarnatio Dei et vera divinitas Christi.
(27) *Prævenerunt principes conjuncti psal-* 26
lentibus, id est principales inter Christianos, videlicet sancti Apostoli aut successores eorum, conjuncti mente et corpore aliis Christianis psallentibus seu Deum laudantibus, *in medio juvencularum tympanistriarum,* id est virginum devotarum. A principio namque Ecclesiæ erant virgines aliquæ Deo sacratæ : quæ dicuntur tympanistriæ, non quod utebantur materialibus tympanis, sed quoniam cum Apostolis insistebant laudibus Creatoris. Sic itaque principes conjuncti psallentibus in medio virginum, prævenerunt et evaserunt prædictam obsidionem Jerusalem. Nam, ut in ecclesiastica historia scribitur, ex admonitione angeli exierunt Jerusalem et Judæam, ingredientes regnum Agrippæ, quod erat confœderatum Romanis.

(28) *In ecclesiis,* id est congregationibus 27
vestris, o Christifideles, *benedicite Deo,* eum laudando, *Domino de fontibus Israel,* id est, ipsi Domino vestro benedicite, de Apostolis, id est propter gratiosum illud beneficium quod dedit Apostolis, atque per eos vobis. Illuminatio namque et gratia eis collata, salus est mundi. Appellantur autem Apostoli fontes Israel, quia ex eis suscepit Ecclesia rivos doctrinæ, originemque virtutis ac gratiæ : et sicut Chri-

Digitized by Google

Matth. v, 14. stus eis dixit, Vos estis lux mundi, sic di-
ci possunt fontes Ecclesiæ.
28 (29) *Ibi,* scilicet in Ecclesia, *Benjamin*
Rom. xi, 1. *adolescentulus,* id est Paulus de tribu Ben-
jamin natus, ut ipsemet ad Romanos fa-
tetur, qui juvenis ad Christum conversus
Act. vii-ix. est, scilicet statim post Stephani occisio-
nem. Vel dicitur adolescentulus, quoniam
ultimo, respectu aliorum Apostolorum, ve-
nit ad fidem. *In mentis excessu.* Nam erat
Ibid. ix, 9. in Damasco tribus diebus ac noctibus, nec
II Cor. xii, 4. manducans, nec bibens, utpote raptus us-
que ad tertium cœlum, in quo audivit ar-
cana verba : unde ab omni exercitio sen-
suum exteriorum fuit abstractus, præsertim
quum in raptu illo credatur vidisse divi-
nam essentiam. (30) *Principes Juda,* id est
quidam Apostolorum ex tribu Juda orti,
duces eorum, id est, duces ac principes
exstiterunt hominum ad Christi fidem con-
versorum. Sicut enim Christus secundum
Luc. i, 32. humanitatem de tribu Juda fuit, sic Joan-
nes et Jacobus major, itemque et Jacobus
minor, Simon et Judas filii sororum Virgi-
nis gloriosæ, de tribu Juda nati creduntur : et isti, tanquam Apostoli, duces fue-
runt Christianorum. *Principes Zabulon,* et
principes Nephthali, id est, nonnulli ex
tribu Zabulon Nephthalique exorti, duces
fuerunt populi christiani. Quemadmodum
Josue xix, 10-16, 32-39. namque habetur in libro Josue, tribus Za-
bulon et Nephthali sortes suas pro magna
parte acceperunt in Galilæa, ex qua multi
Apostolorum discipulorumque Christi fu-
erunt : propter quod Galilæi vocati sunt,
Act. i, 11. sicut angelus ad eos ait : Viri Galilæi, quid
admiramini ?

Deinde Propheta in persona primitivæ
29 Ecclesiæ loquens, precatur : (31) *Manda,*
Deus, virtuti tuæ, id est, potestati angeli-
cæ præcipe, ut nos protegat atque promo-
veat : non enim humana virtute resistere
Judæis aut prævalere valemus. Hanc ora-
tionem Deus exaudisse probatur ex multis
Ibid. xii, 1-10. locis Actuum Apostolorum. Angelus enim
Petrum de carcere liberavit. Et de prin-
Ibid. v, 18, 19. cipibus sacerdotum scriptum est : Posue-
runt Apostolos in custodia publica; ange-

A lus autem Domini per noctem aperiens
carcerem, eduxit eos. *Confirma hoc, Deus,*
quod operatus es in nobis, id est, doctrinam
apostolicam confirma miraculis, et corda
credentium Spiritu Sancto corrobora, Ec-
clesiamque augeri ac perfici præsta, ut
perficiatur opus fidei quod operatus es in
nobis, id est per nos, (32) *A templo tuo in* 30
Jerusalem : quia in templo illo Apostoli
publice prædicaverunt Christum resurre-
xisse ; vel, A templo tuo in Jerusalem, id
est a congregatione fidelium, qui primo in
B Jerusalem sunt collecti. Et est sensus :
Confirma opus fidei, quod inchoasti a tem-
plo prædicto, quatenus fides quæ ibi ince-
pit, per universum mundum discurrat. Hinc
enim primitiva Ecclesia : Domine, inquit, Act. iv, 29.
respice in minas eorum, videlicet Judæo-
rum, et da servis tuis cum omni fiducia
loqui verbum tuum. Et quum orassent, Ibid. 31.
motus est locus in quo erant ; et repleti
sunt omnes Spiritu Sancto, et loqueban-
tur verbum Dei cum magna fiducia. *Tibi*
offerent reges munera. Multi reges ad fi-
C dem conversi, non solum se ipsos Christo
obtulerunt, sed et munera copiosa dede-
runt, ad sustentationem indigentium et
ædificationem ecclesiarum.

Insuper orat Propheta pro dejectione ad-
versariorum Ecclesiæ. (33) *Increpa,* Domi- 31
ne, dejice et castiga, *feras arundinis,* id
est crudeles tyrannos atque hæreticos, qui
omni vitio et vento doctrinæ circumferun- Ephes. iv, 14.
tur, tanquam arundo vento agitata : qui Matth. xi, 7.
feræ propter crudelitatem vocantur, tan-
quam dilaniatores animarum propriarum
D et aliorum. Hæ autem feræ præsertim fue-
runt Imperatores Romani, videlicet Nero,
Domitianus, Diocletianus, Decius, pluresque alii, qui fidem Christi penitus eradi-
care conati sunt. *Congregatio taurorum,* id
est multitudo seu grex principum superbo-
rum, et indomitorum hæreticorum, Deum
nequaquam timentium, demoratur et est
in vaccis populorum, id est inter homines
lascivos ac leves. Nam qualis princeps, Eccli. x, 2.
tales et ministri ejus ; et qualis magis-
ter, tales discipuli. Vel, In vaccis populo-

Digitized by Google

rum, id est inter homines ineruditos ac simplices, quos nituntur subvertere. Ideo sequitur, *ut excludant* a fide et regno Christi, *eos qui probati sunt argento,* id est divino eloquio eruditi, credendo et obediendo sermonibus Christi. Nomine namque argenti designatur sermo divinus, sic-
Ps. xi, 7. ut superius dictum est : Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.

(54) *Dissipa gentes quæ bella volunt :* id est, prædictos tyrannos et hæresiarchas, et omnes bonorum persecutores, qui Ecclesiæ Dei lites et inquietudines concitant, destrue, impediendo eorum effectum ab opere malo, et paci Ecclesiæ providendo. Hoc nunc impletum conspicimus, quoniam tyrannos et hæresiarchas sopitos videmus.
32 *Venient legati ex Ægypto.* Ad litteram, multi Ægyptiorum conversi, ad Christi Apostolos accesserunt in Jerusalem et in Romam, quatenus plenius instruerentur ab eis, sicut Dionysius scribit. Quidam vero exponunt istud de Philone, a quo liber Sapientiæ editus est : qui cum sociis suis ab Alexandria Ægypti missus est Romam ad Claudium imperatorem, et ibi cum beato Petro locutus est, et ei familiaris effectus. Unde Alexandriam rediens, Ecclesiam Marci evangelistæ discipuli sancti Petri, magnifice honoravit, atque de ejus præconiis librum conscripsit : quæ omnia in libro de Viris illustribus S. Hieronymus plenius enarravit. *Æthiopia præveniet manus ejus,* puta Ægypti, *Deo,* id est ad gloriam Dei. Nam prius ad fidem conversa est Æthiopia, quam Ægyptus, quoniam evangelista Matthæus filium regis Æthiopiæ defunctum suscitavit : quo facto, regem cum filio et filia magnaque populi parte convertit et baptizavit, ipsamque Æthiopiam ecclesiis adimplevit.

Deinceps hortatur Propheta totum mundum ad Christi ascendentis præconium.
33 (55) *Regna terræ,* id est populi omnium regnorum, *cantate Deo,* id est Christo, qui est universorum Creator, verusque Deus ac vita æterna ; *psallite Domino* Christo, omnium gubernatori ac principi. (56) *Psal-
lite Deo qui ascendit* quadragesimo die 34
post resurrectionem, *super cœlum cœli,* id est super summum cœlum cujuscumque cœli contentivum. Christus namque ascendit usque ad extremitatem cœli empyrei. *Ad orientem,* id est usque ad dexteram Patris, qui est supersplendidissimus Oriens, omniumque luminum orientale atque fontale principium ; vel, Ad orientem, id est ab oriente, videlicet a monte Oliveti, qui est in orientali parte juxta Jerusalem.

(57) *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis :* id est, Christus sermones suos, quibus se ascensurum prædixit, ad effectum potenter perducet : sicut enim per Prophetas et per se ipsum prædixit, ita effecit. Dat enim voci suæ vocem virtutis, qui verba sua opere complet. Idcirco, o omnes fi-
deles, *date gloriam Deo,* scilicet Christo 35
ascendenti, *super Israel,* id est propter beneficia Apostolis aliisque fidelibus præstita, qui erant veri Israelitæ. Gloria autem Joan. i, 47.
est clara cum laude notitia : propterea Deo gloriam dare, est nomen ipsius aliis notificare cum professione laudis divinæ, sicut dum aliquis bonitatem Dei aut beneficia ejus prædicat et extollit.

Magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus, id est, magna operatio Christi atque potentia ejus apparuerunt in nube, in qua ascendit coram discipulis, sicut in Actibus dicitur : Videntibus illis, elevatus Act. i, 9.
est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Interdum namque Scriptura ponit plurale pro singulari, et econverso : et ita nunc ponit, Nubibus, pro Nube. Et forte non solum erat nubes una ; sed sicut venturus est in nubibus, ita recessit in nubibus, præsertim quum in Actibus dicatur : Matth. xxiv, 30.
Quemadmodum vidistis eum ascendentem Act. i, 11.
in cœlum, sic veniet. Per nubes quoque intelligi possunt angeli sancti qui Christo ascendenti ministerium præbuerunt : in quibus magnificentia et virtus Christi relucebant, prout magnificentia et potestas regis relucet in dignitate et excellentia ministrorum, et quia duo angeli adstiterunt Apostolis, eisque magnificentiam et

Digitized by Google

virtutem Christi annuntiaverunt, dicendo : A
Act. I, 11. Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet. Unde Dionysius quintodecimo capitulo de Cœlesti hierarchia dicit, quod in divinis Scripturis per nubes frequenter intelligantur angeli sancti. Denique per nubes accipi possunt Apostoli :
Is. LX, 8. de quibus scriptum est, Qui sunt isti qui ut nubes volant? In his etenim nubibus refulgebant magnificentia Christi atque
Luc. XXI, 15. potentia, quando post ascensionem dedit eis os et sapientiam, cui non poterant resistere omnes inimici eorum, præsertim B
Act. II, 3, 4. quum misit eis in igneis linguis Spiritum Sanctum. Propter quod sequitur :

36 (38) *Mirabilis Deus in Sanctis suis :* quoniam mirabiliter magnificavit et exaltavit Apostolos et ceteros primitivæ Ecclesiæ filios, maxime illos centum viginti qui in die Pentecostes simul receperunt Spiritum Sanctum. In his itaque mirabilis fuit, quando in tantum confortavit corda
Matth. XXVI, 56. *Act.* IV, 33. eorum, ut qui passione instante omnes fugerunt, Spiritu Sancto recepto, eum publice prædicarent : eratque supermirabi- C le in principe Apostolorum, ut qui ante
Matth. XXVI, 69-72. passionem propter vocem ancillæ Christum negavit, post Spiritus Sancti adventum toti multitudini Judæorum intrepide
Act. III, 13-15. diceret : Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati; et petistis virum homicidam donari vobis, sanctum vero et justum negastis, et auctorem vitæ interfecistis. Sed hæc est
Ps. LXXVI, 11. mutatio dexteræ Excelsi. Ideo subditur : *Deus Israel ipse dabit virtutem et forti-* D *tudinem plebi suæ,* videlicet primitivæ Ecclesiæ. Dedit namque eis virtutem constanter loquendi, miracula faciendi, et irreprehensibiliter conversandi ; fortitudinem quoque cuncta adversa non solum æquanimiter, sed etiam exsultanter sustinendi, quemadmodum in Actibus scriptum
Act. V, 41. est : Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Propter tantorum gratiam beneficiorum Christifidelibus concessorum, sit in æternum *benedictus Deus,* cui pro donis suis nihil dignum rependere possumus, quoniam bonorum nostrorum non eget : *Ps.* XV, 2. præcipue quum omnia nostra bona ejus sint dona, quemadmodum David devotissime ait, Tua, Domine, sunt omnia, et quæ de *I Par.* XXIX, 14. manu tua accepimus, dedimus tibi. Sed hoc nobis incumbit, ut soli Deo honorem *I Tim.* I, 17. et gloriam impendamus, eum dignissime venerando, omneque bonum ipsi attribuendo, sicut et sanctus David fecit, dicendo : Nunc ergo, Deus noster, confitemur *I Par.* XXIX, 13, 11, 12. tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. Tua est, Domine, magnificentia et potestas et gloria atque victoria; tibi laus, tuæ divitiæ, tu dominaris omnium.

Sensus spiritualis. PORRO quæ dicta sunt ab illo loco, Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, spiritualius atque communius intelligi possunt hoc modo : *Verumtamen,* id 22
est, quamvis Deus sit Deus salvos faciendi, nihilo minus ipse conquassabit ac destruet *capita inimicorum suorum.* A parte totum significat, quemadmodum Philistæi dixerunt regi suo de David : Quomodo me- *I Reg.* XXIX, 4. lius poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? Est itaque sensus : Deus, vel in præsenti, vel saltem in futuro, inimicos suos confringet, ulciscendo peccata eorum, eosque nunc occidendo, aut postmodum condemnando. Vel sic : Deus confringet capita inimicorum suorum, id est, superbiam eorum humiliabit, deprimet et damnabit, juxta illud Isaiæ : Dies *Is.* II, 12. Domini super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. Et per alium Prophetam : Visitabo *Soph.* I, 9. super omnem qui arroganter ingreditur. Confringet etiam Deus *verticem capilli,* id est excellentiam cogitationis, *perambulantium in delictis suis,* id est perseverantium in peccatis. Unde alibi scriptum est : Væ *Mich.* II, 1. qui cogitatis inutile. Et Isaias ait : Incur- *Is.* II, 17. vabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. Sic ergo non solum superbiam actionum, sed etiam extollen-

Digitized by Google

rum, id est inter homines ineruditos ac
simplices, quos nituntur subvertere. Ideo
sequitur, *ut excludant* a fide et regno
Christi, *eos qui probati sunt argento,* id
est divino eloquio eruditi, credendo et obe-
diendo sermonibus Christi. Nomine nam-
que argenti designatur sermo divinus, sic-
Ps. xi, 7. ut superius dictum est : Eloquia Domini
eloquia casta, argentum igne examinatum.

(34) *Dissipa gentes quæ bella volunt :* id
est, prædictos tyrannos et hæresiarchas, et
omnes bonorum persecutores, qui Eccle-
siæ Dei lites et inquietudines concitant,
destrue, impediendo eorum effectum ab
opere malo, et paci Ecclesiæ providendo.
Hoc nunc impletum conspicimus, quoniam
tyrannos et hæresiarchas sopitos videmus.
32 *Venient legati ex Ægypto.* Ad litteram,
multi Ægyptiorum conversi, ad Christi
Apostolos accesserunt in Jerusalem et in
Romam, quatenus plenius instruerentur
ab eis, sicut Dionysius scribit. Quidam
vero exponunt istud de Philone, a quo li-
ber Sapientiæ editus est : qui cum sociis
suis ab Alexandria Ægypti missus est Ro-
mam ad Claudium imperatorem, et ibi
cum beato Petro locutus est, et ei famili-
aris effectus. Unde Alexandriam rediens,
Ecclesiam Marci evangelistæ discipuli san-
cti Petri, magnifice honoravit, atque de
ejus præconiis librum conscripsit : quæ
omnia in libro de Viris illustribus S. Hie-
ronymus plenius enarravit. *Æthiopia præ-
veniet manus ejus,* puta Ægypti, *Deo,* id
est ad gloriam Dei. Nam prius ad fidem
conversa est Æthiopia, quam Ægyptus,
quoniam evangelista Matthæus filium re-
gis Æthiopiæ defunctum suscitavit : quo
facto, regem cum filio et filia magnaque
populi parte convertit et baptizavit, ipsam-
que Æthiopiam ecclesiis adimplevit.

Deinceps hortatur Propheta totum mun-
dum ad Christi ascendentis præconium.
33 (35) *Regna terræ,* id est populi omnium
regnorum, *cantate Deo,* id est Christo, qui
est universorum Creator, verusque Deus
ac vita æterna; *psallite Domino* Christo,
omnium gubernatori ac principi. (36) *Psal-
lite Deo qui ascendit* quadragesimo die 34
post resurrectionem, *super cœlum cœli,* id
est super summum cœlum cujuscumque
cœli contentivum. Christus namque ascen-
dit usque ad extremitatem cœli empy-
rei. *Ad orientem,* id est usque ad dexte-
ram Patris, qui est supersplendidissimus
Oriens, omniumque luminum orientale at-
que fontale principium; vel, Ad orientem,
id est ab oriente, videlicet a monte Oliveti,
qui est in orientali parte juxta Jerusalem.

(37) *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis :*
id est, Christus sermones suos, quibus se
ascensurum prædixit, ad effectum poten-
ter perducet : sicut enim per Prophetas et
per se ipsum prædixit, ita effecit. Dat
enim voci suæ vocem virtutis, qui verba
sua opere complet. Idcirco, o omnes fi-
deles, *date gloriam Deo,* scilicet Christo 35
ascendenti, *super Israel,* id est propter be-
neficia Apostolis aliisque fidelibus præ-
stita, qui erant veri Israelitæ. Gloria autem *Joann.* i, 47.
est clara cum laude notitia : propterea
Deo gloriam dare, est nomen ipsius aliis
notificare cum professione laudis divinæ,
sicut dum aliquis bonitatem Dei aut be-
neficia ejus prædicat et extollit.

*Magnificentia ejus et virtus ejus in nu-
bibus,* id est, magna operatio Christi at-
que potentia ejus apparuerunt in nube, in
qua ascendit coram discipulis, sicut in
Actibus dicitur : Videntibus illis, elevatus *Act.* i, 9.
est, et nubes suscepit eum ab oculis eo-
rum. Interdum namque Scriptura ponit
plurale pro singulari, et econverso : et
ita nunc ponit, Nubibus, pro Nube. Et for-
te non solum erat nubes una; sed sicut
venturus est in nubibus, ita recessit in nu- *Matth.*
bibus, præsertim quum in Actibus dicatur : xxiv, 30.
Quemadmodum vidistis eum ascendentem *Act.* i, 11.
in cœlum, sic veniet. Per nubes quoque
intelligi possunt angeli sancti qui Christo
ascendenti ministerium præbuerunt : in
quibus magnificentia et virtus Christi re-
lucebant, prout magnificentia et potestas
regis relucet in dignitate et excellentia
ministrorum, et quia duo angeli adstite-
runt Apostolis, eisque magnificentiam et

Digitized by Google

virtutem Christi annuntiaverunt, dicendo : [Act. I, 11.] Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet. Unde Dionysius quintodecimo capitulo de Cœlesti hierarchia dicit, quod in divinis Scripturis per nubes frequenter intelligantur angeli sancti. Denique per nubes accipi possunt Apostoli : [Is. LX, 8.] de quibus scriptum est, Qui sunt isti qui ut nubes volant? In his etenim nubibus refulgebant magnificentia Christi atque [Luc. XXI, 15.] potentia, quando post ascensionem dedit eis os et sapientiam, cui non poterant resistere omnes inimici eorum, præsertim [Act. II, 3, 4.] quum misit eis in igneis linguis Spiritum Sanctum. Propter quod sequitur :

36 (38) *Mirabilis Deus in Sanctis suis :* quoniam mirabiliter magnificavit et exaltavit Apostolos et ceteros primitivæ Ecclesiæ filios, maxime illos centum viginti qui in die Pentecostes simul receperunt Spiritum Sanctum. In his itaque mirabilis fuit, quando in tantum confortavit corda [Matth. XXVI, 56. Act. IV, 33.] eorum, ut qui passione instante omnes fugerunt, Spiritu Sancto recepto, eum publice prædicarent : eratque supermirabile in principe Apostolorum, ut qui ante [Matth. XXVI, 69-72.] passionem propter vocem ancillæ Christum negavit, post Spiritus Sancti adventum toti multitudini Judæorum intrepide [Act. III, 13-15.] diceret : Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati; et petistis virum homicidam donari vobis, sanctum vero et justum negastis, et auctorem vitæ interfecistis. Sed hæc est [Ps. LXXVI, 11.] mutatio dexteræ Excelsi. Ideo subditur : *Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ,* videlicet primitivæ Ecclesiæ. Dedit namque eis virtutem constanter loquendi, miracula faciendi, et irreprehensibiliter conversandi ; fortitudinem quoque cuncta adversa non solum æquanimiter, sed etiam exsultanter sustinendi, quemadmodum in Actibus scriptum [Act. V, 41.] est : Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Propter tantorum gratiam beneficiorum A Christifidelibus concessorum, sit in æternum *benedictus Deus,* cui pro donis suis nihil dignum rependere possumus, quoniam bonorum nostrorum non eget : [Ps. XV, 2.] præcipue quum omnia nostra bona ejus sint dona, quemadmodum David devotissime ait, Tua, Domine, sunt omnia, et quæ de [I Par. XXIX, 14.] manu tua accepimus, dedimus tibi. Sed hoc nobis incumbit, ut soli Deo honorem [I Tim. I, 17.] et gloriam impendamus, eum dignissime venerando, omneque bonum ipsi attribuendo, sicut et sanctus David fecit, dicen- B do : Nunc ergo, Deus noster, confitemur [I Par. XXIX, 13, 11, 12.] tibi, et laudamus nomen tuum inclytum. Tua est, Domine, magnificentia et potestas et gloria atque victoria; tibi laus, tuæ divitiæ, tu dominaris omnium.

[Sensus spiritualis.] PORRO quæ dicta sunt ab illo loco, Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, spiritualius atque communius intelligi possunt hoc modo : *Verumtamen,* id 22 est, quamvis Deus sit Deus salvos faciendi, nihilo minus ipse conquassabit ac de- C struet *capita inimicorum suorum.* A parte totum significat, quemadmodum Philistæi dixerunt regi suo de David : Quomodo me- [I Reg. XXIX, 4.] lius poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? Est itaque sensus : Deus, vel in præsenti, vel saltem in futuro, inimicos suos confringet, ulciscendo peccata eorum, eosque nunc occidendo, aut postmodum condemnando. Vel sic : Deus confringet capita inimicorum suorum, id est, superbiam eorum humiliabit, deprimet et damnabit, juxta illud Isaiæ : Dies [Is. II, 12.] D Domini super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. Et per alium Prophetam : Visitabo [Soph. I, 9.] super omnem qui arroganter ingreditur. Confringet etiam Deus *verticem capilli,* id est excellentiam cogitationis, *perambulantium in delictis suis,* id est perseverantium in peccatis. Unde alibi scriptum est : Væ [Mich. II, 1.] qui cogitatis inutile. Et Isaias ait : Incur- [Is. II, 17.] vabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum. Sic ergo non solum superbiam actionum, sed etiam extollen-

Digitized by Google

tiam cogitationum Deus confringet, quem- A
Eccli. admodum Sapientia, Omnium, inquit, excel-
xxiv, 11. lentium et sublimium colla virtute propria
Job xv, 12, calcavi. Hinc et alia scriptura ait : Quid te
13. elevat cor tuum, et quasi magna cogitans
attonitos habes oculos ? Quid tumet contra
Deum spiritus tuus? Nomine autem capilli,
cogitatio designatur : quoniam sicut capil-
lus ex capite nascitur, et ei adhæret, sic
cogitatio procedit ex corde, et adhæret
eidem.

23 *Dixit Dominus,* id est, intra se immo-
biliter decrevit, atque per servos suos lo- B
Amos iii, 7. cutus est. Non enim faciet Dominus ver-
bum, nisi revelaverit secretum suum ad
servos suos Prophetas. *Ex Basan,* id est
ex immunditia vitæ et confusione peccati,
convertam peccatores, quatenus qui ante
turpiter et inordinate vixerunt, implere
I *Cor.* xiv, incipiant illud Apostoli : Omnia autem ho-
40. neste et secundum ordinem fiant in vobis.
Basan enim turpitudo seu confusio inter-
pretatur. *Convertam in profundum maris :*
id est, gratiam conversionis mittam in hoc
sæculum nequam, in corda obstinata, in C
gentilitatem olim fluctibus vitiorum sub-
I *Petr.* i, mersam. Propter quod Petrus ait : Re-
18, 19. dempti estis de vana vestra conversatione
paternæ traditionis pretioso sanguine qua-
si Agni immaculati. Et Paulus apertius
Act. xvii, loquens : Tempora, ait, prioris ignorantiæ
30. despiciens Deus, nunc annuntiat homini-
bus ut omnes ubique pœnitentiam agant.
Unde et ipse Salvator de se ipso fatetur :
Joann. iii, Non misit Deus Filium suum in mun-
17. dum ut judicet mundum, sed ut salvetur
mundus per ipsum. D

24 *Ut intingatur pes tuus in sanguine :* id
est, ad hoc Deus convertet te, o homo, ut
desiderium tuum, seu actio tua, effectum
et fructum sanguinis Christi consequa-
tur, ita ut merito passionis Christi salve-
ris, unitus, imo intinctus sanguine Christi
per fidem et caritatem. Unde ait Aposto-
Ephes. ii, lus : Vos qui eratis longe, facti estis pro-
13. pe in sanguine Christi. *Lingua canum
tuorum ex inimicis ab ipso :* id est, lingua
prædicatorum tuorum formata et sumpta
est ex infidelibus atque gentilibus ad fi-
dem conversis ; et hoc factum est ab ipso
omnium Salvatore Jesu Christo, cujus pie-
tate et gratia ex inimicis fiunt amici. Mul-
ti siquidem gentilium olim Christo con-
trarii, fide recepta, facti sunt prædicatores
fortissimi, ut sacratissimus Dionysius, Cle-
mens Papa, divinus Ignatius, magnus ille
Polycarpus. Tales autem dicuntur fuisse
inimici, secundum præsentem malitiam,
seu propriorum meritorum exigentiam ;
secundum vero prædestinationem æter-
nam, semper fuerunt amici, quia de ta-
libus loquitur Christus : Majorem hac *Joann.* xv,
dilectionem nemo habet, quam ut ani- 13.
mam suam ponat quis pro amicis suis. Et
Apostolus dicit : Quum adhuc inimici es- *Rom.* v, 10.
semus, reconciliati sumus Deo per mor-
tem Filii sui. Erant igitur amici et inimici
secundum diversos respectus.

Viderunt ingressus tuos, Deus : id est, 25
fideles per fidem consideraverunt conver-
sationem tuam, Domine Christe, suntque
secuti vestigia tua sanguinem effundendo,
vel se ipsos quotidie mortificando, abne-
gando, et crucem suam post te bajulando. *Luc.* ix, 23.
Viderunt etiam oculo contemplationis pu-
rissimæ ingressus tuos, id est incarnationem
qua mundum intrasti, ascensionem qua cœ-
lum introiisti, apparitiones quoque quibus *Joann.* xx,
post resurrectionem Apostolis apparendo, 19, 26.
ingressus es conclave ostiis clausis, atque
descensum ad inferos. *Prævenerunt,* id *Ephes.* iv,
est, in omni opere bono alios præcesserunt, 9.
principes, id est prælati Ecclesiæ, *conjun-* 26
cti psallentibus, id est ovibus sibi commis-
sis, Deum laudantibus, *in medio juvencu-
larum tympanistriarum,* id est animarum
devotarum : de quibus in Canticis dici-
tur, Adolescentularum non est numerus. *Cant.* vi, 7.
Dicuntur namque animæ Christo per fi-
dem et caritatem desponsatæ, juvenculæ,
propter spiritualem juventutem interioris
reformationis et gratiæ. De qua ait Apo-
stolus : Licet is qui foris est noster homo, II *Cor.* iv,
corrumpatur ; tamen is qui intus est, reno- 16.
vatur de die in diem. Dicuntur quoque
tympanistriæ, quoniam per labores pœni-

Digitized by Google

tentiæ et mortificationem carnis propriæ, A dulciter in auribus Dei sonant, eumque gratissime laudant, quemadmodum ipse Cant. II, 14. cuilibet animæ tali dicit : Sonet vox tua in auribus meis ; vox enim tua dulcis. Itaque, Prævenerunt principes conjuncti psallentibus : et hoc est quod omni prælato I Tim. IV, 12. ait Apostolus, Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate.

27 *In ecclesiis,* id est in congregationibus catholicorum virorum, non in conventiculis hæreticorum, schismaticorum aut malignorum, a quibus omnino fugiendum B est ; *benedicite Deo Domino de fontibus Israel,* id est propter fontes Israel, utpote propter gratiam doctoribus atque pastoribus Ecclesiarum collatam : quos Deus Is. XI, 2, 3. implevit donis Spiritus Sancti, sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate, timore, ita ut ex eis quasi ex fontibus, inferiores sortiantur ac hauriant fluenta doctrinæ, exempla virtutum, gratiamque divinam.

28 *Ibi,* id est in unitate Ecclesiæ, *Benjamin adolescentulus,* id est filius dexteræ, scili- C cet filius Dei adoptivus, in gratia Dei incessanter proficiens : cui Deus est dexter, id est favens et pius, in eo per gratiam habitans. De tali etenim Benjamin in Deu- Deut. XXXIII, teronomio scriptum est : Amantissimus Domini habitabit confidenter, in eo quasi in thalamo tota die commorabitur, et inter humeros illius requiescet. Talis est omnis qui gratiæ Dei totus innititur, cujus anima beneplacita est Deo : cui convenit quod Agg. II, 24. Dominus per Aggæum ait, Assumam te, serve meus, et ponam te quasi signacu- D lum, quia te elegi. *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali.* Juda interpretatur confessio ; Zabulon autem, habitaculum fortitudinis ; Nephthali vero, dilatatio mea. Est igitur sensus : Principes christianæ confessionis sunt duces eorum, videlicet Christianorum. Hi enim principes sunt prælati Ecclesiæ, et maxime martyres sancti, qui primo et eminentius nomen Christi coram hominibus sunt confessi : idcirco aliorum constituti sunt duces, incumbitque nobis eorum imitari exempla. Sed et principes Zabulon, id est principes spiritualis fortitudinis, qui in virtutibus stabiliti sunt, et inavertibiliter Deo adhærent ; et principes Nephthali, id est dilatationis, quorum corda per caritatem dilatantur ad Deum et proximum, Deum brachiis dilectionis recipiendo, amplectendo et reservando, proximis quoque per caritatem in omnibus succurrendo. Hi tales sunt duces ovium Christi. Vere enim digni sunt præesse, qui istis ornantur virtutibus. Confessio pertinet ad fidem, fortitudo ad spem, dilatatio ad caritatem.

Manda, Deus, virtuti tuæ ; confirma 29
hoc, Deus, quod operatus es in nobis. Hæc
est oratio optima, quam Ecclesia omnisque
fidelis Deo offerre potest et debet, deprecando ut Deus virtutem angelicam ad suam custodiam mittat, quemadmodum Tobias dixit : Bene ambuletis, et sit Dominus in Tob. V, 21. itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum. Orare quoque debemus ut Deus bonum, quod ipse in nobis gratiose incepit, pie corroboret, et ad finem securum cum jugi profectu perducat. Ideo enim
Paulus : Optimum (inquit) est gratia sta- Hebr. XIII, 9.
biliri cor. *A templo tuo in Jerusalem.* Deus 30
enim in cœlesti Jerusalem seu triumphanti
Ecclesia habitans, operatur in nobis quidquid boni agimus et habemus, juxta illud : Omnia opera nostra operatus es nobis. Et Is. XXVI, 12. Apostolus : Deus est qui operatur in vo- Philipp. II, 13. bis et velle et perficere, pro bona voluntate. Et hæc operatur Deus in nobis, a templo cœlestis Jerusalem, quoniam inde nobis transmittit angelos sanctos, munera gratiarum secum portantes, nosque ad superna erigentes. *Tibi offerent reges,* id est omnes Christiani, qui sunt genus re- I Petr. II, 9. gium et sacerdotale, qui dominantur animo proprio, et rationis imperium fortiter prosequuntur ; *munera,* id est sacras hostias, preces devotas, eleemosynas largas, spontaneumque obsequium, imo se ipsos.

Increpa feras arundinis, etc. Hunc ver- 31
sum cum parte versus sequentis, dicere

Digitized by Google

quilibet potest secundum explanationem A
inductam, orando pro conservatione Ec-
clesiæ et repressione adversariorum ipsi-
33 us. *Regna terræ, cantate Deo.* Unusquis-
que nostrum zelo divini honoris accensus,
omnes fideles ad Dei præconium, quantum
valet, inducere et incendere debet, reco-
lendo ardenter beneficia ejus : et si solus
est, potest ista in persona Ecclesiæ dicere,
omnes alloquendo fideles ; respicietque
Deus bonitatem sui affectus, nec illum
34 infructuosum relinquet. *Ecce dabit voci*
suæ vocem virtutis. Istud intelligi potest B
de voce illa, qua omnes evigilaturi sumus
in die novissimo. De qua ait Apostolus :
I *Thess.* IV, 15. Ipse Dominus in jussu et in voce Archan-
geli et in tuba Dei descendet de cœlo. Huic
voci dabit vocem virtutis, dum per eam
omnes mortuos suscitabit, quemadmodum
I *Cor.* XV, 52. Paulus testatur : Canet tuba, et mortui
35 resurgent incorrupti. *Date gloriam Deo*
super Israel, id est, nomen Domini glori-
ficate propter omnia bona veris Israelitis,
videlicet re et nomine Christianis, exhibi-
ta vel promissa. *Magnificentia ejus,* scili- C
cet Christi, *et virtus ejus in nubibus* cœli
materialibus apparebit in die novissimo,
Matth. XXIV, 30. quando (ut ipse prædixit) videbunt Filium
hominis venientem in nubibus cœli cum
potestate magna et majestate.

36 *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* In San-
ctis enim ante legem mirabilis fuit, sicut
Gen. VII, 23. in Noe, quem in arca salvavit, et in Enoch,
Ibid. V, 24. quem transtulit, in Abraham quoque et
Lot ac aliis multis. Mirabilis etiam fuit in
Exod. XII, 42. populo suo, quem de Ægypto eduxit, cui
Ibid. XIX, 16-20. in monte Sinai terribiliter sublimiterque D
apparuit; in Josue quoque, ad cujus impe-
Josue X, 13. rium sol et luna steterunt in cœlo immo-
biles spatio unius diei. Sic in Elia, Eli-
seo et aliis multis tempore legis mirabilis
fuit. Maxime autem mirabilis fuit in Sanctis tempore gratiæ; et nunc usque incomprehensibiliter operatur et commoratur in Christianis, præsertim in Sacramento altaris ; multa etiam signa per suos electos hucusque operari dignatur. Singuli quoque devotorum scire possunt, quam mirabiliter Deus operetur in ipsis quotidie, preces eorum exaudiendo, corda consolando, a tentationibus liberando, spiritualem profectum præstando, ignemque divini amoris in ipsorum præcordiis frequenter incendendo, augendo, ac perficiendo. Ideo enim subjungit : *Deus Israel,* id est hominis Deum oculo contemplativo videntis, *dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ,* dando ei per gratiam, quod nec habet nec videt per naturam. Cetera satis exposita sunt.

Ecce psalmum gloriosum, mirabilem et vere mysteriis plenum audivimus : in quo Christi resurrectio, incredulorum dejectio, Ecclesiæ institutio et promotio, Spiritus Sancti missio, Christi quoque ascensio describuntur. Conemur igitur adimplere quod psalmus iste toties exhortatur, videlicet Deo cantare, psallere, ejus præconia enarrare, suo adventui in cordibus nostris iter parare, quatenus ipse per gratiam maneat semper in nobis, nosque per dilectionem maneamus in eo, quemadmodum scriptum
est : Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. I *Joann.* IV, 16.

PRECATIO.

Rex virtutum Domine, compunctionis pluviam salutarem segrega nobis hereditati tuæ : ut qui a peccatis infirmati sumus, receptis a te rectæ intentionis viribus, ad vitam tibi placitam proficiamus.

ARTICULUS XXXIII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI : SALVUM ME FAC, DEUS.

1 Titulus psalmi nunc declarandi est : *In finem, pro his qui commutabuntur, ipsi David :* id est, psalmus iste in ultimum finem, qui Christus est, nos dirigens, scriptus est pro his qui commutabuntur, id est, qui in Christo reformantur : qui sicut I Cor. xv, 47, 49. portaverunt imaginem primi hominis terreni et peccatoris, sic portare incipiunt imaginem secundi hominis immaculati atque cœlestis. Convenit quoque hic psalmus ipsi David prophetæ, sicut auctori; significato autem per David, utpote Christo, convenit sicut subjecto. Non enim dubitare permittimur quin psalmus iste ad litteram sit intelligendus de Christo : quod ex Scriptura canonica novi Testamenti multipliciter demonstratur. Apostolorum enim gloriosissimus princeps, scripturam psalmi istius dicit oportere impleri in Juda, qui tradidit Christum, propter peccatum in Christum commissum. Sic Act. i, 20. enim allegat : Fiat commoratio ejus deserta, et non sit qui inhabitet in ea. Unde quod inferius pluraliter dicitur, Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis ipsorum non sit qui inhabitet, ipse applicat ad Judam, singulariter scripturam istam allegans. Denique etiam Paulus apo- Rom. xi, 9. stolus introducit quod infra habetur, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, cum versu sequenti, dictum atque impletum in Judæis, qui Christum interfecerunt, propter scelus in ipsum patratum. In eadem quoque epistola dicit in persona Christi Ibid. xv, 3. prædictum, quod inferius dicitur : Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Simili modo, quod in psalmo isto habetur, Zelus domus tuæ comedit me, Jo- Joann. ii, 15. annes evangelista asserit de Christo prædictum, et in eo completum, recitans quomodo Christus flagello de funiculis facto ejecit de templo ementes et vendentes. Insuper, quod in psalmo hoc dicitur, Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui oderunt me gratis, Christus affirmat de se prænuntiatum : Ut impleatur, inquiens, sermo qui in lege eorum scriptus Joann. xv, 25. est : Quia odio habuerunt me gratis. Hoc tamen superius manifeste etiam dicitur hoc modo : Non supergaudeant mihi qui Ps. xxxiv, 19. adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis. Propterea, sicut ex isto testimonio Domini Salvatoris ostenditur iste psalmus ad litteram de ipso conscriptus, sic et ille, sicut et illic plenius dixi.

Christus itaque passioni propinquans, vel in ea consistens, orans ait ad Patrem, seu sanctam Trinitatem, unum simplicissimum Deum : (1) *Salvum me fac, Deus,* 2 non a malo culpæ, quia peccare non potui, sed a malo pœnæ, videlicet a doloribus corporis et animæ mihi inflictis aut infligendis. De quibus subjungitur : *quoniam intraverunt aquæ,* id est tribulationes et pœnæ, *usque ad animam meam,* id est usque ad exstinctionem vitæ meæ corporeæ, scilicet usque ad separationem carnis et animæ. Interdum in sacra Scriptura per aquam intelligitur consolatio, juxta illud : Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo Zach. ix, 11. non est aqua. Interdum vero per aquam intelligitur gravis persecutio, juxta illud in libro Job : Putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non Job xxii, 11. oppressum iri. Unde Isaias apertius dicit : Adducet Dominus super populum istum Is. viii, 7. aquas fortes et multas, regem Assyriorum. Et ita jam per aquas designatæ sunt persecutiones.

Digitized by Google

3 (2) *Infixus sum in limo profundi.* Hoc A quidam dicunt Christo competere ratione suæ sepulturæ, quia tunc sub terra reclusus est, quemadmodum ipse in Evangelio (Matth. xii, 40.) prædixit : Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ. Videtur tamen quod istud conveniat Christo etiam ratione suæ incarnationis, per quam descendit in mundum, qui dici potest limus profundi, vel propter elementum terræ limosum, vel propter vitiositatem et limositatem vitæ carnalis hominum in mundo viventium. In hoc limo Christus Deus de- (Ephes. iv, 9.) fixus est, quoniam, teste Apostolo, descendit in inferiores partes terræ; atque in (Philipp. ii, 15.) medio nationis pravæ et perversæ multo demoratus est tempore. *Et non est substantia :* id est, in corpore meo non fuit stabilis uniformisque status vitæ naturalis. De Christo namque, secundum quod erat aliquo modo viator atque passibilis, verum est dicere quod apud beatum Job scri- (Job xiv, 1, 2.) ptum est : Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, et nunquam in eodem statu permanet. Vel, Non est substantia, id est subsistentia seu naturalis subsistendi potestas in corpore crucifixo, exhausto, mortuo et sepulto. Vel, Non est substantia, id est, naturales divitiæ mihi defuerunt. Christus enim non (Luc. ix, 58.) habuit ubi caput suum reclinaret, et nudus cruci appensus est, habuitque pro ci- (Matth. xxvii, 48, 34.) bo potuque acetum et fel. Ecce quid Rex gloriæ, cujus sunt cœlum et terra, et omnis ornatus eorum, pro nobis pati digna- (II Cor. viii, 9.) tus est. Nempe quum dives esset, propter nos egenus et sine substantia factus est, ut ejus inopia divites efficeremur. (3) *Veni,* de summo cœlo et sinu Patris per assumptionem humanæ naturæ, *in altitudinem maris,* id est in profunditatem persecutionis et pœnæ ac mortis; *et tempestas demersit me,* id est, magnitudo pœnarum mihi in crucis patibulo inflictarum occidit (Thren. iii, 54.) me : sicut in Threnis scribitur : Inundaverunt aquæ super caput meum ; dixi, Perii. Solet autem per altitudinem profunditas designari, juxta illud : Puteus altus est. (Joann. iv, 11.)

(4) *Laboravi clamans.* Christus enim non 4 sine labore prædicando discurrebat. Unde scriptum est : Jesus fatigatus ex itinere. (Ibid. 6.) Clamavit quoque, Judæos increpando, populum instruendo, evangelicam legem docendo. Maxime tamen in passione laboravit, quando et bajulans sibi crucem exivit : (Ibid. xix, 17.) atque in cruce clamavit, Pater, ignosce illis ; (Luc. xxiii, 34.) et, Consummatum est ; (Joann. xix, 30.) et, In manus tuas commendo spiritum meum. (Luc. xxiii, 46.) B Hinc enim de Christo apud Isaiam scriptum est : Pro eo quod laboravit anima (Is. liii, 11.) ejus, videbit et saturabitur. *Raucæ factæ sunt fauces meæ.* Ad litteram raucæ factæ erant fauces Christi. Raucedo namque causatur ex desiccatione humorum in faucibus et arteriis. Quoniam ergo Christus in passione sanguinem copiose effudit, prout dictum est supra, Sicut aqua effusus sum; (Ps. xxi, 15.) ideo rauca erat vox ejus. Metaphorice autem dicuntur fauces fieri raucæ, dum sermo prolatus, audienti non proficit, sed C sine fructu consistit : sicque fauces Christi raucæ erant, quantum ad incredulos et perversos : quibus ipse in Evangelio ait, Sermo meus non capit in vobis. (Joann. viii, 37.)

Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Videtur hoc repugnare ei quod Christus superius ait : In Domino (Ps. xxv, 1.) sperans non infirmabor. Est igitur sensus: Oculi mei interiores, videlicet contemplatio et mentalis oratio, quibus in cruce pendens Deum indesinenter adspexi, visi sunt deficere, id est frustrari, et suo effe- D ctu seu divina subventione privari, dum Deus Pater reliquit me in manibus impiorum. Propter quod ipsi dixerunt : Confidit (Matth. xxvii, 43.) in Deo; liberet eum nunc, si vult. Et iterum : Si rex Israel est (vel, Si hic est Chri- (Ibid. 42.) stus Dei electus), descendat nunc de cru- (Luc. xxiii, 35.) ce. Et Isaias : Nos putavimus eum quasi (Is. liii, 4.) leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. Solet enim Christus de se aliquid affirmare, juxta quod in opinione aliorum fuit. Unde apud Jeremiam : Ego, inquit, (Jer. xi, 19.) quasi agnus innocens qui portatur ad vi-

Digitized by Google

ctimam; et non cognovi quia super me cogitaverunt consilia, etc. Judæi namque putabant Christum nescire ipsorum consilia contra se. Vel sic : Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum : id est, quando in cruce pendens, certissime confidebam me tertia die resuscitandum; tunc oculi mei corporales defecerunt, quia obtenebrati sunt atque eversi.

5 (5) *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Per hoc Christus insinuat multitudinem adversariorum suorum Judæorum, qui eum gratis, id est sine rationabili causa, oderunt : et forte ad litteram, numerus odientium et persequentium Christum excessit numerum crinium capitis sui. Multa enim millia fuisse videntur in populo illo, de quo Evangelista testatur : Respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. [Matth. XXVII, 25.]

(6) *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste.* Omnes enim confœderati sunt in malo, et invalescebant voces eorum adversum me, non propter rationem, sed propter multitudinem. [Luc. XXIII, 23.] Principes sacerdotum præbuerunt auxilium Pharisæis, qui primo contra Christum conceperunt rancorem. Herodes quoque et Pilatus cooperati sunt eis, quia Herodes Christum alba veste illusit, Pilatus vero eum flagellavit atque damnavit. [Ibid. 11.] [Joann. XIX, 16.] Et isti persecuti sunt me injuste, id est sine offensa et culpa; imo pro beneficiis multis rependebant mihi injurias et flagella : sicut superius dictum est, Retribuebant mihi mala pro bonis. [Ps. XXXIV.] Hoc est quod in Evangelio Christus ait Judæis : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod horum vultis me lapidare? [Joann. X.] Et per Jeremiam : Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? [Jer. XVIII.] *Quæ non rapui,* id est culpam quam non contraxi, malum quod non feci, *tunc exsolvebam :* quoniam sine culpa propria passus sum pœnam. Pœna autem est præmium culpæ, sicut et mors est pœna peccati. [Rom. VI, 23.] Quoniam ergo Salvator ab omni peccato immunissimus exstitit, et nihilo minus acerbissimam mortem sustinuit, constat quod solvit quæ non rapuit. Satisfecit vero pro nobis, et merito suæ particularis temporalisque mortis abstulit a genere humano universalem æternalemque mortem, pro originali peccato inflictam. Unde scriptum est : Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est; [Thren. IV, 20.] et rursus, Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. [Is. LIII, 5.] Porro Christus apertissime ait per Isaiam : Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. [Ibid. XLIII, 24.]

6 (7) *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* Versus iste tripliciter explanatur. Primo sic : *Deus, tu scis,* etc., id est, si est in me aliquid insipientiæ et peccati, sicut Judæi affirmant, dicentes me falsa docere ac blasphemare : hoc tu nosti. Iste est enim modus loquendi eorum qui se sobrie excusant coram Deo, dum mendaciter accusantur. Tanquam dicant : Nos nobis conscii non sumus de aliquo malo; sed si quid mali in nobis est, Deus agnovit. Et hoc modo Judas patriarcha se ipsum et fratres suos excusans de furto coram Joseph, ait : Deus invenit iniquitatem servorum tuorum. [Gen. XLIV, 16.] — Secundo, intelligitur a contrario sensu, hoc modo : *Deus, tu scis* per approbationem, *insipientiam meam,* id est sapientiam meam, quæ a Judæis insipientia reputatur; *et delicta mea,* id est virtutes et opera bona, quæ Judæi judicant esse peccata, *a te non sunt abscondita,* sed per approbationem nota sunt tibi. Quoniam enim Christus mundi contemptum docuit, et Deum suum Patrem vocavit; propterea dicebant Judæi : Dæmonium habet, et insanit; [Joann. X, 20.] et, Quid hic sic loquitur? blasphemat; [Marc. II, 7.] et, Quis est hic qui loquitur blasphemias? [Luc. V, 21.] Unde et dixerunt Pilato : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. [Joann. XIX, 7.] Secundum hunc modum loquendi ait Salvator : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et [Matth. XI, 25.]

Digitized by Google

revelasti ea parvulis : quod a contrario A sensu intelligendum est, secundum Augu-
II Cor. xii, 11. stinum. Et ita Paulus ait : Factus sum in-
I Cor. iv, 10. sipiens ; vos me coegistis ; et rursus, Nos stulti propter Christum. — Tertio, intelligitur dictum a Christo, non pro se ipso, sed pro corpore suo mystico, quod est Ecclesia. Sicque insipientiam et delicta membrorum suorum, quæ super se excepit, et pro quibus satisfecit, nominat sua, sicut
Act. ix, 4. alibi ait : Saule, Saule, quid me perseque-
Matth. xxv, 42, 43. ris ? et iterum : Esurivi, et non dedistis mihi manducare ; nudus fui, et non co- B operuistis me.

7 (8) *Non erubescant in me, qui exspectant te :* id est, sancti in limbo detenti, me cum ingenti desiderio præstolantes, non verecundentur quasi frustrati spe sua ; sed sicut Prophetæ prædixerunt et alii crediderunt, ita resuscita me, et fac me sanctos de limbo educere, quatenus glorientur se consequi fidei fructum et spei effectum.
Gen. xlix, 18. Sancti autem in limbo exspectabant et Christum et Deum Patrem : Christum, sicut mittendum atque localiter descensurum ; C Patrem vero, sicut missurum ac spiritualiter consolaturum. Itaque, Non erubescant qui exspectant te, *Domine* universorum, o *Domine virtutum* cœlestium, scilicet angelorum : cui nihil est impossibile. (9) *Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel :* id est, Apostoli aliique fideles te per fidem et opera bona quærentes, non confundantur super me, id est de mei humiliatione, persecutione et occisione ; sed corrobora eos ad confitendum me, atque ad imitandum vestigia mea. Hoc fuit D impletum præcipue in die Pentecostes, Spiritu Sancto recepto.

8 (10) *Quoniam propter te,* id est propter nominis tui honorem, quem summe quæsivi ; vel, Propter te, id est propter sapientiæ tuæ dispositionem, qua me pati decrevisti : quemadmodum loquitur Pe-
Act. iv, 27, 28. trus, Convenerunt adversus sanctum puerum tuum Jesum, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. Vel, Propter te, id est propter justitiam meam, quam ob tuam voluntatem immobiliter observavi. *Sustinui opprobrium* Judæorum dicentium, Nunc cognovimus quia dæmo- Joann. viii, 52.
nium habes ; et, Numquid interficiet semet- Ibid. 22.
ipsum ? *Operuit confusio faciem meam :* id est, illud quod solet aliis esse causa confusionis, multipliciter irruit super me tempore passionis, quando ligatis manibus tradiderunt me præsidi, et quando coram Pilato atque Herode nihil respondi, et quando alba veste illusus sum, nudatus, columnæ alligatus, flagellisque cæsus, spinis coronatus, propriisque humeris crucem bajulans ad mortem ductus, et inter latrones suspensus. Proprie tamen non fuit in Christo confusio, quia confusio propter virtutem in viro perfecto locum non habet. Ad litteram etiam operuit confusio faciem Christi, quando viri qui tenebant eum, illudebant ei, et velaverunt eum, et percusserunt faciem ejus, dicentes : Pro- Matth. xxvi, 68.
phetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ?

(11) *Extraneus factus sum fratribus* 9
meis, id est Judæis de genere Abrahæ mecum natis. Erat enim Christus extraneus Judæis in ipsum non credentibus, quia longe erat a corde eorum, quamvis inter eos corporaliter ambulabat. Erat quoque extraneus fratribus suis Apostolis, qui om- Ibid. 56.
nes, relicto eo, fugerunt. Unde sanctus Job in persona aut certe figura Christi, ait : Fratres mei elongaverunt a me, et noti Job xix, 13.
mei quasi alieni recesserunt a me. *Et peregrinus* factus sum *filiis matris meæ,* id est Judæis filiis Saræ vel Synagogæ. Quemadmodum peregrinus seu hospes non diu sustinetur, sed de domo expellitur ; ita Judæi Christum velut vilem abjecerunt atque spreverunt, illud apud Joannem dicentes : Nos scimus quoniam Moysi locutus Joann. ix, 29.
est Deus ; hunc autem nescimus unde sit. Idem quoque Evangelista testatur : Jam Ibid. 22.
conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret. Hoc modo Christum fuisse venturum, et in mundo victurum, Jeremias cum admiratione prædixit : Quare quasi colo- Jer. xiv, 8.

Digitized by Google

nus futurus es in terra, et quasi viator A
declinans ad manendum?

Cur autem Christus tanta pati digna-
10 tus sit, pandit subdendo : (12) *Quoniam ze-
lus domus tuæ comedit me :* id est, ardens
dilectio ædificationis, informationis et con-
versionis Ecclesiæ, seu fidelium aut ele-
ctorum, pro quorum salute sum incarna-
tus, me totum accendit et absorbuit et
consumpsit. Propter salutem enim Eccle-
siæ Christus prædicavit, Judæos increpa-
vit, miracula fecit. Hunc quoque zelum
palam ostendit, quando ejecit de templo B
Joann. II, 16. ementes et vendentes, dicens : Nolite fa-
cere domum Patris meï domum negotia-
tionis. Hic etiam zelus Christum come-
dit, id est, in morte consumpsit : quoniam
propter caritatem suam ad nos, tradidit
semetipsum pro nobis in mortem, sicut
Galat. II, 20. Paulus fatetur : In fide, inquiens, vivo Fi-
lii Dei, qui dilexit me, et tradidit semet-
Hebr. III, 6. ipsum pro me; et rursus : Christus tan-
quam filius fidelis erat in domo sua : quæ
domus sumus nos. Voluit enim Christus
construere templum Deo Patri, Ecclesiam- C
que perfectam ex vivis lapidibus, prout de
Zach. VI, 12, 13. ipso apud Zachariam fuit prædictum : Ecce
vir, Oriens nomen ejus, et ædificabit tem-
plum Domino, et ipse portabit gloriam, et
sedebit et dominabitur in solio suo. Hoc
templum Christus construere cœpit, do-
cendo et redarguendo errantes, quemadmo-
dum de ipso clare prænuntiatum est. Quum
enim de Christi adventu dixisset Malachias
Malach. III, 1. propheta, Statim veniet ad templum suum
Dominator quem vos quæritis; de ipsius
Ibid. 2, 3. doctrina mox addidit : Ipse enim quasi D
ignis conflans, et quasi herba fullonum;
et sedebit conflans et emundans argen-
tum, et purgabit filios Levi. Denique hoc
templum Christus promisit se ædificatu-
rum in suo adventu, per Amos prophetam :
Amos IX, 11. In die illo suscitabo, inquiens, taberna-
culum David quod cecidit, et reædificabo
aperturas [murorum] ejus. Quod Jacobus
Act. XV, 15. in Actibus Apostolorum allegat de Chri-
sto prædictum.

Et opprobria Judæorum *exprobrantium*
tibi, o Pater æterne, me Unigenitum tuum
negando, et opera mea miraculosa atque
divina dæmonibus adscribendo, *ceciderunt
super me,* id est, in mea humanitate pas-
sibili habuerunt effectum : nam verba at-
que injuriæ impiorum tibi illata, divinitati
nocere non poterant, sed meam humani-
tatem lædere et occidere valuerunt. Vel,
Ceciderunt super me, id est, mihi quo-
que inferebantur. Quidquid enim uni divi-
næ Personæ irrogatur injuriæ, irrogatur et
alii. Propter quod asserit Christus : Qui Joann. V,
non honorificat Filium, non honorificat 23.
Patrem qui misit illum. Exprobrabant au-
tem Judæi Deo Patri, imo toti Trinitati,
præcipue tamen Spiritui Sancto, dum Chri-
sti miracula totius Trinitatis potestate pa-
trata, attribuebant Beelzebub. Unde quum
dixissent Scribæ, Beelzebub habet, volens Marc. III,
Christus ostendere eos Spiritui Sancto in- 22.
tulisse blasphemiam : Qui blasphemave- Ibid. 29.
rit (ait) in Spiritum Sanctum, non habet
remissionem in æternum, sed reus erit
æterni delicti. Et cur hoc dixerit de Ju-
dæis, manifestat Evangelista, subjungens :
Quoniam dicebant, Spiritum immundum Ibid. 30.
habet.

(13) *Et operui in jejunio animam meam.* 11
Operatio virtuosa, animæ vestimentum vo-
catur, juxta illud : Exsultabit anima mea Is. LXI, 10.
in Deo meo, quia induit me vestimentis
salutis, et indumento justitiæ circumdedit
me. Christus autem jejunavit quadraginta Matth. IV, 2.
diebus et totidem noctibus : et ita jejunio,
quod est actus temperantiæ, operuit, id
est, spiritualiter vestivit, animam suam.
Et factum est in opprobrium mihi, id est
in occasionem tentationis a dæmone, qui
ex hoc motus est ad tentandum me, in
tantum ut idololatriæ speciem mihi pro-
poneret, dicens : Hæc omnia tibi dabo, si Ibid. 9.
procidens adoraveris me. Vel sic : *Operui
in jejunio animam meam,* id est, pallio
compassionis atque tristitiæ indutus sum
propter infidelitatem malitiamque perver-
sorum. Hinc namque in Marco dicitur :
Contristatus est Jesus super cæcitate cordis Marc. III, 5.
eorum. Sicut enim Christi refectio, est no-

Digitized by Google

stræ mentis ad Deum conversio, secundum A
Apoc. III, 20. quod ipse protestatur, Si quis aperuerit
mihi januam, introibo ad illum, et cœnabo
cum illo; sic ejus jejunium, est nostri cordis a Deo aversio. *Et factum est in opprobrium mihi :* id est, labor et studium quo
pro hominum conversione sudavi, cucurri
et laboravi, fuit Judæis occasio detractionis, irrisionis et accusationis adversum
Luc. XXIII, 2. me. Dicebant enim : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram.

12 (14) *Et posui vestimentum meum cilicium,* id est, non mollibus, sed duris ve- B
stibus usus sum. Quoniam enim Christus
Matth. XI, 8. Joannem Baptistam de vestimentorum asperitate collaudat, vestiumque mollitiem
reprobat, apparet quod ipse vestibus aspe-
Act. I, 1. ris utebatur. Cœpit equidem facere et do-
Joann. XIX, 23. cere. Et ad hoc facit, quia tunica ejus
inconsutilis fuit, desuper contexta per totum, quemadmodum vestes cilicinæ fieri
solent. Vel, Posui vestimentum meum cilicium, id est, carnem mortalem indutus
sum, et ea divinitatem meam velavi : de
Ps. XXIX, 12. qua carne atque cilicio superius dixi, Con- C
scidisti saccum meum, et circumdedisti
me lætitia. *Et factus sum illis in parabolam,* id est in similitudinem improperii et
in derisum, quemadmodum in Evangelio
Luc. XVI, 14. scribitur : Audiebant hæc Pharisæi, et de-
Marc. III, 21. ridebant eum; et : Dicebant quoniam in
furorem versus est.

13 (15) *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta,* id est sacerdotes juxta
portam templi sedentes et populum instruentes, vel judices in portis civitatis
ad judicandum residentes, quemadmodum D
Deut. XVI, 18. jussum erat per Moysen : Judices constitues in omnibus portis tuis. Isti contra
Christum loquebantur, avertentes plebem
ab eo, in tantum ut tandem peterent sibi
virum homicidam donari, et Jesum occidi. *Et in me,* id est de me et contra me,
psallebant, id est, irridendo cantabant,
qui bibebant vinum, id est Judæi gulosi.
Cantilenas enim irrisorias composuerunt
et cecinerunt de Domino Salvatore, sic-
Matth. XI, 19. ut est illud : Homo vorax, potator vini,
amicus publicanorum. Unde per Jeremiam
dicitur : Factus est mihi sermo Domini Jer. XX, 8.
in opprobrium et in derisum tota die. Et
in Osee Christus : Ego, inquit, redemi Osee VII, 13.
eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia.

(16) *Ego vero orationem meam ad te, Domine* Deus Pater, direxi et infudi, orando 14
pro persecutoribus meis, quemadmodum
per Prophetam ad te locutus sum : Recor- Jer. XVIII, 20.
dare quod steterim in conspectu tuo, ut
loquerer pro eis bona, et averterem indignationem tuam ab eis. Et in Evangelio
dixi : Pater, ignosce illis, quia nesciunt Luc. XXIII, 34.
quid faciunt. *Tempus beneplaciti, Deus :*
id est, exaudire me debes, o Deus Pater,
quoniam tempus meum quo fui in mundo,
est tempus reconciliationis et gratiæ. De
quo ait Apostolus : Ecce nunc tempus ac- II Cor. VI, 2.
ceptabile, ecce nunc dies salutis. (17) *In multitudine misericordiæ tuæ,* id est secundum et propter magnam misericordiam
tuam, *exaudi me in veritate salutis tuæ,*
quam peto a te, videlicet ut veram beatitudinem seu salutem, quæ a te solo præstatur, dones mihi atque Ecclesiæ, pro
cujus salvatione cuncta sustineo. Salus autem seu beatitudo est duplex, scilicet essentialis, quæ est fruitio Dei, et accidentalis, quæ in bonis creatis consistit. Primam
beatitudinem anima Christi a principio
habuit, nec eam sibi nunc petit, sed eam
petit Ecclesiæ peregrinanti ac militanti.
Secundam vero beatitudinem quæ est præmium accidentale, Christus postulat sibi
nunc et in versibus qui sequuntur. Hinc
enim Christus pro Ecclesiæ salute orans,
postulat ei præmium essentiale a Patre,
dicendo : Pater, quos dedisti mihi, volo Joann. XVII, 24.
ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi.
Hæc autem visio est tota merces.

(18) *Eripe me de luto, ut non infigar.* 15
Lutum et limus idem sunt. Quum ergo
Christus superius dixit, Infixus sum in limo profundi, quomodo nunc orat eripi ut
non infigatur? Dicendum ergo, quod Christus ad tempus erat infixus in limo, se-

Digitized by Google

cundum sensum inductum; nunc vero orat A
educi seu eripi, ne diu aut semper maneat
luto infixus. Est itaque sensus : Eripe me,
Deus Pater, de luto, id est de mundo terreno, de malignorum consortio, sepulturæque loco; ut non infigar, id est, ne diutius quam a te ordinatum est, in hoc luto
permaneam. Desideravit etenim Christus
de hoc mundo redire ad Patrem, et de
conventu malignorum ad societatem conscendere angelorum. Unde discipulis ait :
Joann. xiv, 28. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia
Marc. ix, 18. vado ad Patrem ; et, O generatio incredu- B
la, quamdiu apud vos ero? *Libera me ab*
his qui oderunt me, id est a Judæis, suscitando me ad impassibilem statum, *et de*
profundis aquarum, hoc est a vehementia
16 persecutionum. (19) *Non me demergat tem-*
pestas aquæ : id est, impetus mortis mihi
illatæ, de qua superius dixi, Tempestas demersit me, non me demergat penitus, scilicet ut non permaneam mortuus usque ad diem universalis resurrectionis, sed a voragine mortis tertia die eripiar. *Neque absorbeat me profundum,* id est fovea monumenti, videlicet ne corpus meum in sepulcro permanens corrumpatur; sed ab hoc profundo exalta me per resurrectionem acceleratam; *neque urgeat super me puteus os suum :* id est, limbus sanctorum patrum in quem descendi, non diu me teneat, nec os, id est aditum suum, super animam meam obturet seu claudat; sed quemadmodum corpus peto educi a conclusione sepulcri, sic animam meam peto eripi a limbo inferni : sicut superius dictum est, Quoniam non derelinques ani- Ps. xv, 10.
mam meam in inferno.

ARTICULUS XXXIV

PROSECUTIO EXPOSITIONIS LITTERALIS PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI.

17 (20) EXAUDI *me, Domine* Pater, in ora- C
tionibus jam præmissis, *quoniam benigna est misericordia tua :* id est, ideo me exaudi, quia dulcis est misericordia tua, sicque propter eam exaudi me. Quamvis enim Christus justo Dei judicio exaudiri meruit merito conversationis suæ sanctissimæ, orat tamen exaudiri propter misericordiam bonitatis divinæ : primo, ut nobis præstet exemplum, quo semper innitamur misericordiæ Dei, non propriis meritis ; secundo, quoniam misericordia Dei, sicut justitiam animæ Christi creatam in infi- D
nitum excedit, sic incomparabiliter major est ratio exaudiendi propter divinam misericordiam, quam propter quamcumque justitiam creatam. *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me* oculo dilectionis paternæ, et subveni mihi sicut precatus sum. Miseratio dicitur actus misericordiæ ; misericordia autem Dei, in se una est ac simplex. Dicuntur tamen multæ misericordiæ, propter diversos effectus misericordiæ Dei, vel potius propter plenitudinem bonitatis divinæ, qua Deus novit variis modis, imo infinitis, succurrere suis. Si autem miseratio Dei dicatur ipse actus Dei miserentis, in ipso consistens, sic eodem modo miseratio Dei est una et plures, sicut de misericordia dictum est. Si vero dicatur miseratio Dei, effectus misericordiæ ejus, sic miserati-
ones Dei sunt realiter multæ. (21) *Et ne* 18
avertas faciem tuam, id est pium et gratiosum tuum respectum, *a puero tuo,* id est a me Unigenito tuo. *Quoniam tribulor* usque ad mortem in die Parasceves, idcirco *velociter exaudi me,* non differendo ultra triduum corporis mei glorificationem.

Digitized by Google

19 (22) *Intende animæ meæ,* preces ejus ac vota exaudiens; *et libera eam* ab interioribus pœnis, quas habuit tempore passionis, a timore atque tristitia. *Propter inimicos meos* Judæos, *eripe me* ab omni mortalitatis passibilitatisque statu, ut odium et pravitas eorum adversus me, sit tibi occasio succurrendi Filio tuo dilecto. Vel : Propter inimicos meos, id est propter salutem eorum, eripe me de sepulcro, ne in infidelitate sua persistant, sed audita prædicatione Evangelii, convertantur ad me, sicut eis testatus sum : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Quod in Actibus Apostolorum impletum ostenditur, ubi octo millia Judæorum conversa leguntur, multa quoque turba sacerdotum conversa asseritur.

Joann. VIII, 28.
Act. II, 41; IV, 4.
Ibid. VI, 7.

20 (23) *Tu,* Domine Pater, *scis improperium meum,* id est injuriam verborum mihi dictorum, *et confusionem meam,* id est contemptum et vilipensionem adversariorum meorum, me pro nihilo æstimantium ; *et reverentiam meam.* Non sumitur hic reverentia pro veneratione, sed pro verecundia seu ignominia. Verecundia autem proprie sumpta, est timor dehonestationis, seu pavor de re turpi, ad vitandum difficili. Sic vero eam sumendo, non habuit locum in Christo. Scivit enim nil inhonestum a se fieri posse ; nec aliquo modo erubuit propter injurias sibi illatas, sed per patientiam in adversis gaudebat. Quomodo ergo fuerunt in eo reverentia, id est verecundia, atque confusio ? nisi quod illa quæ aliis solent esse causa confusionis et verecundiæ, abundanter in ipso fuerunt, quum ipse sit tanquam latro captus, consputus, nudatus, et inter iniquos suspensus.
21 (24) *In conspectu tuo,* id est tibi cogniti, *sunt omnes qui tribulant me,* videlicet sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, ac ceteri ; et tuæ potestati subjecti sunt, potesque me de eorum manu eripere et eos opprimere.

Improperium exspectavit cor meum et miseriam. Quanto tempus passionis amplius appropinquavit, tanto Christus de viciniori exspectavit injuriam verborum et irrogationem pœnarum. Unde passionem suam Apostolis sæpe prædixit, et passione jam proxima, propter exspectationem pœnarum imminentium, in tantum expavit, quod factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. (25) *Et sustinui,* id est, exspectavi et consideravi, *qui simul contristaretur,* compatiendo doloribus meis ; *et non fuit* qui condoleret. Sustinui quoque *et qui consolaretur* me tristem, *et non inveni.* Hoc Christus asserit, non quod sibi nemo condoluit, aut consolationem sibi impendere concupivit, præsertim quum scriptum sit : Sequebatur illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. Et Apostolis dixit, passione instante : Et nunc quidem tristitiam habetis ; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum. Sed quia pauci contristabantur respectu aliorum, et quod modicum est, pro nihilo reputatur ; idcirco asserit non fuisse qui consolaretur. Et simili modo per alium Prophetam ait : Circumspexi, et non erat auxiliator. Ad minus enim Petrus adjuvit, qui Malcho aurem abscidit.

Luc. XXII, 44.
Ibid. XXIII, 27.
Joann. XVI, 22.
Is. LXIII, 5.
Joann. XVIII, 10.

22 (26) *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Non leguntur Judæi Christo crucifixo fel seorsum dedisse, sed acetum felle mixtum. Dicit enim Matthæus evangelista : Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et Marcus : Dabant ei bibere vinum myrrhatum. Joannes autem : Vas positum erat aceto plenum. Quoniam ergo in eo quod Christo offerebant, nil erat solidum comestionive aptum, nisi fel ; ideo ait, Dederunt in escam meam fel. Christus quoque in cruce corporaliter sitiebat, dicentique, Sitio, acetum porrigebant : quod et accepit, secundum Joannem. Marcus tamen dicit quod non accepit. Sed non est discordia. Parum enim quasi gustando accepit, statimque potare cessavit : propter quod scriptum est, Quum gustasset, noluit bibere. Denique, quod Matthæus affirmat vinum illud fuisse fellitum, et Marcus myrrhatum, fa-

Matth. XXVII, 34.
Marc. XV, 23.
Joann. XIX, 29.
Ibid. 28.
Ibid. 29, 30.
Marc. XV, 23.
Matth. XXVII, 34.

Digitized by Google

cile concordatur : vel quia commixtum erat myrrhæ ac felli ; vel quia Marcus dicit illud myrrhatum, propter qualitatem, scilicet amaritudinem potus, non propter substantiam myrrhæ.

23 (27) *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum :* id est, cibus iste et potus, quem mihi ex invidia porrigebant, sit eis causa captivationis, fiatque eis laqueus animæ et corporis. Judæi enim propter hanc Christi felleam potationem meruerunt in obsidione a Romanis illata, inæstimabili fame ac siti torqueri, et tandem captivari. Dando etiam Christo hunc potum, illaqueata et capta est anima eorum vinculo peccatorum et laqueo vitiorum, secundum quod in
rov. v, 22. Proverbiis scriptum est : Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur. Fiat etiam eis *et in retributiones* damnationis æternæ et infernalium tormentorum, *et in scandalum,* id est in confusionem. Maxima enim confusio Judæorum est, quod Messiam sibi in lege promissum occiderunt. Vel, In scandalum, id est in occasionem amplioris ruinæ, quia per hanc mensam meruerunt de peccato in peccatum incidere. Vel sic : *Fiat mensa eorum,* id est Scriptura legis et Prophetarum, in qua refectio animæ continetur, *coram ipsis in laqueum,* ita ut a Christianis convincantur Christum occidisse ex propriis libris ; *et in retributiones,* id est in graviorem damnationem. Quanto enim se sapientiores putabant, et quanto plura de Christo legerant, tanto gravius peccaverunt quod præsentem non agnoverunt, sed negaverunt et crucifixerunt. Hinc enim
ann. ix, Christus in Evangelio ait ad eos : Si cæci essetis, non haberetis peccatum ; nunc autem quia dicitis, Quia videmus, peccatum vestrum manet. *Et in scandalum.* Nam sacra Scriptura veteris Testamenti est eis occasio quotidiani erroris. Quoniam enim in Christum credere nolunt, illam extorte et false exponunt, et per falsam expositionem perfidiam suam confirmant. Ad litteram quoque mensa Judæorum facta est eis in laqueum. Nam ante obsidionem a Tito,

A convenerunt omnes in Jerusalem ad celebrandum paschale convivium, quod extra Jerusalem celebrari non licuit ; et antequam egrederentur, a Romanis obsessi sunt, puniti, atque confusi. Hæc autem atque sequentia non optando, sed prænuntiando dicuntur. Non enim dicuntur per modum orationis, ut fiant ; sed per modum prophetiæ, quoniam fient, quemadmodum Jeremias etiam prophetavit : Tu, Domine, scis *Jer.* XVIII, 23. omne consilium eorum adversum me ; ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum
B eorum non deleatur.

(28) *Obscurentur oculi eorum ne videant :* 24
id est, corda Judæorum, propter peccatum in Christum commissum, lumine veritatis priventur, et omnino cæca reddantur. Excæcationem Judæorum in primo adventu Christi, sancti Prophetæ copiosissime prædixerunt, et maxime sacratissimus Isaias, cujus testimonia in epistola ad Romanos Apostolus abundanter inducit. Nempe sic *Rom.* IX-XI. ait Propheta : Quis cæcus, nisi servus Do- *Is.* XLII, 19. mini ? Et quis surdus, nisi ad quem nun-
C tios meos misi ? Et alibi : Excæcatum est *Ibid.* VI, 10; *Matth.* XIII, 15. cor populi hujus, et auribus graviter audierunt. Et iterum Dominus ait per Isaiam de populo Judæorum : Tota die expandi *Is.* LXV, 2. manus meas ad populum incredulum. *Et dorsum eorum semper incurva.* Est quoddam dorsum mentis, in quo devoti portant jugum Domini seu divina præcepta. Hoc dorsum est ipsa voluntas, in qua virtus et vitium primo atque præcipue inveniuntur. Est igitur sensus : Dorsum eorum, id est voluntatem, affectum, seu appetitum
D Judæorum, semper incurva, id est, ad terrena et vana converte, ad falsa deflecte, ad obliquitatem culpæ inclina. Hoc videmus in Judæis impletum, quum sint avari, a summo bono aversi, suisque erroribus indesinenter intenti. Nam et in adventu Messiæ, quem putant venturum, exspectant temporale regnum adipisci, et universis hostibus suis dominari. Dicitur autem Deus dorsum eorum incurvare, non effective, sed permissive, quemadmodum dicitur Pharaonem *Exod.* IV, VII-XI, XIV. indurasse.

Digitized by Google

25 (29) *Effunde super eos iram tuam,* id est A
ultionem tuæ justitiæ, tradendo eos in manus Romanorum; *et furor iræ tuæ,* id est gravissima tua vindicta, *comprehendat eos,* videlicet ut usque in finem mundi in sua cæcitate permaneant, et vagi in nationibus sint, Christumque incessanter blasphement, et multis opprimantur ærumnis. Nisi enim furor iræ Dei eos comprehendisset, mirum videretur quomodo tam gravissime excæcari valerent, quod captivitatem suam non adverterent. Unde in Isaia ait Chri-
Is. LXIII, 3. stus : Calcavi eos in furore meo, et con- B
culcavi eos in ira mea; et in Jeremia :
Jer. XII, 8. Facta est mihi hereditas mea, videlicet
domus seu populus Israel, quasi leo in silva; dedit contra me vocem suam, ideo
Osee IX, 15. odivi eam. Quod alius apertius dicit : Exo-
sos habui eos propter malitiam adinventionum ipsorum; non addam ut diligam eos. Et Sophonias apertissime protestatur :
Soph. III, 8. Effundam super eos indignationem meam,
26 et omnem iram furoris mei. (30) *Fiat ha-
bitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Romani enim C
civitatem Jerusalem et templum ac reliquas urbes Judææ penitus destruxerunt,
Luc. XIX, 44. sicut et Christus prædixit : Non relinquent
in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ; et Je-
Jer. XII, 7. remias, Reliqui domum meam, dimisi he-
reditatem meam. Hinc et Osee propheta
Osee IX, 17. dixit : Abjiciet eos Dominus Deus meus,
quia non audierunt vocem ejus; et erunt vagi in nationibus.

Deinceps ponitur causa tantæ dejectio-
27 nis Judæorum : (31) *Quoniam quem tu per- D
cussisti, persecuti sunt,* id est, Jesum Christum quem tu percuti permisisti, usque ad mortem tribulaverunt. Dicitur enim Deus Christum percussisse, quemadmodum Isa-
Is. LIII, 8. ias prædixit : Propter scelus populi mei
Act. II, 23. percussi eum. Petrus quoque inquit : Je-
sum definito consilio et præscientia Dei
Joann. III, 16. traditum, viri Israelitæ, interemistis. Sic
enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Judæi enim supra injuriam verberum, intulerunt Christo injuriam verborum, irridendo blasphemandoque eum. Sed et ultra dolorem Christo inflictum in proprio corpore, addiderunt injuriam infligere corpori suo mystico, scilicet primitivæ Ecclesiæ, quam graviter molestabant, sicut in Actibus Apostolorum ostenditur.

(32) *Appone,* o Domine, non effective, 28
sed permissive, *iniquitatem super iniquitatem ipsorum,* permittendo eos cadere de culpa in culpam. Quum enim homo sine gratia Dei nil boni agere possit, dum Deus hominem exigentibus vitiis suis gratia spoliat, de peccato in peccatum continuo cadit. *Et non intrent in justitiam tuam.* In-
troitus seu ostium justitiæ est fides. Justus *Rom.* I, 17.
namque ex fide vivit. Quid ergo est, Non *Habac.* II, 4.
intrent in justitiam tuam, nisi fide Christi priventur, et mandatis ejus non pareant, sed in suis perversitatibus perseverent?

(33) *Deleantur de libro viventium.* Liber 29
viventium, seu liber vitæ, est prædestinatio electorum in mente divina : quia quemadmodum fixum et firmum est quod in libro fuerit scriptum, sic quod in sapientia mentis divinæ decretum est, stabile manet et variari non potest. Quomodo igitur aliquis de libro viventium valet deleri, præsertim quum nemo scriptus sit in hoc libro, nisi electus? Liber enim vitæ est notitia Dei, qua prædestinavit electos. Et respondendum, quod dupliciter dicitur aliquis in libro viventium scriptus. Primo, secundum veritatem : et taliter scriptus, deleri non potest. Unde Christus in libro vitæ scriptos
perire non posse insinuans, ait : Surgent *Matth.*
pseudoprophetæ et pseudochristi, et da- XXIV, 24.
bunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Secundo dicitur aliquis scriptus in libro viventium, secundum suam spem vanam et opinionem fallacem. Hoc modo erant scripti Judæi, qui se præelectos a Deo opinantes, ceteros contempserunt, et Christum occiderunt. Et simili modo Chri-
stus in Evangelio appellat eos filios regni, *Ibid.* VIII,
non quod vere erant filii regni : filius 12.

Digitized by Google

Joan. viii, 35. namque manet in domo in æternum. Sed fi- A
lii regni erant secundum suam superbissi-
mam opinionem, dicentes ad Salvatorem :
Ibid. 41. Unum habemus patrem Deum. Quorum
Ibid. 44. errorem Christus declarans : Vos, inquit,
ex patre diabolo estis. Sic autem de libro
vitæ deleri, aliud non est, nisi in eo non
scribi, nec in divinæ pietatis memoria con-
tineri. Idcirco, quasi exponens quod dixit,
Deleantur de libro viventium, subdit : *et
cum justis non scribantur :* non quod ali-
quis de novo possit libro vitæ inscribi ;
sed dicitur Deus illud in libro vitæ scri- B
bere, quod finaliter approbat. Quoniam
ergo reprobi nil Deo acceptum aut meri-
torium operantur, secundum quod tales
sunt, dicuntur in libro vitæ non scribi.

30 Insuper Christus ait, (34) *Ego sum pau-
per.* Pauperem namque matrem elegit, in
paupertate vixit, in passione pauperrimus
est effectus, quia nudus in cruce suspen-
Matth. viii, 20. sus. Propter quod dixit : Vulpes foveas ha-
bent, et volucres cœli nidos ; Filius autem
hominis non habet ubi caput suum recli-
net. *Et dolens.* Christus multos in hac vita C
dolores sustinuit, maxime tamen in passi-
Is. i, 6. one dolorosissimus exstitit, quando a plan-
ta pedis usque ad verticem capitis, non
remansit in eo sanitas. *Salus tua, Deus,
suscepit me :* id est, beatitudo tua perfecta
in resurrectione glorificavit me, quantum
ad corpus ; et ita salus tua, Deus Pater,
suscepit me, id est, ego salutem tuam, vi-
delicet præmium accidentale, in resurrecti-
31 one suscepi. (35) *Laudabo nomen Dei cum
cantico,* id est cum spirituali lætitia et
hilaritate interna, atque vocali melodia, si D
opus est ; *et magnificabo eum in laude,* id
est, per laudem quam ei cantabo, dicam et
offeram, confitebor et manifestabo quod
...xliv, 3. Deus sit Dominus magnus atque laudabi-
lis valde. Quemadmodum enim in Oratio-
Matth. vi, 9. ne dominica dicimus, Sanctificetur nomen
tuum, non quod aliquid sanctitatis Deo ex
nobis accrescat, sed quia per nostræ ser-
vitutis puritatem probatur et declaratur
esse sanctus ; simili modo magnificamus
32 eum. (36) *Et placebit Deo* salus et magnifi-
catio ista, *super vitulum novellum,* id est
anniculum, *cornua producentem* pro mu-
nimine capitis, *et ungulas* pro pedum de-
fensione. Sacrificium namque laudis et
evangelicæ laudationis, acceptabilius Deo
est quam sacrificia illa legalia, quæ se-
cundum Apostolum, nec auferre poterant Hebr. x, 4, 1.
peccata, nec accedentem facere perfectum.

(37) *Videant* omnia nunc prædicta, *pau-* 33
peres, id est humiles spiritu, fideliter con-
templando, *et lætentur* in Domino de be-
neficiis ejus. *Quærite Deum,* faciendo quod
in vobis est, et fide ac opere in eum ten-
dite, *et vivet anima vestra,* id est, gratiam
consequetur, quæ est vita animæ, sicut
anima est corporis vita. Hoc est quod
Isaias propheta dicit : Quærite Dominum Is. lv, 6.
dum inveniri potest, invocate eum dum
prope est ; et in Evangelio Christus, Omnis Luc. xi, 10.
qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.
(38) *Quoniam exaudivit pauperes* spiritu 34
Dominus, qui de talibus dicit : Beati pau- Matth. v, 3.
peres spiritu. Et Isaias : Dominus sublimis Is. lvii, 15.
in sancto habitans, ut vivificet spiritum
humilium, et vivificet cor contritorum.
Et vinctos suos, id est peccatores electos,
qui ad tempus errant, sed in finem errare
non possunt, *non despexit :* quoniam pœ-
nitentes libenter ac misericorditer recipit,
quemadmodum per Jeremiam loquitur :
Revertere ad me, et non avertam faciem Jer. iii, 12.
meam. Vel, Vinctos suos, id est, eos qui se
ipsos divina lege constringunt, et manda-
tis divinis quasi vinculis quibusdam ab
omni via mala coercent. Vel : Vinctos suos,
id est sanctos in limbo detentos, Deus
Pater, seu Christus non despexit, quia Pa-
ter per Filium eos redemit. Unde apud
Isaiam Deus ait ad Christum : Dedi te in Is. xlix, 8, 9.
fœdus populi, ut suscitares terram, et di-
ceres his qui vincti sunt, Exite ; et his qui
in tenebris, Revelamini.

(39) *Laudent illum cœli et terra,* id est 35
angeli ac homines, sicut Moyses : Audite, Deut. xxxii, 1.
inquit, cœli, quæ loquor ; audiat terra ver-
ba oris mei. *Mare et omnia reptilia in eis*
laudent Deum materialiter, præbendo ho-
minibus occasionem laudandi Creatorem

Digitized by Google

A in creaturis relucentem, sicut refulget natura atque perfectio causæ in suo effectu.

36 (40) *Quoniam Deus salvam faciet Sion,* id est militantem Ecclesiam, dando hominibus gratiam, *et ædificabuntur civitates Juda,* id est particulares Ecclesiæ Christo confitentes. Juda enim interpretatur confessio. Vel, Civitates Juda, id est corda confitentium, quæ ædificantur per fidem et caritatem, ac opera virtuosa, prout ait
Rom. XIV, 19. Apostolus : Quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. (41) *Et inhabitabunt ibi,* id est, fideles in Ecclesia commorabuntur, obediendo ejus præceptis ; *et hereditate acquirent eam :* quoniam usque ad finem mundi durabit fides catholica, per quam fideles in Ecclesia habitare dicuntur.
37 (42) *Et semen servorum ejus,* id est spirituales filii Apostolorum, videlicet omnes credentes, *possidebit eam,* id est Ecclesiam, hereditario jure ; *et qui diligunt nomen ejus,* id est ipsum Deum, *habitabunt in ea.* Dilectio enim præcipua causa est, ob quam in Ecclesia atque in Christo manere censemur.

Videtur etiam posse exponi de triumphanti Ecclesia, quam vocat Apostolus
Hebr. XII, 22. Sion : Accessistis, inquiens, ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem. Eritque sensus : *Quoniam Deus salvam faciet Sion,* præcipue in die judicii, quando salutem corporum dabit electis, configurando corpus humilitatis nostræ *Philipp.* III, 21.
corpori claritatis suæ; *et ædificabuntur civitates Juda,* id est, ordines angelorum reparabuntur, et ruina cœlestis Jerusalem reformabitur per homines illuc ascendentes : sic civitates Juda, id est mansiones cœlestes, ex vivis lapidibus ædificabuntur. *Et inhabitabunt ibi,* id est in Ecclesia triumphanti, electi ; *et hereditate acquirent eam,* dum Christus dicet ad eos : Venite, benedicti Patris mei, percipite re- *Matth.* XXV, 34.
gnum quod vobis paratum est ab origine
B mundi. *Et semen servorum ejus,* id est imitatores Sanctorum, *possidebit eam,* id est terram viventium sine fine ; *et qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea.* Caritas enim nunquam excidit, sed cives *I Cor.* XIII, 8.
cœlestis Jerusalem efficit.

Verumtamen, sicut quod dictum est, Fiat habitatio eorum deserta, etc., litteraliter explanatum est de urbe Jerusalem et civitatibus reliquis tribus Juda, sic nunc introducta videntur ad litteram posse exponi de civitatibus materialibus Juda, ut
C sit sensus : Ædificabuntur civitates Juda. Jerusalem namque et aliæ urbes a Romanis destructæ, postmodum erant reædificatæ, multoque tempore habitabant in eis veri Israelitæ et spirituales Judæi, videlicet Christiani, donec exigentibus culpis suis, hereditatem suam perdiderunt, et a Sarracenis dejecti sunt.

ARTICULUS XXXV

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI.

I Joann. II, 6. QUONIAM, sicut ait discipulus quem diligebat Jesus, Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse
Joann. XIII, 16. ambulare (non enim est servus major domino suo) ; idcirco mirum non est, quod psalmi illi, qui ad litteram de Christi humilitate et passione loquuntur, moraliter
D de corpore ejus mystico exponuntur, præsertim quum dicat Apostolus : Omnes qui *II Tim.* III, 12.
volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur. Hinc ergo psalmus iste, qui de Christi passione ad litteram expositus est, moraliter elucidatur de corpore ejus mystico, quod est Ecclesia.

Digitized by Google

Ecclesia igitur, seu fidelis quicumque, A in medio laqueorum se videns, et undique tribulari se pensans, nec propriis viribus se posse prævalere expertus, proclamet
2 ad Dominum : *Salvum me fac, Deus,* ab omni vulnere mentis, et si utile mihi est, etiam ab omni infirmitate corporis ; *quoniam intraverunt aquæ* tentationum diaboli, persecutionum mundi, et impugnationum appetitus sensitivi, *usque ad animam meam,* id est, profunde et fortiter mihi impressæ sunt ; nec possum de facili rejicere eas, quoniam intraverunt aquæ usque B ad animam meam, id est usque ad delectationem seu consensum mentis. Hoc unusquisque tentatus atque afflictus totis clamet præcordiis, dum se graviter impugnari
3 experitur. *Infixus sum in limo profundi,* id est in voluptate carnali, in sæculo isto vitioso atque fallaci, ita quod vitiis sum subjectus, in turpibus rebus delectatus, mundo isti per inordinatum affectum intentus ; *et non est* mihi *substantia,* id est virtus evadendi, resistendi, ac prævalendi. Vel, Non est substantia, id est substantia C stabilis, quoniam vanitati subjectus sum, corde vagus, et fragilis mente.

Veni in altitudinem maris, id est in adversitates ingentes, tribulationesque maximas ; *et tempestas demersit me,* id est, fortitudo ac impetus adversitatum hujusmodi dejecit, læsit, occidit, vel ad peccatum
II Cor. vii, me induxit : sicut ait Apostolus, Nullam requiem habuit spiritus noster; et rursus,
Ibid. i, 8. Supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos vivere. Dum primi nostri parentes nondum peccassent in paradiso, velut in D portu erant tranquillo ; perpetrato autem peccato, ipsi et omnis eorum posteritas in altitudinem maris, id est in profundum hujus mundi, projecti sunt, in quo toties nos demergit tempestas, quoties adversitati cedimus per impatientiam seu pusillanimitatem, et quoties tentationi consentimus, aut molestia aliqua frangimur. Tempestas hæc exteriorum persecutionum, demersit martyres sanctos in mortem corporalem ; apostatantes vero a fide, demersit in mortem animæ spiritualem. Vel sic : *Veni in altitudinem maris,* id est ad gradum prælationis in mundo isto ; *et tempestas demersit me,* id est, strepitus negotiorum sæcularium, sollicitudo temporalium rerum, occupatio exteriorum causarum, mentis quietem, lumen devotionis, ac cordis custodiam exstinxit aut minoravit in me.

Denique si velimus ista omnino ad litteram exponere, sic etiam quibusdam Christi membris convenient, videlicet sanctis martyribus in aquas projectis : quorum nonnulli divina virtute educti sunt, aliqui vero submersi ; sed omnium anima est salvata. In his autem aquæ materiales ac elementares intraverunt per os usque ad animam, id est usque ad interiora, vel usque ad exstinctionem corporeæ vitæ. Hi quoque infixi sunt in limo profundi, id est in terra lutosa, in fundo aquarum, vel in carceribus aquosis atque limosis,
ut erant Jeremias, Michæas, et alii multi. III Reg. xxii, 27.
Unde Jeremias de se ipso scribit, quod descendit in lutum carceris usque ad re- Jer. xxxviii, 6.
nes. Venerunt etiam quidam justorum in altitudinem maris, sicut de multis beatissimis martyribus scribitur, qui de navi, ripa, aut rupe, ligatis ad eorum corpora saxis, in mare jactati sunt. Horum autem unus exstitit Jonas propheta, qui in pelago missus, et a cete absorptus, ita de ventre
piscis oravit : Projecisti me, Domine, in Jonæ ii, 4, 6.
profundum in corde maris, et flumen circumdedit me ; omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt ; circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt 4
fauces meæ. Laborat Ecclesia deflendo sua peccata, pœnitentiamque agendo, atque pro aliorum conversione discurrendo, docendo, increpando, alliciendo ; clamatque ad Dominum pro indulgentia vitiorum, pro infusione gratiarum, pro illuminatione errantium, et emendatione pravorum. Raucæ fiunt voces ipsius, dum aliis prædicando, nil proficit, vel dum difficulter ac tarde exauditur a Deo, vel etiam ex nimio dolore

Digitized by Google

inflicto, aut labore assumpto, humore viribusque exhaustis. Hinc enim sanctus Job ait ad Dominum : Clamo ad te, et non exaudis me ; sto, et non respicis me : mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi ; et iterum, Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me.

Job xxx, 20, 21. — *Ibid.* vi, 4.

Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Hoc sæpius contingit infirmis Ecclesiæ membris, qui propter duritiam ac vehementiam tentationum et tribulationum, dum non exaudiuntur pro voto a Deo, infirmantur et nutant in spe et pusillanimes fiunt. Non enim convenit eis illud beati Job : Etiamsi occiderit me (Deus), in ipso sperabo. Vel : Defecerunt oculi mei corporales, plangendo, aut penitus pereundo, dum spero in Deum meum, quia in ipso sperando incessanter affligor, aut propter justitiam seu fidem catholicam morior. Unde de David ejusque sociis scriptum est : Elevaverunt vocem suam, et fleverunt, donec deficerent in ipsis lacrimæ. Vel : Defecerunt oculi mei interioris intellectus, dum spero in Deum meum, quoniam non tam fiducialiter, amorose, et immobiliter in Deo confido, sicut deceret.

Ibid. xiii, 15. — I *Reg.* xxx, 4.

5 *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Multi et innumerabiles sunt hostes Ecclesiæ atque sanctorum, videlicet omnes infideles, hæretici, schismatici, falsi fratres, detractores, ambitiosi, ac invidi. Hi omnes gratis et sine rationabili causa persequuntur Ecclesiam. Habemus quoque invisibiles inimicos multos et fortes. De quibus dicit Apostolus : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principatus et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Habemus etiam hostes domesticos multos ac periculosos, qui sunt propriæ passiones ac vitia. De his adversariis dicere potest Ecclesia et quilibet justus : *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste ; quæ non rapui, tunc exsolvebam,* id est, pœnas quas non merui, passus sum. Hoc sanctis martyribus maxime competit, qui pro Deo, pro fide, pro justitia occubuerunt. Unde et Job : Hæc (ait) passus sum absque iniquitate manus meæ, quum mundas haberem ad Deum preces. Deus enim frequenter permittit tribulari electos sine eorum demerito, quatenus gloriosius coronentur. Nunquam tamen infert alicui damnum in bonis spiritualibus gratiæ gratum facientis, sine propria hominis culpa.

Ephes. vi, 12. — *Job* xvi, 18.

Deinde Ecclesia in persona infirmorum suorum loquens membrorum, seu quilibet pœnitens propriam insipientiam atque peccata humiliter confitetur, dicendo : *Deus, tu scis insipientiam meam,* etc. Insipiens est enim omnis qui peccat, quia in malevolam animam non introibit sapientia. Et quid tam stultum atque vesanum, quam non obedire præceptis, nec acquiescere consiliis et exhortationibus æternæ Sapientiæ ? Insipientia magna est, carnis vitiis deservire, animæ salutem negligere, in statu tali vivere in quo non audet quis mori. Porro delicta nostra Deo sunt cognita, sicut ipse alibi testatur : Cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra. Hæc propriæ insipientiæ atque iniquitatis confessio, veræ sapientiæ infusionem et gratiæ justificationem meretur. De eo namque qui se ipsum æstimat sapientem, in Isaia scriptum est : Sapientia tua et scientia tua decepit te ; et denuo, Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Propterea hortatur Apostolus : Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Confiteamur igitur semper cum omni humilitate insipientiam nostram, quia veraciter insipientes sumus, quemadmodum scriptum est : Stultus factus est omnis homo a scientia sua. 6

Sap. i, 4. — *Amos* v, 12. — *Is.* xlvii, 10. — *Ibid.* v, 21. — *Rom.* xii, 16. — *Jer.* x, 14.

Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine. Dum Ecclesia seu quilibet justus injurias patitur, tentatur, aut simili modo affligitur, nisi tunc Deus ei subveniat, erubescere poterunt alii Deum exspectantes, id est in ipso sperantes, quorum 7

Digitized by Google

ista spes est, quod (sicut affirmat divina Scriptura) Deus Ecclesiam suam non derelinquit, nec justos finaliter opprimi sinit; sed agit quod ait Scriptura, Mihi vindictam, et ego retribuam; et, Non vidi justum derelictum; et, Non patietur vos tentari supra id quod potestis. Quid est ergo, Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine? nisi, In omni necessitate atque angustia mihi succurre, ab omni persecutione et tentatione me eripe, omnesque preces meas exaudi, sicut in sacra Scriptura te facturum promittis, quatenus alii in te sperantes corroborentur in spe, videntes misericordiam tuam mihi impensam. Et ad eumdem sensum pertinet versus sequens. In his enim quæ ad affectum respiciunt, solet Scriptura frequenter eumdem sensum sub aliis verbis repetere. Ait enim : *Non confundantur super me,* id est propter derelictionem meam et oppressionem, *qui quærunt te, Deus Israel:* qui utique confunderentur et scandalizarentur, nisi viderent mihi opem et gratiam donari a te. Dicerent enim : Vanus est qui servit Domino; et quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus?

Rom. xii, 19. Ps. xxxvi, 25. I Cor. x, 13. Malach. iii, 14.

8 *Quoniam propter te sustinui opprobrium :* id est propter justitiam, propter fidem, propter nominis tui amorem atque honorem, passus sum contumeliam, non propter meam offensam aut culpam. Hæc est vera sustinentia, patientiaque beata, quemadmodum ait Salvator : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; et iterum, Beati estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Quidam tamen opprobrium sustinent, non propter Deum atque justitiam, sed propter se ipsos seu propriam culpam. Et quidem hoc æquanimiter ferre, tanquam pœnam pro culpa inflictam, bonum meritoriumque consistit; sed multo minus virtuosum est hoc, quam si propter Deum sustineatur. Propter quod princeps Apostolorum dicit : Hæc est gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ est enim gratia, si peccantes et colaphizati, suffertis? Si autem benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. Aliqui vero verba Salvatoris jam præinducta, quibus ait, Beati qui persecutionem, etc., inconvenienter allegant. Dum enim pro suis corriguntur excessibus, excusant se ipsos, seque gravari arbitrantes, consolantur se ipsos et dicunt : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Si igitur pœnas atque injurias propter Deum nobis illatas, patienter ferre nequimus, hoc valde intolerabile est, quod disciplinas, increpationes et pœnas, propter nostros excessus irrogatas, pati contemnimus : sicut de quibusdam in Jeremia legitur, Renuerunt accipere disciplinam; et alibi, Odio habuerunt corripientem.

Matth. v, 10. Ibid. 11. I Petr. ii, 19, 20. Jer. v, 3. Amos v, 10.

Operuit confusio faciem meam, id est, vehementer et ex omni parte confusus sum propter te : non quod homo virtuosus erubescat, seu confundatur propter injurias sibi inflictas, imo in talibus gaudet, quemadmodum Christus hortatur, Gaudete in illa hora et exsultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo; sed quia hoc sustinet, de quo alii erubescere solent, videlicet exprobrationem, contemptum, abjectionem et similes pœnas. Imbecilliores tamen, in talibus animo confunduntur et vultu erubescunt. Sed talibus elaborandum est, ut discant Christi vestigia cum gaudio imitari, dicentes cum Apostolo : Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.

Luc. vi, 23. Galat. vi, 17.

9 *Extraneus factus sum fratribus meis :* id est, quasi alienum ejecerunt, spreverunt et reputaverunt me propinqui, cognati, amici, familiaresque mei. Et hoc idem sub aliis verbis resumitur : *et peregrinus filiis matris meæ,* id est, velut hospes qui una nocte recipitur, et alio die emittitur, factus sum proximis meis, qui sunt filii matris meæ, quæ est Ecclesia, vel Eva, aut mater mea immediata. Hinc enim in Evangelio Dominus ait discipulis : Trademini a

Luc. xxi, 16.

Digitized by Google

fratribus et propinquis et amicis; et ite- A
Matth. x, 22. rum, Odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum. Religiosus etiam et devotus, qui Christum sequendo reliquit patrem, matrem, sororem, fratrem, sive uxorem, versum hunc dicere potest.

Cur vero ista perpessus sit, subdit :
10 *Quoniam zelus domus tuæ comedit me :* id est, magna affectio boni status Ecclesiæ ac divini honoris, boni communis ac fraternæ salutis, spiritualiter me ipsum absorbuit, et in caritatis viscera transformavit. Zelus namque est effectus amoris, ex B intenso amore procedens : per quem utique zelum nititur homo repellere a se ea, quæ consecutionem boni optati impediunt. Et sicut amor est duplex, nimirum concupiscentiæ, quo amat quis aliquid propter propriam utilitatem aut delectationem, quemadmodum homo amat agrum, vestem, pecuniam; et amor amicitiæ, quo diligit homo bonum dilecti, et ipsum dilectum, ut in se ipso perfectus exsistat : sic zelus est duplex, puta carnalis et inordinatus :
Ps. xxxvi, 1. de quo dictum est supra, Neque zelaveris C
I Cor. iii, 3. facientes iniquitatem. Et Apostolus : Quum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? Alius est zelus divinus et caritativus, quando videlicet nititur homo ex dilectione excludere quæ contrariantur divino honori, aut bono fratris dilecti. De
III Reg. xix, 10. hoc zelo ait Elias : Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. De eo quoque nunc dicitur, Quoniam zelus domus tuæ comedit me. Etenim bono zelo comeditur, qui quælibet prava, quæ videt, corrigere cupit; si autem non potest, tolerat et gemit. D Talem zelum multi devoti in claustris habent, qui ordinis rigorem stricte observari desiderant. Et de isto zelo Gregorius loquitur : Acceptissimum sacrificium est zelus animarum.

Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Quemadmodum lapis contra turrim projectus, quam frangere nequit, resilit, et vitrum ex opposito situm super quod cadit, frangit; sic blasphemiæ et maledicta, Deo et Christo ejus illata, ipsis non nocent, sed servis Dei sunt occasio mortis aut læsionis, dum se falsitati opponunt, et mori malunt quam talia dissimulare aut tolerare. Opprobria autem servis Dei illata, dici possunt opprobria Dei et Deo inflicta, quemadmodum per Zachariam Dominus ait : Qui tetigerit vos, Zach. ii, 8.
tangit pupillam oculi mei; et in Evangelio : Qui vos audit, me audit; et qui vos Luc. x, 16.
spernit, me spernit.

Et operui in jejunio animam meam, 11
corporaliter abstinendo ad implorandum misericordiam Creatoris, prout ipse alibi admonet : Convertimini ad me in toto cor- Joel ii, 12.
de vestro, in jejunio et fletu. *Et factum est in opprobrium mihi.* Perversi enim opera bona sanctorum sinistre interpretantur, eisque detrahunt. Et communiter boni sunt opprobrium malorum, quoniam pravitatem eorum corripiunt, et ob id oblocutionem irrisionemque sustinent, sicut Job ait : Deridetur justi simplicitas. Unde Do- Job xii, 4.
minus ait ad Ezechielem : Portentum te Ezech. xii, 6, 11.
dedi domui Israel. Dic, Ego portentum vestrum. Sunt etenim nonnulli perversi, qui bona aliorum, quæ imitari vel nolunt, vel nequeunt, irrident atque vituperant. *Et po-* 12
sui vestimentum meum cilicium. Hoc facere solet Ecclesia, præsertim dum instant magna pericula : sicut etiam in veteri Testamento sæpius factum Scriptura commemorat. *Et factus sum illis in parabolam.* Quanto enim boni se magis humiliant, tanto maligni amplius contra eos insaniunt. Propter quod dicit Apostolus : Blasphemamur, I Cor. iv, 13.
et obsecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema
usque adhuc. *Adversum me loquebantur* 13
qui sedebant in porta, id est, qui in apertis et publicis locis sedebant, oblocuti sunt mihi; *et in me psallebant* cum irrisione, *qui bibebant vinum,* videlicet gulosi et ebriosi. De quibus apud Isaiam habetur :
Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem Is. v, 11.
sectandam, et potandum usque ad vesperum. Tales enim contemnunt atque derident justos et sobrios, qui eorum vitia arguunt et condemnant, dicentes illud Jo-

Digitized by Google

Joel i, 5. elis : Expergiscimini, ebrii, et flete ; et A
ululate, omnes qui bibitis vinum in dul-
cedine.
14 *Ego vero orationem meam ad te, Domine,*
fudi, orando pro me ipso ac hostibus meis,
Matth. v, 44. prout tu, Domine, jussisti : Diligite inimi-
cos vestros, et orate pro persequentibus et
calumniantibus vos. Et decet te, Domine,
exaudire, quoniam *tempus* talis orationis,
est tempus *beneplaciti,* id est tempus tibi
acceptum, o *Deus,* quia in eo fit quod tibi
maxime placet. Orantibus enim pro adver-
sariis suis, Christus in Evangelio promit- B
Luc. vi, 35. tit, dicens : Eritis filii Altissimi. Ideo eo-
rum oratio est accepta, et tempus ejus
beneplacitum est. *In multitudine mise-
ricordiæ tuæ,* id est propter multam tuam
clementiam, *exaudi me in veritate salutis
tuæ,* dando mihi veram salutem mentis et
15 corporis, quam peto a te. *Eripe me* per
gratiam tuam, *de luto,* de quo superius di-
xi, Infixus sum in limo profundi, videlicet
de vita carnali, et sæculo isto vitioso at-
que tenaci ; *ut non infigar,* id est, ne luto
huic omnino immergar. *Libera me ab his* C
qui oderunt me, scilicet ab invisibilibus et
visibilibus inimicis, *et de profundis aqua-
rum,* id est de magnitudine tribulationum :
Thren. iii, 54. de quibus in Threnis scriptum est, Inun-
daverunt aquæ super caput meum.
16 *Non me demergat* finaliter, nec me de-
mersum teneat, *tempestas aquæ,* id est
impetus tentationis, strepitus vitiorum, vel
sollicitudo rei sæcularis ac temporalis. *Ne-
que absorbeat me,* id est, animam meam
non perdat, *profundum,* id est desperatio,
obstinatio, seu pessima consuetudo. De quo D
Prov. xviii, 3. profundo Salomon ait : Impius quum in
profundum venerit peccatorum, contem-
nit. Ab hoc profundo videntur absorpti, de
Jer. xiii, 23. quibus per Jeremiam dicitur : Si mutare
potest Æthiops pellem suam, et pardus va-
rietates suas, et vos poteritis benefacere
Ibid. v, 3. quum didiceritis malum ; et, Induraverunt
facies suas supra petram, et noluerunt re-
verti. *Neque urgeat super me puteus os
suum.* Puteus est quoddam profundum, et
modo idem designat. Sed dicitur profun-
dum, seu puteus, os suum urgere seu clau-
dere super peccatorem, dum ipse peccator
obstinationi et pravæ consuetudini super-
addit finalem impœnitentiam, ita quod
confiteri contemnit, et in sua aversione
decedit, sicut de eo Isaias dixit : Scivi, in- Is. xlviii, 4.
quit, quia durus es tu, et nervus ferreus
cervix tua, et frons tua ærea. Jeremias
quoque : Frons mulieris meretricis facta Jer. iii, 3.
est tibi, noluisti erubescere. Qui autem
peccata sua humiliter confitetur, hujus pu-
tei clausuram egreditur, juxta illud : Qui Prov. xxviii, 13.
abscondit scelera sua, non dirigetur ; qui
autem confessus fuerit et reliquerit ea, mi-
sericordiam consequetur. Unde et sanctus
Job asserit : Vias meas in conspectu Dei Job xiii, 15, 16.
arguam, et ipse erit salvator meus.
Exaudi me, Domine, non propter vitæ 17
meæ justitiam, sed *quoniam benigna est
misericordia tua.* Vere enim ineffabiliter
pius es, totaliterque benignus, ad cujus
misericordiam peccatores tam dulciter in-
vitantur : Convertimini ad Dominum Deum Joel ii, 13.
vestrum, quia benignus et misericors est,
patiens et multæ misericordiæ, et præsta-
bilis super malitia. *Secundum multitudi-
nem miserationum tuarum respice in me*
oculo tuæ pietatis immensæ. *Et ne avertas* 18
faciem tuam, id est intellectus tui piam
memoriam, singularem providentiam, be-
nignissimam approbationem, *a puero tuo,*
id est a me famulo tuo, ne oblivioni tradar
a te, et inter eos inveniar quibus dictu-
rus es, Nescio vos. Solet autem Scriptura Matth. xxv, 12.
nomine pueri, servum significare, quem-
admodum de Elia dicitur, Reliquit ibi pu- III Reg. xix, 3.
erum suum. Interdum quoque per puerum
intelligitur filius, sicut de Christo in Actis
scribitur, Convenerunt adversus sanctum Act. iv, 27.
puerum tuum Jesum : et ita nunc accipi
potest pro filio Dei adoptivo. Sicque blan-
de ac dulciter sonat quod dicitur : Et ne
avertas faciem tuam a puero tuo. Nec est
omnium hoc dicere, sed eorum qui Deo
familiares esse meruerunt. De quibus per
Isaiam Christus testatur : Ecce ego et pu- Is. viii, 18.
eri mei, quos dedit mihi Dominus in si-
gnum. *Quoniam tribulor, velociter exaudi*

Digitized by Google

me. Continuis quippe tribulationibus labo-
Job vii, 1. rant electi, quia militia est vita hominis
19 super terram. *Intende animæ meæ* per sin-
gularem custodiam, providendo ei de om-
nibus necessariis ad æternam salutem, *et*
libera eam a malo culpæ et pœnæ. *Propter*
inimicos meos, id est occasione inimicorum
meorum, *eripe me* ab omni periculo. Ma-
litia namque adversantium electis, est oc-
casio quod Deus eis succurrit : propter
quod tempore tribulationis Deus maxime
pronus est ad exaudiendum et succurren-
dum, si tamen oratio tribulati ex vera
caritate procedat, non ex servili timore.
20 *Tu scis improperium meum et confusio-*
nem meam et reverentiam meam. Quid-
quid enim adversitatis aut pœnæ homini
accidat, Deus cognoscit. Et istud cum ver-
su sequenti, dicit homo ad provocandum
misericordiam Dei, qui afflictis subvenire
Thren. i, 20. consuevit. Unde Jeremias : Vide, inquit,
21 Domine, quoniam tribulor. *In conspectu*
tuo sunt omnes qui tribulant me, nec ali-
quid possunt in me, nisi permittantur a
te. *Improperium exspectavit cor meum et*
miseriam. Hoc justo in tribulationibus con-
stituto atque Ecclesiæ sæpissime convenit,
qui injuriam verborum atque factorum si-
bi imminere cognoscunt ab impiis. Præci-
pue vero competit hoc et sequentia sanctis
martyribus, qui dum essent clausi in car-
cere, agnoscebant se die sequenti verbis
et ictibus graviter molestandos. *Et susti-*
nui qui simul contristaretur, et non fuit,
etc. Compassio et consolatio afflicto exhi-
bitæ, ex caritate procedunt. Quoniam ergo
Matth. x, 22. Christus in Evangelio ait electis, Odio eri-
tis omnibus hominibus propter me; ideo
accidit, quod electi interdum nullum repe-
riunt compatientem aut consolatorem, imo
frequenter a proximis et fratribus suis de-
22 spiciuntur. *Et dederunt in escam meam*
fel, etc. Hoc ad litteram quibusdam mar-
tyribus factum est. Spiritualiter vero dat
alii fel pro cibo et acetum pro potu, qui
malo exemplo alium inficit, atque ad ama-
ritudinem et indignationem animum ejus
Deut. xxix, 18. perducit. Ideo namque Moyses ait : Non sit

A inter vos radix germinans fel et amaritu-
dinem. Et Habacuc propheta : Væ qui po- *Habac.* ii, 15.
tum dat amico suo, mittens fel suum.
Fiat mensa eorum coram ipsis in laque- 23
um : id est, malum quod mihi paraverunt,
irruat super eos, et iniquitate propria con-
stringantur ac puniantur : quemadmodum
in Proverbiis scribitur : In impietate sua *Prov.* xi, 5, 6.
corruet impius, et in insidiis suis capien-
tur iniqui. Uniuscujusque enim malum in
proprium redundat auctorem, et injuriato
nulla nocebit adversitas persequentis, si
B nulla in ipso dominetur iniquitas propriæ
mentis. *Obscurentur oculi eorum ne vi-* 24
deant quanta eis æternæ mortis tormenta
parata sint, et quantam felicitatem amit-
tant. *Effunde super eos iram tuam,* dere- 25
linquendo eos in suo errore, sicut inferius
de reprobis dicis : Dimisi eos secundum *Ps.* lxxx, 13.
desideria cordis eorum. De quibus et Job
ait : Non est virga Dei super eos; ducunt *Job* xxi, 9, 13.
in bonis dies suos, et in puncto ad infer-
num descendunt. *Et furor iræ tuæ com-*
prehendat eos, damnando eos finaliter, ir-
C reparabiliter et æternaliter, quemadmodum
alibi legitur : Ulciscens Dominus et habens *Nahum* i, 2.
furorem, ulciscens in hostes suos. *Fiat ha-* 26
bitatio eorum deserta. Civitates et domus
infidelium, sæpe a fidelibus destructæ,
possessæ et inhabitatæ leguntur : et tunc
tabernacula infidelium, proprio inhabi-
tante carebant. Spiritualiter autem habi-
tatio impiorum fit deserta, dum corpora
eorum ab animabus ante tempus separan-
tur, ita quod propter sua peccata occi-
duntur, aut celerius moriuntur ; vel dum
D animæ eorum, quæ esse deberent sedes
sapientiæ, reclinatorium Dei, et domus
Christi, a gratia relinquuntur, nec a Deo
per fidem formatam inhabitantur : sicut
per Ezechielem Dominus ait de peccatrice,
Recessit anima mea ab ea; et de impiis in *Ezech.* xxiii, 18.
Osee, Væ eis, quum recessero ab eis. *Osee* ix, 12.
Quoniam quem tu percussisti permissi- 27
ve, *persecuti sunt* malitiose, atrociter, et
mala intentione. Permittit enim Deus ele-
ctos ab impiis tribulari, quatenus expur-
gentur. Impii vero non ideo tribulant eos,

Digitized by Google

ut purgentur, sed invidiose eos affligunt. A
Idcirco, quemadmodum pater virga corrigit
filium, quo correcto, projicit virgam in
ignem; sic Deus per reprobos corrigit ele-
ctos, quibus emendatis atque salvatis, pro-
jicit reprobos in ignem æternum. *Et super*
dolorem vulnerum meorum addiderunt mi-
hi dolorem verborum malorum, irrisiones,
29 maledictiones, blasphemias. *Deleantur de*
libro viventium, id est a consortio Beato-
rum : ad quorum numerum se pertine-
re existimant etiam infideles et pessimi,
quamvis ignorent in quo vera beatitudo B
consistat.
30 *Ego sum pauper,* præsertim in bonis
gratiæ, in donis Spiritus Sancti, in spiri-
tualibus atque internis divitiis; et conve-
Apoc. III, 17. nit mihi quod in Apocalypsi habetur : Tu
es miser et miserabilis, pauper, cæcus et
nudus. Sum quoque *et dolens,* propter pec-
cata commissa, et mundi errores, ac tuas
injurias. Idcirco *salus tua, Deus, suscepit*
me, id est, gratia tua salvifica mihi infusa
est, et tu ipse, qui es vera salus omnium
electorum, me misericorditer suscepisti : C
31 propterea gratias referam Deo, et *laudabo*
nomen Dei cum cantico psalmodiæ, divi-
norum hymnorum, devotionisque fervidæ,
quia non clamor, sed amor insonat auribus Omnipotentis. Cetera patent ex præcedenti articulo.

Ecce psalmum præclarum et sanctum audivimus, de Christi passione, Judæorum excæcatione, et ædificatione Ecclesiæ diffuse ac lucide pertractantem. Discamus igitur exemplo Christi, in omni persecutione esse patientes, in omni tentatione constantes, in omni adversitate robusti. Continentur quoque in psalmo præsenti devotissimæ et ardentissimæ orationes, mirabili dulcedine redundantes. Quid enim tam amorosum atque suave, sicut tres versus illi, Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, etc.? Cum multa itaque mentis custodia, munditia et fervore ingenti, canamus semper hunc psalmum.

PRECATIO.

Deus, cui est omnis cogitatio manifesta, et a quo delicta nostra non sunt abscondita, respice nos in multitudine misericordiæ tuæ, et maculas te offendentes a nobis absterge; intende animæ nostræ, et libera eam ab improperio et ab æterna confusione.

ARTICULUS XXXVI

ELUCIDATIO PSALMI SEXAGESIMI NONI : DEUS, IN ADJUTORIUM, ETC.; ET DE ADMIRABILI VIRTUTE PRIMI VERSUS PSALMI PRÆSENTIS.

HABET autem hic psalmus titulum is- D
1 tum : *In finem, psalmus David, in rememo-*
ratione quod salvum fecit eum Dominus :
id est, psalmus iste a David conscriptus, et in finem, qui est Christus, nos dirigens : psalmus, inquam, sancti David, hic in persona hominis justi loquentis, in rememoratione, id est de memoria, quod salvum fecit eum Dominus. Et ita David fecit hunc psalmum ad recolendum beneficia sibi divinitus præstita. Nicolaus de Lyra dicit hunc psalmum in Hebræo taliter intitulatum : Ad victoriam David, ad recordandum; in translatione quoque Hieronymi juxta Hebræum, sic : Victori, ad recordandum. Quod autem adjungitur, Quod salvum fecit eum Dominus, asserit ab aliquo expositore adjunctum. Propterea ait hic esse prophetiam de futuro, ita ut prævidit in Spiritu Sancto, principium hujus psalmi

Digitized by Google

esse recordandum in omni canonicarum A
horarum initio, vel juxta initium, sicut
jam fit in Ecclesia.

LOQUENS ergo Propheta in persona vi-
ri justi tribulati atque tentati, ait :
2 (1) *Deus, in adjutorium meum intende,* id
est, ad hoc respice in me, ut adjutorium
mihi impendas. Intende in adjutorium
meum, non in derelictionem, excæcatio-
nem, damnationemque meam. Cogita su-
Jer. xxix, 11. per me cogitationes pacis, non afflictionis,
Mich. ii, 3. quemadmodum de quibusdam dicis : Ecce B
ego cogito super familiam istam malum,
unde non auferetis colla vestra. Sed quia,
o Domine, indesinenter tua ope indigeo,
tua conservatione subsisto, idcirco, *Domi-
ne, ad adjuvandum me festina.* Tu enim
Joann. xv, 5. dixisti : Sine me nihil potestis facere; et
II Cor. iii, 5. per Paulum, Non sumus sufficientes co-
gitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed
sufficientia nostra ex Deo est.
3 (2) *Confundantur et revereantur, qui
quærunt animam meam,* etc. Versus iste,
cum duobus sequentibus, exponi potest C
dupliciter : in bono, et in malo. Primo
igitur exponendi sunt versus isti in bono,
eritque sensus : *Confundantur* de suis pec-
catis, et ex confusione pœniteant, *et reve-
reantur,* id est, Deum honorent, Deumque
judicem expavescant, *qui quærunt ani-
mam meam,* id est hostes mei, qui quæ-
runt vitam meam corporalem lædere sive
exstinguere, aut spiritum meum inficere
atque subvertere. Est autem duplex con-
Eccli. iv, 25. fusio, quemadmodum ait Scriptura : Est
confusio adducens peccatum, et est confu- D
sio adducens gratiam et gloriam. Confusio
adducens peccatum, est verecundari de
Ibid. 31. bono. Unde scriptum est : Non confunda-
ris confiteri peccata tua. Confusio autem
adducens gratiam in præsenti, gloriamque
in futuro, est verecundari de malo culpæ,
Rom. vi, 21. sicut de quibusdam ait Apostolus : Quem
fructum habuistis tunc in illis, in quibus
4 nunc erubescitis? (3) *Avertantur retrorsum,*
id est, a malo opere cessent, a proposito
pravo desistant, neque in malo procedant
et crescant, *et erubescant,* quod tam inho-
neste ac vitiose egerunt aut agere opta-
verunt; *qui volunt mihi mala* pœnæ vel
culpæ : quod ad invidiam pertinet. Et ita
vir justus pro adversariis suis intime de-
precatur. (4) *Avertantur statim* a suo er-
rore, *erubescentes* de propria iniquitate,
quoniam periculosum est eis perseverare
in culpa; *qui dicunt mihi, Euge, euge,*
gaudendo de mea miseria, vel de mea pro-
speritate se gaudere dicentes, non vere,
sed adulatorie aut irrisorie. Habet autem
homo duplices hostes, invisibiles atque vi-
sibiles. Si ergo de invisibilibus hostibus
nunc loquamur, tunc ista nullo modo ex-
ponenda erunt in bono, præsertim quum
hostes hujusmodi sint incorrigibiles et ob-
stinati.

Secundo exponuntur in malo, hoc modo : *Confundantur* iniqui, confusione reprobationis divinæ ac damnationis æternæ, *et revereantur,* id est, verecundentur in conspectu justi judicii Dei, de peccatis propriæ voluntatis, quemadmodum in Osee scribitur : Confundetur Israel in volunta- *Osee* x, 6.
te sua. Solet enim interdum, Revereri, accipi pro Verecundari, sicut et irreverens dicitur inverecundus, juxta illud : Animæ *Eccli.* xxiii, 6.
irreverenti ne tradas me. *Qui quærunt animam meam* seducere, vel vitam meam destruere. *Avertantur retrorsum,* id est, a summo bono avertantur, et caducis ac vanis rebus inhæreant : sicut de eis Dominus per Jeremiam ait, Verterunt ad me *Jer.* ii, 27.
dorsum, et non faciem; et alibi, Aversus *Ibid.* viii, 5.
est populus iste aversione contentiosa. *Et erubescant* erubescentia damnationis, non confessionis, *qui volunt mihi mala,* sive suam voluntatem perducant ad actum, sive non. *Avertantur statim erubescentes,* etc., id est, protinus gratia tua priventur, et nomen tuum confiteri, suaque vitia propalare erubescant. Unde Moyses loquitur : Dominus Deus tuus, ipse est Deus *Deut.* vii, 9, 10.
fortis et fidelis, reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. In præsenti etenim sæculo statim

Digitized by Google

subtrahit eis gratiam atque protectionem, permittens eos cadere de malo in malum : quod est maxima ultio.

5 (5) *Exsultent,* id est, signa lætitiæ foris ostendant, et ex interiori hilaritate quasi extra se saltent, *et lætentur* interiori gaudio, *in te,* non in vanitatibus mundi, *omnes qui quærunt te* fide et opere, aut faciendo quod in se est, ut gratiam tuam, contemplationem ac dilectionem bonitatis tuæ acquirant, conservent, possideant. *Et dicant : Semper magnificetur Dominus,* id est, ab omnibus honoretur ac benedicatur, magnusque esse cognoscatur, *qui diligunt salutare tuum,* id est salutem gratiæ in præsenti, et beatitudinem gloriæ in futuro; vel, Salutare tuum, Christum omnium salvatorem.

6 (6) *Ego vero egenus et pauper sum.* Egeni sumus, propter imperfectionem naturalem animæ nostræ ac virium ejus. Anima enim rationalis, est infima in ordine intellectualium substantiarum; et intellectus possibilis in principio sui, est tanquam tabula omni carens pictura. Voluntas quoque naturaliter ad malum proclivis est, et memoria labilis. Pauperes vero sumus, propter gratiæ imperfectionem. Nam om-
Is. LXIV, 6. nes nostræ justitiæ sunt velut pannus menstruatæ; et hoc ipsum quod boni in nobis est, aliunde recepimus, nec aliquid ex propriis viribus prævalemus. Propter quod quotidie mendicamus panem a Patre
Luc. XI, 3. cœlesti, dicentes : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et ipse David alio
I *Reg.* XVIII, 23. loco : Ego, inquit, sum vir pauper et tenuis. Quum ergo sim adeo egenus et pauper, o *Deus, adjuva me* per gratiæ infusionem, per Christi passionem, per angeli sancti custodiam, per intercessionem Sanctorum, per consilium atque auxilium proximorum et prælatorum meorum. (7) *Adjutor meus,* in faciendo bono, *et liberator meus,* in declinando a malo, *es tu,* et alius nullus, nisi in tua virtute hoc faciat. *Deus meus,* quem singulariter amo et colo, *ne*
* moreris *tardaveris* * preces has implere.

Denique psalmus iste de Christo exponi
A potest. Nam ipse, ut homo, frequenter petivit adjutorium Dei, ut a morte suscitaretur, in corpore glorificaretur, et per totum orbem clarificaretur. Sed expositio ista ex sæpe inductis atque dicendis clarissime patet. Nam et psalmus iste pro magna parte in psalmo sequenti continetur; totus vero continetur in psalmo tricesimo nono, cujus exordium est, Exspectans exspectavi Dominum, ab illo loco quo dicitur, Complaceat tibi, Domine, ut eruas *Ps.* XXXIX,
me. Sive autem de Christo, sive de ejus 14.
B membris exponatur hoc quod dicitur, Confundantur et revereantur, etc., cum duobus sequentibus versibus, quando in malo exponitur, tripliciter intelligi potest : primo, per modum prænuntiationis, non imprecationis, ad designandum quid impiis sit futurum, nisi pœniteant; secundo, per modum declarationis, ostendentis quid mereantur maligni; tertio, per modum orationis, qua se homo conformat divinæ justitiæ, cupiens impios justas luere pœnas, vel in præsenti, ne æternaliter pereant, vel
C in futuro, nisi jam convertantur et Deo ministrent. Si autem intelligantur hi versus de invisibilibus hostibus, tunc simpliciter et absolute accipiuntur in malo.

Magna proinde et admiranda est virtus primi versus psalmi præsentis : propter quod merito mater Ecclesia a Spiritu Sancto instructa, instituit in singularum Horarum principio, vel circa principium, dici hunc versum, quatenus divinæ subventionis clypeo præmuniti, universas evadamus inimici insidias, qui utique tunc
D nobis fortius insidiatur, nequiusque obsistit, dum divina inchoare curamus.

Laudem præterea hujus versiculi, illustrissimus pater noster Cassianus libro primo Collationum, pulchre prosequitur, describens ea quæ ex ore sancti anachoretæ abbatis Isaac didicit. Ad perpetuam, inquit, Dei memoriam possidendam, hic versus inseparabiliter proponendus est menti : recipit enim omnes affectus qui inferri possunt humanæ naturæ, et ad omnem statum atque universos incursus pro-

Digitized by Google

prie et convenienter aptatur. Habet siquidem adversus discrimina invocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis perpetuique timoris vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperque adstantis præsidii : qui enim jugiter suum invocat protectorem, certus est eum semper esse præsentem. Habet amoris et caritatis ardorem, habet insidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem, quibus perspiciens se die noctuque vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, et impenetrabilis lorica ac munitissimus clypeus. Hic versus in acedia et anxietate animi collocatos, seu tristitia vel cogitationibus quibuscumque depressos, salutis remedia desperare non patitur, ostendens illum quem invocant, inspicere jugiter nostra certamina, nec eum suis deesse supplicibus. Admonet nos versus iste, in prosperis successibus spiritualibusque profectibus non extolli, sed sicut in duris ac tristibus, ita in lætis ac prosperis nos semper divino indigere auxilio, quatenus ab illis eruamur, et in istis stabiliter immoremur. Porro quocumque peccato pulsemur, quacumque passione tentemur, quacumque adversitate, evagatione, ariditate, tædioque molestemur, semper nobis clamandum est : Deus, in adjutorium meum intende, etc. Hujus ergo versiculi meditatio, in tuo pectore indirupta volvatur. Hunc in omni opere, ministerio atque itinere decantare non desinas. Hunc, dormiens et reficiens, et in ultimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc enim meditatio, non solum ab omni dæmonum incursione te illæsum custodiet, sed a cunctis quoque vitiis terrenæ te contagionis expurgans, ad illas invisibiles ac cœlestes theorias perducet, atque ad illum ineffabilem ac perpaucis expertum, provehet orationis ardorem. Hunc versiculum meditando obdormi, donec incessabili exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, universas quoque cogitationes inanes anticipet, teque omni tempore prosequatur.

PRECATIO.

Deus auctor salutis humanæ, contra quærentes animam nostram in adjutorium nostrum intende : ut eorum per te infestatione a nobis cessante, te adjutorem et protectorem nostrum magnificemus sine fine.

ARTICULUS XXXVII

DECLARATIO PSALMI SEPTUAGESIMI : IN TE, DOMINE, SPERAVI, ETC.

1 Præsentis psalmi titulus est : *Psalmus David, filiorum Jonadab, et primorum captivorum.* Jeremias narrat, quomodo Jo-
Jer. xxxv, 14. nadab filiis suis præcepit non bibere vinum, neque in domibus residere, sed in tabernaculis habitare. Cui filii fideliter obedierunt : propter quod Dominus im-
Ibid. 14-16. properat filiis Israel, quod verba Jonadab prævaluerunt verbis suis, quibus filii Israel obedire neglexerunt. Psalmus vero jam declarandus, non agit de ista historia, sed de re significata per eam, videlicet de his qui divinæ voluntati sponte obediunt: qui fuerunt primi captivi, id est, antequam ad Deum conversi sunt, subditi erant servituti peccati et jugo diaboli,

Digitized by Google

Ephes. II, 3. quemadmodum ait Apostolus : Nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, et eramus natura filii iræ, sicut
Rom. V, 14. et ceteri. Quamdiu enim portamus imaginem prævaricationis Adæ, captivi ducimur in legem peccati; dum vero imaginem Christi portare incipimus, imitando vestigia ejus, liberamur a misera captivitate culpæ atque diaboli, efficimurque filii gratiæ, et in Domino liberi. Hinc enim
I Cor. XV, 47-49. dicit Apostolus : Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Sensus itaque tituli est : *Psalmus* iste, qui est *David* prophetæ, sicut auctoris, editus est ad instructionem *filiorum Jonadab*, id est filiorum obedientiæ, sponte servientium Deo, *primorum captivorum*, id est filiorum qui erant captivi, secundum modum jam dictum, antequam Domino obedirent, cui servire, est vere regnare.

LOQUENS ergo Propheta in persona hominis vehementer afflicti, et in Domino pure ac integre confidentis, sibique nil boni aut perfectionis attribuentis, ait : (1) *In te, Domine, speravi :* id est, in tua pietate immensa, in tua bonitate purissima, in merito passionis tuæ, o Christe, non in propriis meritis, vel in incerto divitiarum, aut in aliquo bono creato, caduco et vano, confisus sum. Idcirco oro ut *non confundar in æternum,* id est, ne æternaliter peream, nec in die judicii, verbum illud æternæ confusionis, cum re-
Matth. XXV, 41. probis audiam : Ite, maledicti, in ignem æternum. Quamvis ergo, o Domine, in præsenti vita a malignis confundor, despicior, tribulor, non confundar in æternum, nec spei meæ priver effectu, sed fructum ejus adeptus salvificer, quemadmodum testatus
Jer. XXXIX, 18. es speranti in te, per Jeremiam : Eruens liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam.

2 *In justitia tua libera me,* etc. Justitia
A Dei duplex est, scilicet increata, quæ est ipsemet Deus. In hac justitia liberat Deus viros justos atque perfectos, qui merito suæ conversationis virtuosæ, salvari merentur a Domino. Alia vero est justitia Dei creata, quæ dici potest omnis gratia, virtus et perfectio nobis a Deo concessa. Omnis enim nostra justitia, est Dei, sicut datoris, conservatoris, ac præmiatoris. Specialiter tamen ista justitia dici potest pœnitentia seu forum pœnitentiale, in quo de peccato justitia agitur, dum ipsum cor-
B rigitur atque punitur. In hac ergo justitia pœnitentiali, qua homo de propria culpa dolet, seque ad Deum convertit, petit liberari peccator et pœnitens, qui nondum virtutibus plenus est, nec bonis operibus meritisque abundans. Ait ergo : *In justitia tua,* id est, sicut exigit tua divina justitia, *libera me* a malo culpæ in sæculo isto, *et eripe me* a malo pœnæ in sæculo venturo : hoc enim divina justitia tua exigit, ut sperantem in te pœnitentemque liberes. Vel : In tua justitia, mihi a te in-
C fusa ac data, videlicet merito actuum virtuosorum, quos virtute gratiæ tuæ feci, libera me. Liberatio enim actui virtutis correspondet. Nec ista petitio repugnat ei quod dictum est : In te, Domine, speravi. Spes enim principaliter innititur Deo, secundario autem innititur proprio merito, quod homo agnoscit sibi a Deo concessum, quia et nostra merita sunt Dei dona.

(2) *Inclina ad me aurem tuam,* id est, misericordiam tuam applica mihi, *et salva me,* nunc per gratiam, per opera virtuosa,
D per inchoationem felicitatis futuræ, videlicet per contemplationem deiformem et consolationem internam; in futuro vero me salva per gloriam. (3) *Esto mihi in Deum* 3
protectorem, et in locum munitum : id est, tu qui es omnium Deus et conservator, sic sis mihi Deus, ut me protegas et conserves, sicut in loco munito custoditur homo a jaculis atque insidiis inimici : quatenus sicut qui offendit, et iram judicis metuit, ad locum refugii properat, et in eo tutatur; sic mihi peccatori sit semper recur-

Digitized by Google

sus ad tuam clementiam, securitasque in A ea; *ut salvum me facias.* Quod ideo deprecor te, (4) *Quoniam firmamentum meum,* id est causa totius firmitatis stabilitatisque meæ, *et refugium meum,* id est terminus fugæ meæ, spes mea et summum bonum meum, in quo solo salutem constituo, *es tu,* Domine.

4 (5) *Deus meus, eripe me de manu peccatoris,* id est de potestate diaboli, ne ejus impugnationi succumbam. De quo in Evan-
Joann. VIII, 44. gelio scriptum est : Homicida erat ab ini-
I Joann. III, 8. tio, et in veritate non stetit; et alibi, Dia- B bolus ab initio peccat. Eripe quoque me *et de manu contra legem agentis,* id est cujuslibet hominis impii justos persequentis, ne ab homine tali inficiar et seducar; *et iniqui,* qui fraternæ caritatis jura dissolvens, me persequitur sine causa. Maxime tamen, o Domine, eripe me de manu peccatoris, id est a me ipso peccatore, secundum quod impius sum, et de manu mei ipsius contra legem agentis, convertendo me ad te, ne talis sim qualis fui, sed esse desistam injustus : quemadmodum scri- C
Prov. XII, 7. ptum est, Verte impios, et non erunt.

5 (6) *Quoniam tu es patientia mea, Domine,* id est causa, finis et præmium patientiæ
Job XVII, 15. meæ. Unde et sanctus Job ait : Ubi est præstolatio mea et patientia mea? Tu es, Domine, Deus meus. *Domine, spes mea a juventute mea :* vel corporali, quoniam multi a juventute jugum Domini super se portant, et in Deo confidunt, illi videlicet qui in prima vigilia convertuntur. Propter
Thren. III, 27. quod Jeremias testatur : Bonum est viro, quum portaverit jugum Domini ab adole- D
Eccli. LI, 15, 17, 18. scentia sua; et alius, Laudabo nomen tuum, Domine, assidue, et confitebor tibi quum adhuc junior sum, antequam oberrem. Vel, A juventute mea spirituali, id est ab illo
Ephes. IV, 23. *Coloss.* III, 9, 10. tempore quo cœpi renovari spiritu mentis meæ, exspoliando me veterem hominem cum actibus suis, et induendo novum, qui renovatur in agnitionem Dei, secundum Apostolum. Ab hac juventute est Deus spes hominis, quia sic renovari et taliter conversari nemo potest, nisi in Domino sperans.

(7) *In te confirmatus sum ex utero,* id 6
est, tua virtute sum conservatus in esse naturali in utero matris meæ carnalis, usque ad egressum ex utero, et deinceps. Nisi enim Deus conservaret infantem in utero, esse et permanere non posset, sicut nec aliquid sine manutenentia Dei subsistere valet; et nisi infantem in utero a cunctis præservaret periculis, frequenter facileque moreretur in ventre. Propterea dicit S. Thomas et alii multi, quod infanti adhuc in utero exsistenti, deputatur angelus bonus qui eum custodiat. *De ventre matris meæ tu es protector meus,* id est, ab ortu nativitatis meæ usque in præsens, tu protexisti me per te ipsum et angelum tuum sanctum. Quamvis enim justo judicio suo permittat Deus aliquem aliquando cadere, quemlibet tamen electum in tantum defendit, quod non permittit eum in peccato mortali decedere, vel a diabolo finaliter absorberi : imo in quolibet reprobo hoc agit misericordia Creatoris, quod per angelicam custodiam a multis malis retrahitur, atque ad aliqua bona instigatur. Spiritualiter vero ita exponendus est versus iste : *In te confirmatus sum,* id est, in fide et gratia tua cœpi stabiliri, *ex utero,* id est ex catechismo, ubi in christiana doctrina instructus sum. *De ventre matris meæ,* id est de ventre Ecclesiæ, utpote ex sacro Baptismate, in quo spiritualiter re- *Joann.* III
generatus sum ex aqua et Spiritu Sancto. In Baptismo enim infunditur nobis gratia, fides, spes, caritas. *Tu es protector meus,* me conservando in donis gratiæ gratum facientis, in Baptismo collatis.

(8) *In te cantatio mea semper :* id est, laus mea vocalis, exsultatio cordis, et regratiatio animæ meæ, circa tua beneficia versatur, et de tua bonitate concipitur, ita quod incessabiliter te laudare desidero, in omni loco, causa ac tempore. Et si hominem laudo, vel aliquid creatum, hoc ago ad gloriam tuam, tibi omnia bona adscribens, et ad tuum honorem omnia referens. Nec aliquem laudo in malo (sicut *Ps.* X, 3
superius dictum est, Quoniam laudatur *Hebr.*

Digitized by Google

peccator in desideriis animæ suæ); sed si A
quem laudo, propter virtutes et gratiæ do-
Rom. I, 8; na hoc facio. Hoc modo Paulus suos fre-
XVI, 4, etc. quenter laudavit discipulos.
7 *Tanquam prodigium factus sum mul-*
tis, id est, velut portentum a multis sum
Sap. II, 15. reputatus, irrisus ac spretus, quoniam vita
mea vitæ illorum dissimilis invenitur. Tem-
poralia enim, carnalia et delectabilia, quæ
ipsi magni pendunt, laudant, acquirunt et
Philipp. III, 8. diligunt, ego velut stercora arbitror, ut
Christo pura ac libera mente adhæream;
cœlestia, invisibilia et æterna terrenis, vi- B
Matth. XIX, 29. sibilibus et transitoriis præfero; patrem,
matrem, fratres, sorores, uxorem, propin-
quos, agros et cetera universa pro Christi
Sap. V, 4. amore relinquo: ideo vitam meam putant
insaniam. Unde et ait divinus Apostolus:
I Cor. IV, 9. Spectaculum facti sumus mundo et ange-
lis et hominibus; ad Philippenses quoque,
Philipp. III, 8. Existimo, inquit, omnia detrimentum esse
propter eminentem scientiam Domini no-
stri Jesu Christi. Hinc etiam sanctus Eze-
Ezech. XXIV, 24. chiel ait ad populum suum: Ezechiel erit
portentum vestrum. *Et tu adjutor fortis:* C
id est, tu, Domine, fortiter mihi adstitisti,
magnamque gratiam ac fortitudinem dona-
sti, ita quod propter improborum irrisiones
et persecutiones non recessi a te, nec ab
opere bono cessavi, sicut, heu! plurimi fa-
cere solent, qui dum se ab aliis aspernari,
molestari et vituperari conspiciunt, viam
perfectionis arreptam relinquunt. Quocon-
Hebr. XII, 1-3. tra exhortatur nos divinus Apostolus: Per
patientiam curramus ad propositum nobis
certamen, adspicientes in auctorem fidei
et consummatorem Jesum, qui proposito D
sibi gaudio, sustinuit crucem, confusio-
ne contempta. Recogitate eum, qui ta-
lem sustinuit a peccatoribus adversus se-
metipsum contradictionem, ut non fatige-
Ibid. XIII, 13. mini animis vestris. Et rursus: Exeamus
igitur ad eum extra castra, improperium
ejus portantes.

Deinde vir justus cupiens de tantis be-
neficiis gratus Domino inveniri, precatur.
8 (9) *Repleatur os meum laude:* id est, tu, Do-
mine, mentem accende, illumina, quatenus
tuam bonitatem et beneficia contemplan-
do, os divina laude repleatur. Ex abun- Matth. XII, 34.
dantia enim cordis os loquitur. Et nisi tu
mentem divino calore succenderis, cito fa-
tigabitur in tua laude os corporis, imo et
spiritus meus. Idcirco superius dictum est:
Sicut adipe et pinguedine repleatur anima Ps. LXII, 6.
mea, scilicet divino amore, et labiis ex-
sultationis laudabit os meum. Unde nunc
plenius subdit, cur petat os suum laude
impleri: *ut cantem gloriam tuam,* id est,
quatenus prædicem famam tuam glorio-
sam, tuamque excellentiam cantando an-
nuntiem, *tota die magnitudinem tuam,* id
est, semper, quantum huic vitæ possibile
est, majestatem ac dignitatem tuam decan-
tem. Hoc nempe est divinissimum ac illu-
strissimum præsentis vitæ exercitium, in
divinis laudibus jugiter delectari, hilariter
occupari, affectuosissime immorari, cum
beatissimo Isaia propheta dicendo: Domi- Is. XXV, 1.
ne, Deus meus tu es, exaltabo te, et con-
fitebor nomini tuo; et iterum, Nomen tuum Ibid. XXVI, 8.
et memoriale tuum in desiderio animæ.
Hæc est vere angelica cœliformisque vita,
divinæ glorificationis meritoria, sicut et
ipse Dominus affirmat: Quicumque glori- I Reg. II, 30.
ficaverit me, glorificabo eum.

(10) *Ne projicias me in tempore senectu-* 9
tis. Quemadmodum duplex assignata est
nunc juventus, spiritualis et corporalis,
sic duplex senectus est: una corporis,
dum calor deficit, et corporea virtus oc-
cumbere incipit; alia vero est senectus
animæ, dum spiritualis calor amoris frige-
scit, nec anima per gratiarum incrementa
renovatur, sed in negligentia sua et vitiis
inveteratur, vel tædio persecutionum gra-
vatur, aut minus activa in bonis efficitur.
Et de utraque senectute intelligi possunt
hæc verba, Ne projicias me in tempore se-
nectutis: id est, ne gratiam tuam auferas
mihi, dum corporaliter senesco, aut men-
te deficio; sed tunc tanto benignius mihi
subvenias, quanto me amplius indigere
agnoscis. Et ideo, quasi exponendo quod
dictum est, addit: *Quum deficiet* * *virtus* * defecerit
mea corporalis aut spiritualis: quod ma-

Digitized by Google

xime fieri solet et potest in agone, et tem-
pore magnæ infirmitatis; *ne derelinquas*
me. In hoc versu S. Thomas singularem
præcipuamque devotionem habere solebat,
et in dulces lacrimas ac uberem fletum
amorose resolvi. Versus enim hic mirabi-
liter affectuosus, dulcis et efficax est, et
salubris : modo eum ita ut decet, consi-
deremus.
Merito autem, o Domine, peto ista a te,
10 (11) *Quia dixerunt inimici mei mihi* quid-
quid excogitare potuerunt ad fallendum et
opprimendum me. Dæmones enim honores
proponunt, mundus divitias, caro delicias.
Et qui custodiebant, id est observabant,
animam meam ad decipiendum, *consilium*
fecerunt in unum, id est pari proposito et
fine eodem, facti unanimes ad perpetran-
11 dum illicita; (12) *Dicentes : Deus dereli-*
quit eum. Quoniam enim factus sum illis
prodigium, putant vitam meam Domino
non placere, præsertim quum videant se
in hoc sæculo prosperari ac prævalere, me
vero variis calamitatibus fatigari atque de-
ficere. Hoc namque opinantur maligni,
dum justos cernunt affligi, se autem lætari
Habac. I, 4. ac dominari. Unde Habacuc : Quia, inquit,
impius prævalet adversus justum, propter-
ea egreditur judicium perversum. Et quia
Joann. XVI, 2. me putant a Deo derelictum, arbitrantur se
obsequium præstare Deo me persequendo;
et cohortando se, dicunt : *Persequimini et*
comprehendite eum, id est, facite ei quod
vultis, *quia non est qui eripiat* eum de
manibus vestris : ipse namque humanum
auxilium sprevit, et in Deo confisus est.
Non advertunt isti insensati et reprobi,
Sap. III, 6. quoniam sicut aurum in fornace, sic Deus
Act. XIV, 21. probat electos; et quia per multas tribu-
lationes oportet nos ingredi gloriam Dei,
quemadmodum apud sanctum Job induci-
Job XXII, 29, 30. tur : Qui humiliatus fuerit, erit in gloria,
et salvabitur innocens.
12 (13) *Deus, ne elongeris a me,* auxilium
differendo, gratiam subtrahendo, aut eam
minorari sinendo; sed, o *Deus meus,* in
quo summe et plene confido, *in auxilium*
meum respice, tanto gratiosius succurren-
A do, quanto illi malitiosius me subvertere
enituntur : quemadmodum scriptum est,
Nahum I, 7. Bonus Dominus et confortans in die tribu-
lationis, et sciens sperantes in se. (14) *Con-* 13
fundantur de suis sceleribus, *et deficiant*
ab exsecutione operis mali, *detrahentes*
animæ meæ, bonam ejus famam denigrare
optantes : quod est mortale peccatum, quo-
niam bona fama multum pretiosa atque
amabilis est, et melior cunctis divitiis,
Eccle. VII. quemadmodum Salomon profitetur : Me-
lius est nomen bonum quam unguenta pre-
B tiosa; et Ecclesiasticus : Curam habe de
Eccli. XLI, 15. bono nomine; hoc enim magis proderit
tibi, quam mille thesauri. Propterea de-
tractio est majus peccatum quam furtum.
Operiantur confusione prædicta, *et pu-*
dore, qui in confessione peccati maxime
cooperatur ad culpæ remissionem, etiam
quantum ad pœnam, *qui quærunt mala*
mihi inferre, meque ad peccandum indu-
cere, aut simili modo injuste affligere.
De hac bona confusione apud Ezechielem
Ezech. XXXVI, 32. scriptum est : Confundimini et erubescite
C super viis vestris, ait Dominus. Verum-
tamen, quomodo ista confusio, pudor et
defectio multipliciter accipi queant, in præ-
Ps. LXIX, 3, 4. cedentis psalmi explanatione inductum est.
(15) *Ego autem semper sperabo,* id est, 14
quantumcumque illi me persequantur ver-
bis et factis, occulte et publice, ego nihilo
minus incessanter in te confidere volo :
Job XIII, 15. sicut beatus Job de se fatetur, Etiam si
occiderit me, in ipso sperabo. Et Salo-
Prov. III, 5. mon : Habe fiduciam in Domino ex toto
Ibid. XX, 22. corde tuo; et, Exspecta Dominum, et libe-
D rabit te. *Et adjiciam super omnem laudem*
tuam : id est, omnem laudem qua te ve-
nerari potero, vel ab aliis es laudatus,
confitebor esse minorem tua dignitate, et
in infinitum deficere a præconio quo tu
dignus es, propter tuæ bonitatis plenitu-
dinem prorsus immensam : idcirco, quan-
tum mihi possibile fuerit, semper conabor
te novis hymnis laudare, perfectiori laude
extollere, et nunquam a tua laude cessare.
(16) *Os meum annuntiabit,* apud se te lau- 15
dando, teque coram aliis prædicando, *ju-*

Digitized by Google

stitiam tuam, qua unicuique reddis quod A
meretur, et sine personarum acceptione
omnia operaris. Te ergo, o Domine, justi-
ficabo, tua judicia approbabo, me vero ac-
cusabo et condemnabo. Potest quoque per
justitiam Dei sacra Scriptura intelligi, in
qua divinæ justitiæ præcepta atque con-
Prov. VIII, silia continentur. Unde Sapientia ait : Ju-
sti sunt omnes sermones mei, et non est
in illis perversum quid neque pravum. Et
ita Dei justitiam annuntiare, est sacram
Scripturam docere, prædicare, aut legere.
Annuntiabit quoque os meum *tota die sa-* B
lutare tuum, id est, indesinenter compe-
tentibus horis diei, narrabo atque laudabo
Dominum Christum omnium salvatorem ;
vel, Salutare tuum, id est salutem et sal-
vationem quam nobis misericorditer im-
pendisti per Christum, atque in cœlis pa-
rasti.

(17) *Quoniam non cognovi litteraturam.*
Istud variis modis exponi potest. Primo
sic : Non cognovi litteraturam, id est, non
approbavi inanem philosophiam, et om-
Cor. X, 5. nem scientiam extollentem se adversum C
scientiam Dei : non quod philosophia sit
per se odibilis aut vitanda; sed quia non
debemus in ea quiescere et inaniter glo-
riari aut inflari, sed ad divinam doctrinam
ipsam ordinare. Vel, Non cognovi littera-
turam, id est, nihil me scire arbitratus
sum, quando in conspectu Dei me ipsum
constitui, et ad ejus sapientiam infinitam
me comparavi. Vel, Non cognovi littera-
turam, id est aliquam scientiam per hu-
manam exercitationem, informationem et
studium. Hoc non competit omnibus, sed D
Petro et Joanni, de quibus legitur, quod
Act. IV, 13. erant homines sine litteris et idiotæ. Di-
citur etiam convenire sancto David, qui
I Reg. XVI, 11; XVII, 15. tempore suæ juventutis oves pavisse le-
gitur, non scholas frequentasse, ut aliqui
dicunt; sed non videtur certum, quia et
psalmos metro conscripsit.

Quoniam ergo his modis vel aliquo ho-
16 rum, non cognovi litteraturam, *introibo*
per contemplationem supernaturalem, *in*
potentias Domini, id est in perfectiones
seu veritates divinas, easque cognoscam
et alios instruam. Perfectio Dei et virtus
ejus, est una ac simplex, utpote sua es-
sentia ; sed dicuntur plures potentiæ, per-
fectiones virtutesque Dei, quoniam Deus
in ipso suo simplicissimo esse, omnium
rerum perfectiones eminentissime com-
prehendit. Ad harum divinarum perfecti-
onum, quæ sunt sapientia, justitia, mise-
ricordia, contemplationem ingreditur, qui
in proprio sensu non confidit, neque na-
turali rationi innititur, sed divinitus illu-
stratur. Unde et Christus in Evangelio :
Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc *Matth.* XI, 25.
a sapientibus et prudentibus, et revelasti
ea parvulis. Quid est, A sapientibus et
prudentibus, nisi a litteratis? Et nonne
Paulus litteratus erat, qui legem ad pedes *Act.* XXII, 3.
Gamalielis didicerat? Quid ergo est, Abs-
condisti hæc a sapientibus, prudentibus
et litteratis, nisi ab his qui in sua sapien-
tia et litteratura inaniter gloriantur, seque
sapientes et litteratos arbitrantur? Tales
propter suam superbiam, divinæ illumina-
tionis capaces non sunt, nec fiunt, nisi
convertantur et efficiantur ut parvuli. Ideo *Matth.* XVIII, 3.
namque ait sapientissimus Paulus : Si quis *I Cor.* III, 18.
videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat
ut sit sapiens. Vel sic : Introibo in poten-
tias Domini, id est, fortes Dei illuminatio-
nes, et potentes ac magnas gratias ejus re-
cipiam, tanquam nihil de proprio sperans
ingenio, sed Deo me humiliter applicando,
sicque contemplabor et sciam quam po-
tens et gloriosus sit Deus meus. Et tunc,
o *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius,*
id est, tuam dumtaxat justitiam commemo-
rabo, nihil de mea justitia allegabo, omne
bonum, virtutem et gratiam tibi adscri-
bam, omne malum, omnem defectum et
culpam mihi attribuam, dicamque cum
Apostolo : Gratia Dei sum id quod sum ; et *Ibid.* XV, 10.
denuo, Qui se putat aliquid esse, quum ni- *Galat.* VI, 3.
hil sit, ipse se seducit; et iterum, Ignoran- *Rom.* X, 3.
tes, inquit, Dei justitiam, et suam volentes
statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.

Et quasi quis diceret, Si, o serve Dei,
litteraturam non nosti, quomodo tam de-

Digitized by Google

cora documenta atque sublimes sententias A
nosti atque conscribis ? respondet, ad Do-
17 minum loquens : (18) *Deus, docuisti me* per
inspirationem Spiritus Sancti et illumina-
tionem supernaturalem, *a juventute mea,*
vel corporali, vel spirituali : de quibus
modo satis prædictum videtur ; *et usque*
nunc, conservando, augendo, seu perfi-
ciendo gratiam tuam in me. *Pronuntia-*
bo mirabilia tua, quæ facis in cœlo et
in terra, in operibus naturæ ac mysteriis
gratiæ : maxime tamen incarnationem, pas-
sionem, et mortem tuam, o Christe, pro- B
18 nuntiabo. (19) *Et usque in senectam* spi-
ritualem, *et senium* corporale, de quibus
distinctio assignata est, pronuntiabo mira-
bilia tua. *Deus, ne derelinquas me,* (20) *Do-*
nec annuntiem brachium tuum, id est
majestatis tuæ potentiam ; vel, Brachium
tuum, id est unigenitum Filium tuum,
qui est fortitudo et virtus tua : de quo
Is. LII, 10. Isaias dixit, Paravit Dominus brachium san-
ctum suum in oculis omnium gentium.
Luc. XI, 20. Sicut et Spiritus Sanctus vocatur digitus
Dei ratione sui effectus, quoniam cuncta C
demonstrat ; sic Filius appellatur brachi-
Hebr. I, 3. um Dei, qui omnia portat et sustentat ver-
bo virtutis suæ. Annuntiem itaque, Domi-
ne, brachium tuum *generationi omni quæ*
ventura est usque ad finem mundi. Hoc
auctor psalmi præsentis excellenter per-
fecit. Per librum enim Psalmorum, quem
edidit et nobis reliquit, annuntiat ista in-
desinenter toti mundo : et quilibet nostrum
hoc agit, dum quantum sibi possibile est,
nomen Dei glorificat, et ejus honorem au-
gere conatur ; atque post suam mortem D
divinæ legis testimonia disserit, verbo, fa-
ma et vita verum esse contestans quod
fides affirmat catholica.

Annuntiem quoque, o Domine, (21) *Po-*
tentiam tuam, quæ vere immensa est, per
quam omnia creasti, conservas et regis,
19 *et justitiam tuam, Deus,* qua unicuique
quod meretur, rependis : potentiam, in-
quam, et justitiam tuam annuntiem, non
secundum quod in se est, quoniam sic
omnino incognita est ; sed per comparati-
onem ad suos sublimes effectus, videlicet
usque in altissima, quæ fecisti, magnalia.
Quæ autem sunt ista altissima magnalia
a Deo producta ? nisi angelicorum distin-
ctio ordinum, creatio visibilium et invisi-
bilium, beatificatio electorum, gubernatio
mundi, justificatio impii, redemptionis hu-
manæ mysteria, et reliqua Dei prodigia,
signa atque miracula. In his effectibus
relucet Creatoris justitia et admiranda po-
tentia. Quum ergo tanta sint tua magnalia,
o *Deus, quis similis tibi ?* quasi dicat, Nul-
lus. Similitudo autem est duplex, imitativa
seu imperfecta, et naturalis seu perfecta.
Secundum primam similitudinem creatura
similis est Creatori, præcipue homo, qui
ad Dei imaginem et similitudinem factus *Gen.* I, 27.
est ; sed quantum ad similitudinem secun-
dam, nil creatum simile est Creatori. Unde
per Isaiam prophetam dicitur : Cui simi- *Is.* XL, 18.
lem fecistis Deum ? aut quam imaginem
ponetis ei ? Et Job : Ecce excelsus Deus *Job* XXXVI,
in fortitudine sua, et nullus ei similis in 22.
legislatoribus.

(22) *Quantas,* o Deus, *ostendisti mihi* per 20
experientiam, *tribulationes* mundi, carnis,
ac dæmonum, *multas* numero, *et malas*
malitia pœnæ, acerbas ac duras, aut certe
injusta seu mala intentione aliorum illa-
tas ! *Et conversus,* id est placatus et mei
misertus, *vivificasti me* vita gratiæ, aufe-
rendo a me flagella iracundiæ tuæ ; *et de*
abyssis terræ, id est de submersione pec-
cati, et fluctibus sæculi, *iterum,* id est fre-
quenter, *reduxisti me* ad statum salutis et
gratiæ. (23) *Multiplicasti magnificentiam* 21
tuam, id est, magnam tuam potentiam
multipliciter ostendisti in me, flagellando
me variis modis ; *et conversus,* ab ira tuæ
vindictæ ad mansuetudinem tuæ dilectionis
paternæ absque tui mutatione, *consolatus*
es me infusione interioris lætitiæ, contem-
platione felicitatis futuræ, seu præmiorum
consideratione, et allocutione sacræ Scri-
pturæ, in qua dicitur : Quoniam non sunt *Rom.* VIII,
condignæ passiones hujus temporis ad fu- 18.
turam gloriam, quæ revelabitur in nobis ;
et, Si compatimur, et conregnabimus. *Ibid.* 17. II *Tim.* II, 12.

Digitized by Google

Hujus autem consolationis meæ indi- A
22 cium est : (24) *Nam et ego confitebor tibi*
confessione laudis, *in vasis psalmi,* id est
in psalmis, quæ sunt vasa laudis divinæ
in ipsis contentæ; vel, In vasis psalmi, id
est in viris devotis, in quorum cordibus
velut in vasis continetur laus tua; vel, In
vasis psalmi, id est in Psalterio, quod di-
citur vas psalmorum; *veritatem tuam,*
Deus, id est, ad gloriam tuam confitebor
seu laudabo veritatem tuam in divinis
Scripturis traditam, vel veritatem tuam
increatam, quæ est omnis veritatis fontana B
origo. *Psallam tibi in cithara* spirituali,
scilicet in carnis mortificatione per citha-
ram significata, o Domine, qui es *Sanctus*
Israel, id est sanctificator populi te fide-
liter contemplantis.
23 (25) *Exsultabunt labia mea* exteriora, id
est, signa lætitiæ manifestabunt, *quum*
cantavero tibi : quoniam vultu hilaris ero,
udith xvi, secundum faciem Sanctorum, quum te ore
. laudavero. Vel : Exsultabunt, id est, exu-
beranter gaudebunt, labia mea interiora,
videlicet intellectus et voluntas, quibus C
interiora verba et vota formantur, quum
cantavero tibi, id est ad tuum honorem.
Et anima mea quam redemisti per gra-
tiam tuam a culpa, atque per sanguinis tui
pretium a gehenna, exsultabit tibi cantan-
do. (26) *Sed et lingua mea* interior, scilicet 24
intellectus, *tota die,* id est horis aptis ac
debitis, *meditabitur justitiam tuam,* revol-
vendo intra se legem tuam justissimam.
Vel, Lingua mea corporea, meditabitur, id
est, ex interiori cogitatione loquetur, ju-
stitiam tuam. *Quum confusi,* id est repulsi,
victi, *et reveriti,* id est perterriti, *fuerint*
qui quærunt mala mihi, id est dæmones
mihi nocere optantes, vel homines mali :
de quorum confusione atque repulsa gau-
dent boni tranquillam vitam amantes. Sed
quia in hac vita non possumus plene erui,
totaliter jugiterque ab eorum impugna-
tione esse securi; idcirco versus iste ana-
gogice exponi potest de statu futuro in
patria. Tunc enim lingua nostra interior
et forte etiam exterior, tota die æternita-
tis, id est continue et indefesse, medita-
bitur justitiam Dei per contemplationem
clarissimam, quum confusi et reveriti fue-
rint, etc., quia in die judicii irreparabiliter
confundentur omnes iniqui, juxta illud
Isaiæ : Præcipitabit Dominus mortem in *Is.* xxv, 8.
sempiternum, et opprobrium populi sui
auferet. Unde et viro electo ait Dominus :
Ne timeas, quia ego tecum sum; ecce con- *Ibid.* xli,
fundentur omnes qui pugnant contra te. 10, 11.

ARTICULUS XXXVIII

EXPLANATIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI SEPTUAGESIMI DE CHRISTO.

QUONIAM psalmus iste gloriosus atque D decorus, in principio sui, verbis et sensu conformis est psalmo tricesimo, qui sic incipit sicut iste; in processu autem, similis est in aliquibus psalmo vicesimo primo, cujus exordium est, Deus, Deus meus, respice in me : quorum uterque ad litteram de Christo exponitur : idcirco studendum est, ut et præsens psalmus exponatur, quantum fieri potest, de Domino Salvatore.

Christus ergo secundum quod homo pas-
sibilis, et aliquo modo viator exstiterat, ad
passionem propinquans, oravit ad Patrem
dicendo : *In te, Domine* Pater, *speravi,* id 1
est, omne bonum quod desideravi, teque
rogavi, a te adipisci confisus sum, non
per spem quæ est virtus theologica, sed
per quamdam fiduciam. Spes enim quæ
est virtus theologica, est exspectatio futuræ
beatitudinis. Quum igitur anima Christi
a suæ creationis principio beata fuerit,

Digitized by Google

Deum videndo per speciem, constat quod A
spem talem non habuit; nihilo minus ha-
buit quamdam præstolationem sive fidu-
ciam : de qua in Proverbiis scribitur,
Prov. xvii, 8. Gemma gratissima, exspectatio præstolan-
tis. Speravit namque anima Christi a Deo
gloriam corporis, et alia quædam ad præ-
mium accidentale spectantia. Quoniam er-
go in te, Domine, speravi, *non confundar*
in æternum : id est, quamvis ad tempus
Matth. xxvi, 67, 68; Luc. xxiii, 11. a Judæis despicior et illudor, ab Herode
quoque et Pilato atque eorum militibus,
non tamen duret diu ista confusio, sed B
tertia die honorer a te per resurrectionem
2 beatam. *In justitia tua,* id est secundum
justitiam tuam, et secundum exigentiam
ejus, *libera me* a generatione hac infideli
Marc. ix, 18. ac pessima, de qua locutus sum : Quam-
diu apud vos ero? quamdiu patiar vos? *Et*
eripe me ab omni corporis mortalitate ac
passibilitate.

Inclina ad me Filium tuum unicum et
dilectum, *aurem tuam :* quod oro, non
quasi incertus quod sic facies, sed quia
per orationem decrevisti dare quod opto, C
ut ego ostendam me a te habere omne bo-
num quod habeo, aliisque formam orandi
exhibeam. *Et salva me* ab omni malo pœ-
næ, dando etiam præmium accidentale,
videlicet corporis glorificationem et as-
censionem.

3 *Esto mihi in Deum protectorem,* ne ante
tempus a te præordinatum, a Judæis com-
prehendar, occidar, aut lædar : qui me
Luc. iv, 29; Joann. viii, 59; x, 31. præcipitare lapidareque conati sunt, sed
non potuerunt quoniam nondum venit
Luc. iv, 30; Joann. x, 39; viii, 20. hora mea. Esto etiam mihi *et in locum* D
munitum, ut in te quasi in loco confugii
securus ab omni invasione quiescam, *ut*
salvum me facias, animam corpori reu-
niendo. *Quoniam firmamentum meum,* id
est confirmator meæ humanitatis, et causa
universæ fortitudinis ejus, *et refugium*
meum es tu, id est adjutor meus in quan-
tum homo sum, et ad quem in omni ne-
cessitate confugio. Hinc enim ait Salvator
Joann. v, 30. de semetipso : Non possum ego a me ipso
Ibid. xiv, 10. facere quidquam; et iterum, Pater in me
manens, ipse facit opera. Isaias quoque :
Ecce Dominus Deus, auxiliator meus; et Is. L, 9.
Jeremias : Dominus mecum est quasi bel- Jer. xx, 11.
lator fortis; idcirco qui me persequuntur,
cadent.

Deus meus, qui es specialissimo modo 4
Deus meus, *eripe me de manu peccatoris,*
id est de potestate Judæ proditoris, cujus
iniquitatem cœli revelabunt, et terra ad- Job xx, 27.
versus eum consurget; *et de manu contra*
legem agentis et iniqui, id est populi Ju-
dæorum, de quo dixi, Nonne Moyses dedit Joann. vii, 19.
vobis legem, et nemo ex vobis facit le-
gem? et rursus, Quare vos transgredimini Matth. xv, 3.
mandata Dei propter traditionem vestram?
Quoniam tu es patientia mea, Domine. 5
Omnis enim perfectio animæ Christi, a Deo
infusa collataque fuit. Christus quoque
omnia propter Dei honorem sustinuit, sic-
ut superius dixit, Quoniam propter te sus- Ps. LXVIII, 8.
tinui opprobrium : sicque Deus erat cau-
sa efficiens et finalis patientiæ Christi.
Domine, spes mea a juventute mea. Nam
Christus per prædictam fiduciam semper
certissime et immobiliter speravit in Deo.
Propter quod dixit : Ego autem sciebam Joann. xi, 42.
quoniam semper me audis.

In te confirmatus sum ex utero : id est, 6
in ipso Matris meæ virgineo utero, per
gratiam consummatam, id est per beati-
ficam fruitionem, fixus et roboratus sum
in te, ita ut a te nunquam possim averti.
Non enim solum erat anima Christi in ute-
ro Virginis sanctificata per gratiam, sed
et immobilis facta per gloriam. *De ventre*
matris meæ tu es protector meus : id est,
ab instanti nativitatis meæ usque ad mor-
tem protexisti me ab omni ruina peccati,
a tentatione diaboli, et a pœnis quas Judæi
mihi ante tempus inferre volebant. Quo-
niam enim Christus confirmatus erat in
bono in Virginis utero, post nativitatem
peccare nullatenus potuit. Hinc de se ipso
per Isaiam prædixit : Quis est adversarius Is. L, 8.
meus? accedat ad me. Quis contradicit mi-
hi? stemus simul. Ecce quanta securitas
propter protectionem divinam : propter
quod nullo modo opinandum est, quod

Digitized by Google

Luc. iv, 29. Christus expavit, quando ducebant eum A
ad supercilium montis, quatenus præcipitarent eum. *In te cantatio mea semper:* id est, te, o Deus Pater, semper laudavi, nominis tui honorem, non propriam gloriam, semper quæsivi, sicut testatus sum
Joann. viii, 50, 49. blasphemis Judæis : Ego non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum,
7 et vos inhonorastis me. *Tanquam prodigium factus sum multis,* puta Judæis, de
Ibid. x, 20. quibus scriptum est : Dicebant multi ex Judæis : Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis? Et quum filiam archisyna- B
Luc. viii, 52, 53. gogi suscitaturus dixisset, Puella non est mortua, sed dormit, deridebant eum. Unde de Christo apud Isaiam prædictum est:
Is. liii, 14. Inglorius erit inter viros adspectus ejus. *Et tu adjutor fortis,* quoniam in omni adversitate fecisti me constantem atque immobilem.

8 *Repleatur os meum laude.* Christus in gratia habituali nunquam profecit, nec in ea proficere exoravit. Unde, quemadmodum Sancti in patria Deum non rogant pro gratia benefaciendi, sic nec Christus C
exoravit ut ex gratiæ interioris incremento ad Dei laudem prorumperet. Ideoque quod ait, Repleatur, etc., potius congratulando quod sic est, quam orando ut sic sit, intelligendum videtur. Vel orat ut corpus suum in morte ab anima separatum, denuo uniatur eidem, et ita os suum corporale in triduo mortis clausum, per resurrectionem aperiatur, laudibusque divinis impleatur. *Ut cantem,* inquit, *gloriam tuam.* Christus enim ore interiori jugiter decantavit gloriam summæ Trinita- D
tis, laudando eam in sæculum sæculi multo sublimius quam aliquis Beatorum in patria, secundum quod comprehensor fuit: et *tota die,* id est incessanter, et in die æternitatis participatæ, quæ fuit mensura operationum suarum interiorum, convenientium sibi ut comprehensori, cantavit interiori melodia *magnitudinem* Dei, illam clarissime cognoscendo, atque dignissime extollendo. Denique etiam ante passionem et post resurrectionem cantavit ore corporali gloriam Dei, scilicet evangelicæ legis doctrinam, in qua Deus pulchre laudatur; et tota die, id est semper congruis horis, cantavit seu prædicavit magnitudinem Dei per se ipsum ac suos ministros.

Ne projicias me in tempore senectutis, 9
etc. Dicere aliquis posset, Christum orasse hunc versum, non pro se ipso, sed pro corpore suo mystico, eo modo quo jam impassibilis factus, dixit ad Paulum, Quid Act. ix, 4.
me persequeris? Præsertim quum nec corporalis senectus nec spiritualis in Christo fuisse noscantur : nam juvenis occisus est, et in interioribus semper æqualiter recens virensque exstitit : propter quod viridi ligno comparavit se ipsum. Verum- Luc. xxiii, 31.
tamen dicere possumus, quod hoc loco per tempus senectutis, intelligatur tempus dominicæ passionis, in qua corporalis natura Christi, instar hominum antiquorum, a suo virore atque vigore occubuit. Eritque sensus, exponendo hunc versum de Christo : *Ne projicias me in tempore senectutis,* id est, tempore passionis non subtrahas mihi tuæ paternæ pietatis præsentiam, derelinquendo corpus in tumulo, aut animam in limbo. Non enim oravit Christus ne projiceretur a Deo, gratiam amittendo aut gloriam, quoniam se confirmatum cognovit in bono. *Quum deficiet virtus mea* corporalis in cruce; quando exspiravit, inclinato capite tradens spiritum ; *ne dere-* Joann. xix, 30.
linquas me, sed audi quod dico : Pater, in Luc. xxiii, 46.
manus tuas commendo spiritum meum.

Merito quoque precor ista, o Pater, *quia* 10
dixerunt inimici mei Judæi *mihi* quidquid mali excogitare valebant, ut est illud, Numquid interficiet semetipsum? Et Joann. viii, 22.
alibi : Homo vorax, potator vini; Hic bla- Matth. xi, 19.
sphemat; multaque talia. *Et qui custodi-* Marc. ii, 7.
ebant animam meam, id est Judæi, qui observabant vitam meam ut eam arguerent : quemadmodum in Evangelio scriptum est, Observabant si sabbatis curaret Ibid. iii, 2.
Jesus, ut accusarent eum ; *consilium fecerunt in unum,* id est ad invicem et pari malitia, juxta illud : Consilium fecerunt, Matth. xxvi, 4.
ut Jesum dolo tenerent et occiderent; *di-* 11

Digitized by Google

centes : Deus dereliquit eum. Judæi nam- A
que putabant Deum recessisse a Jesu, tan-
Joann. ix, 24. quam a peccatore. Unde dicebant : Nos
scimus quia hic homo peccator est ; et
Ibid. 16. iterum, Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. *Persequimini et comprehendite eum.* Hoc est quod a Joanne
Ibid. vii, 32. dicitur : Miserunt Judæi ministros ut apprehenderent Jesum. Et in nocte Cœnæ dixerunt hæc verba suis ministris principes sacerdotum, qui eos miserunt cum Juda, ut caperent eum. Propter quod apud Jere-
Jer. xx, 10. miam dicitur : Audivi contumelias multo- B
rum, et terrorem in circuitu : Persequimini et persequamur eum. *Quia non est qui eripiat,* id est, nullus est qui Jesum de vestris manibus eruat, eo quod Deus reliquerit eum. Hinc enim dicunt adversarii Chri-
Sap. ii, 19, 17. sti : Contumeliis et tormento interrogemus eum, et probemus quæ ventura sunt illi.
Is. liii, 4. Eapropter Isaias : Nos, inquit, putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum.

12 *Deus* Pater, *ne elongeris a me,* differendo resurrectionem meam ultra triduum. C
Deus meus, in auxilium meum respice, tua divina virtute cooperando meæ humanitati in redemptione generis humani, atque de manibus Judæorum me eruendo per resuscitationem ad impassibilem statum. Hoc est quod Christus ante passionem
Joann. xii, 27. orasse apud Joannem describitur : Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam?
13 Pater, salvifica me ex hac hora. *Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ.* Multipliciter confusi sunt, et defe-
cerunt Judæi, Dominum Salvatorem perse- D
quentes et occidentes. Nonne confundebantur, dum Christo in cruce pendente
Matth. xxvii, 45, 51. sol obscuratus est, terra commota, velumque templi scissum? dum etiam in die re-
Ibid. xxviii, 11. surrectionis milites eis narrabant, quæ circa Christi sepulcrum contigerunt, et quomodo resurrexisset; dum insuper ab Apostolorum principe beatissimo Petro au-
Act. ii, 22, 23. dierunt, Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quæ fecit Deus per illum

in medio vestri, interemistis; dum quoque per manus Apostolorum signa magna Act. ii, 4
fiebant in Jerusalem, et multa millia con- Ibid. ii, 4; iv, 4.
vertebantur ad Christum. Maxime autem confusi sunt, et penitus defecerunt in obsidione Titi ac Romanorum. *Operiantur confusione et pudore,* id est, undique confundantur et erubescant, intus quoad se ipsos, et foris quantum ad alios; *qui quærunt mala mihi,* id est Judæi, qui mihi mala culpæ imponunt, et mala pœnæ infligunt. Unde apud Jeremiam Christus ait:
Confundantur qui me persequuntur, et Jer. xvii, 1
non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego; et duplici contritione contere eos, videlicet in præsenti et in futuro. Hæc autem a Christo dicuntur potius prænuntiando, quam imprecando. Quomodo tamen ista multipliciter possent exponi, scilicet per modum orationis, in bono, ex præhabitis innotescit.

Ego autem semper sperabo. Nam quid- 14
quid Judæi Christo dixerunt sive fecerunt, ipse in Deo mansit immobiliter sperans, certitudinaliterque ab eo exspectans resuscitari, corpore glorificari, et super alta cœlorum elevari. *Et adjiciam super omnem laudem tuam,* id est, omni laudi qua in lege atque Prophetis laudaris, addam evangelicæ legis præconium, et novi Testamenti Scripturam : in qua multo sublimius continentur laudes divinæ, quam in
veteris legis doctrina. *Os meum annuntia-* 15
bit justitiam tuam. Quamdiu Christus prædicavit in mundo, annuntiavit justitiam Dei, docendo quod Deus sit justus, nec peccatum relinquat inultum, increpando etiam peccatores, et recta præcepta saluberrimaque consilia proponendo. Propter quod ip-
semet ait : Ego sum lux mundi; et, Sicut Joann. viii, 12.
docuit me Pater, hæc loquor. Unde de ip- Ibid. 28.
so apud Joelem habetur : Exsultate in Do- Joel ii, 23.
mino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. Et per Osee dicitur : Tempus Osee x, 12.
requirendi Dominum, quum venerit qui docebit vos justitiam. Annuntiabit quoque os meum, o Deus Pater, *tota die,* id est, quamdiu in mundo sum, *salutare tuum,*

Digitized by Google

id est salutem quam mundo impendis per A
me. Merito autem tempus quo Christus in
mundo vixit, dies vocatur, quoniam Sol
justitiæ hominibus luxit atque apparuit,
Joann. IX, 5. secundum quod ipse testatur : Quamdiu in
mundo sum, lux sum mundi. Et tota hac
die annuntiavit Christus verbo vel opere
salutare Dei, id est se ipsum seu salvatio-
nem qua ipse mundum salvavit. Et ideo
Ibid. 4. ait in Evangelio : Me oportet operari ope-
ra ejus qui misit me, donec dies est. Hoc
Joannes Baptista modo annuntiavit Christus salutare Dei,
Ibid. III, 36. dicens : Qui credit in Filium Dei, habet B
vitam æternam ; qui autem incredulus est
Ibid. XIV, 6. Filio, ira Dei manet super illum ; et, Ego
sum via, veritas, et vita ; nemo venit ad
Marc. XVI, 16. Patrem, nisi per me ; et in alio loco, Qui
crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.
Quoniam non cognovi litteraturam, id
est scientiam per exercitationem et stu-
dium seu informationem humanam : juxta
Joann. VII, 15. illud, Mirabantur Judæi dicentes, Quomo-
do hic litteras scit, quum non didicerit?
Quoniam ergo non cognovi litteraturam
per studium, sed per illuminationem di- C
16 vinam, idcirco *introibo* per contemplati-
onem perfectam seu visionem fruitivam
atque beatam, *in potentias Domini,* co-
gnoscendo perfectiones et virtutes divinæ
naturæ et magna opera ejus. Anima enim
Christi a suæ creationis exordio, vidit per
speciem divinam essentiam et perfectio-
nes ejus potentes, non nisi per illuminatio-
nem supernaturalem. *Domine, memorabor
justitiæ tuæ solius :* id est, nihil boni mi-
hi ex me adscribam, secundum quod ho-
mo sum, sed omnem conversationis meæ D
justitiam tibi attribuam, et alios sic facere
edocebo. Hoc est quod asserit Christus :
Ibid. VIII, 54. Si ego glorifico me ipsum, gloria mea
Ibid. V, 41. nihil est ; et, Claritatem ab hominibus non
Luc. XVII, 10. accipio ; et : Quum feceritis omnia quæ
præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles
sumus ; quod debuimus facere, fecimus.
17 *Deus, docuisti me a juventute mea et
usque nunc.* Deus Trinitas docuit animam
Christi a primo instanti quo eam creavit,
dando ei multiplicem sapientiam, utpote
sapientiam beatificæ visionis, qua cogno-
vit Deum per speciem increatam, sicut et
Sancti in patria ; sapientiam quoque infu-
sam seu inditam, qua omnia novit in pro-
priis naturis per species innatas seu con-
creatas, sicut et omnes angeli ante lapsum
et confirmationem noverunt. Habuit etiam
Christus (secundum quosdam) scientiam Thom. part. 3, q. 9, art. 4.
acquisitam seu experimentalem : de qua
ait Apostolus, Didicit ex his quæ passus Hebr. V, 8.
est, obedientiam : et sumitur ibi Discere
pro Experiri, quoniam Christus ab aliis
nihil didicit, sed per propriam adinventi-
onem, secundum ponentes scientiam ac-
quisitam in Christo. Unde de hac scientia
intelligi potest quod legitur in Evangelio :
Jesus proficiebat sapientia et ætate. Sed Luc. II, 52.
quoniam Christus a principio perfecte in-
structus fuit, quomodo nunc ait, Deus do-
cuisti me a juventute mea et usque nunc,
ac si secundum successum temporis addita
sibi fuisset scientia? Et respondendum,
quod Deus dicitur Sanctos in patria et ani-
mam Christi semper docere, in quantum
sapientiam ipsis infusam incessanter in
eis conservat.

Pronuntiabo mirabilia tua. Christus oc-
cultissima, supernaturalissima, penitusque
incomprehensibilia docuit, sicut quod Deus
est unus ac trinus, quod ipse in unitate
personæ sit Deus et homo, quod beatitudo
nostra in divinæ essentiæ visione consi-
stit, quod ipsemet sit resuscitaturus et ju-
dicaturus mortuos universos, et alia mul-
ta : sicque mirabilia Dei per se ipsum et
discipulos pronuntiavit. *Et usque in se-* 18
nectam et senium, id est usque ad tem-
pus passionis meæ, pronuntiabo mirabilia
tua. Unde in nocte passionis dixit Judæis :
Amodo videbitis Filium hominis sedentem Matth. XXVI, 64.
a dextris virtutis Dei, et venientem in nu-
bibus cœli. Coram Pilato quoque in die
passionis testatus est : Rex sum ego. Ego Joann. XVIII, 37.
in hoc natus sum, et ad hoc veni in mun-
dum, ut testimonium perhibeam veritati.
Vel : Usque in senectam et senium, id est
usque ad ultimam mundi ætatem et finem
sæculi, pronuntiabo per meos ministros

Digitized by Google

mirabilia tua. Nam usque ad terminum A
mundi cantabunt Christiani, a Christo in-
structi, mirabilia Dei in novo ac veteri
Testamento scripta.

Deus Pater, *ne derelinquas me* in monu-
mento aut limbo, *donec annuntiem bra-
chium tuum,* id est potentiam tuam, *ge-
nerationi omni quæ ventura est,* id est
universis hominibus usque in finem sæculi
nascituris. Hoc in Christo videmus im-
pletum, quoniam post resurrectionem in-
Luc. XXIV, 45. struxit suos discipulos, aperiens illis sen-
sum, ut intelligerent Scripturas; et tandem B
Act. II, 3, 4. quinquagesimo die misit eis Spiritum San-
ctum, qui eos in omni lingua atque sapi-
entia erudivit. Per hoc vero quod Christus
illis divinam potentiam revelavit, etiam
omnem generationem venturam edocuit :
quia per Apostolorum doctrinam, fidem
catholicam promulgavit, mundumque con-
vertit. Unde et Christus in Evangelio ait :
Marc. XIII, 37. Quod vobis dico, omnibus dico. *Potentiam*
19 *tuam et justitiam tuam, Deus, usque in
altissima, quæ fecisti, magnalia.* In Chri-
sti incarnatione, passione, ascensione, po- C
tentia atque justitia Dei excellentissime
splendent. Quod enim Deus et homo in
unam convenerunt personam, infinitam
esse ostendit potestatem divinam : simi-
liter quod Christus de Virgine natus est,
tantaque miracula fecisse credendus est.
Rom. VIII, 32. Justitia vero Dei relucet in hoc, quod pro-
prio Filio non pepercit, sed pro mundi
peccatis tradidit illum, ne culpa remaneret
inulta. Hanc autem Dei potentiam et ju-
stitiam, Christus annuntiavit verbis et fa-
Joann. X, 30; VIII, 25; X, 33; XIV, 28. ctis, protestando se esse Patri æqualem, D
primum principium, verumque Deum, et
nihilo minus hominem verum, Patre mino-
rem, atque passibilem. Sed et justitiam Pa-
Ibid. XVII, 25. tris Christus professus est, dum ait : Pater
juste, mundus te non cognovit; ego autem
te cognovi. Sic ergo Christus pronuntiavit
potentiam et justitiam Dei, usque in altis-
sima, quæ fecit, magnalia, id est per com-
parationem ad humanæ redemptionis my-
steria, quæ sunt altissima magnalia super
omnia naturalia opera Creatoris. Christus

namque suam incarnationem, passionem,
resurrectionem, ascensionem et Spiritus
Sancti missionem, ante passionem uber-
tim prædixit.

Quantas ostendisti mihi tribulationes 20
multas et malas, id est, persecutiones et
varias pœnas mihi infligi permisisti, quem-
admodum Isaias prædixit, Dominus voluit *Is.* LIII, 10.
eum conterere in infirmitate; et, Dominus *Ibid.* 6.
posuit in eo iniquitates omnium nostrum.
Et Petrus : Deus, inquit, qui prænuntiavit *Act.* III, 18.
per os omnium Prophetarum, pati Chri-
stum suum, implevit sic. Unde per Jere-
miam ait : Tu, Domine, demonstrasti mihi, *Jer.* XI, 18.
et cognovi; tu ostendisti mihi studia eo-
rum. *Et conversus,* id est mundo per meam
passionem placatus, *vivificasti me,* resu-
scitando me tertia die a mortuis ; *et de
abyssis terræ,* id est de sepulcro et inferno,
iterum reduxisti me in die resurrectionis.
Multiplicasti magnificentiam tuam, glo- 21
riose atque potenter me resuscitando. Nam
angelus Domini descendit, et accedens re- *Matth.*
volvit lapidem ; et terra mox mota est, XXVIII, 2, 4.
custodes quoque perterriti, et quasi exani-
mes facti sunt. Sed et duo angeli sederunt *Joann.* XX,
juxta sepulcrum, unus ad caput, et alter 12.
ad pedes. *Et conversus* ab ira qua homini-
bus irascebaris, *consolatus es me,* liberan-
do me ab omni dolore atque tristitia, quæ
habui tempore passionis, et corpus meum
glorificando, novaque gaudia ad acciden-
tale præmium pertinentia, mihi post re-
surrectionem præstando.

Nam et ego Unigenitus tuus *confitebor* 22
tibi, id est, laudabo te, *in vasis psalmi,* id
est, in devotis hominibus, laudem tuam
cordialiter continentibus, confitebor *veri-
tatem tuam, Deus,* te per ipsos laudando, et
eos ad tua præconia inflammando, quem-
admodum per Isaiam prophetam locutus
sum : Laudate, cœli ; et exsulta, terra ; *Is.* XLIX, 13.
jubilate, montes, laudem, quia consolatus
est Dominus populum suum, et pauperum
suorum miserebitur. *Psallam tibi in ci-
thara,* id est in carne mea propter te cru-
cifixa et mortua, o Domine, qui es, et cu-
jus nomen est, *Sanctus Israel :* secundum

Digitized by Google

Is. XLVII, 4. quod alibi scriptum est, Redemptor noster
Dominus exercituum, Sanctus Israel nomen ejus.
23 *Exsultabunt labia mea quum cantavero tibi.* Tanto ampliori hilaritate et exsultatione semper gavisa sunt, et in æternum gaudebunt labia Christi interiora et exteriora, in laude divina, quanto ipse præ aliis Deum ardentius dilexit, clariusque co-
Luc. x, 21. gnovit. Unde legitur in Evangelio : Exsultavit Jesus Spiritu Sancto, et ait : Confitebor tibi, Pater. *Et anima mea* in tua laude exsultabit, *quam redemisti* ab omni passibilitate et loco inferiori, itemque a culpa : non illa quam habuit, quoniam omni penitus culpa carebat ; sed illa quam potuisset habere, nisi præventa fuisset affluentia gratiæ tuæ, et hypostatica unione cum Ver-
24 bo. *Sed et lingua mea* interior atque exterior, *tota die* æternitatis in patria, *meditabitur justitiam tuam,* illam laudando ac proferendo ad gloriam tuam, *quum confusi et reveriti fuerint* confusione perfecta atque consummata, tanquam æternaliter condemnati, *qui quærunt mala mihi :* secundum sensum inductum.

Ecce psalmus præclarus ac luciformis, cœlestis harmoniæ dulcedine plenus, verba ignea sanctæ dilectionis complectens, affectuosissimas preces includens, Deum pulcherrime laudans, omnemque pusillanimitatem propulsans : psalmus utique mirabiliter consolatorius attento lectori ; qui etiam de Domino Salvatore tam congruenter exponitur. Quidam vero exponunt eum ad litteram de David : quam explanationem propter prolixitatem, et quoniam parum devotionis adducit, omitto. Cum ingenti igitur alacritate et omni mentis fervore atque custodia psalmum tam fulgidum decantare conemur, præsertim quum omnium visibilium invisibiliumque adversariorum persecutiones et tentamenta, præsentis psalmi dejiciantur, vincantur, ac prosternantur virtute.

PRECATIO.

Deus misericordiæ ineffabilis, ne elongeris a nobis : respice in auxilium nostrum, et ne nos derelinquas usque in senectam et senium ; vivifica nos et pie consolare, et gloriæ magnitudinem tuæ fac nos perpetim digne decantare.

ARTICULUS XXXIX

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI SEPTUAGESIMI PRIMI : DEUS, JUDICIUM TUUM REGI DA.

1 Titulus psalmi est : *In Salomonem.* Asserunt quidam, quod David fecit hunc psalmum pro filio suo Salomone, orando pro prosperitate regni ipsius ; sed hoc nullatenus verisimile esse potest, quoniam multa in hoc psalmo continentur, quæ Salomoni nullo modo conveniunt, sicut patebit. Hieronymus autem dicit hunc psalmum a Salomone intitulatum, tanquam ab auctore, ita quod Salomon edidit psalmum præsentem. Augustinus vero et Cassiodorus (quorum positioni magis consentiendum videtur) dicunt hunc psalmum, sicut et omnes alios, a David conscriptum. Omnes quoque magni catholicique doctores, videlicet Hieronymus, Augustinus, Cassiodorus, Hugo, exponunt hunc psalmum de Christo ad litteram ; et est sensus tituli : *In Salomonem,* id est, psalmus iste tendit et ducit nos in Christum, per Salomonem figuratum. Salomon nempe interpretatur Pacificus : et ita Christus est verus Salomon, mundum Patri reconcilians. De quo
dicit Apostolus ad Ephesios : Christus est Ephes. II, 14, 16, 17.

pax nostra, qui fecit utraque unum, per crucem dissolvens inimicitias in semetipso; et veniens evangelizavit pacem his qui prope, et his qui procul. Et ad Romanos : Quum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Propter quod Zacharias: Ipse, inquit, portabit gloriam, et dominabitur, et erit sacerdos; et consilium pacis erit inter duos illos, videlicet inter gentiles et Judæos divinitus præelectos. De quibus ait Apostolus : Ipsis autem vocatis Judæis et Græcis, prædicamus Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam. Christus namque est lapis angularis, in quo sibi connexi atque conjuncti sunt in unitate Ecclesiæ per fidem et caritatem Judæi atque gentiles.

Rom. v, 10. *Zach.* vi, 13. I *Cor.* i, 24. I *Petr.* ii, 6.

AIT ergo Propheta ad Deum Patrem, seu totam beatissimam Trinitatem, cujus
2 dona et opera indivisa consistunt: (1) *Deus, judicium tuum,* id est judiciariam tuam potestatem, *regi,* id est Christo regi regum et Domino dominorum, *da,* constituendo eum judicem vivorum ac mortuorum; *et justitiam tuam,* id est habitum veræ æquitatis, per quem in omni judicio recte procedat, da *filio regis,* id est Christo : qui secundum divinam generationem est filius Regis æterni, utpote tui; secundum generationem autem humanam, est filius David regis terreni. (2) *Judicare populum tuum in justitia :* id est, ad hoc da Christo judicium atque justitiam, quatenus populum christianum judicet juste, discernendo ac separando eum ab infidelium plebe, et dando singulis quod merentur; ut etiam judicet *et pauperes tuos,* id est vere et spiritualiter pauperes : de quibus in Matthæo habetur, Beati pauperes spiritu; *in judicio* discretionis in præsenti, et in judicio remunerationis in futuro, quatenus nunc separet eos a divitibus et superbis voto et merito, in futuro quoque, loco et præmio.

Apoc. xvii, 14. *Matth.* v, 3.

Sed mirum videtur, quomodo Propheta, qui utique fuit et est membrum Christi, præsumpserit orare pro capite, scilicet Christo, orando Patrem, ut Christo judicium det atque justitiam. Et respondendum, quod sanctus Propheta non dicit ista orando pro Christo, quasi Christus sua prece indigeat, sed ad insinuandum cordis sui affectum, quem habuit pro Christi honore et gloria. Juxta quem modum etiam inferius dicit : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Denique in eo quod ait, Pauperes tuos in judicio, secernit et dividit pauperes Dei, a pauperibus mundi atque diaboli. Est enim pauper avarus, et est pauper superbus, et est pauper involuntarius : quorum nullus est pauper Dei. Est quoque pauper spiritu, pauper affectu, pauper rebus et mente, ut Deo libere vacet : et isti sunt pauperes Dei. De quibus ait Isaias propheta : Pauperes homines in Sancto Israel exsultabunt.

Ps. cxiii, 9. *Is.* xxix, 19.

Quod autem nunc dicit Psalmista, Deus, judicium tuum regi da, Daniel evidentissime de Christo prænuntiavit, dicens : Adspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et dedit ei potestatem et honorem et regnum. Quod etiam Salvator in se impletum fatetur in Evangelio, dicens : Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Et Petrus de Christo loquens : Præcepit (inquit) nobis testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.

Dan. vii, 13, 14. *Joann.* v, 22. *Act.* x, 42.

Sed his contrariari videtur quod Christus ait, Ego non judico quemquam : quod idem beatissimus Evangelista clarius protestatur, dicendo, Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Considerandum est utique, quod in judicio duo pensantur, judicandi auctoritas, et judicialis auctoritatis exsecutio, seu sententiæ prolatio. Quantum ad primum horum, convenit Deo Patri seu toti Trinitati judicium, et non Christo secundum quod homo est. Unde ipse Christus : Ego, inquit, non quæro gloriam meam; est qui

Joann. viii, 15. *Ibid.* iii, 17. *Ibid.* viii, 50.

Digitized by Google

quærat et judicet, scilicet Deus Trinitas. A Quantum vero ad secundum, quoad prolationem sententiæ, competit Christo homini judicare, sicut in Evangelio affir-
Joann. v, 27. mat, dicens : Potestatem dedit ei Pater et judicium facere, quia Filius hominis est. Et horum utrumque Paulus breviter in-
Act. xvii, 31. nuit, dicens : Deus statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro quem statuit. Sic igitur constat, quomodo Deo Trinitati, et Christo homini judicium diversimode competat. Verumtamen, quod Christus ait, Ego non judico quemquam, B referri potest ad tempus sui primi adventus, atque exponi de judicio remunerationis ac ultionis. Primus namque Christi
Matth. xx, 28. adventus in humilitate fuit, venitque non ministrari aut judicare, sed ministrare ac judicari. Unde (ut legitur apud Lucam) quum Joannes et Jacobus Christo dixis-
Luc. ix, 54. sent, Domine, vis dicamus ut veniat ignis de cœlo, et consumat eos (videlicet qui Dominum Jesum non receperunt)? respondit
Ibid. 55, 56. eis Jesus : Nescitis cujus spiritus estis; Filius enim hominis non venit animas C perdere, sed salvare. Hinc quoque femi-
Joann. viii, 11. nam in adulterio deprehensam noluit condemnare. Quod autem Christus tam juste ac judicialiter judicaturus erat populum
Is. xi, 3, 4. suum, Isaias manifestat, dicendo : Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.

3 (3) *Suscipiant montes,* id est sublimes et apostolici viri ac magni prælati Ecclesiæ, *pacem populo,* id est gratiam veræ D internæque pacis ad salutem informationemque populi, ita ut ipsi Apostoli et successores ipsorum, a Deo acquirant tam sibi quam gregi eis commisso, stabilem pacis quietem. Hoc autem in Apostolis impletum est, dum a Domino Jesu audierunt :
Joann. xiv, 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do
Luc. x, 5. vobis; et, In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui. Suscipiant quoque *et colles justitiam,* id est, inferiores recipiant gratiam obediendi divinis præceptis, a superioribus assignatis. De horum montium colliumque fecunditate apud Joelem scriptum est : In die Joel iii, 18. illa stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel, etc.

Deinde Propheta ostendit fuisse implendum, quod ipse fieri exorabat. (4) *Judicabit* 4 *pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.* In præsenti enim judicat pauperes suos judicio discretionis, ut dictum est; in die autem novissimo judicabit eos judicio beatæ remunerationis, quemadmodum ipse in Apocalypsi asserit : Ecce venio cito, Apoc. xxii, 12. et merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua. *Et humiliabit calumniatorem,* id est, Christus confundet, damnabit, ac destruet omnem persecutorem justorum, omnem tyrannum et tentatorem Ecclesiæ, diabolum et Antichristum, juxta illud in Isaia : Percutiet terram virga oris Is. xi, 4. sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium, scilicet Antichristum. De quo apud eumdem habetur : Triturabitur Moab sub Ibid. xxv, 10. eo. De quo etiam ait Apostolus : Revelabi- II Thess. ii, 8. tur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. Multos vero calumniatores atque tyrannos etiam in hac vita Christus humiliavit, privando eos vita aut regno. Omnes autem in die judicii finaliter humiliabit : quia tunc omnis qui Luc. xiv, 11. se nunc exaltat, humiliabitur, non humiliatione virtuosa, sed dejectione damnosa.

(5) *Et permanebit cum sole et ante lu-* 5 *nam, in generatione et generationem.* Sicut per lunam intelligi potest Ecclesia, ita per solem, Pater æternus, qui est lumen fontale cuncta illustrans : et de utroque sole et luna hic versus exponitur. Christus enim permanet cum sole intellectuali, scilicet Deo Patre, quoniam coæternus est ei. Cum hoc sole permanet a parte ante, secundum divinam naturam, tanquam splendor Hebr. i, 3. gloriæ et candor lucis æternæ. Permanet Sap. vii, 26. quoque Christus a parte post, secundum suam humanam ac divinam naturam, cum sole materiali : quoniam sicut sol incorruptibilis est, ita et Christus incorruptibiliter perseverat. Et ante lunam utramque, puta

Digitized by Google

Ecclesiam, et lunam unum planetarum, A permanet Christus a parte ante, secundum suam divinam naturam, quemadmodum in Ecclesiastico ipsa Sapientia testatur : Eccli. xxiv, 5. Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Et in Proverbiis : Prov. viii, 22, 27, 30. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Quando præparabat cœlos, aderam; et eram cum eo cuncta componens. Ecce hic manifeste declaratur divinitas Christi et ejus æternitas. Propter quod dicit etiam Hebr. xiii, 8. Apostolus : Jesus Christus heri et hodie, B ipse et in sæcula.

6 (6) *Descendet sicut pluvia in vellus.* Libro Judicum narratur, quemadmodum ad Judic. vi, 36-40. instantiam Gedeonis complutum seu rore madefactum est vellus, terra sicca manente, et postea madefacta est circumquaque terra, vellere non adaquato. Est igitur sensus : Christus rex noster descendit in uterum Virginis, sicut descendit pluvia in vellus Gedeonis. Quemadmodum enim pluvia in vellus illud descendit, ita quod per vellus non distillavit, nec aliquid divisionis C aut corruptionis velleri intulit; sic Verbum Dei de sinu Patris in Virginem veniens, eam in nullo læsit aut violavit : quoniam Luc. i, 35. non de viro concepit, sed Spiritu Sancto obumbrante est imprægnata; supernaturaliter quoque formatum est corpus Christi in Virginis alvo, juxta illud Zachariæ, Zach. iii, 9. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus : id est, corpus ejus formabo. *Et sicut stillicidia stillantia super terram.* Quemadmodum guttæ leniter atque suaviter cadunt de cœlo in terram, et eam refrigerant D et fecundant, sic Christus per suam incarnationem dulciter et sine strepitu descendit in Matrem Virginem, et per eam in mundum. Nam primus ejus adventus, in humilitate, paupertate ac mansuetudine fuit, secundum quod Zacharias prædixit : Ibid. ix, 9. Exsulta satis, filia Sion ; ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator, ipse pauper, etc. Et in Evangelio ipsemet fassus est : Luc. ix, 58. Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.

(7) *Orietur in diebus ejus,* id est in pri- 7
mo Christi adventu, *justitia,* id est perfectio vitæ, seu fides catholica. Tempus enim Christi, est tempus gratiæ : propterea homines Christi vestigia imitantes, perfectius sanctiusque vixerunt quam Judæi tempore legis. Et ideo Christus in Evangelio ait : Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Matth. v, 20. Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum; et ad Joannem Baptistam, Sic, inquit, decet nos implere Ibid. iii, 15. omnem justitiam. In tantum enim abundavit gratia atque justitia tempore Christi, plus quam ante, ut scriptum sit apud Joannem, Nondum erat Spiritus datus, quia Joann. vii, 39. Jesus nondum erat glorificatus : non quod ante nequaquam fuerat datus, sed quia tam exuberanter datus non erat.

Et abundantia pacis. Hoc est quod superius dictum est : Venite et videte opera Ps. xlv, 9, 10. Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ. Et Isaias ait : Non levabit gens contra gen- Is. ii, 4. tem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Et ita ista abundantia pacis tempore Christi orta, intelligeretur de pace temporali, quæ fuit in toto mundo sub Cæsare Augusto, sub quo natus est Christus, ita quod ad unius viri imperium describeretur universus orbis. Sed quia hæc Luc. ii, 1. pax non duravit donec auferatur * luna, * auferetur idcirco, secundum hanc expositionem, hoc quod dicitur, *donec auferatur luna,* referendum est ad justitiæ christianæ durationem, quæ usque in finem mundi durabit, non autem ad durationem pacis prædictæ. Convenientius tamen apparet, ut hæc abundantia pacis intelligatur de magnitudine pacis internæ, in tranquillitate conscientiæ collocatæ. De qua Apostolus loquitur : Pax Christi exsultet semper in Coloss. iii, 15. cordibus vestris. Quam Zacharias prophetavit Christum suis fidelibus esse daturum : Loquetur, inquiens, pacem genti- Zach. ix, 10. bus. Hanc etenim pacem annuntiaverunt angeli in Christi nativitate, dicentes : Glo- Luc. ii, 14. ria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc pax in bonis

Digitized by Google

abundat hominibus, sicut orat Apostolus : A
Philipp. iv, 7. Pax Christi, quæ exsuperat omnem sen-
sum, custodiat corda vestra et intelligen-
tias vestras. Et ob ejus copiam, vocatus
Is. ix, 6. est Christus Princeps pacis. Hæc itaque
abundantia pacis permanet in electis, do-
nec auferatur luna, id est, nunquam ces-
sabit, sicut nec luna; vel, Donec auferatur
luna, id est, quousque Ecclesia militans
transferatur ad societatem triumphantis
Ecclesiæ, omni corruptione et mortalitate
abjecta. Non quod tunc cessabit; sed quia
tunc perficietur, sicut et luna semiplena B
perficitur: et ita, Donec, non denotat ter-
minum pacis, sed continuationem ipsius :
quemadmodum de Joseph et Maria ait Mat-
Matth. i, 25. thæus, Non cognoscebat eam, donec pe-
perit filium suum primogenitum.
8 (8) *Et dominabitur* Christus *a mari* ori-
Ps. xviii, 5. entali *usque ad mare* occidentale, quia in
omnem terram exivit sonus Apostolorum,
et conversi sunt in omnibus finibus mun-
di quidam ad Christum ; *et a flumine*
paradisi terrestris, seu Jordanis ; vel, A
flumine quocumque, puta a cunctis flu- C
minibus, accipiendo singulare pro plura-
li ; *usque ad terminos orbis terrarum.* Un-
Zach. ix, 10. de in Zacharia scriptum est : Potestas ejus
a mari usque ad mare, et a flumine usque
ad fines terræ. Et hæc de Christo dicun-
tur : Primo, quoniam omnia, etiam inani-
mata et irrationalia, subjecta sunt ei, pro-
Matth. xxviii, 18. ut ipse in Evangelio dicit : Data est mihi
omnis potestas in cœlo et in terra. Secun-
do, quoniam omnis homo in omni mundo
exsistens, velit, nolit, Christi subjectus est
potestati, secundum quod ipse ait, loquens D
Joann. xvii, 2. de se ipso ad Patrem : Dedisti ei potesta-
tem omnis carnis. Tertio, quoniam in om-
ni parte terræ habitabilis, aliqui Christo
per fidem et opera obedierunt : propter
quod Deus Pater ait ad Christum apud
Is. xlix, 6. Isaiam, Dedi te in lucem gentium, ut sis
salus mea usque ad extremum terræ. Et
Act. i, 8. hoc est quod ait Salvator Apostolis : Eri-
tis mihi testes in Jerusalem, et in omni
Judæa et Samaria, et usque ad ultimum
terræ.

(9) *Coram illo procident Æthiopes.* Hi 9
enim per evangelistam Matthæum conver-
si, Christum humiliter adoraverunt. Pos- Matth. ii, 11.
sunt autem per Æthiopes accipi gentiles :
qui ante conversionem suam ad Christum,
erant vitiorum caligine denigrati, sicut
Æthiopes nigra pelle teguntur. *Et inimici*
ejus, Christo increduli, *terram lingent,* id
est, rebus terrenis adhærebunt, et eas præ
amore sibi intime applicabunt. Unde Jere-
mias : Recedentes, inquit, a te, in terra Jer. xvii, 13.
scribentur. Vel sic : Inimici ejus, id est,
qui Christo aliquando repugnabant, post
conversionem terram lingent, id est, eam
ex devotione ad Christum, osculabuntur,
prosternendo se usque ad terram, propter
reverentiam Christi. (10) *Reges Tharsis et* 10
insulæ munera offerent ; reges Arabum et
Saba dona adducent. Hoc ad litteram non
solum impletum est in tribus Magis, Chri-
sto in die Epiphaniæ, aurum, thus et myr- Matth. ii, 11.
rham offerentibus, sed et in aliis multis
regibus atque principibus harum terra-
rum, quæ multo tempore fuerunt sub fide
catholica, et Christo seu Ecclesiæ diversa
munera obtulerunt, videlicet spirituales
corporalesque hostias. (11) *Et adorabunt* 11
eum omnes reges ; omnes gentes servient
ei. Utraque distributionum istarum sumen-
da est pro generibus singulorum, non pro
singulis generum. Nam et de omni genere
regum ac gentium, aliqui Christum adora-
verunt, et ipsi ministraverunt, juxta vati-
cinium Danielis, dicentis : Omnes populi, Dan. vii, 14.
tribus et linguæ servient ei. Et Michæas :
Stabit et pascet in fortitudine Domini ; et Mich. v, 4.
convertentur, quia nunc magnificabitur in
medio universæ terræ.

Consequenter inducitur causa universa-
lis dominii Christi. (12) *Quia liberabit pau-* 12
perem a potente. Sed qualem pauperem?
Subdit : *et pauperem cui non erat adjutor*
alius, nisi ipse Deus. Talis pauper est om-
nis humilis, qui propriis viribus nequa-
quam innititur, sed toto affectu in Deo
confidit. Hujusmodi autem pauperem Deus
multipliciter liberat a potente, id est a dæ-
mone : quem Christus in Evangelio fortem Luc. xi, 21.

Digitized by Google

armatum appellat; et de quo apud Job scri- A
Job XLI, 24. ptum est : Non est potestas super terram
quæ ei comparetur, qui factus est ut nullum timeret. Vel, A potente, id est homine quocumque superbo et forti, per naturalem fortitudinem aut sæcularem potentiam aliis prævalente. Primo liberat Christus pauperes ab his potentibus, dando eis patientiam in adversis, constantiamque in bonis : sic quod illorum malignitas ipsis non nocet, imo cooperatur eis in bonum. Secundo, quoniam facit eos tentationes viriliter superare, et tanto instantius stu- B
dere virtutibus, quanto amplius impugnantur. Tertio, quoniam æternaliter eos salvabit, illis in æternum damnatis. Hinc enim
Jer. XX, 13. apud Jeremiam dicitur : Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. Et per Isaiam
Is. XLI, 17. Dominus ait : Ego Dominus exaudiam egenum et pauperem, non derelinquam eos.
13 (13) *Parcet pauperi et inopi,* peccata dimittendo, pœnam relaxando, et gratiam
Malach. III, 17. tribuendo. Unde per Malachiam ait : Parcam timentibus me, dicit Dominus, sicut C
parcit vir filio suo servienti sibi. *Et animas pauperum salvas faciet,* modo per gratiam, et in futuro per gloriam. Propter
II *Cor.* VIII, 2. quod ait Apostolus : Altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis
14 eorum. (14) *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* Christus namque per suos ministros atque vicarios, scilicet per summum Pontificem, aliosque prælatos ac principes, damnat et prohibet usuras sub æternæ damnationis periculo. Est autem alia quoque usura, ex qua suos eripit Chri- D
stus, videlicet obligatio ad pœnam inferni, quæ sequitur perpetrationem peccati. Peccatum namque est quasi pecunia dæmonis, et pro eo exigit ipse a nobis pœnas perpetuas : quas non suscepimus, sed solvimus propter iniquitatem, quam a diabolica suggestione contraximus. Ab hac usura et omni iniquitate redemit Christus pauperes suos semel pretio sanguinis sui; quotidie quoque ab his redimit eos per infusionem gratiæ spiritualis, quæ est effectus meriti dominicæ passionis. *Et honorabile nomen eorum coram illo,* id est, nomen pauperum Dei, quo Christiani vocantur, coram Deo dignum est veneratione ac laude. Hoc quippe est nomen, de quo
Isaias Judæos redarguens ait : Interficiet *Is.* LXV, 15.
vos Dominus Deus, et servos suos vocabit 16.
nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo. Amen.
Hoc nomen (sicut in Actibus Apostolorum *Act.* XI, 26.
Lucas commemorat) primo impositum est discipulis Christi in Antiochia.
(15) *Et vivet,* id est, Christus morte de- 15
victa, immortalis resurget et æternaliter vivet. *Et dabitur ei de auro Arabiæ.* Multi enim principum christianorum tale aurum (quod optimum est) Christo et ejus ministris obtulerunt ad sustentationem pauperum, constructionem ecclesiarum, et in alios pios usus. Mystice vero, per aurum signatur sapientia, per Arabiam vero gentilitas : et ita datur Christo de auro Arabiæ, dum sapientes hujus sæculi, et in naturali philosophia doctissimi, ad fidem Ecclesiæ sunt conversi, ut patet de divo Dionysio, Augustino, et aliis multis. Datur etiam Christo de auro Arabiæ, dum sibi ipsi homo non innititur, sed omnem naturalem scientiam fidei subjicit, sicut creatura subdenda est Creatori. *Et adorabunt de ipso semper,* id est, fideles Deum adorabunt de Christo, id est ex contemplatione bonitatis, beneficiorumque ejus. Propter beneficia namque per Christum nobis collata, Deum semper adorare et venerari debemus. *Tota die,* id est qualibet parte diei convenienti ac debita, *benedicent ei,* id est, Christum regem laudabunt.
(16) *Erit* rex Christus *firmamentum in* 16
terra, id est causa totius firmitatis ac stabilitatis hominum in terra manentium, *in summis montium,* id est in profundissima doctrina Prophetarum, confirmando et illuminando suos electos in sapientia Scripturarum, illas verificans in semetipso,
sicut in Evangelio Joannis habetur : Veri- *Joan.* I, 17.
tas per Jesum Christum facta est. Unde et ipse post resurrectionem dixit discipulis :

Digitized by Google

uc. xxiv, Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt A
in lege et Prophetis et Psalmis de me. *Superextolletur super Libanum fructus ejus:* id est, effectus passionis Christi, videlicet gratia Dei, seu ipsi electi, qui sunt sanguine Christi redempti, elevabuntur super omnem dignitatem atque candorem hujus sæculi. Libanus enim candidatio interpretatur, et in eo arbores altæ, scilicet cedri, nascuntur : per quæ altitudo et flos præsentis sæculi figuratur.

Verumtamen quidam diversarum translationum inspectores solliciti, versum hunc B
sublimius fructuosiusque exponunt. Nam loco ejus quod hic dicitur, Erit firmamentum, etc., in Hebræo habetur, Erit abundantia frumenti ; in translatione vero Hieronymi, Erit memorabile triticum ; in translatione quoque Chaldaica, apud Hebræos authentica, Erit placenta tritici. Sicque videtur nostra translatio vitio scriptorum corrupta, habendo pro frumento, firmamentum : et ita exponendus est locus iste de sacramento Eucharistiæ, in quo Christus sub specie panis triticei veraci- C
ter continetur. Ait ergo sanctus David, de Christo loquens : Erit abundantia frumenti, seu memorabile triticum, aut placenta tritici, quoniam rex Messias, Christus Dominus, sub forma panis triticei, in modum placentæ congesti, continetur atque in ecclesiis reservatur : et ipse Christus est tale frumentum, in summis montium, id est in capitibus sacerdotum, hostiam altaris in sublime tollentium. Dicuntur autem sacerdotes montes, propter eminentiam Ordinis, sapientiæ et potestatis. Superex- D
tolletur super Libanum fructus ejus, quia per fructum hujus sacramenti, homines eriguntur et perducuntur ad cœli palatium et Ecclesiæ triumphantis consortium.

Et florebunt fideles *de civitate,* id est de ecclesia, *sicut fœnum terræ.* Quemadmodum enim fœnum tempore suo sublimiter crescit et pulchre virescit, sic Christiani post sacram communionem de ecclesia egredientes, spiritualiter florent in gratia, et alte crescunt in vita perfecta, dum fuerint hujus sacramenti effectum sortiti,
prout Christus testatur : Qui manducat Joann. vi,
meam carnem et bibit meum sanguinem, 57.
in me manet, et ego in illo ; et denuo, Si Ibid. 52.
quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.

Propter tanta ergo beneficia Christi,
(17) *Sit nomen ejus benedictum in sæcula,* 17
id est, per omnes generationes laudetur et clarificetur. *Ante solem permanet nomen ejus.* Nam Christus ab æterno fuit, et omnem creaturam æterna generatione præ-
cessit, sicut de eo scriptum est : Egressus Mich. v, 2.
ejus ab initio, a diebus æternitatis. (18) *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* Ex hoc constat, quod vera sit expositio Pauli apostoli, qui illud quod ad Abraham
locutus est Deus, In te, inquiens, benedi- Gen. xii, 3.
centur omnes cognationes terræ, exponit de Christo, ad Galatas. Sic enim allegat
Apostolus : In semine tuo, id est in Chri- Galat. iii,
sto (ut ipse interpretatur), benedicentur 8, 16.
omnes gentes. Et hoc est quod jam ait Psalmista, Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : quia non solum duodecim tribus Israel, sed et omnes mundi progenies benedicuntur in Christo, quia per illum salvantur, et gratiam Dei nunc, postque gloriam Beatorum adipiscuntur merito incarnationis conversationisque Christi. Propter quod ait Petrus, loquens de Chri-
sto : Huic omnes Prophetæ testimonium Act. x, 43.
perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in illum. *Omnes gentes magnificabunt eum* laude et opere. Et est in versu isto distributio pro generibus singulorum, quia ex omni genere tribuum ac familiarum quidam, imo et multi, crediderunt in Christum, quemadmodum prædixit Zacharias :
Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego Zach. ii,
venio, et habitabo in medio tui, et appli- 10, 11.
cabuntur gentes multæ ad Dominum in die illo.

(19) *Benedictus Dominus Deus Israel* 18
tanta beneficia præstans hominibus, *qui facit mirabilia solus* propria auctoritate ac potestate. Quamvis enim per Sanctos

Digitized by Google

Deus mirabilia operetur, secundum quod in Evangelio ipse ait, Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet; hoc tamen Sancti non faciunt, nisi virtute divina, et ita Deus est auctor principalis. Sunt autem quædam mirabilia, quæ etiam fieri possunt per dæmones et impios; sed mirabilia quæ totum ordinem, cursum et legem naturæ creatæ transcendunt, a solo Deo efficiuntur : sicut est statio solis, resuscitatio mortuorum, revelatio secreto-
19 rum cordis. (20) *Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum,* id est, nomen magnæ potestatis Dei, quo ipse Omnipotens appellatur, ab omnibus semper laudetur et glorificetur; *et replebitur majestate ejus omnis terra,* id est, cognitione majestatis divinæ omnis homo implebitur, sicut ab Isaia prædictum est : Repleta est terra scientia Domini. Et hoc factum est in toto mundo per sanctos Apostolos. Vel : Majestate ejus, id est magnificentia operum divinorum seu gloriosis effectibus Creatoris, replebitur mundus : quemadmodum factum est in die Pentecostes et postmodum, quando effudit Deus de Spiritu suo super omnem carnem, quia tunc Spiritus Domini replevit orbem terrarum, cœperuntque in universo mundo fieri magna miracula in nomine Christi. Postremo desiderans Propheta cum ingenti affectu, prædicta vaticinia verificari in actu, adjungit : *Fiat, fiat.*

(Joann. xiv, 12. — Josue x, 13. — Is. xi, 9. — Act. ii, 17. — Joel ii. — Sap. i.)

Ecce psalmum vere per omnia cœlesti pulchritudine candidatum audivimus : in quo Christi duplex natura et una persona clarissime commendatur, regnum ejus universale describitur, Ecclesiæ institutio declaratur, Deo gratiæ exhibentur. Et patet ex his, quam multa in hoc psalmo dicuntur, quæ de Salomone nullatenus verificantur.

PRECATIO.

Tuæ, Domine, largitatis indulgentia suscipiamus pacem et justitiam, quam jugiter te adjutore obtineamus : ut humiliatis calumniatoribus nostris, nomen tuum benedictum in sæcula magnificemus.

ARTICULUS XL

ELUCIDATIO PSALMI SEPTUAGESIMI SECUNDI : QUAM BONUS ISRAEL DEUS.

Psalmi autem præsentis titulus est : *Defecerunt laudes seu hymni David filii*
1 *Jesse, psalmus Asaph :* id est, postquam impleta fuerunt, quæ in præcedenti psalmo dicebantur futura, videlicet Christo incarnato, defecerunt laudes seu hymni David filii Jesse, id est populi Judæorum, significati per David. Solebant enim Deum laudare propter beneficia temporalium et exteriorum bonorum; sed Christo nato, defecerunt hæ laudes, quoniam perdiderunt locum et gentem. Prædictas igitur laudes sequitur psalmus præsens, in quo ostenditur rectitudo providentiæ Dei omnia disponentis : cujus tamen contrarium nonnullis imperfectis videtur, dum malos nunc florere ac prosperari, bonos vero tribulari et opprimi cernunt. Dicitur quoque hic psalmus esse ipsius Asaph, tanquam auctoris, secundum Hieronymum; secundum Augustinum, sicut cantoris, ita quod David fecit hunc psalmum decantandum per Asaph, qui erat unus de principalibus templi cantoribus tempore David.

(I Par. xvi, 5; xxv, 1, 2.)

Primo autem proponit propheta David principale propositum seu conclusionem intentam; deinde arguit ad partem

utramque. Dicit ergo : (1) *Quam bonus Is-* A
rael Deus! id est, multum bonus est Deus
populi christiani, divina fideliter contem-
plantis, *his qui recto sunt corde,* id est
justis, nihil mali machinantibus, sed divi-
næ legi se semper conformantibus. Omni-
bus autem bonus est Deus, in quantum
cuncta conservat in esse, et singulis pro-
videt ; sed justis Deus est valde bonus, id
est pius, dulcis, liberalis. Bonum enim
vocatur, quod est sui diffusivum. Deus
vero, quantum in se est, omnibus prom-
ptus est suam bonitatem communicare ; B
et aliud nihil impedit nos a perceptione
divinorum donorum, nisi negligentiæ no-
stræ atque peccata, quemadmodum Jere-
er. v, 25. mias testatur : Peccata vestra prohibue-
runt bonum a vobis. Quoniam ergo recti
corde hoc impedimentum abjiciunt, digni
sunt accipere dona divina : idcirco boni-
tatem divinam, quam alii informiter ac
simpliciter sciunt, ipsi experimentaliter
norunt ac dulciter gustant. Propterea Deus
hren. III, est eis valde bonus, juxta illud : Bonus
est Dominus sperantibus in eum, animæ C
quærenti illum.

Deinde Propheta incipit ad oppositam
partem arguere, loquensque in persona
2 infirmorum, ait : (2) *Mei autem pene moti*
sunt pedes : id est, affectus mei quasi in-
curvati sunt, et a divinæ legis observati-
one pene aversi ; vel, Pedes mei, id est
intellectus atque voluntas, quia per has
vires tendimus in Deum, contemplando et
diligendo. *Pene effusi sunt gressus mei :*
id est, opera mea quasi evacuata sunt et
mercede privata, propter inconstantiam D
3 meam. (3) *Quia zelavi,* id est, invidia et
irrationabiliter motus sum, *super iniquos,*
invidendo temporali prosperitati eorum,
pacem falsam, carnalem et transitoriam
peccatorum videns, quam æquanimiter fer-
re non potui propter imperfectionem me-
am. Non enim debet homo ita moveri, quia
xxxvi, 1. superius dictum est, Noli æmulari in ma-
lignantibus, neque zelaveris facientes ini-
quitatem. Si autem quis doleat de pros-
peris impiorum successibus, in quantum

eorum saluti repugnant, hoc ex dilectione
procedit, neque ad zelum invidiæ pertinet.
Æstimare vero non debemus quod impii
veram habeant pacem, quum pax sit tran-
quillitas bonæ ordinationis : qua carent
maligni, quia in eis sensualitas prævalet
rationi, et caro dominatur spiritui. Unde
scriptum est : Non est pax impiis, dicit Is. LVII, 21.
Dominus. Sæpenumero denique sancti Pro-
phetæ hanc quæstionem et rationem in-
firmorum inducunt, cur scilicet boni in
hoc sæculo affliguntur, et impii prospe-
rantur. Hinc Jeremias ait : Justus quidem Jer. XII, 1.
tu es, Domine, si disputem tecum ; verum-
tamen justa loquar ad te : Quare via im-
piorum prosperatur, et bene est omnibus
qui prævaricantur in te? Et Habacuc :
Quare respicis contemptores, et taces con- Habac. I,
culcante impio justiorem se? Mundi sunt 13.
oculi tui, ne videas malum. Quare non re-
spicis super inique agentes? Job quoque :
Numquid contra hominem disputatio mea Job XXI, 4,
est, ut merito non debeam contristari? 7, 9.
Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt,
confortatique divitiis, et non est virga Dei
super eos? Hæc autem malignorum pro-
speritas, viro perfecto et justo vacillatio-
nem aut anxietatem non facit : non enim
ignorat quod Deus flagellat omnem filium Hebr. XII, 6.
quem recipit, et quod sicut aurum in for- Sap. III, 6.
nace probat electos, et quod per multas Act. XIV, 21.
tribulationes oportet nos intrare in re-
gnum Dei.

Cur autem videatur pax esse peccatori-
bus, subdit : (4) *Quia non est respectus morti* 4
eorum : id est, quoniam ipsi non adspici-
unt neque considerant mortem sibi instan-
tem, ideo sic vivunt securi, quasi non es-
sent morituri. *Et firmamentum in plaga*
eorum. Resumenda est negatio in principio
versus posita, ut sit sensus : Non est fir-
mamentum, id est aliqua virtus seu stabi-
lis pœnitentiæ fortitudo, in plaga eorum,
id est vitiosa ac miserabili vita ipsorum.
Peccatum enim est animæ plaga ; et ipsi
in vitiis perseverant, sicut de eis ait san-
ctus Job : Dixerunt Deo, Recede a nobis, Job XXI, 14.
scientiam viarum tuarum nolumus. Isaias

Digitized by Google

Is. xxx, 10. quoque : Dicunt videntibus, Nolite videre;
et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea
quæ recta sunt. Loquimini nobis placen-
tia, videte nobis errores. — Vel sic : *Quia
non est respectus morti eorum :* id est, ideo
in vitiis pacem habent, quoniam Deus non
respicit eos oculo suæ clementiæ, prout
Ibid. LVII, 17. apud Isaiam ipse ait de peccatore, Abscon-
di faciem meam, et abiit vagus in via cor-
dis sui : et ita non prospicit Deus morti
eorum æternæ, quia non impedit eam. Id-
circo est *et firmamentum,* id est perseve-
rantia fortis et obstinatio dura, *in plaga
eorum* interiori, id est in culpa, quia non
pœnitent. — Vel sic, et magis ad litteram :
Quia non est respectus morti eorum : id
est, non videntur cito mori, sed interdum
vivunt diutius quam justi, quemadmodum
Eccle. VII, 16. scriptum est : Justus perit in justitia sua,
et impius multo vivit tempore in malitia
sua. Hoc tamen contingit ad damnationem
ipsorum graviorem. Interdum autem me-
rentur per aliqua opera bona extra carita-
tem facta, temporalis vitæ prolongationem.
Et firmamentum in plaga eorum : id est,
si mali aliquam plagam incurrant, cito
curantur, et non diu in ea perdurant, pro-
pter multa suffragia et humana solatia eis
parata, quibus sæpe justi egent et carent.
5 (5) *In labore hominum,* id est virorum
sanctorum et virtuosorum, *non sunt; et
cum hominibus* vere rationabiliter conver-
santibus, *non flagellabuntur* flagello filio-
rum, ad emendationem in vita præsenti,
sed flagello reproborum, et ad perditio-
nem in lacu inferni. Non autem sunt hæc
intelligenda, quasi peccatores non labo-
rent in hac vita, præsertim quum ipsi ali-
Sap. v, 7. bi dicant : Lassati sumus in via iniquitatis
et perditionis, et ambulavimus vias diffi-
Eccle. II, 26. ciles. Ecclesiastes quoque ait : Bono ho-
mini dedit Deus sapientiam et scientiam,
peccatori autem afflictionem et curam su-
perfluam. Est igitur duplex labor : labor
pœnitentialis, et labor iniquæ operationis.
Quemadmodum namque virtus ex sua na-
tura delectabilis est, sic vitium ex sua na-
tura amarum est, triste, laboriosum, atque
A pœnale : sæpe tamen contrarium accidit,
quantum ad nos, propter nostræ naturæ
corruptionem. In sancto ergo et pœniten-
tiali labore peccatores non sunt, quia nec
sacris vigiliis, nec precibus puris, nec de-
bitis disciplinis, saluberrimisque jejuniis
vacant, sed in vanitate et perversitate tem-
pus suum expendunt, et perdunt. Quamvis
autem vita eorum, secundum veritatem,
multo laboriosior sit atque pœnalior con-
versatione bonorum, quoniam tamen vita
perversa eis amplius placet, idcirco sine
B labore se vivere arbitrantur, et vitam ju-
storum laboriosam putant, eamque abhor-
rent et aspernantur. Justi autem verum
habent judicium, et per experientiam didi-
cerunt quam dulce sit Deo servire, quanta
sit delectatio serenæ conscientiæ, quam
vehemens sit lætitia animæ puræ, quam
vere suave sit jugum Christi, et leve onus Matth. XI,
ipsius. Secundum Bernardum, versiculus 30.
iste nullis tam proprie competit, quam
clericis nostri temporis.
Quoniam itaque sic prosperantur et oti-
C antur maligni, (6) *Ideo tenuit eos superbia,* 6
id est, vinculo elationis constricti sunt,
et in captivitatem ac servitutem superbiæ
ducti : imo servi superbiæ facti, juxta il-
lud, Omnis qui facit peccatum, servus est Joann. VIII,
peccati. *Operti sunt iniquitate et impietate* 34.
sua : id est, quemadmodum viri perfecti
dicuntur operti atque vestiti justitia, sic
isti undique operiuntur malitia, facientes
iniquitatem in proximum, et impietatem
in Deum. (7) *Prodiit quasi ex adipe ini-* 7
quitas eorum : id est, ex abundantia atque
D pinguedine seu copia temporalium rerum
iniquitas eorum causatur, quoniam tempo-
ralium copia rerum, omnis transgressionis
est fomentum. Ideo orat vir justus : Tan- Prov. XXX,
tum victui meo tribue necessaria. *Trans-* 8.
ierunt in affectum cordis, id est, con-
cupiscentiis carnis illicitisque desideriis
consenserunt. Quocontra de justis ait Apo-
stolus : Qui autem sunt Christi, carnem Galat. V,
suam crucifixerunt cum vitiis et concupi- 24.
scentiis. Ad quod monemur a principe
Apostolorum, dicente : Obsecro vos tan- I Petr. II,

quam advenas et peregrinos, abstinere a A
carnalibus desideriis, quæ militant adver-
sus animam.
8 (8) *Cogitaverunt,* cum consensu menta-
li, *et locuti sunt,* ore corporali, *nequitiam,*
id est fraudulenta et crudelia verba contra
virtuosos viros, quos quærunt opprimere :
quod in tyrannis, beatorum martyrum ho-
micidis, maxime patet. Unde in Isaia legi-
Is. xxxiii, 7. tur : Fraudulenti vasa pessima sunt ; ipse
enim cogitationes concinnabit ad perden-
dos mites. *Iniquitatem,* id est verba iniqua,
in excelso, id est in sublimi, audacter, al- B
te et publice, *locuti sunt :* sicut alibi scri-
Ibid. iii, 9. ptum est, Peccatum suum quasi Sodoma
9 prædicaverunt, et non absconderunt. (9) *Po-
suerunt in cœlum os suum :* id est, erecto
collo et tumida mente contra Deum locuti
sunt verba blasphemiæ, prout in libro Job
Job xv, 26. scribitur : Cucurrit impius adversus Deum
erecto collo, et pingui cervice armatus est.
Exod. v, 2. Unde et Pharao dixit : Nescio Dominum. Et
Is. xxxvii, 10. Sennacherib : Non te decipiat Deus tuus,
quia non poterit liberare te. Nero quo-
que, Domitianus, Diocletianus et alii plu- C
res, maximas contra Christum dixerunt
blasphemias. *Et lingua eorum transivit
in terra :* id est, sermo eorum rebus terre-
nis inhæsit, vel in opus processit, atque
humanæ fragilitatis mensuram excessit.

Deinde Dominus ait de populo præele-
10 cto : (10) *Ideo convertetur populus meus
hic :* id est, quoniam tanta iniquitas atque
damnatio concomitantur temporalem pro-
speritatem impiorum, idcirco populus sal-
vandus convertetur ad me, hic, id est in
hac consideratione præsenti : quia perpen- D
det quam periculosa sit mundana prospe-
ritas et carnalis voluptas ; et ita eas abhor-
rebit et fugiet, nec amplius super iniquos
zelabit, sed condolebit, atque ad spiritua-
lem ac arduam conversationem se dabit.
Et dies pleni fructibus pœnitentiæ et bo-
nis operibus, *invenientur* a Deo judice *in
eis* ad Deum conversis. Plenitudinem enim
(ait Ambrosius) vita sanctorum habet ; ina-
nes autem sunt dies malorum.
11 (11) *Et dixerunt,* prædicti infirmi ante-
quam perfecte essent ad Deum conversi :
Quomodo scit Deus ista inferiora, si ista
permittit, videlicet ut impii prosperentur ?
et, Si est scientia in excelso, id est, si est
providentia in Deo sublimi ? Imo videtur
quod non : quia si esset, daret Deus malis
adversa et pœnas, sicut merentur, justis
autem prosperitatem et gaudium. Hoc est
quod scribitur apud beatum Job : An cogi- *Job* xxii, 12,
tas quod Deus excelsior cœlo sit ? Nec no- 14.
stra considerat, et circa cardines cœli per-
ambulat. Unde de negantibus divinam
providentiam alio loco scriptum est : Æsti- *Sap.* xv, 12.
maverunt lusum esse vitam nostram, et
conversationem vitæ ad lucra compositam,
et oportere undecumque acquirere. Cur
autem infirmi hæc dicant, subjungitur :
(12) *Ecce ipsi* sunt *peccatores, et* nibilo minus 12
sunt *abundantes in sæculo ; obtinuerunt
divitias* hereditaria possessione. (13) *Et di-* 13
xi, dum adhuc inexercitatos habui sensus :
Ergo, id est, quum ita sit, ego *sine causa,*
id est sine fructu et ratione, *justificavi
cor meum,* omni custodia custodiendo cor *Prov.* iv,
meum a cogitationibus malis, *et* sine cau- 23.
sa *lavi inter innocentes manus meas,* id
est, opera mea impolluta servavi. (14) *Et* 14
fui sine causa *flagellatus tota die,* id est
assidue in vigiliis, jejuniis, disciplinis, fle-
tu et precibus, exterioribus quoque labo-
ribus propter Deum assumptis, vel ad spi-
ritualem profectum relatis ; *et castigatio
mea in matutinis,* id est, correctio qua me
ipsum correxi, et exercitatio sancta, sum-
mo mane arrepta, qua castigavi corpus et
spiritum meum, vel a te castigatus sum,
fuit inanis.

Consequenter arguit ad oppositum. (15) *Si* 15
dicebam corde : *Narrabo sic,* id est, cogi-
tavi ita sentire atque asserere de provi-
dentia tua et felicitate malorum ; *ecce na-
tionem filiorum tuorum reprobavi,* id est,
tunc generationem et societatem electorum
redarguo, quia vita eorum mercede caret :
sicut de quibusdam per Malachiam con-
queritur Dominus : Invaluerunt super me *Malach.* iii,
verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis : 13, 14.
Vanus est qui servit Domino ; aut quod

Digitized by Google

emolumentum, quia custodivimus præce- A
pta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino?

16 (16) *Existimabam ut cognoscerem :* id est, putavi me posse rationem hujus scrutari et invenire, cur impii prosperantur, et sancti multipliciter affliguntur; *hoc labor est ante me,* id est, hanc causam cognosce-
17 re, laboriosum est mihi. (17) *Donec intrem in sanctuarium Dei,* id est, donec Deus
Ps. L, 8. mihi revelet incerta et occulta sapientiæ suæ, in secretum suæ cognitionis me intromittens, et sacram Scripturam, quæ B
etiam sanctuarium Dei vocatur, mihi aperiat. Per sacram namque Scripturam Deus nobis loquitur et respondet, sicut in san-
Exod. xxv, 22. ctuario tabernaculi divina dabantur responsa. *Et intelligam in novissimis eorum,* id est, considerem quid finaliter instet perversis, quid pœnæ et damnationis eis immineat, quam cito morituri sint, quam districte judicandi, quam irreparabiliter condemnandi. Advertam etiam quid beatitudinis restet electis et justis, quam secure discedent, quam clementer a Judice C
recipientur, quam gloriose coronabuntur. Dum ista adverto, tunc utique ex prosperitate pravorum non moveor, neque bonorum me turbat adversitas : quoniam scio quod Deus electos hic purgat, quatenus citius copiosiusque glorificentur in cœlis :
Apoc. III, 19. sicut et ipse in Apocalypsi testatur, Ego quos amo, arguo et castigo. Horum quoque novissimorum præmeditatio sedula, præservat hominem ab omni ruina, juxta
Eccli. VII, 40. illud : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non pecca- D
bis. Sed quoniam reprobi ista non pensant, prout de eis in Deuteronomio asseritur,
Deut. XXXII, 28, 29. Gens absque consilio est et sine prudentia, utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent; ideo sine mensura et numero peccant.

Deinde ponuntur tormenta pravorum.
18 (18) *Verumtamen,* o Deus, *propter dolos,* quos impii fecerunt in proximos, *posuisti eis,* id est impiis, finem vitæ breviorem, quam alias habuissent. Sæpe enim homines propter peccata sua intempestive moriuntur, quando videlicet impletæ sunt iniquitates eorum. Unde de peccatore apud Job scriptum est : Antequam impleantur *Job* XV, 3 dies ejus, peribit. Et iterum sanctus Job : Viri, inquit, iniqui ante tempus suum sub- *Ibid.* XXII, 15, 16.
lati sunt. *Dejecisti eos dum allevarentur :* id est, dum adhuc florerent et superbirent, humiliasti iniquos, eos occidendo sive damnando. Hinc Abdias disseruit : Superbia *Abdiæ* 3, 4
cordis tui extulit te. Sed si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.

(19) *Quomodo facti sunt in desolationem,* 19
perdendo temporalia bona et corporis sanitatem, aut mortem incurrendo, in qua nullus eos valuit adjuvare? *Subito defecerunt :* sicut dicitur apud Job, Laus impio- *Job* XX, 5.
rum brevis est, et gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Perierunt,* æternaliter condemnati, *propter iniquitatem suam :* sicut scriptura alia testatur, Ducunt in bonis *Ibid.* XXI, 13.
dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. (20) *Velut somnium surgentium, Do-* 20
mine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges : id est, quemadmodum somnium evigilantium statim evanescit, et fallax fuisse cognoscitur; sic, o Domine, ad nihilum rediges, id est, condemnabis ac destrues imaginem ipsorum, id est omnem apparentem felicitatem et gloriam reproborum, in civitate tua cœlesti, tollendo eos ab ea, ne videant beatitudinem tuam. Hinc enim dicturi sunt impii in die reprobationis suæ : Quid nobis pro- *Sap.* V, 8, 9.
fuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens. Et iterum scriptum est : Spes im- *Ibid.* 15.
pii tanquam lanugo, et tanquam spuma gracilis, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Ideo in libro Job scriptum est : Si ascenderit usque ad cœlum *Job* XX, 6-8.
superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur; velut somnium avolans non invenietur, transiet quasi visio nocturna.

Hæc autem dico, (21) *Quia inflammatum* 21

Digitized by Google

est cor meum zelo justitiæ et igne Spiritus A
Sancti; contigitque mihi quod a Jeremia
r. xx, 8, 9. olim dictum est : Factus est sermo Domini
in corde meo quasi ignis exæstuans; *et re-*
nes mei, id est motus seu affectus sensi-
tivi appetitus, *commutati sunt,* id est, ra-
tionis imperio subditi sunt, qui dudum
secundum impetum concupiscentiæ move-
bantur : quod non fit sine magna gratia
22 Dei. *Et ego ad nihilum redactus sum :* id
est, quantum ad spirituale esse nihil fa-
ctus sum, antequam conversi fuerant re-
nes mei, quando peccatis subjacui et con- B
cupiscentiis deservivi ; *et nescivi* me sic
annihilatum, propter excæcationem pecca-
Gal. vi, 3. ti : nam putavi me aliquid esse, quum ni-
hil essem. Vel : Ego ad nihilum redactus
sum, propria reputatione; et nescivi, id
est, non sapientem, sed ignorantem me
Cor. viii, 2. reputavi : eo quod dicat Apostolus, Qui se
putat aliquid scire, nondum scit quomodo
m. xii, 16. oporteat eum scire ; et iterum, Nolite pru-
23 dentes esse apud vosmetipsos. (22) *Ut ju-*
mentum factus sum apud te : id est, com-
paratione tuæ sapientiæ, potius videor esse C
irrationale animal, quam rationalis crea-
tura. Vel sic : Ut jumentum factus sum
apud te, id est, tuo jugo dorsum meum
supposui, tuisque præceptis tam prompte
obedivi, ut jumentum domino suo obedit,
onera ejus portando. *Et ego semper tecum.*
Qui enim se ipsum coram Deo humiliat,
eique paret, indesinenter manet in eo per
gratiam.

24 (23) *Tenuisti manum dexteram meam :*
id est, per gratiam me consolidasti et sus-
tentasti, quemadmodum sustentatur cujus D
dextera ab amico tenetur ; *et in voluntate*
tua, id est in observatione præceptorum
tuorum, vel secundum tuæ voluntatis be-
neplacitum, *deduxisti me* in via peregri-
nationis atque exsilii hujus, ducendo me
per rectam viam ad felicitatem æternam ;
et cum gloria, id est gloriose atque po-
tenter, *suscepisti me,* uniendo me tibi per
caritatem, quem ex ore diaboli et morte
peccati rapuisti. Vel : Cum gloria, id est
cœlesti beatitudine, suscepisti me, id est
suscipies, transferendo me de via ad pa-
triam, et de corpore mortis hujus ad in- Rom. vii, 24.
corruptibilem statum, præsertim in die
judicii, quando mortale hoc induet im- I Cor. xv, 53, 54.
mortalitatem.

(24) *Quid enim mihi est in cœlo, et a te* 25
quid volui super terram ? id est, nihil re-
quiro a te nisi te ipsum, nec in aliqua
creatura cœlesti sive terrestri spem meam
constituo, aut felicitatem repono ; sed tu
mihi objectum et causa es fidei, spei, ca-
ritatis, et felicitatis. Omnia arbitror ut Philipp. iii, 8.
stercora, ut Christum lucrifaciam. Insuffi-
ciens et angusta est mihi omnis creatura,
te Creatorem super omnia diligenti, nec
satiare potest affectum meum bonum fini-
tum ; sed tu, Deus æterne, qui es bonitas
infinita et veritas incircumscripta, solus
quietare, implere et beatificare potes intel-
lectum meum atque affectum. (25) *Defecit* 26
caro mea, id est appetitus inferior, *et cor*
meum, id est appetitus superior, in con-
templatione ac dilectione summi boni, et
beatitudinis mihi a Deo meo paratæ, quo-
niam oculus non vidit, nec auris audivit, I Cor. ii, 9; Is. lxiv, 4.
nec in cor hominis ascenderunt, quæ præ-
paravit Deus diligentibus se. *Deus cordis*
mei, id est amor animæ meæ, summum
bonum ipsius, et Deus totius beatitudinis
suæ. Quod enim quis maxime colit ac dili-
git, hoc est Deus ipsius. *Et pars mea Deus*
in æternum : id est, Deus est illud bonum,
quod ego ex omnibus bonis elegi, præ uni-
versis rebus dilexi, cui semper adhærere
intendo, quoniam ipse solus sufficit mihi,
quia in ipso omnium bonorum, pulchro-
rum, ac desiderabilium plenitudinem in-
venio. Unde et Isaias hoc bono contentus,
ait : Nomen tuum et memoriale tuum in Is. xxvi, 8, 9.
desiderio animæ. Anima mea desideravit
te. Et alia scriptura : Qui diligunt te, Do- Judic. v, 31.
mine, sicut sol in ortu suo splendet, ita
rutilent.

(26) *Quia ecce qui elongant se* per pec- 27
catum mortale *a te,* omnium salvatore,
peribunt, quoniam ibunt in ignem æter- Matth. xxv, 41.
num. *Perdidisti omnes qui fornicantur*
abs te : id est, in præsenti perdis, eis gra-

Digitized by Google

tiam subtrahendo, et in futuro perdes, a A
gloria repellendo, omnes qui adulterinis et pessimis cogitationibus a te recedunt, et rebus caducis inhærent. Est enim quædam fornicatio spiritualis, qua anima summæ Trinitatis imagine insignita, quæ esse deberet sui Creatoris filia, Christique sponsa, Deo suo infidelis efficitur, et creaturis potius quam Creatori innititur, delectatur, et fruitur. Sic fornicantes a Deo, conte-
Ezech. VI, 9. runtur, sicut scriptum est : Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, dicit
Osee IX, 1. Dominus. Et iterum : Noli lætari, Israel, B
quia fornicatus es a Deo tuo.

28 (27) *Mihi autem adhærere Deo* per caritatem et humilem servitutem, *bonum est,* imo optimum, saluberrimum, atque dignissimum. Summa namque nobilitas mentis creatæ, est conversio ejus ad Deum. *Ponere in Domino Deo spem meam,* bonum
Cant. VII, 10. est mihi. Hinc etenim Sponsa ait : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Et
Luc. X, 42. Christus in Evangelio : Unum, inquit, est necessarium. (28) *Ut annuntiem* aliis, vel per me decantem ad gloriam nominis tui, C
omnes prædicationes tuas in sacra Scriptura contentas, vel mihi divinitus inspiratas, *in portis filiæ Sion,* id est in Ecclesiis militantibus, quæ sunt filiæ Sion, id est cœlestis Jerusalem, quæ est mater nostra : multæ autem sunt particulares Ecclesiæ, id est congregationes fidelium. Porro secundum venerandum Hugonem, septem sunt genera prædicandorum, quæ designantur hoc versu :

Sacra, fides, virtus, vitium, laus, præmia, pœnæ. D

Prædicanda sunt enim sacra, id est : septem sacramenta Ecclesiæ ; fides, id est duodecim articuli fidei ; virtus, id est virtutes theologicæ, morales et intellectuales, quatenus acquirantur ; vitium, id est peccata mortalia, ut vitentur ; laus, id est præconia, exempla, et vita Christi atque Sanctorum ; præmia quoque electorum, et pœnæ reproborum.

Ecce completus est psalmus, omni laude dignissimus, qui devotarum est mentium maxime consolativus : in cujus exordio ponitur verbum omni dulcedine plenum, in cujus processu pulchre concionatur Propheta, et tandem concludit, quam vana ac fallax sit impiorum prosperitas, quam contemnenda sit divitiarum superfluitas. Nam (ut ait Hieronymus) continuus temporalium rerum successus, certum indicium est reprobationis æternæ. Et hæc gravissima ira Dei, quum permittit hominem temporaliter prosperari, nec eum castigat, sed in suis adinventionibus voluntatibusque Ps. L, 13.
relinquit. Ostendit insuper psalmus iste, quam certam et justam providentiam habeat Deus actuum humanorum. Copiose etiam manifestat, qualis sit vita hominis electi ac justi, videlicet, ut cor suum justificet, manus suas inter innocentes lavet, tota die flagelletur, atque in matutinis castigetur, cor habeat divino amore succensum, carnem mortificatam, et in propriis oculis nihil exsistat, insipientiam suam Domino humillime confiteatur, ejusque imperio instar pii jumenti in omnibus subjiciatur. Deinde beneficia gratiæ Dei commemorantur, et totus spiritualis profectus Deo adscribitur. Postremo anima Deum affectuosissime ac devotissime affatur, affirmans se extra Deum nihil appetere, Deum finaliter desiderare, in ejus dilectione et contemplatione prorsus deficere, vel quia non valet eum tam clare cognoscere, tamque ardenter diligere, sicut ipse cognoscibilis amabilisque consistit, vel quia ex fervidæ dilectionis excessu contemplationisque raptu infirmata sit corpore, et corde alienata a semetipsa. Ultimate etiam eligit, omnibus derelictis, Deo totaliter adhærere, atque in eo pure confidere : et hoc, non ob proprium præmium, cum reflexione ad se, sed ut omnes laudationes Dei pronuntiet. Cum multa igitur attentione pensemus et decantemus psalmum præsentem, quatenus omnis mundana prosperitas nobis vilescat, et illud unum quod solum est necessarium, Luc. X, 42.
summe complaceat, ametur, atque delectet.

Digitized by Google

PRECATIO.

Deus cordis nostri, Deus pars nostra in æternum, te confortante in bonis agendis non deficiat caro et cor nostrum ; fac nos A tibi semper adhærere, et in te Domino Deo spem ponere, donec te prævio duce, cœleste sanctuarium tuum mereamur introire : qui trinus et unus Deus, vivis et dominaris in omnia sæcula.

ARTICULUS XLI

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI SEPTUAGESIMI TERTII : UT QUID, DEUS, REPULISTI IN FINEM ?

1 Explanandi jam psalmi titulus est : *Intellectus Asaph*. Asaph interpretatur congregatio : quæ in veteri lege dicebatur Synagoga, nunc vero vocatur Ecclesia. Secundum Hieronymum, psalmus iste ab Asaph compositus est, sicut et alii psalmi ab Asaph intitulati. Augustinus vero aliter sentit. Et ergo, secundum Augustinum, sensus tituli est : *Intellectus Asaph :* id est, in psalmo hoc agitur, quid Synagoga seu Ecclesia intelligit, scilicet, quod figuræ jam transierunt, atque per Christum impletæ sunt, et quod a Christo exspectare et quærere debemus, non temporalia, sed æterna. Porro secundum doctores catholicos, psalmus iste ad litteram loquitur de captivitate et destructione Judæorum, per Titum et ejus exercitum facta.

PROPHETA ergo, ut Dei misericordiam citius provocet, causam hujus destructionis regni et populi Hebræorum, per modum admirationis et condolentis inquirit, dicendo : (1) *Ut quid, Deus, repulisti* terram et populum tuum a te ipso et tua protectione, tradendo eos in manus adversariorum, *in finem,* id est totaliter et usque ad finem mundi ? Quidam vero exponunt hunc psalmum ad litteram de captivitate Babylonica : sed illa non duravit in finem ; imo Deus frequenter per Jere-
r. iv, 27; miam dixit, se non dare eos in consum-
. 11, 12; mationem, sed velle reducere eos ad ter-
, 10-14. ram suam post septuaginta annos. Non

B igitur de illa captivitate, magis autem de ea in qua jam sunt, loquitur psalmus hic, quoniam ipsa durat usque in finem : quemadmodum apud Danielem habetur, Usque *Dan.* ix, 27. in finem perseverabit desolatio ; et alibi : Venit finis super populum meum Israel ; *Amos* viii, 2. non adjiciam ultra ut pertranseam eum.

Verumtamen quæstio oritur, quomodo Propheta Judæos illos incredulos et perversos, appellet in sequentibus, oves pascuæ Domini, et congregationem Dei. Et respondendum, quod eo modo dicuntur C oves et congregatio Dei, quo Christus in Evangelio nuncupat eos filios regni : ut- *Matth.* viii, 12. pote, quoniam ex semine sanctorum Patriarcharum ac Prophetarum orti fuerunt, specialiterque a Deo vocati : quia Christus in Evangelio, Non sum, inquit, missus, *Ibid.* xv, 24. nisi ad oves quæ perierunt, domus Israel. Vel dicuntur, oves pascuæ Dei, quoniam terram promissionis, lacte et melle manan- *Exod.* iii, 8 et alibi. tem, præstitit eis, pavitque patres eorum pane cœlesti annis quadraginta in eremo. *Ibid.* xvi, 35. Sive autem exponatur hic psalmus de ca- D ptivitate facta per Romanos, sive per Babylonios, constat quod Judæi pro tunc pessimi erant. Tempore enim captivitatis Babylonicæ deos alienos adoraverunt; tempore vero captivitatis a Tito inductæ, Christum occiderunt, et ob ejus occisionem vastati sunt : quod et Prophetam istum non latuit, quamvis per modum interrogantis exorsus sit. Orat tamen pro liberatione Judæorum a captivitate præsenti,

Digitized by Google

illa potius qua spiritualiter capti sunt a dæmone, et vinculis infidelitatis obstinationisque irretiti, quam illa qua a terra sua expulsi sunt. Agnovit namque sanctus Propheta, tandem fore Judæos ad Christum convertendos. Variis enim temporibus quidam ex eis conversi sunt; sed generaliter non convertentur, nisi in fine
Rom. XI, 25, 26. sæculi. Quum etenim plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit, secundum Apostolum. De hac quoque vastatione Judæorum a Romanis, pulchre et
Num. XXIV, 24. clare prophetavit Balaam : Venient, inquit, in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos.

Iratus est furor tuus super oves pascuæ
I Thess. II, 16. *tuæ*, id est filios Israel : quia pervenit in eos ira Dei, secundum Apostolum. Et quoniam tam dire atque finaliter derelicti sunt, intus et foris privati omni gratia Dei, et propria terra, idcirco dicitur in eos furor Dei iratus. Adscribit autem divina Scriptura Deo furorem et iram, secundum quod alio loco scriptum habetur,
Nahum I, 2. Ulciscens Dominus et habens furorem : non quod in Deo sit aliqua passio aut immutatio recens seu inquietudo, sed propter similitudinem operis, quia per modum irati et furentis se habet, dum peccata nostra ulciscitur per pœnas horribiles. Quod autem Deo non competant vere et proprie passiones hujusmodi, ipse apud
Jer. VII, 19. Jeremiam testatur : Numquid ad iracundiam me provocant? dicit Dominus; nonne semetipsos in confusione vultus sui?

2 (2) *Memor esto*, Domine, misericordiam impendendo, non aliquid cognoscendo de novo, *congregationis tuæ*, id est Synagogæ, *quam possedisti* tanquam populum peculiarem et electum, *ab initio*, quo patres eorum allocutus es, Abraham, Isaac et Jacob, promittens eis quod semen eorum
Deut. X, 15. esset populus tuus : prout Moyses ait, Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et elegit eos, amavitque semen eorum post eos. Orat ergo Propheta pro illuminatione Judæorum, commemorat quoque industriose pristina beneficia Dei, quatenus Deus

A reconcilietur facilius. Nam ad magnanimum pertinet, citius indulgere amico se offendenti, propter familiaritatem antiquam amicitiamque priorem. Subdit ergo: (3) *Redemisti virgam hereditatis tuæ*, id est virgam tuam hereditariam, utpote Israeliticam plebem : quæ dicitur virga, quia per eam correxisti peccatores in terra Chanaan habitantes, et quia ad similitudinem virgæ, recta fuit per justitiam legis, atque ad superiora erecta per fidem et contemplationem futurorum bonorum.
B Interdum equidem sacra Scriptura per virgam designat singularem personam : secundum quod de incomparabili atque Christifera virgine Maria apud Isaiam scriptum est, Egredietur virga de radice Jesse. Nunc *Is.* XI.
vero per virgam significata est congregatio populi. Hanc Deus redemit de terra Ægypti et Babylonis, aliisque multis pressuris, ut patet in libris Judicum, Machabæorum, Esther et Judith. Quid autem sit virga hæc, subdit : *mons Sion*, id est Synagoga, ut sumatur locus pro locato, quia
C in monte Sion constructum erat templum. *In quo habitasti in eo*. In hoc monte habitavit Deus per gratiam specialem, ostendens in templo mirabilia sua, et in populo illo familiariter habitans, sicut per Moysen ait : Ego sum Dominus qui habito *Exod.* XXIII, 45.
in medio filiorum Israel; et, Dominus Deus *Deut.* XXIII, 14.
tuus ambulat in medio castrorum. Possumus quoque dicere, quod Deus Dei Unigenitus Christus homo, habitavit, id est, frequenter et satis diu aliquando fuit in templo seu monte isto, quemadmodum
D a Malachia prædictum est : Statim veniet *Malach.* III, 1.
ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.

(4) *Leva manus tuas in superbias eorum* 3
in finem. Hoc communiter sancti doctores in bono accipiunt, ut sit oratio Prophetæ pro emendatione gentilium, Judæos hoc modo vastantium. Eritque sensus : Extende potentiam tuam in superbias eorum, videlicet Romanorum, exstinguendo in eis culpam, non gratiam; et ita destrue eos

Digitized by Google

in finem, id est salubriter, quatenus per A
tuam correctionem vitam mereantur æter-
nam. Litteræ tamen potius convenire vi-
detur, ut intelligatur in malo, et sit oratio
pro destructione Romani imperii, quan-
tum ad exstinctionem gentilium impera-
torum et populi infidelis, non autem in
quantum Christo subjecti fuerunt. Et ita
completum est tempore Constantini : nam
ex tunc regnare cœpit in populo chri-
stiano.

Quanta malignatus est, id est, quam
multa opera mala fecit, *inimicus,* id est B
quilibet adversarius, seu Titus cum suis
militibus, *in sancto,* id est monte Sion et
in civitate sancta Jerusalem, quæ omnia
a Romanis vastata sunt! Et dicitur Titus
et ejus exercitus malignus seu maligna-
tus, quoniam idololatriæ serviebant, vel
quoniam Jerusalem et templum injusta
intentione destruxerunt, non in ultionem
sanguinis Christi, sed desiderio dominan-
4 di. (5) *Et gloriati sunt* in malo et vitiis,
qui oderunt te, scilicet prædicti idolola-
træ, *in medio solennitatis tuæ,* id est in C
medio templi, quod ingressi, dejecerunt
cum risu et exsultatione. Vel, In medio so-
lennitatis tuæ, id est in medio festivitatis
paschalis. Nam quum Judæi in Jerusalem
confluxissent ad celebrandum festivitatem
paschalem, a Romanorum exercitu et Tito
ac Vespasiano obsessi sunt. (6) *Posuerunt*
ipsi Romani *signa sua,* id est propria si-
gna sive vexilla, quibus utebantur in præ-
liis, utpote aquilas et dracones, *signa,* id
est pro certo indicio victoriæ, expandentes
sua vexilla super turres et muros Jerusa- D
5 lem pro signo triumphi; *et non cognove-
runt* verum Deum neque justitiam ejus,
quoniam non pensabant Judæos hæc pati
propter peccatum in Filium Dei commis-
sum, sed propria potestate se prævalere
opinabantur. Posuerunt autem signa sua,
sicut in exitu belli fieri solet, *super sum-
mum,* id est super altiora loca, ut procul
apparerent.

(7) *Quasi in silva lignorum,* id est, sicut
in silvis ligna præscinduntur, sic ipsi *se-
curibus exciderunt* et confregerunt *januas* 6
ejus, scilicet templi et civitatis Jerusalem,
in id ipsum, id est pari studio atque una-
nimi voluntate; *in securi et ascia,* id est
per talia instrumenta carpentatoria, *deje-
cerunt eam,* id est civitatem et domum Dei
in ea fundatam. (8) *Incenderunt igni san-* 7
ctuarium tuum, id est templum tibi dica-
tum, *in terra* Judææ: quod enim aliter non
comminuerunt, flamma voravit. Unde Da-
niel inducit : Civitatem et sanctuarium *Dan.* IX, 26.
dissipabit populus cum duce venturo, et
finis ejus vastitas. *Polluerunt tabernacu-
lum nominis tui:* quia Romani prædictum
templum ingressi sunt cum equis et femi-
nis : quod in lege prohibitum fuit; imo
prohibuit lex gentiles et incircumcisos in- *Act.* XXI, 28.
gredi templum. (9) *Dixerunt in corde suo,* 8
cognatio eorum simul, id est, ipsi exsis-
tentes generatio prava, cogitaverunt quod
sequitur : *Quiescere faciamus omnes dies
festos Dei a terra,* id est, omnem cultum
Dei, quem isti colunt, impediamus, homi-
nes occidendo, et templum destruendo.
Hoc dicebant Romani directe vel æquiva-
lenter. Si enim non dixerunt hoc manife-
ste, tamen interpretative seu æquivalenter
ita locuti sunt : nam ad destructionem
civitatis ac templi, destructionemque po-
puli, concomitabatur cessatio dierum fe-
storum : et ergo unum intendendo, aliud
quoque, saltem indirecte, intenderunt.

Consequenter ponitur vox Judæorum in
prædicta afflictione positorum, qui geme-
bunde ac querulose dixerunt : (10) *Signa* 9
nostra non vidimus. Tanquam dicerent :
Ubi sunt jam mirabilia illa, quæ Deus fe-
cit cum patribus nostris, quando de terra
Ægypti eos eduxit, per mare Rubrum at-
que desertum deduxit, et in terram pro-
missionis induxit, multotiesque eos rede-
mit de potestate vastantium? Hoc etiam
modo Gedeon dixisse scribitur. Nempe *Judic.* VI,
quum ei dixisset angelus, Dominus tecum, 12, 13.
virorum fortissime, dixit Gedeon : Obse-
cro, Domine, si Dominus nobiscum est,
cur apprehenderunt nos hæc mala? Ubi
sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt pa-

Digitized by Google

tres nostri? *Jam non est Propheta,* qui nos consoletur, et pro nobis Dominum deprecetur, nosque erudiat quid facere debeamus. Nam postquam Judæi Christum occiderunt, et ejus discipulos ejecerunt, nullum habuere Prophetam. Ex quo constat, quod psalmus iste non loquitur de captivitate Babylonica. Tunc enim Judæi habuerunt veros ac sanctos Prophetas, quia eodem tempore prophetavit Ezechiel in Babylone, et Jeremias in Judæa, secundum Hieronymum; dixitque uterque eorum Judæis, quid agere expediret, et de liberatione eos consolabantur : quemadmodum certum est intuenti libros Prophetarum istorum. *Et nos non cognoscet amplius.* Judæi tempore obsidionis a Tito, maximas fecerunt preces, jejunia et hostias, quatenus liberarentur divinitus. Quum autem nullum experirentur Dei auxilium, seque jam capiendos conspicerent, quasi desperantes locuti sunt : Nos non cognoscet amplius, id est, Deus de nobis jam non amplius curat, nec opera nostra acceptat, nec nos per approbationem cognoscit.

Ezech. I, 1, 3; III, 15; *Jer.* I, 2, 3, et alibi.

Consequenter Propheta dilationem divinæ subventionis graviter ferens, Deumque ad misericordiam provocare desiderans,
10 lamentabiliter ait : (11) *Usquequo, Deus, improperabit inimicus?* id est, quamdiu nobis insultabit plebs ista Italiæ, et successores eorum, gloriantes de terræ nostræ destructione, de nostra expulsione et oppressione? *Irritat adversarius nomen tuum in finem?* id est, quamdiu gens infidelis te irritabit, nomen tuum blasphemans, et majestatem tuam despiciens? In hoc orat Propheta imperium Romanorum a gentilibus tolli, et verorum Israelitarum, id est Christianorum, dominio subjugari. Quidam exponunt hanc ultimam partem hujus versiculi, ut in eo reddatur causa quæstionis, quæ in prima parte præsentis versiculi ponitur. Interrogando enim dixit, Usquequo, Deus, improperabit inimicus? Et respondens, rationem assignat, dicendo : Irritat adversarius, etc. Tanquam dicat : Ideo tamdiu improperat inimicus noster nobis, quia irritat adversarius, id est, populus Judæorum Christo adversans, discredens et obstinatus, offendit et blasphemat nomen tuum, o Christe verax Deus, in finem, id est sine cessatione, et usque in finem mundi : ideo non liberabuntur a Christo, ut verificetur quod scriptum est, Non erit ejus populus qui eum negaturus *Dan.* IX, 26
est. (12) *Ut quid avertis manum tuam,* id 11
est, subtrahis a nobis potestatis tuæ adjutorium, derelinquendo populum Judaicum in captivitate hac duplici, qua et propria terra privati sunt, et a dæmone ligati tenentur ad ipsius voluntatem? Cur etiam, Deus, avertis *et dexteram tuam,* id est pium ac prosperum tuæ adsistentiæ prospectum, conservationem atque favorem, *de medio sinu tuo in finem?* Loquitur sanctus Propheta de Deo more humano, quia dum homo non subvenit indigenti, dicitur manum suam in sinu reponere; dum vero auxiliatur, manum extrahere dicitur. Quoniam ergo Propheta intuebatur, Deum Judæos tam finaliter derelinquere, quærit cur in finem, id est in æternum, scilicet usque in terminum sæculi, manum suam ab eorum retrahat ope.

(13) *Deus autem rex noster ante sæcula,* 12
id est Deus verus, unus, æternus, ante omnia sæcula æternaliter manens, *operatus est salutem in medio terræ :* quia in terra Judææ constituit, conservavit, et salvavit
patres nostros. (14) *Tu confirmasti in virtute tua mare.* 13
Ad litteram, Deus confirmavit mare Oceanum in loco suo, ne erumpat, et terram operiat, sicut ait Manasses rex Juda : Domine Deus, signasti mare verbo præcepti tui, qui conclusisti abyssum, et signasti terribili et laudabili nomini tuo, quod omnes pavent. Confirmavit quoque Dominus mare supernaturali firmitate, quando eduxit Israelem per fundum arentem maris Rubri, erantque Hebræis aquæ ex utraque parte pro muro.

Oratio Manasse. *Exod.* XIV, 22.

Contribulasti capita draconum in aquis. Allegat atque commemorat hic Propheta quædam divina miracula antiquitus facta,

Digitized by Google

quatenus manifestet quod Deus nunc quo-
que redimere possit filios Israel de captivi-
II Cor. III, 16. tate præsenti, auferendo velamen de corde
eorum, et eos ad christianæ veritatem fidei
convertendo. Ad quod ostendendum, Con-
tribulasti, inquit, capita draconum in aquis.
Per dracones, intelligit tyrannicos princi-
pes; per aquas autem, tribulationes seu
pœnas. Unde Dominus ait ad Pharaonem :
Ezech. XXIX, 3. Et tu, Pharao, draco magne, qui cubas in
medio fluminum tuorum. Est igitur sen-
sus : Tu, Domine, *contribulasti*, lædendo
aut occidendo, *capita draconum*, id est ca-
pitales dracones seu principes et tyrannos,
in aquis tribulationum, subitanea atque
horrenda morte seu pœna eos plectendo :
Num. XXI, 33, 24. ut patet de Og et Sehon regibus Amorrhæ-
Josue XII, 7 et seq.; Judic. passim. orum et aliis multis, in libris Josue et Ju-
dicum ; vel, *in aquis* materialibus eos sub-
Exod. XIV, 28. mergendo : ut factum est Pharaoni et ejus
14 principibus. (15) *Tu confregisti capita dra-
conis*, id est potestatem et suggestionem
principis dæmoniorum aliorumque im-
mundorum spirituum, dando patribus no-
stris virtutem vincendi tentationes ipso-
rum : et ita salvasti eos de visibilium
invisibiliumque hostium potestate et per-
secutione. *Dedisti eum*, id est draconem
seu dæmonem, *escam populis Æthiopum*,
id est gentibus ad fidem conversis : qui an-
te conversionem nigredine vitiorum erant
deformes, postmodum vero per fidem et
Ps. L, 9. gratiam super nivem dealbati sunt. Dicitur
autem dæmon dari in escam fidelibus : Pri-
mo, quoniam corpus suum sibi aufertur et
minoratur. Corpus namque diaboli est con-
gregatio peccatorum ac perfidorum : quæ
tanto amplius minoratur, quanto plures
ad fidem et gratiam perducuntur. Secun-
do, quoniam ipse diabolus ab hominibus
justis quasi devoratur, consumitur, et man-
ducatur, dum ab eis virtute Salvatoris vin-
citur et calcatur. Unde et Moyses ad po-
Deut. VII, 16. pulum Israeliticum ait : Devorabis omnes
gentes, id est, vinces et conteres.
15 (16) *Tu dirupisti fontes et torrentes*, edu-
Num. XX, 11. cendo de silice, a Moyse bis percussa, tam
copiosa aquarum fluenta, ut populus bi-

A beret et jumenta. Et inde inferius dicitur :
Qui convertit petram in stagna aquarum, Ps. CXIII, 8.
et rupem in fontes aquarum. *Tu siccasti
fluvios Ethan*, id est flumen Jordanis, de-
ducendo filios Israel per arentem alveum
ejus : secundum quod in libro Josue dici-
tur : Ingressis filiis Israel, steterunt aquæ Josue III, 15, 16.
descendentes in uno loco, et ad instar
montis intumescentes apparebant procul,
etc. Nominat autem Propheta Jordanem
pluraliter, flumina, quoniam aquæ ejus in
duas partes divisæ sunt, sicque facta sunt
B duo flumina desiccata. Propter quod a Jo-
sue dicitur : Aquæ inferiores in mare so- Ibid. 16.
litudinis descenderunt, quousque omnino
deficerent. Vel, ponit plurale pro singula-
ri, sicut frequenter facit Scriptura. Nam et
filii Israel dixerunt, Isti sunt dii tui Israel, Exod. XXXII, 8.
qui eduxerunt te de terra Ægypti ; et tamen
non erat nisi vitulus unus conflatilis.

Consequenter ostendit Propheta omnipo-
tentiam Dei per opera creationis, quatenus
constet quam potens sit eruere filios Is-
rael de captivitate præsenti. (17) *Tuus est* 16
C *dies et tua est nox*. Omnia enim tempora
Deus instituit, distinguit, regit, dispensat ;
et cuncta ei obediunt. Unde et Christus
volens ostendere se non esse sub lege, sed
omnium rerum Creatorem, Deum ac Do-
minum, ait : Dominus est Filius hominis, Matth. XII, 8.
etiam sabbati. Nullus vero est dominus
temporum, nisi Deus, ad cujus nutum tem-
pora currunt. Sicut enim (secundum sacra-
tissimum Dionysium in epistola ad Po-
lycarpum) soli Creatori obediunt motus
cœlestes, quod nullus alius eos valeat im-
D mutare ; ita de tempore sentire par est.
Tu fabricatus es auroram, et solem, qui
causat auroram atque meridiem. Quum
enim Deus creaverit solem, sequitur quod
ipse sit fabricator auroræ : quoniam quod
est causa causæ, est causa causati ; et pri-
ma causa plus influit in effectum, quam
aliqua causa secunda, secundum philoso-
phos. Per creationem autem solis, intelli-
genda est creatio omnium cœlestium cor-
porum, a Deo productorum. De quo per
Isaiam dictum est : Qui extendit velut ni- Is. XL, 22.

Digitized by Google

hilum cœlos, et expandit illos sicut taber- A
naculum ad inhabitandum. Et omnia astra
cœli cum sole, divino nutui parent in om-
Job IX, 7. nibus, juxta illud in libro Job : Præcipit
soli, et non oritur, et stellas claudit quasi
17 sub signaculo. (18) *Tu fecisti omnes termi-*
nos terræ : secundum quod in Isaia scribi-
Is. XL, 28. tur, Deus sempiternus, qui creavit terminos
terræ. Unde et ad beatum Job ait Creator
Job XXXVIII, 4-6. omnipotens et sublimis : Ubi eras quando
ponebam fundamenta terræ? Indica mihi,
si habes intelligentiam. Quis posuit men-
suras ejus? aut quis tetendit super eam li- B
neam? aut super quo bases ejus solidatæ
sunt? *Æstatem et ver,* id est tempus æs-
tivale atque vernale, *tu plasmasti.* Tem-
pus enim quum sit causatum a motu pri-
mi mobilis, a Deo plasmatum est, sicut et
primum mobile. Quatuor namque ponun-
tur coæquæva, id est simul creata, videli-
cet : angelus, cœlum, tempus, materia.
18 (19) *Memor esto hujus,* o Domine : hujus,
inquam, quod sequitur. *Inimicus impro-*
peravit Domino : id est, tuus adversarius
Titus idololatra, de quo dictum est supra, C
Quanta malignatus est inimicus in sancto!
hic inimicus improperavit Domino, putans
se virtute deorum suorum prævaluisse,
nec Deum Israel populum Judæorum po-
tuisse defendere. Hoc forsitan cogitavit, vel
dixit. *Et populus insipiens,* id est exerci-
tus Romanorum, veri Dei notitia carens,
et idola colens, *incitavit nomen tuum,* id
est, te offendit in obsidione et destructio-
ne Jerusalem, quia non recta intentione
fecerunt hoc; sed erant virga furoris Do-
mini, sicut Assyrii et Babylonii, quorum D
omnium cor erat non ad corrigendum, sed
conterendum, quemadmodum per Isaiam
Is. X, 5, 7. Dominus ait de rege Assyriorum : Væ As-
sur, virga furoris mei et baculus, ipse est.
Ipse autem non sic arbitrabitur.
19 (20) *Ne tradas bestiis,* id est dæmonibus,
tyrannis, crudelibusve hominibus, *animam*
confitentem tibi, id est hominem sua pec-
cata et tua præconia recolentem. Ponit
enim partem, scilicet animam, pro toto
homine. *Et animas pauperum tuorum,* id
est abjectorum et egenorum, *ne oblivisca-*
ris in finem, deserendo eos in opportunita-
te et tribulatione, ac si non pertinerent ad
te. Orat ergo ad litteram Propheta pro li-
beratione populi Israel, ut eruatur a morte
peccati et captivitate diaboli. (21) *Respice* 20
in testamentum tuum : id est, legem a te
datam, et testimonia ejus adverte, quia in
ea promittis ignoscere pauperibus tuis; et *Is.* LXVI,
ut magis exaudire digneris, attende mali-
gnitatem inimicorum tuorum; *quia reple-*
ti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus
iniquitatum : id est, prædicti Italici, in
malis suæ infidelitatis interius obtenebra-
ti, ditati sunt et repleti terræ domibus ini-
quitatum, id est divitiis terrenis atque in-
justis: de quibus ait Salvator, Facite vobis *Luc.* XVI,
amicos de mammona iniquitatis. (22) *Ne* 21
avertatur a gratia tuæ misericordiæ *humi-*
lis factus confusus, id est populus Judæo-
rum per captivitatem præsentem multum
humiliatus; *pauper et inops* spiritu *lauda-*
bunt nomen tuum cum magno fervore et
exsultatione ingenti : quemadmodum Ba-
ruch dicit : Non mortui in inferno dabunt *Baruch* II,
honorem Domino; sed anima quæ tristis 17, 18.
est super magnitudine mali, et incedit cur-
va et infirma, dat gloriam et justitiam tibi
Domino.
(23) *Exsurge, Deus,* non locum mutan- 22
do, sed fortiter succurrendo, *judica cau-*
sam tuam, quam habes contra adversarios
tuos, et ei qui justam habet causam, præ-
sta victoriam; *memor esto improperiorum*
tuorum, id est famulis tuis inflictorum,
vel blasphemiarum nominis tui; *eorum,*
inquam, improperiorum, *quæ ab insipien-*
te sunt tota die : quoniam populus Roma-
nus insipiens, multa dixit contra Deum in
obsidione prædicta. Horum improperiorum
orat Propheta Deum reminisci, quatenus
ponat Judæis hanc pœnam temporalis de-
jectionis et oppressionis pro peccato eo-
rum, et convertantur; et non arguat eos
secundum rigorem justitiæ suæ, subtrahen-
do eis gratiam in præsenti, et gloriam in
futuro. Propter quod subdit : (24) *Ne obli-* 23
viscaris voces inimicorum tuorum : id est,

Digitized by Google

verba iniqua eorum recordare, quatenus hac occasione parcas populo Israel sic afflicto. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper :* primo, quoniam peccatis
Eccli. III, peccata adjiciunt, juxta illud, Peccator adjiciet ad peccandum; et in Apocalypsi, Qui
A in sordibus est, sordescat adhuc, et qui justus est, justificetur adhuc. Apoc. XXII, 11.
Secundo, quoniam elatio superborum tendit ad alta. Propter quod Isaias dicit : Quum fureres Is. XXXVII, 29.
adversum me, superbia tua ascendit in aures meas, dicit Dominus.

ARTICULUS XLII

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI SEPTUAGESIMI TERTII.

SECUNDUM intelligentiam autem moralem, loquitur Propheta in psalmo præsenti in persona Ecclesiæ, seu cujuslibet hominis fraterna caritate ardentis, atque pro reformatione populi christiani orantis. Ecclesia ergo seu homo virtutis, persecutionem, lapsum et dejectionem Christianorum cum magna compassione prospiciens, Dominum affectuosissime al-
1 loquatur, deprecetur, et dicat : *Ut quid, Deus* Trinitas, Deus gloriose, benedicte et felix, ut quid, id est, qua utilitate et causa, *repulisti* populum christianum, exponendo eum tantis miseriis, tantis impugnationibus hæreticorum, schismaticorum et infidelium, imo et falsorum fratrum, qui fide sunt christiani, sed opere diabolici : et hoc, *in finem,* id est tam perseveranter ? Præcipue autem dicere possumus hæc propter amissionem sepulcri Christi, et Terræ sanctæ ac urbis Jerusalem.

Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ : id est, grandem ultionem exerces contra populum tuum christianum, quem ita sinis opprimi, tentari, affligi et fatigari incursu visibilium invisibiliumque inimicorum, ita ut terras Christianorum jam possideant infideles, corda vero seu animas plurimorum peccata et dæmones. Denique industriosum, pulchrum, et efficax genus orationis est, in ipsa prece ea includere, ex quibus rationabile, et quodammodo debitum est, eum qui oratur, miti-
B gari et exaudire. Omnino autem decens videtur, ut Dominus populo sibi peculiari, et multis beneficiis a se honorato faciliter reconcilietur : idcirco Ecclesia seu homo fidelis pro aliis deprecans Christianis, asserit Christianos esse oves pascuæ Dei : quod est verbum amorosum, fiduciale, familiare atque dulcissimum; et convenit hoc Christianis multo perfectius quam Judæis. Illi enim pasti sunt manna; nos au- Exod. XVI, 15; Joann. VI, 48-59.
tem corpore et sanguine Christi, figuratis per manna, quotidie pascimur, multiformi
C gratia tanti sacramenti reficimur, Christo incorporamur, et nisi in nobis defectus sit, spiritualiter impinguamur, ditamur, perficimur. Corpus enim Christi est vere frumentum electorum, et sanguis ejus est vere vinum germinans virgines, id est animas castas, Christique sponsas. De quo frumento et vino in Zacharia scriptum est:
Quid bonum Domini, aut quid pulchrum Zach. IX, 17.
ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ?

Memor esto, o rex Christe, mundi Salva- 2
D tor, *congregationis tuæ,* id est universalis Ecclesiæ, eam ubique terrarum reparando, protegendo, augendo, atque salvando; *quam possedisti* per gratiam baptismalem et beatissimam passionem hereditario jure, sicut superius Pater ait ad te : Postu- Ps. II, 8.
la a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Hanc autem congregationem possedisti *ab initio* primitivæ Ecclesiæ, quia

Digitized by Google

Act. xiii, 48. ex tunc crediderunt quotquot præordinati A
erant ad vitam æternam. Et ut ait Aposto-
II Tim. ii, 19. lus, Firmum fundamentum Dei stat, ha-
bens signaculum hoc : Cognovit Dominus
qui sunt ejus. Vel dicitur Deus possedisse
Ecclesiam ab initio, id est ab æterno, se-
cundum rationem prædestinationis divi-
næ, secundum quam ab æterno eam di-
lexit. Christus quoque eam hoc modo ab
æterno possedit, in quantum Deus (secun-
Ephes. i, 4, 6. dum Apostolum) nos in Christo ab æterno
elegit et gratificavit, universaque gratiæ
dona in ipso nobis dare decrevit, imo et B
II Tim. i, 9, 10. dedit, secundum Apostolum : Deus (inquit)
vocavit nos vocatione sua sancta, non se-
cundum opera nostra, sed secundum pro-
positum suum et gratiam, quæ data est
nobis in Christo Jesu ante tempora sæcu-
laria; manifestata est autem nunc. Verum-
tamen datio illa ante tempora sæcularia,
secundum prædestinationem divinam, non
secundum actualem infusionem, sumen-
da est.

Redemisti virgam hereditatis tuæ, id est
populum christianum ad divina erectum, C
I Petr. ii, 9. qui est genus regium et sacerdotale, de
spirituali Ægypto, id est de conversatione
mundana, vitiosa ac tenebrosa, de multis
erroribus, cunctis peccatis, infernique pœ-
nis : et hoc, pretiosissimo pretio, utpote
sanguine proprio. Unde in Apocalypsi scri-
Apoc. i, 5, 6. ptum est : Dilexit nos, et lavit nos a pec-
catis nostris in sanguine suo, et fecit nos
regnum et sacerdotes Deo et Patri suo. Et
I Petr. i, 18, 19. Petrus in sua Canonica : Non corruptibi-
libus auro vel argento redempti estis de
vana vestra conversatione paternæ tradi- D
tionis, sed pretioso sanguine quasi Agni
immaculati. Propter quod ipsemet Chri-
Joann. x, 14, 15. stus protestatur : Ego sum pastor bonus,
et agnosco oves meas ; et animam meam
pono pro ovibus meis. Hæc autem congre-
gatio tua, est *mons Sion,* id est Ecclesia
militans, Deum fideliter speculans, *in quo*
monte *habitasti* corporaliter visibiliterque
Baruch iii, 38. *in eo,* quando in terris visus es, et inter
discipulos conversatus. Propter quod dicit
Hebr. iii, 6. Apostolus : Christus tanquam filius in do-
mo sua, quæ domus sumus nos. Nunc quo-
que et usque in finem mundi habitat Chri-
stus in nobis, sicut ipse ait : Ego vobiscum Matth. xxviii, 20.
sum cunctis diebus ; et rursus, Ubi fue- Ibid. xviii, 20.
rint duo vel tres congregati in nomine
meo, ibi in medio eorum sum. Sion autem
speculatio interpretatur : idcirco per eam
Ecclesia designatur, in cujus persona ait
Apostolus : Nos revelata facie gloriam Do- II Cor. iii, 18.
mini speculantes.

Leva manus tuas in superbias eorum 3
in finem. Ecclesia Dei non est erudita a
magistro suo Christo reddere malum pro Matth. v, 44.
malo, sed vincere in bono malum, orando Rom. xii, 21.
pro æmulis. Ideo versus iste in bono ex-
ponendus est, ut sit sensus : Leva manus
tuas, id est, potentiam tuam extende, in
superbias eorum, scilicet inimicorum Ec-
clesiæ, persequentium justos, destruendo
in eis non naturam, sed culpam ; vel in
præsenti eos paternaliter ac misericordi-
ter castigando, ne æternaliter pereant, sic-
ut Apostolus tradidit illum Corinthium Sa- I Cor. v, 5.
tanæ in interitum carnis, quatenus spiritus
salvus fieret in die Domini. Illa vero tradi-
tio aliud nihil erat, nisi excommunicatio :
quam in primitiva Ecclesia concomitari
solebat ad fidei confirmationem sensibile
signum, scilicet corporalis vexatio excom-
municati a dæmone, ad quam sequi sæpe
solebat mors corporis ; sed nunc fide fir-
mata, necessarium non est tale sensibile
signum. Et quod ista sit expositio apta, li-
quet ex eo quod subditur, In finem, id est,
in vitam æternam ac veram salutem ordina
correctionem tuam, qua superbos flagellas.

Quanta malignatus est inimicus in
sancto! id est, quam magna mala fecit
per suos successores Mahometus in Terra
sancta, quæ ejus populo jam est subje-
cta! quemadmodum Christus in Evangelio
prænuntiavit : Jerusalem calcabitur a gen- Luc. xxi, 24.
tibus, donec impleantur tempora natio-
num. Vel, Quanta malignatus est inimicus,
id est quilibet hæresiarcha, tyrannus aut
perversus in sancto populo tuo, eum deci-
piendo, affligendo, aut occidendo! sicut de
Arianis maxime patet, qui innumerabiles

Digitized by Google

Christianos jugulaverunt; et imperatores Ariana perfidia intoxicati, innumeros incarceraverunt episcopos, prout in chronicis legitur. *Et gloriati sunt,* quum malefecerunt, et in rebus pessimis, *qui oderunt te,* scilicet prædicti maligni, et hoc, *in medio solennitatis tuæ,* quam ipsi frequenter violaverunt. Sæpe enim perversi in sacratioribus solennioribusque diebus deteriora opera faciunt, secundum quod dæmones corda eorum possidentes, inspirant. *Posuerunt signa sua.* Ariani hæretici circumferre solebant sua vexilla ad derisionem Catholicorum; et multi tyranni Ecclesiam devastantes, ubertim erexerunt in signum victoriæ contra Christianos sua vexilla.

I u,14.

Porro quod in tribus sequentibus versibus dicitur, tam sæpe ad litteram factum est Ecclesiæ Christi, secundum sensum in præcedenti articulo introductum, ut non sit necesse specialia commemorare exempla: præsertim quum nostris quoque temporibus talia (proh dolor!) abundantissime facta sint Ecclesiis, in regno Bohemiæ et terris ei vicinis, a detestandis ac nefandis regni illius hæreticis: quorum (exigentibus culpis nostris, atque divino permittente judicio) rabies multum nimis ac diu desævit; sed jam de gratia Dei non parum repressa est, gladioque exstincta.

Sed quum Christifideles tot afficerentur flagellis, persecutionibus, fame, siti, ac mortibus, quid dicerent, nisi quod subditur? *Signa nostra non vidimus:* id est, tam admirabiles divinæ virtutis protectiones experti non sumus, nec experimur, quales interdum viderunt atque experti sunt patres nostri christianissimi, qui quum pauci essent, maximas infidelium multitudines dejecerunt, auxilio eis desuper condonato: ut patet de Theodosio religiosissimo, Carolo Magno, Godefrido de Bolonia, multisque aliis. Sed et ipsi Apostoli et successores eorum, sæpe angelica ope de carceribus, vinculis, et omni molestia incredulorum erepti noscuntur. Nunc autem nil tale nobis apparet: propterea sola patientia nobis necessaria est cum fide certissima; dicendumque est nobis illud Machabæorum: Parati sumus magis mori, quam Dei leges prævaricari. (II Mach. vii, 2.) Nec ideo frangi debemus, quia in præsenti occidi permittimur, scientes verum esse quod in eodem loco subjungitur: Rex mundi Deus defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. (Ibid. 9.) Unde et alibi scriptum est: Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. (Sap. iii, 4.) Et rursus: In paucis vexati, in multis bene disponentur. (Ibid. 5.) In paucis, inquit, vexati: cur non potius in multis, præsertim quum (teste Apostolo) per multas tribulationes oporteat nos ingredi regnum Dei? (Act. xiv, 21.) nisi quod ait idem Apostolus, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. (Rom. viii, 18.) *Jam non est Propheta.* Merito deplangit Ecclesia lapsum suum, quod nunc refriguit caritas plurimorum, (Matth. xxiv, 12.) nec modo inveniantur in Christianis gratiæ Spiritus Sancti (quas Paulus enumerans: Alii, inquit, datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii operatio virtutum, alii discretio spirituum, alii prophetia, etc.) (I Cor. xii, 8, 10.) tam copiose quemadmodum olim, præcipue tamen in primitiva Ecclesia, in qua multi fuere Prophetæ; et interim non pauci fulserunt gratia prophetali, sicut Antonius, Hilarion, Joannes eremita, Benedictus, et alii multi. Nunc vero, heu! nimis infirmatur Ecclesia, et jam non est Propheta; et sic dicere possunt in afflictionibus constituti: *et nos non cognoscet amplius* Deus noster, approbando opera nostra. Quod dicitur non asserendo, sed dolentis animi gemitum exprimendo, vel quia sic esse videtur.

Deinde vir justus, seu ipsa Ecclesia improbitate hostium fatigata, ait ad Dominum:
10 *Usquequo, Deus, improperabit* vel insultabit tibi aut servis tuis *inimicus,* hæresiarcha, paganus, Judæus aut tyrannus? Qui enim servis Dei improperat, Deo improperat. Propter quod ait Salvator: Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. (Luc. x, 16.) Et usquequo, Domine Deus, *ir-*

ritat adversarius nomen tuum in finem, te A
ipsum inhonorando, et tua mandata sper-
nendo, tuosque ministros persequendo?
12 *Deus autem rex noster ante sæcula,* id
est Christus ante omnia tempora æternali-
ter genitus a Patre, *operatus est salutem*
in medio terræ, videlicet in Judæa, et in
Rom. v, 10. monte Sion, reconcilians nos Deo per pas-
Philipp. ii, 8. sionem suam et sanguinem. Humiliavit
enim (ut ait Apostolus) semetipsum, fa-
ctus obediens usque ad mortem, mortem
autem crucis. De hac Christi salvatione
ait Pater æternus, de Christo loquens apud B
Zach. iii, 8, 9. Zachariam : Ecce adducam servum meum
Orientem; et auferam iniquitatem terræ
illius in die una, videlicet in die Parasce-
Joann. i, 29. ves. Tunc enim Christus agnus Dei tulit
Luc. xix, 10. peccata mundi, sicut et ipse dixit : Venit
Filius hominis quærere et salvum facere
13 quod perierat. *Tu,* Domine Christe, *con-*
firmasti in virtute tua, id est per divinam
tuam potentiam; vel, In virtute tua, id est
in interiori perfectione ac fide catholica;
mare, id est gentiles : qui nomine maris
signantur, primo, propter amaritudinem C
vitiorum gentilitatis; secundo, quia ad
instar aquarum inquieti erant, atque de
peccato in peccatum fluxibiles; tertio,
propter multitudinem. Unde et alio loco
Apoc. xvii, 1, 15. scriptum est : Aquæ multæ, populi multi
sunt. Hoc mare Christus in fide adeo con-
firmavit, ut pro christianæ fidei veritate
mori optarent. Propterea per Isaiam ait
Is. lv, 4. Dominus, loquens de Christo : Ecce testem
populis dedi eum, ducem ac præceptorem
gentibus. Et Isaias loquens ad Dominum :
Ibid. 5. Ecce (ait) gentem quam nesciebas, voca- D
bis; et gentes quæ non cognoverunt te, ad
te current. Hinc quoque in Actis Aposto-
Act. x, 44-46. lorum scriptum est, quod Spiritus Sanctus
cecidit super Cornelium et eos qui erant
cum illo, loquebanturque linguis. Quo vi-
so, obstupuerunt qui erant ex circumci-
sione, dicentes : Ergo et in nationes gratia
Dei diffusa est?

Contribulasti, Domine Jesu, *capita dra-*
conum in aquis, id est, spiritus malignos
et eorum superbias contrivisti, superasti
et exstinxisti in fonte Baptismi : quia in
illo efficiuntur homines de filiis iræ filii
gratiæ, de filiis perditionis et dæmonis,
filii salutis et Creatoris, quoniam in hac
aqua cuncta peccata donantur, sicut de ea
in Zacharia scriptum est : In die illa erit *Zach.* xiii, 1.
fons patens domui David in ablutionem
peccatoris. Quemadmodum autem per Da-
vid intelligitur Christus, ita per domum
David designatur Ecclesia Christi, quæ
nunc purgatur in aquis Baptismi. *Tu con-* 14
fregisti capita draconis. Hoc in præceden-
ti articulo de principis dæmonum deje-
ctione expositum est. Cui concordat quod
in Apocalypsi commemoratur : Factum est *Apoc.* xii, 7, 8.
prælium in cœlo; Michael et angeli ejus
præliabantur cum dracone, et draco præ-
liabatur et angeli ejus; et non prævalue-
runt, nec inventus est locus eorum am-
plius in cœlo. Potest quoque exponi de
Antichristo, hoc modo : *Tu,* Christe, *con-*
fregisti, id est confringes, ponendo præter-
itum pro futuro, secundum morem prophe-
ticæ denuntiationis, propter certitudinem
prophetiæ : confringes, inquam, *capita,*
id est principales fautores, seu domina-
tiones atque potentias, *draconis,* id est
Antichristi. De quo in Apocalypsi scriptum
est : Vidi de mari ascendentem bestiam, *Ibid.* xiii, 1.
habentem capita septem et cornua decem.
Hunc draconem et omnem ejus appara-
tum, Christus confringet et condemnabit.

Tu dirupisti fontes et torrentes : id est, 15
sacram Scripturam, in qua continentur
fontes sapientiæ atque torrentes scientiæ,
aperuisti, et ejus mysteria revelasti per
infusionem Spiritus Sancti. Vel, per fon-
tes et torrentes intelligi possunt Apostoli,
qui sunt summi doctores Ecclesiæ, et alii
inferiores prædicatores : quorum Deus cor-
da dirupit, dum ex eis fluenta sanctæ præ-
dicationis toti mundo propinavit. *Tu sicca-*
sti fluvios Ethan. Ethan nomen Hebraicum
est, quod interpretatur Robustus. Per flu-
vios vero hoc loco intelliguntur doctrinæ,
quæ de corde unius fluunt in mentem
alterius. Est igitur sensus : Tu, Christe
salvator mundi, desiccasti, arefecisti, et

Digitized by Google

inutiles ostendisti doctrinas superborum, A
in sua sapientia gloriantium, seque robustos opinantium, scilicet documenta inanis philosophiæ, variosque errores idololatriæ ac diabolicæ doctrinæ. Propterea
1 Cor. I, 20. Apostolus loquitur : Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Et iterum:
Ibid. 27. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.

16 *Tuus est dies,* id est spirituales viri a sole justitiæ et fonte sapientiæ illuminati, *et tua est nox,* id est populus carnaliter vivens. Omnia enim genera hominum sunt B
Dei, jure creationis et universalis dominii. *Tu fabricatus es auroram et solem,* id est Virginem gloriosam, et Christum hominem Virginis Filium, dando utrique quidquid habent in donis naturæ et gratiæ. Maria quippe, aurora vocatur : quoniam sicut aurora diem præcedit, sic ipsa Chri-
Cant. VI, 9. stum. Unde de ea in Canticis legitur: Quæ est ista, velut aurora consurgens ? Christus quoque, etiam ut homo, sol dicitur : quoniam sicut stellæ omnes a sole lumen recipere æstimantur, sic omnes sancti a C
Christo lumen fidei, gratiæ et sapientiæ
Joann. I, 16. sortiuntur. Nam de plenitudine ejus om-
17 nes accepimus. *Tu fecisti,* id est, spiritualiter reformasti et regenerasti, *omnes terminos terræ,* id est omnes electos in finibus mundi morantes. *Æstatem et ver,* id est remunerationem seu præmium ac meritum, *tu plasmasti.* In vere enim arbores flores, in æstate autem fructus producunt : et ita per æstatem accipitur præmium ; per ver, meritum. Deus autem causat in nobis non solum præmium, sed D
Is. XXVI, 12. etiam meritum, juxta illud Isaiæ : Domine, dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es in nobis. Per æstatem quoque intelligi possunt fervidi amatores Divinitatis; per ver autem, novelli et incipientes in Dei obsequio.

Memor esto hujus congregationis ec- 18
clesiasticæ : de qua dictum est. *Inimicus* vers. 2.
improperavit Domino, id est, hæretici et perversi vituperaverunt doctrinam Christi
atque Ecclesiæ, dicentes : Aquæ furtivæ Prov. IX, 17.
dulciores sunt, et panis absconditus suavior ; *et populus insipiens,* id est Deum verum ignorans, vel factis eum se ignorare ostendens, *incitavit nomen tuum,* id est, te ad iracundiam provocavit : idcirco
peribit, sicut de eo inducitur, Populus non Osee IV, 14.
intelligens vapulabit. *Ne tradas,* aut tradi 19
permittas, *bestiis,* id est dæmonibus vel sævis hominibus, *animam confitentem tibi* sua peccata et tua præconia. Cetera patent ex elucidatione præhabita.

Ecce psalmum sententiosum et affectuosum audivimus : in quo pristina divinæ familiaritatis beneficia recoluntur, malignitas persecutorum Ecclesiæ enarratur, tribulationes justorum scribuntur, pro adversariorum correctione oratur, divina potentia ex suis effectibus demonstratur. Quemadmodum igitur condecens est, devotione congrua præsentem psalmum canamus, et informemur ex eo in omni adversitate ad Deum affectuose converti, confidenter precari, beneficia patribus nostris exhibita commemorare : quatenus consequamur similia, atque ab omni liberemur instabilitate atque angustia.

PRECATIO.

Deus, Rex noster ante sæcula, Christe, qui in fine sæculi operatus es salutem in redemptione Ecclesiæ tuæ, quam ab initio tuo possedisti prædestinatione, respice in testamentum sanguine tuo confirmatum, faciendo eamdem Ecclesiam tuam devotam permanere, et in securitate jugi consistere : qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto, etc.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIII

DECLARATIO PSALMI SEPTUAGESIMI QUARTI : CONFITEBIMUR TIBI, DEUS, CONFITEBIMUR.

Denique titulus psalmi præsentis est : A
1 *In finem, ne corrumpas, psalmus cantici*
Asaph. Quidam exponunt hunc psalmum
ad litteram de populo Judæorum, redeunte
a captivitate Babylonis, ut sit gratiarum
actio populi inde liberati, et in Judæam
reversi. Sicque sensus tituli est iste : *Psal-*
mus cantici est ipsius *Asaph, ne corrum-*
pas, id est, ne disperdas, o Domine, po-
pulum Israel, sicut fecisti in captivitate
Babyloniæ. Videtur autem mihi expositio
ista parum devotionis includere, modi-
cumque dulcedinis continere : breviter ta- B
men tangi potest hoc modo.

2 (1) *CONFITEBIMUR tibi, Deus,* nos de
captivitate reversi ex licentia Darii
regis Medorum et Cyri regis Persarum,
quod juste castigasti nos, quia peccavi-
mus ; *confitebimur* tibi, quod misericordi-
ter reduxisti nos, imo et juste, quoniam
Jer. xxv, 11. promisisti per Jeremiam, quod post sep-
tuaginta annos eripiendi essemus de ca-
ptivitate; *et invocabimus nomen tuum* pro
gratia vitandi peccata præterita, ne denuo C
incidamus similia mala. (2) *Narrabimus*
mirabilia tua, quæ in Babylone vidimus
aut cognovimus, quomodo scilicet eripui-
Dan. iii, vi, xiii, xiv. sti tres pueros de camino ardenti, et Da-
nielem de lacu leonum, et Susannam de
manibus judicum impiorum : quæ omnia
in Daniele leguntur.

Deinde Propheta mutans personam, ait
3 in persona Dei : *Quum accepero tempus,*
ego justitias judicabo, id est, tempore a
me præordinato atque disposito, judicabo
justitias electorum, liberando eos de ma- D
nibus injustorum, prout eorum justitiæ
4 exigunt et merentur. (3) *Liquefacta est ter-*
ra, id est, Judæa a Chaldæis incensa est et
combusta, *et omnes qui habitant in ea,* id
est, qui morabantur in terra hac, timore
Chaldæorum dissoluti sunt corde. *Ego* Deus
confirmavi columnas ejus, id est, princi-
pes populi hujus stabilivi in bono, et in
fortitudine animi inconcussa, videlicet Zo- I *Esdr.* iii,
robabel, Jesum filium Josedec sacerdotem 2; v, 1; vi, 6; II *Esdr.* vii,
magnum, Zachariam, Aggæum, Esdram, 7; *Agg.* i,
Nehemiam. (4) *Dixi,* id est, ego Deus, 14; ii, 5.
non verbis sed opere, intimavi *iniquis,* 5
id est superbis Babyloniis : *Nolite inique*
agere, id est, nolite amplius regna et po-
pulum alienum opprimere, sicut hucus-
que fecistis; dixi *et delinquentibus,* id est
prædictis iniquis : *Nolite exaltare cornu,*
id est, nolite diutius regnare seu regi-
am potestatem exercere. (5) *Nolite extol-* 6
lere in altum cornu vestrum, imperando
omnibus regnis, et monarchiam tenendo;
nolite loqui adversus Deum iniquitatem,
blasphemando Deum Israel, et subsannan-
do populum ejus, quemadmodum diu feci-
stis. Hæc omnia dixit Deus Chaldæis, non
verbo sed opere : quoniam abstulit eis po-
testatem prosequendi opera mala, trans-
ferendo regnum eorum ad Medos ac Per- *Dan.* v, 28;
sas, ut in Daniele habetur, et ab Isaia et *Is.* xiii, 17;
Jeremia evidentissime prænuntiatum con- *Jer.* li.
spicitur.

Cur autem Deus hæc dixerit eis, subdit
Propheta : (6) *Quia neque ab oriente, neque* 7
ab occidente, neque a desertis montibus, id
est, quia ex nulla parte aut latere mundi,
poteritis, o Babylonii, judicium divinum
effugere : et hoc ideo, *quoniam Deus* ubi- 8
que exsistens, omnia cernens, atque om-
nipotens, *judex est.* (7) *Hunc humiliat, et*
hunc exaltat, id est, unum deprimit, et
alium elevat, secundum quod sibi placet
et homines promerentur ; *quia calix in* 9

Digitized by Google

manu Domini, id est, pœna seu ultio est in potestate Dei : calix, inquam, *vini meri plenus mixto :* id est, pœna quam Deus effundere potest in impios, est multum acerba et pungitiva, quemadmodum mixtum ex vino mero. (8) *Et inclinavit ex hoc in hoc :* id est, Deus pœnam suæ vindictæ effudit de uno populo in alium, pu-
A niendo perversos successive, secundum ordinem suæ justissimæ sapientiæ; *verumtamen fæx ejus non est exinanita :* id est, fundus seu amaritudo calicis hujus non est evacuatus, quoniam divina potestas non desinit in ulciscendo. Omnia autem hæc, et quæ restant in psalmo isto, in sequenti articulo latius exponentur.

ARTICULUS XLIV

EXPOSITIO TROPOLOGICA SIVE MORALIS EJUSDEM PSALMI SEPTUAGESIMI QUARTI.

1 DENIQUE, juxta tropologicum sensum, prædictus titulus ita exponitur : *Psalmus cantici,* id est spiritualis jucunditatis, quoniam agit de remuneratione justorum, est *Asaph,* id est, convenit designatis per Asaph, videlicet congregationi fidelium seu Ecclesiæ : Asaph enim congregatio interpretatur. Psalmus (inquam) conscriptus, *ne* tu fidelis *corrumpas* te ipsum per superbiam ; et spem tuam, quæ est *in finem,* id est tendens in Christum seu vitam æternam, evacues. Specialiter autem hic psalmus superbiam detestatur, humilitatem commendat, justum Dei judicium recolit, et omnium justam remunerationem declarat.

Loquens ergo Propheta auctor psalmi præsentis, sive ille fuerit David, sive Asaph,
2 in persona Ecclesiæ ait : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur.* Repetitio verbi, signum est firmi propositi ardentisque desiderii. Vel, quod primo dicit, Confitebimur, referri potest ad confessionem laudis divinæ, de qua ait Salvator, Confiteor tibi, Pater (Matth. xi, 25) : et ista confessio manet in patria, sicut inferius dicitur, Confessio et pulchritudo in conspectu ejus (Ps. xcv, 6). Quod vero secundo repetit, Confitebimur, referri potest ad confessionem propriæ culpæ, de qua Jacobus dicit : Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salve- (Jacob. v, 16)
B mini. Itaque, Confitebimur tibi, Deus, id est, te laudabimus, tuam bonitatem æternam, immensam ac puram, ore et opere glorificando, tua beneficia summa ac liberalissima, scilicet dona naturæ et gratiæ recolendo, et tibi attribuendo. Hoc modo confitetur Deo, qui cum B. Jacobo protestatur : Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jacob. i, 17). Hoc enim ad commemorationem beneficiorum Dei certum est pertinere, sicut et illud quod Paulus
C inducit : Quid habes quod non accepisti ? (I Cor. iv, 7.) Et iterum : Sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. iii, 5). Quod vero Jacobus subdit, Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (Jacob. i, 17), pertinet ad recommendationem divinæ naturæ seu bonitatis secundum se. Aut enim laudamus Deum propter se ipsum ac propriam bonitatem, aut propter beneficia sua : et ad hos duos modos confitendi Domino confessione laudis, reducuntur et spectant quæcumque in sacra Scriptura ad laudem Dei dicuntur. *Et in-*
D *vocabimus nomen tuum,* id est, te ipsum ex interno affectu, ex totis præcordiis intimisque medullis precabimur, quatenus tibi grati inveniamur, in bono conservemur, proficiamus et consummemur. Laudabimus ergo te propter beneficia jam adepta, et invocabimus te propter benefi-

Digitized by Google

cia adipiscenda, seu propter promissa obtinenda.

Narrabimus mirabilia tua, in veteri ac novo Testamento conscripta, laudando te Deum opificem in tuis effectibus supernaturalibus. Præsertim autem narrare debemus, vel soli coram Deo, vel etiam si ratio exigit, proximis, mirabilia Dei quæ circa unumquemque nostrum operari dignatus est, peccata nostra misericorditer indulgendo, gratiam conversionis præstando, et animas nostras olim peccatrices justificando : quod est magnum mirabile Dei, quoniam (Augustino teste) majus est impium justificare, quam cœlum et terram
I Petr. II, 9. creare. Unde legitur : Virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Maxime vero narrare, incessabiliterque commemorare debemus mirabilia Domini nostri Jesu Christi, quæ ipse pro nostra salute assumpsit, fecit, ac pertulit : utpote mysteria redemptionis humanæ, incarnationem, conversationem, vitam, doctrinam, signa, passionem, resurrectionem, ascensionemque Christi. Hinc
Eccli. XLII, 17. enim scriptum est : Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabilis in gloria sua?

3 Deinde vox Christi inducitur. *Quum accepero tempus, ego justitias judicabo :* id est, dum tempus ad judicandum Dei sapientia institutum atque præfixum advenerit, ego judicabo justitias. Quod dupliciter explanatur. Primo sic : Justitias, id est opera quæ videntur hominibus justa, ego discutiam, an sint veraciter justa, et recta intentione peracta. Nam tam districte Deus opera justorum discutiet, ut Petrus in sua
Petr. IV, 18. Canonica dicat : Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Secundo sic : Justitias judicabo, id est, justas sententias proferam, electos judicando judicio approbationis, et reprobos judicio condemnationis. Propter quod Salomon loqui-
Prov. XXIV, 12. tur : Qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallet, reddetque homini juxta opera sua. Oportet

A autem (secundum Apostolum) nos omnes manifestari ante tribunal Christi; et unumquemque nostrum Christus judicabit sigillatim in hora propriæ mortis, universaliter vero de omnibus judicabit in die novissimo. In primo quoque suo adventu accepit Christus tempus judicandi passive et miserendi, juxta illud : Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. In secundo autem suo adventu accipiet tempus judicandi active et vindicandi, ut ait Joannes : Ecce venio cito, et merces B mea mecum est, dare unicuique juxta opera sua. Et Daniel : Judicium sedit, et libri aperti sunt; et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat. (II Cor. 10.) (Luc. XI, 10.) (Apoc. XXII, 12.) (Dan. VII, 10, 13.)

Sed quam terribile erit illud judicium, pandit Propheta, subdendo : *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea.* Nam 4
ante finale judicium terra et aer igne conflagrationis accendentur ac purgabuntur, hominesque tunc viventes, timore ad instar plumbi liquescent et dissolventur, prout Salvator ait : Erunt signa in sole et C luna et stellis, et in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. De hac terræ liquefactione futura in die judicii, de qua nunc loquitur Propheta per modum præteriti, secundum consuetudinem prophetiæ, ait beatissimus Petrus : Adveniet dies Domini tanquam fur, in quo cœli (supple, aerii) magno impetu transient, elementa vero calore solventur; terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Isaias quoque : Ecce, D inquit, dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. *Ego* Dominus *confirmavi columnas ejus :* id est, justos et viros perfectos, qui erunt circa finem mundi, tempore Antichristi, confirmabo et conservabo in gratia, ne in tantis persecutionibus atque terroribus deficiendo frangantur et cadant. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati (Luc. XXI, 25, 26.) (II Petr. III, 10.) (Is. XIII, 9.) (Matth. XXIV, 21, 22.)

Digitized by Google

fuissent dies illi, non fieret salva omnis A
caro ; sed propter electos breviabuntur
dies illi. Possunt quoque nomine colum-
narum intelligi sancti Apostoli, quos Chri-
stus post resurrectionem confirmavit in
fide. Dicuntur vero viri perfecti, sapientes
et sancti, columnæ mundi atque Ecclesiæ,
quia per preces, doctrinas et exempla eo-
rum, alii sustentantur.
5 *Dixi* ego Christus per me ipsum, per
Prophetas, per Apostolos, aliosque electos,
iniquis : Nolite inique agere. Unde in
Matth. III, 2; IV, 17. Evangelio scriptum est : Pœnitentiam agi- B
te, appropinquabit enim regnum cœlorum.
Is. I, 16, 17. Et Isaias : Lavamini, mundi estote, auferte
malum cogitationum vestrarum ab oculis
meis ; discite bene agere, quærite judici-
um, subvenite oppresso. Dixi *et delinquen-
tibus,* id est legem divinam prævaricanti-
bus : *Nolite exaltare cornu,* id est, nolite
vos ipsos jactare, nolite per superbiam
intumescere et Deo repugnare. Hinc quip-
Amos VI, 8. pe scriptum est : Juravit Dominus in ani-
ma sua, Detestor ego superbiam. Et ad
Ibid. I, 14. superbos ibidem ait : Væ qui dicitis, Num- C
quid non in fortitudine nostra assumpsi-
6 mus nobis cornua ? *Nolite extollere in
altum cornu vestrum :* id est, animum ve-
strum magnificum nolite ultra mensuram
erigere ; sed facite quod docet princeps
I Petr. V, 6. Apostolorum, Humiliamini sub potenti ma-
nu Dei, ut vos exaltet in tempore visita-
tionis ; et quod in Ecclesiastico scriptum
Eccli. III, 20. est, Quanto major es, humilia te in omni-
bus, et coram Deo invenies gratiam, etc.
In altum extulerunt cornu suum, quibus
Num. XVI, 7. Moyses dicit : Multum erigimini, filii Le- D
Mich. II, 3. vi. Et Michæas : Hæc dicit Dominus : Ec-
ce ego cogito super familiam istam ma-
lum ; et non ambulabitis superbi, quoniam
tempus pessimum est. *Nolite loqui adver-
sus Deum iniquitatem,* laudando, amando
et operando quod ille vituperat, odit et
prohibet. Nolite peccata vestra palliare,
excusare, defendere. Nolite contra præla-
tos vestros murmurare, aut vestra pecca-
ta in Creatorem retorquere, dicendo vos
propter constellationem, dispositionem fa-
talem seu naturalem non posse peccata
effugere.
Quia neque ab oriente, neque ab occiden- 7
te, neque a desertis montibus poteritis eva-
dere aut latere, *quoniam Deus judex est :* 8
qui de se ipso apud Jeremiam asserit, Ego Jer. XXIX, 23.
sum judex et testis ; et alibi per eumdem
Prophetam fatetur : Si occultabitur vir in Ibid. XXIII, 24.
absconditis suis, et ego non videbo eum ?
dicit Dominus. Unde et per Malachiam
Deus locutus est : Accedam ad vos in judi- Malach. III, 5.
cio, et ero testis velox maleficis. *Hunc* su-
perbum Deus *humiliat ; et hunc,* id est
humilem, *exaltat :* sicut in Evangelio ait,
Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui Luc. XIV, 11; XVIII, 14.
se humiliat, exaltabitur. Præterea in præ-
senti Deus quosdam temporaliter exaltat,
promovendo eos ad statum sublimem, et
quosdam humiliat, privando eos pristino
statu, potestate seu regno : ut patet de Ba-
byloniis quos dejecit per Medos ac Persas, Dan. V, 28.
et de Medis ac Persis quos dejecit per Græ-
cos, et de Græcis quos dejecit per Roma-
nos. Et hoc agit Deus omnipotens omnium
moderator regnorum, secundum ordinem
suæ justitiæ. Propter quod apud Danielem
scriptum est : Sit nomen Domini benedi- Ibid. II, 20, 21.
ctum, quoniam ipse mutat tempora et æta-
tes, transfert regna atque constituit. Et pri-
mo Regum : Arcus fortium superatus est, I Reg. II, 4, 7, 8.
et infirmi accincti sunt robore. Dominus
pauperem facit et ditat, humiliat et suble-
vat. Suscitat de pulvere egenum, ut sedeat
cum principibus, etc. Et Ecclesiasticus :
Sedes ducum superborum destruxit Deus, Eccli. X, 17.
et sedere fecit mites pro eis. Quod exper-
tus Nabuchodonosor ait : Juxta voluntatem Dan. IV, 32.
suam facit, tam in virtutibus cœli, quam
in habitatoribus terræ ; et non est qui re-
sistat vultui ejus.
Quia calix in manu Domini. Per cali- 9
cem Scriptura significat passionem seu
pœnam, secundum quod Christus ait ad
Patrem, Transfer calicem istum a me ; et Luc. XXII, 42.
ad filios Zebedæi, Calicem meum bibetis. Matth. XX, 23.
Calix ergo in manu Domini, est pœna in
divina potestate consistens, qua Deus po-
test reddere injustis tormenta. Est autem

Digitized by Google

hic calix *vini meri plenus mixto,* id est A
repletus varietate diversarum pœnarum,
Ps. x, 7. sicut superius dictum est: Pluit super peccatores laqueos; ignis, sulfur et spiritus procellarum, pars calicis eorum. Per vinum merum intelligit amarum saporem, seu gustum austerum, quem sentiunt peccatores ex inflictione ultionis divinæ. Alii ita exponunt : *Calix,* id est mensura retributionis, est *in manu Domini* judicis mundi : calix, inquam, *vini meri,* id est puri vini, per quod signatur retributio electorum in patria, in quibus nihil invenitur tristitiæ. B
Et calix iste est *plenus mixto,* id est commixtione tristitiæ et consolationis, quantum ad viatores : in quibus cum consolatione interna divinitus inspirata, miscetur tribulatio carnis seu alia quælibet pœna. In electis enim nunc miscentur virga et baculus Dei, id est correctio pœnalis et sustentatio consolativa. Vel dicitur calix iste plenus mixto, id est temperamento misericordiæ atque justitiæ : quæ in omni opere Dei contemperantur, juxta illud,
Ps. xxiv, 10. Universæ viæ Domini misericordia et veritas. C

Et inclinavit ex hoc in hoc : id est, ipse Dominus omnium justus judex, calicem suum effudit de uno populo in alium, flagellando paulatim unum per alium, sicut flagellavit Hebræos per Chaldæos, et Chaldæos per Medos, Medos quoque per Græcos, et Græcos atque Assyrios per Italicos. Vel : Inclinavit ex hoc in hoc, id est, Deus ex calice seu mensura consolationis, effudit in calicem afflictionis, et econverso, per hoc quod in viatoribus miscet consolationem tentationi seu afflictioni, et vice D
versa. *Verumtamen fæx ejus non est exinanita :* id est, inferior potus calicis Domini, scilicet pœna sine consolatione, non defecit : quoniam pœna inferni, quæ omni caret solatio, et nomine fæcis exprimitur, nunquam finitur. *Bibent* de hac fæce, *omnes peccatores terræ,* qui modo non pœnitent, quia æternaliter damnabuntur.
Job xxi, 20. Unde alio loco scriptum est : Malus de furore Omnipotentis bibet. Ista fæx calicis Domini, est fel atque absinthium de quibus Dominus apud Jeremiam protestatur, Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo *Jer.* x[illegible], 15.
eos felle.

Deinde Ecclesia, seu quilibet justus, de sua illuminatione et correctione Domino gratias agere cupiens, ait : *Ego autem* 10
annuntiabo beneficia Dei et laudes ejus, *in sæculum,* id est perseveranter, quamdiu sum ; *cantabo* cum mentali lætitia, *Deo Jacob,* id est cujuslibet hominis vitia supplantantis. Eorum enim qui vitia supplantare non cessant, Deus proprie Deus vocatur. Jacob autem interpretatur supplantator.

Sequitur autem vox Christi. *Et omnia* 11
cornua peccatorum confringam, id est, omnes dignitates et exaltationes superborum et impiorum dejiciam, maxime in die novissimo : juxta quod in Isaia scriptum est, Visitabo super orbis mala, et requi- *Is.* xiii, 11.
escere faciam superbiam infidelium ; et apud Osee, Gloriam eorum in ignominiam *Osee* iv, 7.
commutabo. *Et exaltabuntur cornua,* id est virtutes et alta fiducia contemplatioque sublimis, *justi :* quoniam quidquid perfectionis jam invenitur in homine justo, hoc post mortem in patria vehementer perficitur, atque æterno honore præmiatur ; et in die judicii, justi anima et corpore super omnem cœlorum mobilium altitudinem locabuntur.

Agamus ergo quod in præsenti psalmo cantamus, Dei laudibus insistendo, nostra vitia recolendo, atque præ omnibus et in omnibus omnem superbiam abhorrendo, veramque humilitatem incessabili studio amplectendo, quoniam Deus superbis re- *Jacob.* iv, 6.
sistit, humilibus autem dat gratiam. Ipse quoque summus et unicus noster magister : Discite, inquit, a me, quia mitis sum *Matth.* xi, 29.
et humilis corde. Odibilis enim (teste Scri- *Eccli.* x, 7.
ptura) coram Deo et hominibus est superbia. Propter quod bonus pater filium instruens, ait : Superbiam nunquam in tuo *Tob.* iv, 14.
animo, aut in verbo tuo dominari permittas ; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Et in libro beati Job dicitur : Vir *Job* xi, 12.

Digitized by Google

vanus in superbiam erigitur, et tanquam A pullum onagri se liberum natum putat. Porro ipsemet Christus humilitatem nos ultimo docuit verbo et opere, in Cœna novissima discipulorum pedes lavando, eisque dicendo : Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor, sicut ministrator. *Luc.* XXII, 26.

PRECATIO.

Singulari pœnitentia, Domine, confitemur tibi, confitemur; peccatis nostris propitiare, ut percepta indulgentia, dignos nos efficias sancti nominis tui invocatione : ut pro salute nostra in sæculum tibi Deo Jacob cantemus in gaudio et exsultatione.

ARTICULUS XLV

EXPLANATIO LITTERALIS PSALMI SEPTUAGESIMI QUINTI : NOTUS IN JUDÆA DEUS.

1 PRÆTEREA titulus psalmi præsentis est : B *In finem, in carminibus**, *psalmus Asaph, canticum ad Assyrios.* Psalmus nunc declarandus, secundum doctores Hebræos atque catholicos, ad litteram loquitur de admiranda victoria populi Judæorum tempore Ezechiæ, quam Deus contulit eis de Assyriis, quando percussit angelus Domini in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia hominum : quo viso, fugit Sennacherib. Hanc ergo liberationem prænoscens in spiritu auctor psalmi præsentis, fecit hunc psalmum, cujus titulus ita exponitur : *Psalmus* præsens, *in finem,* id est in Christum nos dirigens, *in laudibus,* quoniam continet laudem Dei, quam decantando in Deum dirigimur, est ipsius *Asaph,* vel sicut auctoris secundum quosdam, vel sicut cantoris ; vel, Asaph, id est Synagogæ, tanquam pro ejus ædificatione conscriptus : et est *canticum,* id est spiritualem exsultationem includens, scriptum *ad Assyrios* conterendos, id est de Assyriorum dejectione pertractans.

* laudibus

IV *Reg.* XIX, 35; II *Par.* XXXII, 21; *Is.* XXXVII, 36.

2 AIT ergo : (1) *Notus in Judæa,* id est in terra et populo Judæorum, *Deus.* Aliis namque nationibus ad idololatriam declinantibus, permansit in populo Judæorum cultus unius veri summique Dei. *In Israel magnum nomen ejus.* Per Israel eosdem designat, quos per Judæam, quia Judæi erant filii Jacob, qui dictus est Israel. Vel per Israel specialiter exprimit decem tribus, quæ tempore Ezechiæ nondum translatæ erant : et quamvis illæ pro majori parte ad idololatriam essent conversæ, adorantes vitulos aureos, quos fecit Jeroboam ; multi tamen manserunt in populo illo Deum verum colentes, quorum unus erat Tobias, ut patet in libro Tobiæ. Unde scriptum est : Dixit Dominus ad Eliam, C Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. Sic ergo, In Judæa, id est in populo tribus Juda et Benjamin, inter quos etiam morabantur Levitæ, quoniam Jeroboam fecit sibi sacerdotes de extremis populorum; et item, In Israel, id est in populo decem tribuum credente et Deum colente, magnum fuit nomen ejus, scilicet Dei, quoniam magnitudinem Dei noverunt, et Deus eis ostendit potentiam suam et magnificentiam, tam mirabiliter occidendo Assy- D rios. Dicitur enim nomen alicujus magnum illic, ubi magna ejus virtus ostenditur, et ipse clare cognoscitur. Et horum veritas liquet ex eo, quod Moyses ait populo isti : Te elegit Dominus Deus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt su-

Gen. XXXII, 28. — III *Reg.* XII, 28. — *Tob.* I, 5, 6. — III *Reg.* XIX, 18; *Rom.* XI, 4. — III *Reg.* XII, 31. — *Deut.* VII, 6.

Digitized by Google

Deut. v, 24. per terram ; et rursus : Ecce ostendit no- A
bis Dominus Deus noster majestatem et
magnitudinem suam.
3 (2) *Et factus est in pace locus ejus :* id
est, terra Judææ, quæ impugnabatur a rege
Assyriorum, pacem adepta est, occiso re-
gis exercitu ; *et habitatio ejus,* scilicet Dei,
facta est *in Sion,* id est in templo, in mon-
II *Par.* xxix et xxx. te Sion constructo. Reddita namque pace,
rex piissimus Ezechias cum sacerdotibus
et populo devotissime Deo gratias retulit
atque servivit in templo ; et sic Deus per
gratiam magnam habitavit in templo suo : B
Habac. II, 20. secundum quod Habacuc ait, Dominus in
4 templo sancto suo. (3) *Ibi,* videlicet in
terra Judææ, Dominus *confregit potentias
arcuum, scutum* et *gladium,* id est om-
nia bellica instrumenta Assyriorum, *et bel-
lum,* id est bellatores regis Sennacherib.
Vel, Bellum, id est prælium ejus, dissi-
pavit. Confregit autem Deus hæc bellica
instrumenta, impediendo ea ab actu per
interfectionem bellatorum ; vel ipsi Judæi
confregerunt hæc arma pro magna parte,
sicut et cetera spolia. C
5 (4) *Illuminans tu mirabiliter,* id est, lu-
cem miserationum tuarum mirabili pietate
nobis immittens atque infundens, *a mon-
tibus æternis,* id est ab angelis sanctis :
qui dicuntur montes æterni, quoniam su-
blimes sunt et immortales. Ab his Deus Ju-
dæos mirabiliter illustravit, quoniam per
preces atque ministeria angelorum Judæos
custodientium, Deus concessit istam victo-
IV *Reg.* xix, 35 ; *Is.* xxxvii, 36. riam. Quamvis etenim scriptum sit, Egres-
sus est autem angelus Domini, et percus-
sit in castris Assyriorum, etc., credendum D
est tamen, quod angeli singuli singulos Ju-
dæos sigillatim custodientes, orabant Deum
6 pro illo triumpho. *Turbati sunt omnes
insipientes corde :* id est, ministri perver-
si et perfidi regis, videlicet Assyrii idola
honorantes, corde perterriti sunt et cor-
pore interfecti per gladium angeli. Vel,
Omnes insipientes corde turbati dicuntur,
quoniam gentes in circuitu Judææ moran-
tes, audita dejectione Sennacherib, obstu-
puerunt de tam admirabili plaga. Unde
etiam longo post tempore dum Nabucho-
donosor obsideret Jerusalem, non putabant
gentes vicinæ Judææ, quod Nabuchodono-
sor prævaleret, propter memoriam deje-
ctionis Sennacherib. Propter quod Jerem-
ias ait in Threnis : Non crediderunt reges *Thren.* IV, 12.
terræ, quod ingrederetur hostis per por-
tas Jerusalem. Dicitur quoque illuminatio
ista mirabiliter facta, quoniam corpora As-
syriorum fuerunt redacta in cineres.
(5) *Dormierunt* Assyrii divina virtute oc-
cisi, *somnum suum,* id est somnum mor-
tis : a quo nemo suscitat, nisi Deus ; *et
nihil invenerunt omnes viri divitiarum
in manibus suis :* id est, prædicti Assy-
rii qui divites erant propter spolia, quæ
in multis terris a se vastatis collegerant,
quum essent occisi, nullum habuerunt sub-
sidium aut profectum ex suis divitiis ; sed
opera eorum sequebantur eos, non autem *Apoc.* XIV, 13.
divitiæ, sicut superius de divite dictum
est : Quoniam quum interierit, non sumet *Ps.* XLVIII, 18.
omnia ; neque descendet cum eo gloria
ejus. (6) *Ab increpatione tua,* id est a di- 7
stricta tua ultione, o *Deus Jacob* patriar-
chæ, qui dicis : Ego sum Deus Abraham, *Exod.* III, 6, 15.
Deus Isaac, et Deus Jacob : hoc nomen mihi
est in æternum, et hoc memoriale meum
in generatione et generationem ; *dormita-
verunt* dormitione mortis : de qua in libro
Job scriptum est, Dives quum dormierit, *Job* XXVII, 19.
nihil secum auferet ; et Christus, Lazarus *Joann.* XI, 11.
amicus noster dormit ; *qui ascenderunt
equos,* id est ministri et milites regis As-
syriorum.
(7) *Tu terribilis es,* propter vindictam 8
tuæ justitiæ, et imperscrutabilem profun-
ditatem judiciorum tuorum. Propter quod
sanctus Job ait : Semper quasi tumentes *Job* XXXI, 23.
super me fluctus timui Deum. *Et quis re-
sistet tibi ?* quasi diceret, Nullus. Quem-
admodum etiam apud Jeremiam induci-
tur : Quis similis mei ? et quis sustinebit *Jer.* XLIX, 19 ; L, 44.
me ? dicit Dominus ; et quis est iste pas-
tor qui resistat vultui meo ? *Ex tunc,* id
est, ex tempore quo occidisti Assyrios, *ira
tua,* id est ultio tuæ justitiæ, evidenter
innotuit.

Digitized by Google

9 (8) *De cœlo auditum fecisti judicium :* A
id est, justam ultionem, quam exercuisti
in omnem exercitum Assyriorum, audiri
fecisti in terra de cœlo, id est virtute cœ-
lesti, qua hanc ultionem fecisti. Sicut enim
hæc ultio de cœlo facta est ministerio an-
geli, sic dicitur audita de cœlo, quoniam
virtus cœlestis, quæ fuit causa exsistentiæ
hujus ultionis, exstitit etiam causa pro-
mulgationis ipsius. Vel sic : De cœlo au-
ditum fecisti judicium, id est, audiri fe-
cisti ab hominibus judicium cœleste : sic
quoque quod dicitur, De cœlo judicium, B
tantum est dicere, ac si dicatur, Judicium
cœleste. Hoc autem cœleste judicium fuit,
quod Dominus de rege atque exercitu As-
syriorum peregit, occidendo tantam cater-
vam. Vel sic : De cœlo auditum fecisti ju-
dicium, id est, cœlitus revelasti judicium
istud. Revelavit enim Deus Isaiæ, quæ fu-
tura erant regi huic et populo ejus ; imo
Isaias frequenter in libro visionum suarum
Is. xxxvii, 35. inde vaticinatur. Isaias quoque id ipsum
Ezechiæ prædixit. *Terra tremuit,* id est,
populus Judæorum propter adventum As- C
syriorum vehementer expavit. Vel dicitur
terra tremuisse, propter multitudinem ex-
ercitus Assyriorum : quemadmodum primo
Mach. ix. Machabæorum habetur, Commota est terra a
voce exercituum. *Et quievit,* id est, populus
terræ Judææ a suo pavore cessavit, occisis
10 Assyriis. (9) *Quum exsurgeret in judicium
Deus,* id est, in actum judicandi procede-
ret, committendo angelo suo, ut prædictum
populum trucidaret, *ut salvos faceret om-
nes mansuetos terræ,* id est, quatenus Eze-
chiam regem mitem et sanctum cum po- D
pulo suo de manu Assyriorum erueret.

(10) *Quoniam cogitatio hominis,* id est 11
cor et meditatio cordis regis Ezechiæ et
cujuslibet servi ipsius, eum in virtutibus
sequentis, *confitebitur tibi* confessione lau-
dis, gratias tibi agendo de liberatione tam
gratiosa ; *et reliquiæ cogitationis,* id est
memoriæ hujus facti, nascentes in ipso
Ezechia ac populo suo, posterisque eorum,
ex prima cogitatione facti istius, *diem fe-
stum agent tibi,* id est, occasio erunt, ut
solenniter recolatur liberatio talis a popu-
lo Ezechiæ, imo et ab aliis qui norunt tam
mirabile opus : quia nos omnes hoc mira-
culum audientes, diem quodammodo fe-
stum agimus, contemplando et admirando
Deum in opere tam præclaro.

Deinde Propheta alloquitur populum Ju-
dæorum ab Assyriis liberatum, quatenus
Deo sint grati, aitque : (11) *Vovete* pro gra- 12
tiarum actione vota spontanea, *et reddite,*
id est, vota persolvite, *Domino Deo vestro,
omnes qui in circuitu ejus affertis munera,*
id est, qui ex omni terra circa Jerusalem
et in gyro ipsius ac templi, in quo Deus
esse et habitare asseritur, convenitis, ut
Domino hostias immoletis : Domino, in-
quam, (12) *Terribili et,* pro id est, *ei qui* 13
aufert spiritum principum, occidendo ma-
gnos sicut et parvos, *terribili apud reges
terræ,* qui audientes dejectionem Senna-
cherib, Deum Israel formidabant. Unde et
Nabuchodonosor ait : Nunc igitur laudo, Dan. iv, 34.
magnifico et glorifico Regem cœli, quo-
niam omnia opera ejus sunt vera. Et Da-
rius : Paveant, inquit, habitantes in uni- Ibid. xiv, 12.
versa terra Deum Danielis, quia ipse est
liberator et salvator, faciens signa et mi-
rabilia in cœlo et in terra.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVI

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PSALMI SEPTUAGESIMI QUINTI.

JUXTA intellectum autem moralem, ex- A
ponendus est psalmus hic de statu Ec-
clesiæ christianæ, videlicet de quolibet
homine, populo, seu communitate christi-
fideli, a multis periculis liberata, atque
ex hoc Deum magnifice collaudante, et
alios ad sanctam devotionem ac gratitu-
dinem invitante. Eritque sensus tituli su-
1 perius positi, talis : *Psalmus Asaph,* id est
congregationi fidelium, significatæ per
Asaph, conveniens, atque *in finem* (qui
Christus est) tendens ac dirigens *in lau-
dibus,* ita ut ipsa Ecclesia ex promptitudi- B
ne voluntatis et impetu sanctæ dilectionis,
II *Cor.* IX, 7. Deo laudes concinat, et non ex tristitia seu
necessitate, quoniam hilarem datorem di-
ligit Deus : estque psalmus iste *canticum,*
id est laus spiritualis jucunditatis, *ad As-
syrios,* id est ad dirigentes, eos videlicet
qui cor suum ad Dominum dirigunt. As-
syrii namque, dirigentes interpretantur.
2 Ait itaque : *Notus in Judæa Deus.* Hoc
modo ad litteram accipi nequit pro tem-
pore isto, quia et terra Judææ jam a Sar-
racenis (proh dolor!) inhabitatur, et populus C
Judæorum Deum verum ignorat : quemad-
Joann. VIII, 19. modum Judæis locutus est Christus, Neque
me scitis, neque Patrem meum ; et alibi,
Ibid. 54, 55. Est Pater meus, quem vos dicitis, quia
Deus vester est, et non cognovistis eum.
Quæ est ergo Judæa, in qua modo veraci-
ter notus est Deus, nisi christiana Eccle-
sia, in Deum corde credens, eumque ore
confitens, atque operibus bonis honorans?
De hac quippe Judæa ait beatissimus evan-
I *Joann.* V, 20. gelista Joannes : Scimus quoniam Filius
Dei venit, et dedit nobis sensum, ut co- D
gnoscamus Deum verum. Unde Christus
Joann. XVII, 25, 26. testatus est : Pater juste, mundus te non
cognovit ; ego autem te cognovi, et notum
feci eis, scilicet quos dedisti mihi, nomen
tuum. Judæa enim interpretatur confes-
sio. Ecclesia autem Domino verissime con-
fitetur, quoniam ipsa sola de Deo veraciter
sentit per catholicæ fidei veritatem, agno-
scens Deum unum ac trinum, Dei Unige-
nitum incarnatum, nostram beatitudinem
in Dei visione esse repositam. *In Israel,*
id est in homine seu populo, Deum per
fidem sinceram contemplante, *magnum
nomen ejus,* id est, magnificum reputatur
et gloriosum, et incomparabile esse co-
gnoscitur nomen Dei seu ipsemet Deus,
qui de se ipso alio loco ait : Rex magnus *Malach.* I, 14, 11.
ego sum, et magnum nomen meum in
gentibus.
Et factus est in pace locus ejus : id est, 3
per pacem disponitur, aptatur et dignifi-
catur rationalis creatura, ut in ea habitet
Deus, qui de se ipso per Isaiam locutus
est : Super quem requiescet spiritus meus, *Is.* LXVI, 2.
nisi super quietum et humilem? Quietus
autem pacificus est, quoniam pax est qui-
es mentis. Est enim pax tranquillitas bene
ordinati cordis : dum scilicet caro servit
ac paret spiritui, sensualitas rationi, et
ratio Deo, ita ut semper inferius suo su-
periori prompte obediat. In anima hanc
pacem sortita Deus libenter moratur : de
quo Paulus ait, In pace vocavit nos Deus ; I *Cor.* VII, 15.
et iterum, Non est, inquit, dissensionis *Ibid.* XIV, 33.
Deus, sed pacis. Hæc siquidem pax facit
hominem filium Dei, juxta illud : Beati *Matth.* V, 9.
pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. In
homine ergo pacifico, tanquam in filio
dilecto, habitat Deus : idcirco omni Chri-
stiano, et maxime religiosis et solitariis,
summe studendum est ut veram atque in-
ternam pacem stabiliter et immobiliter,
quantum fieri potest, possideant. Propter

Digitized by Google

Hebr. xii, 14, 15. quod monet Apostolus : Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat. Rom. xii, 18. Et alibi : Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. In pace enim splendide requiescit omnis anima sancta, in præsenti degens exsilio, secundum quod Dominus apud Is. xxxii, 18. Isaiam asserit : Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Denique, quantum appetenda sit omni Christiano hæc pax, constat ex eo, quod Christus ante passionem discipulos mittens, præcepit eis ut pacem ante omnia hominibus imprecarentur : Luc. x, 5. In quamcumque, inquiens, domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui. Post resurrectionem quoque apparens discipulis, pacem primitus annuntiavit, Ibid. xxiv, 36. dicendo, Pax vobis. Sed et omnes Apostoli qui scripserunt epistolas, nonne in salutationibus suis pacem singulariter eis quibus scribunt, desiderant, dicentes, Gratia vobis et pax, aut simile aliquid? Omnem ergo perturbationem discordiamque vitemus, quatenus Deum pacis intra nos commanentem habere possimus.

Et habitatio ejus, scilicet Dei, est *in Sion,* id est in Ecclesia christiana, seu quolibet homine Deum fideliter speculante. His enim ait Salvator in Evangelio : Matth. xxviii, 20. Ego vobiscum sum cunctis diebus ; et, Joann. xiv, 23. Ad eum veniemus (ego et Pater) et mansionem apud eum faciemus. Sion namque speculatio interpretatur : et certum est, omnem speculativam animam inhabitari per sanctam atque altissimam Trinitatem.
4 *Ibi,* videlicet in homine virtuoso atque Ecclesia, Deus per gratiam suam *confregit,* destruxit, et exstirpavit *potentias arcuum,* id est vires fallacium suggestionum diaboli, atque occultas insidias doli humani ; *scutum,* id est excusationem propriæ culpæ, qua se contra corripientem defendit peccator ; *gladium,* id est manifestam resistentiam, qua homo Deo repugnat, veritatem impugnat, superiori suo resistit ; *et bellum,* id est inobedientiam seu rebellionem, qua contra spiritum caro concupiscit atque luctatur. Galat. v, 17. Omnia mala hæc Deus per gratiam suæ pietatis expellit ab homine, quoniam ei proprium est peccata auferre et impium justificare, sicut Job ait : Quis potest facere mundum de immundo? Nonne tu qui solus es? Job xiv, 4. Potest quoque per arcum intelligi delectatio subita, quæ ad similitudinem arcus improvise ferit, ac repente occidit ; per scutum autem, perversa voluntas, qua se armat injustus ad vitia ; per gladium vero, operatio vitiosa, qua se homo actualiter perimit ; per bellum quoque, consuetudo peccandi, qua contra legem divinam peccator incessabiliter pugnat. De his enim, qui his vitiis obnoxii sunt, alibi scriptum est : Væ eis, quoniam contra Deum est manus eorum. Mich. ii, 1.

5 *Illuminans tu,* Deus, *mirabiliter,* id est supernaturaliter, *a montibus æternis,* id est ab angelicis spiritibus seu per angelos sanctos, Ecclesiam militantem. Quemadmodum enim gloriosissimus theologorum princeps Dionysius docet, hierarchiam ecclesiasticam seu militantem Ecclesiam Deus gubernat per hierarchiam angelicam, quia et singulis hominibus adsunt, prosunt, et præsunt angeli singuli. Regna quoque Archangelos habent præsidentes; et ipsa universalis Ecclesia Michaelem, paradisi præpositum, creditur habere rectorem, quemadmodum olim Synagoga, cujus Michael princeps fuisse refertur. Dan. x, 21. Per hos montes, divinitus copiosissime illustratos, illuminat Deus corda humana, mittens nobis per eos gratiam sui auxilii, directionemque mentis in omnibus. Unde, secundum Dionysium, multi gentilium per illuminationem angelicam ad fidem conversi sunt, atque ad unius Dei cultum, etiam ante legem scriptam. Alii autem exponunt hunc locum de Apostolis, per quorum prædicationem Deus mundum mirabiliter illustravit, convertendo eum ad fidem per multa miracula. Dicunturque sancti Apostoli, montes, propter excellentiam gratiæ, eminentiam vitæ, et altitudinem sapientiæ ;

Digitized by Google

vocantur quoque, montes æterni, quoniam A sunt cum Christo æternaliter regnaturi.

6 *Turbati sunt omnes insipientes corde,* id est, universi qui vel angelicæ inspirationi, vel apostolicæ prædicationi non consenserunt, mentis deordinationem, inquietudinem, et veræ pacis carentiam, tumultum vitiorum, et strepitum passionum inciderunt. Propterea *dormierunt somnum suum,* id est somnum peccati : de quo clamat
Ephes. v, 14. Apostolus, Surge, qui dormis ; et rursus,
Rom. XIII, 11. Tempus est, nos jam de somno surgere. Hunc somnum dormire, est in rebus car- B nalibus, transitoriis, caducis et vanis, delectari, quiescere, aut finaliter perdurare. Vel sic : Dormierunt somnum suum, id est, miserabilem mortem gustaverunt, moriendo in vitiis. Sive autem exponatur de somno peccati, sive de somno mortis, convenienter adjectum est, Suum, ita ut insipientes dormisse somnum suum narrentur. Est enim et duplex somnus justorum : videlicet somnus sanctæ contemplationis, seu internæ quietis ac interioris virtutis in
Ps. IV, 9. Domino : de quo dictum est supra, In pace C
Gen. II, 21. in id ipsum dormiam ; et in Genesi, Immisit Dominus soporem in Adam. Est quoque et somnus beatæ mortis, qui appellatur natale Sanctorum : de quo in Actis dictum
Act. VII, 59. est, Quum hæc dixisset Stephanus, obdormivit in Domino. *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum,* id est avari, *in manibus suis,* id est in operibus suis : quia in hora mortis suæ, itemque in die judicii, ab omni opere bono ac meritorio inveniuntur inanes et vacui ; nec tunc prosunt eis divitiæ, deliciæ, et bona hujus momen- D
Sap. v, 8, 9. taneæ vitæ. Propter quod dicunt : Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Et rursus scri-
Job XXVII, 19, 20. ptum est : Dives quum dormierit, nihil secum auferet. Apprehendet eum quasi
Jacob. v, 1-3. aqua inopia. Unde et alibi habetur : Agite nunc, divites, plorate, ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.

Ab increpatione tua, id est de ipsa tua 7
castigatione seu disciplina, et de tua exhortatione, comminatione, correptione et prædicatione, o *Deus Jacob, dormitaverunt,* id est, non sunt emendati, nec ad virtutes evigilaverunt, sed in peccato obdormierunt, *qui ascenderunt equos,* id est, qui temporales honores, dignitates, prælationes et pompas dilexerunt. Increpat enim Deus peccatores per flagella et exhortationes sacræ Scripturæ; sed quidam inde obdurantur, unde merito corrigerentur, sicut de talibus per Aggæum Dominus ait : Per- *Agg.* II,
cussi vos vento urente et aurugine et grandine; et non fuit ex vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus. Vel, Qui ascenderunt equos, id est, qui in fortitudine equi confisi sunt magis, quam in auxilio Dei. Propter quod talibus dicitur in Isaia : Di- *Is.* XXX, 1
xistis, Ad equos fugiemus : ideo fugietis. Et super veloces ascendemus : ideo veloces erunt qui persequentur vos. Et nobis per Osee consulitur : Convertimini ad Do- *Osee* XIV, 4.
minum, et dicite ei, Super equos non ascendemus : non quod bestiam quæ equus nuncupatur ascendere culpa sit, sed vel in equo confidere, vel in altum elationis se ipsum erigere, et contra Deum cervicem protendere, nefas est.

Tu terribilis es : quemadmodum in Ec- 8
clesiastico inducitur : Ecce cœlum et cœli *Eccli.* XVI, 18-20.
cœlorum, abyssus et universa terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur; et quum conspexerit ea Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his insensatum est cor hominis, Deum non formidantis. Job quoque : Potestas et terror *Job* XXV,
apud ipsum sunt, qui facit concordiam in sublimibus suis. *Et quis resistet tibi?* Nullus utique, quoniam tu ipse apud Isaiam locutus es : Consilium meum stabit, et *Is.* XLVI, 10
omnis voluntas mea fiet. Et scriptura alia testatur : Deus cujus iræ resistere nemo *Job* IX, 13
potest, sub quo curvantur qui portant or- *Ibid.* XII, 13, 15.
bem. Propterea beatissimus Job ait : Deus

Digitized by Google

solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest; idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Maxime autem in futuro judicio Deus apparebit terribilis, in tantum ut dicat Apostolus : ebr. x, 31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. *Ex tunc,* id est ex tempore quo per gratiæ tuæ justam subtractionem turbati sunt omnes insipientes corde, et dormierunt somnum suum, etc., *ira tua,* id est ultio tua, cœpit apparere. Gravissima namque ira Dei in hac vita, est peccatorem relinquere in suo errore : et ita, dum impius in vitiis perseverat, ira Dei in eo apparet. Mach. vi, Hinc enim conscriptum est : Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Vel, Ex tunc, id est ex tempore novissimi diei, in æternum apparebit ira tua perfecta in om. ix, 22. damnatis, quia ipsi sunt vasa iræ, secundum Apostolum.

9 *De cœlo auditum fecisti judicium :* id est, de ore Christi et Apostolorum sanctorum ac aliorum prædicatorum fidelium, qui omnes cœli dicuntur propter vitam suam angelicam et conversationem cœlestem, audiri fecisti, o Deus Trinitas, judicium discretionis, quo separas in præsenti electos a reprobis vita et moribus. Christus enim atque discipuli ejus prædicaverunt ac docuerunt, quomodo Deus quosdam ab æterno prædestinasset, et aliquos odisset, et nunc quotidie inter illos discerneret, hos misericorditer adspiciendo, illos autem juste spernendo. Hoc vero judicium tempore Christi in exordio evangelicæ prædicationis cœpit præcipue innotescere, quoniam tunc maxime apparere cœpit, qui essent electi, et qui præsciti. Propter quod oann. xii, dixit Salvator : Nunc judicium est mundi. Et hoc quare, subjungit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, videlicet ex cordibus electorum, ut pateat qui ad Deum pertineant. Vel : De cœlo, id est per illuminationem cœlestem, seu Spiritus Sancti inspirationem, auditum fecisti judicium, quod in fine mundi futurum est : quoniam ipsi Apostoli et successores ipsorum, ac præcessores sancti Prophetæ, concorditer docuerunt et hominibus nuntiaverunt istud finale judicium. Vel : De cœlo auditum fecisti judicium, id est, audire facies, quando ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de cœlo, (I Thess. iv, 15.) et tuba canet, dicens : Surgite, mortui, venite ad judicium. (I Cor. xv, 52.) Sed et quando ipse Christus sententiam proferet, dicens, Ite, maledicti, in ignem æternum; et, Venite, benedicti Patris mei; (Matth. xxv, 41, 34.) Deus Trinitas auditum faciet judicium, quod ipse intra se de universis concepit : cujus judicii exsecutor vel prolator est Christus ut homo.

10 *Terra tremuit et quievit, quum exsurgeret in judicium Deus.* Hoc diversimode accipi potest. In adventu enim Christi ad judicium, omnes homines in terra exsistentes terrebuntur; sed boni ab hoc terrore cito quiescent, quoniam Deus judicabit pro eis. Impii quoque quiescent a pristinis vitiis, quoniam amplius deliciari non poterunt. De hac enim quiete apud Isaiam prædictum est : Quiescite agere perverse. (Is. i, 16.) Vel ipsum elementum terræ tunc tremet, id est, ad similitudinem trementis se habebit, propter ignem conflagrationis et impetum fluctuum maris; et quiescet ab hac agitatione, quoniam facto judicio tempus et motus cœli cessabunt, et terra splendebit ut aurum. Sic ergo, *Terra tremuit et quievit,* id est, contremiscet atque quiescet, *quum exsurgeret in judicium Deus,* id est, dum Christus ad judicandum veniet cum omnibus incolis cœli, juxta illud Isaiæ : Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui et principibus ejus; (Ibid. iii, 14.) *ut salvos faceret,* id est, quatenus ab omni corruptione, mortalitate, molestia salvet, *omnes mansuetos terræ,* id est homines mites, qui iram refrenant. — Potest quoque exponi de Christo resurgente. Nam, ut dicit Matthæus, Christo resurgente, terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit, etc. (Matth. xxviii, 2.) Ab hoc autem motu terra quievit, quum exsurgeret Deus Dei

Digitized by Google

Filius, scilicet Christus, a morte in judicium, id est, ut suo tempore judicet mundum, qui est judicatus a mundo, et ut judicaret Judæos.

11 *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi :* id est, prima occupatio seu principalis exercitatio cordis hominis virtuosi, laudabit te, et accusabit se : sicque implebit illud Evangelii, (*Matth.* VI, 33.) Primum quærite regnum Dei ; *et reliquiæ cogitationis,* id est ceteræ meditationes ex hac prima occupatione nascentes, *diem festum agent tibi,* id est, mentem implebunt bonis considerationibus, quibus intenta tibi solenniter vacabit et inhærebit, tempusque festive et fructuose expendet. Dum namque homo Deo primo confitetur sua beneficia, et mox memor efficitur peccatorum suorum : tunc anima ejus impletur splendoribus gratiæ, perpenditque homo quantam beatitudinem peccando amisit, quantam miseriam incidit, pœnamque promeruit, quam viliter tempus expendit, quam grave peccatum sit ingratitudo, quam clemens est Deus qui sibi tam diu pepercit, et gratiam conversionis modo largitus est ; multaque alia considerat anima sic conversa.

12 *Vovete,* id est, consulo vobis ut voveatis, vel in susceptione sacri Ordinis, vel in ingressu religionis, vel aliud aliquid ad Dei honorem agendo vel dando ; *et reddite,* id est, jubeo ut reddatis *Domino Deo vestro.* Vovere enim, consilium est, quia ad supererogationem pertinet ; solvere autem vota, præceptum, quemadmodum Moyses asserit, (*Deut.* XXIII, 23.) Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo : imo et cito reddendum est, secundum quod in Ecclesiaste habetur : (*Eccle.* V, 3.) Si quid vovisti Domino, ne moreris reddere ; displicet enim ei stulta et infidelis promissio. Ideo Thomas affirmat, quod votum plus obligat quam juramentum. Denique multo perfectius est, et magis meritorium, bonum ex voto facere, quam sine voto : sicut et majus est, dare arborem cum fructu, quam fructum tantum. Voluntas namque est veluti arbor, unde fru-

A ctus boni et mali, id est opera virtuosa ac vitiosa, nascuntur. Qui ergo promittit, voluntatem ipsam Deo offert et obligat ; ostenditur quoque homo talis magis promptus et ardens ad Dei obsequium, quam non promittens. Sed et ipsum votum seu promissio, quum sit actus virtutis quæ latria dicitur, magnum recipit præmium : sicque ex voto operans, dupliciter promeretur, videlicet ratione voti, et item ratione operis boni. Sunt autem quædam vota cunctis communia, sine quibus nemo potest sal-

B vari, sicut in fonte Baptismi promittimus credere, et operibus Satanæ renuntiare : et ista cadunt sub præcepto sicut Baptismus. Alia vero sunt specialia vota, quemadmodum votum castitatis, paupertatis, etc. : et ista ante promissionem sunt in consilio ; vota autem emissa, sunt sub præcepto. Sic ergo, *vovete et reddite Domino Deo vestro,* o *omnes* fideles, *qui in circuitu ejus affertis munera,* id est, qui ex omni parte ad Deum confluitis, atque per modum coronæ ad Deum acceditis : qui

C utique est in medio vestrum ; (*Matth.* XVIII, 20.) non tamen sic sunt omnes homines in circuitu Dei, quasi Deum intra se claudant ac terminent, quoniam ipse immensus est. Cetera patent ex præcedenti explanatione.

Ecce psalmum jucundum, amœnum, et Dei laudibus plenum audivimus : quem decet nos cum interna dulcedine, cordiali lætitia, et intellectu intento proferre, quatenus nos ipsi et unusquisque nostrum esse queat *Judæa,* Domino fide et opere confitendo, *Israel,* gloriam ejus revelata (*II Cor.* III, 18.)

D facie speculando : et ita corde pacifico et sincero, præparemus Domino habitationem in nobis.

PRECATIO.

Deus, scrutator renum et cordium, cui omnis confitetur cogitatio hominum, mentium nostrarum infirma benedictionis tuæ virtute corrobora : ut quæ justa et pia sunt, cogitemus, et vota fidelia recte vivendo, tibi Domino Deo nostro reddamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLVII

EXPLANATIO PSALMI SEPTUAGESIMI SEXTI : VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI.

DECLARANDUS nunc psalmus, hoc titulo A
1 præsignatur : *In finem, pro Idithun, psalmus Asaph.* Idithun interpretatur transiliens, Asaph autem congregatio. Est igitur sensus : Psalmus Asaph, id est tractatus iste congregationi fidelium, puta Ecclesiæ, competens, atque in finem, qui Christus est et vita æterna, nos dirigens, scriptus ac editus est pro Idithun, id est pro viro perfecto, universa caduca, omnia vana, cuncta transitoria, creata atque finita transiliente, parvi pendente et contemnente, et sola divina, æterna, cœlestia, vel B potius ipsum supersimplicem Deum summe et unice concupiscente. Vere equidem, quemadmodum beatissimus Augustinus fatetur, sentire, gustare, seu intellectualiter sapere nequit hujus psalmi virtutem ac sensum, nisi qui hoc modo invenitur tran-
ilipp. III, siliens, qui omnia cum Apostolo arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat.

LOQUENS ergo Propheta in persona
2 viri justi sive Ecclesiæ, ait : (1) *Voce mea ad Dominum clamavi,* id est, voce C cordi meo consentiente, voce attenta et propria, non aliena, ad Dominum clamavi, non tam alto sono, quam magno affectu : nisi quod forte ex desiderio ferventi prorumpit homo in clamorem vocalem. Clamavi ergo ardenter orando, non quasi Deus longe distaret a me, aut suscitandus esset meo clamore, quum ipse ubique exsistat, et omnia distincte agnoscat ; sed clamavi, quatenus Deus conspiciens me facere quod in me est, et studii ac desiderii mei impetum cernens, statim mihi at- D
VIII, 5, 6. tendat : quemadmodum scriptum est, Si Omnipotentem fueris deprecatus, et mundus ac rectus incesseris, statim evigilabit ad te. *Voce mea* interiori seu exteriori, *ad Deum* clamavi, ipsum solummodo invocando, in eum sperando, et non aliud ab ipso, nisi ipsum petendo, et ea quibus indigeo, ad hoc quod ad eum pertingam : nec inaniter feci hoc, quia *et intendit mihi* Deus, considerando clementer precem meam, et eam exaudiendo. Ostendit ergo in me verum esse quod ait Scriptura : Quis invocavit Deum, et despexit illum ? Atque in Evangelio : Omnia quæcumque petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. Porro in hoc versu et in sequentibus profitetur vir justus fructum suæ orationis et studium suæ devotionis, quatenus nobis exauditionis fiduciam præstet, nosque ad sanctæ conversationis et intimæ exercitationis exercitia incitet et inflammet. Eccli. II, 12. Marc. XI, 24.

(2) *In die tribulationis meæ,* id est tem- 3
pore adversitatis, persecutionis seu tentationis, *Deum* in adjutorem et salvatorem *exquisivi,* id est, eximio modo diligentique studio expetivi, *manibus meis* corporalibus ad cœlos expansis : quemadmodum ait Jeremias in Threnis, Levemus corda nostra cum manibus in cœlum. Vel, Manibus meis, id est operibus bonis, quæ vim sortiuntur orationis, quia non cessat orare, qui non cessat bene agere. *Nocte,* id est tempore nocturno, quod ad orandum convenientissimum est, propter cessationem exteriorum strepituum, atque vacationem sensuum exteriorum. Propter quod Isaias : Anima mea, inquit, desideravit te in nocte. Et Jeremias : Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Vel, Nocte, id est in vita præsenti, quæ per comparationem ad diem æternitatis vitamque futuram, nox potius appellatur quam dies. Sic vero oravi *contra eum,* id est, dirigendo Thren. III, 41. Is. XXVI, 9. Thren. II, 19.

Digitized by Google

oculos meos ad locum mihi ex adverso seu in opposito situm, in quo habitat Deus, videlicet ad cœlum empyreum, quod est contra me, quia est sursum, et ego deorsum. Vel, Contra eum, id est coram eo, constituendo me ipsum in præsentia Dei, eumque velut præsentem precando : secundum quod ait Elias, Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. (III *Reg.* XVII, 1.) Nam loco ejus quod hic dicitur, Contra eum, alia translatio habet, Coram eo. *Et non sum deceptus,* id est, fraudatus non sum spei meæ effectu, sed verum esse expertus sum, quod in Evangelio scriptum est : Omnis qui petit, accipit; et qui quærit, invenit ; et pulsanti aperietur. (*Matth.* VII, 8; *Luc.* XI, 10.) Sacra Scriptura neminem fallit, sed possibilius est cœlum et terram transire, quam unum apicem de lege perire, ut ait Salvator. (*Luc.* XVI, 17; *Matth.* V, 18.) Quoniam ergo divina Scriptura frequenter promittit Deum adesse omnibus invocantibus eum, palam omnino est, nullum invocantium Deum decipi posse, si tamen oret sicut orandum est. Quomodo enim orandum sit, Christus ostendit : Oportet, inquiens, semper orare, et non deficere. (*Luc.* XVIII, 1.) Et istud certissime credere atque sperare debemus, et ex tam certa atque fideli fiducia Deum rogare; sicque nequaquam fallemur : quanto enim fiducialius exoramus, tanto libentius liberaliusque exaudit nos. (*Jacob.* I, 5-7.)

Consequenter inducit saluberrimum documentum et institutionem perfectam, qua homo divina exauditione, consolatione et perpetua inhabitatione dignus efficitur. (3) *Renuit consolari anima mea,* id est, in præsenti sæculo ærumnoso, afflictionibus pleno : in quo ego multipliciter tribulor, temporalia amittendo, corporaliter infirmando, tentationes varias incidendo, pro peccatis meis ac alienis plorando, et maxime quoniam minus quam cupio, in spiritualibus bonis proficio, sæpius cado, gratiæ minorationem sustineo, internæ consolationis atque fervoris suspensionem incurro, menteque durus ac sterilis fio ; sed in tantis miseriis nolo consolationem vilem recipere, contemno in temporalibus exsultare, sperno humana solatia, inania verba, gesta scurrilia, atque ob Dei mei super omnia prædilecti amorem, omnem adulterinam lætitiam respuo, confidens et præstolans eum reversurum ad me, et animam meam, ejus amore afflictam et languidam, clementissime consolaturum. (*Philipp.* III, 8.) Istud autem est signum perfecti atque sinceri amoris, omnem consolationem dilecto contrariam aspernari, ejusque reditum longanimiter præstolari. Unde dilectæ amatrici dicitur per Osee : Dies multos exspectabis me, et non fornicaberis, et non eris viro. (*Osee* III, 3.) Apud eumdem Osee quoque Dominus ait : Populus meus pendebit ad reditum meum. (*Ibid.* XI, 7.) Qui talis est, potest dicere illud Ecclesiastæ : Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, Quid frustra deciperis ? (*Eccle.* II, 2.) Ideoque Salomon iterum profitetur : Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. (*Ibid.* VII, 3.) In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Porro consolationem habentibus in divitiis, deliciis, honoribus, domibus, familiis, atque similibus mundi hujus stultitiis, ait Christus : Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram. (*Luc.* VI, 24.) Hæc autem ad religiosos et solitarios tanto amplius pertinent, quanto ipsi ad eminentiorem Divinitatis dilectionem tenentur. Ipsorum enim est, in solo Domino delectari.

4 *Memor fui Dei,* bonitatem ipsius contemplando, beneficia ejus recolendo, promissa ipsius exspectando, *et delectatus sum,* intellectuali delectatione ex hujusmodi speculatione; *et exercitatus sum,* id est, occupavi me ipsum in laudibus atque operibus Dei : quoniam caritas otiosa non est ; *et defecit spiritus meus :* vel quoniam Deum digne laudare, sufficienter cognoscere, plene amare, efficaciter honorare non valuit; vel quoniam ex magna atque ecstatica elevatione seu raptu in Deum, a semetipso alienatus est, id est, ab exteriorum sensuum operatione abstractus, et in Deum omnino absorptus, sicut sæpius contingit devotissimis pueris Domini Salvatoris, quibus Deus ostendit divitias gloriæ suæ. (*Rom.* IX, 23.)

Digitized by Google

5 (4) *Anticipaverunt vigilias oculi mei :* id A est, ante lucem surrexi, seu tempus quo alii surgunt, præveni, quatenus Deum orarem, laudarem et contemplarer : quemad- Eccli. xxxix, 6. modum in Scriptura habetur, Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum. Hoc in amorosis famulis Christi efficit æstuans amor, qui separationis impatiens est, semperque ad unionem et amplexum Dilecti suspirat. Ignorat siquidem tarda molimina benedicti Creatoris dilectio fervida, quia de ea veraciter scri- Cant. viii, 7, 6. ptum est : Aquæ multæ non poterunt ex- B stinguere caritatem. Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. *Turbatus sum* ex consideratione peccatorum meorum, quibus intus commaculor, et laqueorum seu periculorum, quibus foris circumdor ; *et non sum locutus,* id est, præ nimia confusione os meum ad Dominum aperire ausus non fui : secundum quod in I Esdr. ix, 6. primo libro Esdræ habetur : Deus meus, confundor et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et delicta C nostra creverunt usque ad cœlum. Simi- Dan. iii, 33. liter tres pueri loquebantur in camino : Et nunc non possumus aperire os ; confusio et opprobrium facti sumus. Verumtamen non debet homo in tali formidine diu persistere, ne desperet : talia enim dicuntur ad insinuandum gravitatem nostrorum facinorum. Vel, Non sum locutus, excusando me ipsum, aut aliis mea scelera imponendo, aut humanam refocillationem quærendo. Vel, Non sum locutus, aliis considerationum mearum secreta pandendo ; D Is. xxiv, 16. sed feci quod ab alio dictum est, Secretum meum mihi, secretum meum mihi.

6 (5) *Cogitavi dies antiquos,* id est, historias veteres et opera Dei ab exordio mundi, cursumque sæculi usque ad tempus jam instans recolui : juxta quod Ecclesiasticus Eccli. xxxix, 1. dicit, Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. Sed quia inveni omnia quæ sub sole geruntur Rom. viii, 20. vanitati subjecta, idcirco *et annos æternos in mente habui,* id est, statum sæculi futuri, et diem quo vivunt electi cum Deo, reprobique in inferno, corde revolvi, quatenus ex consideratione æternarum lætitiarum in patria, perpetuorumque tormentorum in gehenna, contemnerem universa quæ modo delectant, patienterque ferrem quæcumque temporaliter gravant. O quam salubris est cogitatio talis ! Si enim æternorum horum annorum longitudinem perpendamus, momentaneam arbi- II Cor. iv, 17. tramur vitam præsentem, quantumcumque protractam ; sicque in ejus contemptum atque in futuræ vitæ amorem accendimur : imo si quis a protoplasti parentis tempore usque in præsens vixisset, nonne omne tempus præteritum velut momentum videbitur, præsertim si ad futuræ vitæ æternos annos comparetur ? Cordialiter ergo et præcordialissime penitus consideremus præsentis vitæ brevitatem, gaudiorum mundi fallaciam, hujusque status infinita pericula. Habeamus insuper in mente æternos annos qui restant, contemplando solatia electorum, atque supplicia reproborum : hisque pensatis, eligamus quod nobis amplius expedire censemus, vel nunc gaudere cum sæculo, et postmodum æternaliter cruciari cum reprobis in inferno, vel nunc sectari vestigia Christi, et paulo post possidere gaudia cœli. Hinc quippe sapientissimus Salomon loquitur : Si mul- Eccle. xi, 8. tis annis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita.

(6) *Et meditatus sum nocte cum corde meo :* id est, intellectu meo non vana et frivola atque illicita cogitavi, sed in lege Domini versatus sum, discutiendo et intuendo qualiter æternos annos miserorum possem evadere, annosque æternos Beatorum in patria adipisci ; *et exercitabar,* id est, mentaliter ac seriose occupabar in his, *et scopebam spiritum meum,* id est, animam meam discussi, conscientiam examinavi, et quidquid dignum erat remorsu, ejeci, mundavi, ac vitare decrevi. 7

Digitized by Google

Prov. I, 28; Mich. III, 4. Sed quoniam Deus non semper exaudit
hominem tam cito ut cupit, sed vicissim
satis diu eum affligi permittit, propterea
subditur vox justorum, qui in tali dilatio-
ne propter pœnarum ac persecutionum
gravitatem, ex humana fragilitate conque-
8 runtur et dicunt : (7) *Numquid in æternum*
projiciet Deus preces meas, ipsas non ex-
audiendo, nec me ad gratiam desideratam
perducendo? Hic enim est modus loquendi
afflictorum : quibus duratio modica, vide-
tur longa ; longa vero, æterna. Unde bea-
Job xxx, 20. tus Job ait : Clamo ad te, et non exaudis
me ; sto, et non respicis me. *Aut non ap-*
ponet ut complacitior sit adhuc? id est,
numquid Deus semper æque crudelis et
durus erit, nec poterit aliquo modo placa-
ri? Hæc autem non affirmando, sed ne-
gando dicuntur, sicut sequentia : imo Deus
non solum dignatur placari, sed etiam oc-
casionem quærit qua mitigetur, propter
ineffabilissimam suam clementiam. Pro-
pter quod ipse apud Ezechielem testatur :
Ezech. XXII, 30. Quæsivi virum qui interponeret sepem, et
staret oppositus contra me pro terra, ne
Job XXXIII, 23, 24. disperderem eam. Et Job : Si fuerit ange-
lus pro homine loquens, miserebitur ei
Deus, et dicet, Libera eum, inveni in quo ei
9 propitier. (8) *Aut in finem misericordiam*
suam abscindet, non subveniendo nobis
viatoribus ad ipsum clamantibus? An, in-
quam, abscindet misericordiam suam, id
est, an misericordiæ suæ effectum non im-
pendet, *a generatione in generationem,* id
est, in generationibus sibi succedentibus,
visitando seu ulciscendo peccata paren-
10 tum in posteros sine cessatione? (9) *Aut*
obliviscetur misereri Deus, cui proprium
est misereri? *aut continebit in ira sua,*
scilicet exercendo justitiam, seu infligen-
do vindictam, *misericordias suas,* non mi-
scendo effectum misericordiæ operi suæ
justitiæ, nec ab ultione et indignatione
cessando? quasi dicat, Non : quoniam scri-
Habac. III, 2. ptum est de eo, Quum iratus fueris, mise-
ricordiæ recordaberis. Porro nonnulli ex
his verbis veritatis ac vitæ, occasionem
sumpserunt falsitatis et mortis, dicentes
quod pœna inferni quandoque esset ter-
minum habitura, quum tamen manifeste
pateat, quod præsens scriptura loquatur
de Deo per comparationem ad viatores et
pœnitentes.

(10) *Et dixi, Nunc cœpi : hæc mutatio* 11
dexteræ Excelsi. Hebraica veritas, trans-
latio quoque Hieronymi juxta Hebræum,
sic fertur habere : Et dixi, Imbecillitas
mea est hæc : id est, secundum rationem
asserui, quod prædicta querulatio ex fra-
gilitatis humanæ imbecillitate nascatur.
Nostra autem translatio ita exponitur : *Et*
dixi, corde seu ore, *Nunc cœpi,* id est,
jam primitus spiritualiter vivere, sapienter
intelligere et vere cognoscere orsus sum,
intelligendo præsentis sæculi vanitatem, et
futuri sæculi felicitatem, vel totam pristi-
nam meam conversationem, profectum et
perfectionem pro nihilo arbitrando, atque
cum recenti proposito, cum novo fervore,
cum studio vehementi melioris vitæ semi-
tas apprehendendo, spiritualis profectus
itinera ingrediendo, imo quotidie quasi de
novo incipiendo. Sic enim agendum esse
docuerat illustris pater noster Arsenius.
Nam et ipse beatus Apostolus ad nostram
informationem professus est : Quæ priora Philipp. III, 13.
sunt obliviscens, ad anteriora autem ex-
tendens me ipsum. Christus quoque : Quum Luc. XVII, 10.
feceritis, inquit, omnia quæ præcepta sunt
vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod
debuimus facere, fecimus. Non ergo glo-
riemur in meritis vitæ prioris, nec aliquid
æstimemus nos ipsos ; sed quotidie tam
recenter tamque ferventer agamus, ac si
eodem die primum inchoaremus, atque
morituri essemus, attendentes illud divini
Apostoli : Ego non arbitror me apprehen- Philipp. III, 13, 14.
disse ; sequor autem, si quo modo compre-
hendam.

Sed quoniam iste profectus non huma-
næ virtutis est, sed donum gratiæ Dei, ideo
subditur : *hæc mutatio dexteræ Excelsi :*
id est, quod ita mutatus sum de tenebris
ignorantiæ ad splendorem scientiæ, de vi-
tiis in virtutes, de carnali et animali in
spiritualem, adscribendum est pio subsi-

Digitized by Google

dio seu misericordi præsentiæ Dei subli- A
II Cor. III, 5. mis. Non enim sufficientes sumus cogi-
tare aliquid a nobis quasi ex nobis ; sed
sufficientia nostra ex Deo est. Unde a Je-
Jer. X, 23. remia dictum est : Scio, Domine, quia non
est hominis via ejus, nec viri est ut am-
bulet et dirigat gressus suos. Propterea di-
Philipp. II, 13. cit Apostolus : Deus est qui operatur in
vobis velle et perficere pro bona volun-
tate.

Verumtamen omnia jam prædicta ab il-
lo versu, Numquid in æternum projiciet
Deus? usque ad versum præsentem, accipi B
possunt non solum quasi ex infirmitate
prolata, sed quasi consolatorie negative-
que dicta, videlicet ut sic dicta sumantur,
quod Deus in æternum non projicit, nec
placari contemnit, neque finaliter mise-
ricordiam suam abscindet, etc. ; sicque
anima orantis roboratur ex his ad perse-
veranter fiducialiterque orandum, etiam
quamvis Deus longo tempore differat.

12 (11) *Memor fui operum Domini,* id est
gratiarum ac misericordiarum suarum,
quas mihi ostendit, infudit ac præstitit : C
I Tim. IV, 14. quia Apostolus ait, Noli negligere gratiam
Dei, quæ data est tibi. Hujus quoque me-
moriæ meæ signum est, *quia memor ero
ab initio mirabilium tuorum,* quæ fecisti
ab origine mundi in cœlo, terra, marique.

13 (12) *Et meditabor in omnibus operibus tuis,*
quæ in sacra Scriptura lego vel audio, con-
templando te Deum operatorem ex tuis
operibus : quemadmodum Apostolus asse-
Rom. I, 20. rit, Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt,
conspiciuntur, sempiterna quoque virtus
Sap. XIII, 5. ejus et divinitas. Et Sapiens : A magnitu- D
dine speciei et creaturæ, poterit creator
horum cognoscibiliter videri.

Et in adinventionibus tuis, id est in
secretissimis illis mysteriis redemptionis
humanæ, quæ tu solus ineffabiliter exco-
gitasti, decernens humanum genus esse
redimendum per Christi incarnationem,
passionem, ac mortem, *exercebor,* talia
cordialiter revolvendo : quemadmodum
Thren. III, 20. Jeremias eloquitur, Memoria memor ero,
et tabescet in me anima mea ; et subdit,

Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo. Thren. III, 21.
Verissime namque confidit in Domino, qui-
cumque considerat eum talia adinvenisse
atque fecisse seu pertulisse pro genere hu-
mano. Vel, In adinventionibus tuis, id est
in præceptis et consiliis tuis, quæ pro no-
stra salute instituisti. Dicitur autem Deus
adinvenisse, non utique inquirendo aut
proficiendo, sed aliunde non accipiendo.
Talis namque locutio atque consimiles, ne-
gative sunt exponendæ. Et hoc modo apud
alium scriptum est : Qui fecit stellas ; hic Baruch III, 35-37.
est Deus noster, et non æstimabitur alius
adversus eum. Hic adinvenit omnem viam
disciplinæ. Pensandum tamen, quod hoc
dictum est de Filio Dei. Sequitur enim :
Post hæc super terram visus est, et cum Ibid. 38.
hominibus conversatus est. Quum ergo Fi-
lius Dei a Patre acceperit quidquid habet
et est, quomodo dicitur omnem viam dis-
ciplinæ adinvenisse? præsertim quum ipse
evidenter testatus sit, Pater diligit Filium, Joann. V, 20.
et omnia demonstrat ei quæ ipse facit ; et
alibi, A me ipso non loquor, sed sicut do- Ibid. XIV, 10; VIII, 28.
cuit me Pater. Non enim ista dicuntur de
Christo dumtaxat propter naturam assum-
ptam, quum de Spiritu Sancto Christus di-
cat, Non loquetur a semetipso, sed quæ- Ibid. XVI, 13.
cumque audiet, loquetur. Et responden-
dum, quod Filius Dei dicitur omnem viam
disciplinæ invenisse, quoniam non accepit
ab aliquo substantialiter a se condistin-
cto : imo ipse et Pater sunt una sapien-
tia, unumque omnis sapientiæ creatæ prin-
cipium : quia de Filio scriptum est, Fons Eccli. I, 5.
sapientiæ Verbum Dei in excelsis.

(13) *Deus, in sancto via tua :* id est, in 14
Christo, Sancto Sanctorum, est via colen-
di te : quoniam ipse est omnis virtutis ac
perfectionis magister, exemplar et causa ;
et qui sequitur eum, non ambulat in tene- Joann. VIII, 12.
bris, sed ingredietur per fidem et contem- Ibid. X, 9.
plationem, et egredietur per operationem.
Ipse quoque est via, veritas et vita. Vel Ibid. XIV, 6.
sic : Deus, in sancto, id est in omni corde
puro, est via tua, id est observatio manda-
torum tuorum. Vel, In sancto via tua, id
est, via tua, scilicet lex divina, in vera

Digitized by Google

sanctitate consistit, quemadmodum Daniel A
Dan. III, 26, 27. commemorat : Benedictus es, Domine, quia
justus es in omnibus, et viæ tuæ rectæ, et
omnia judicia tua vera. *Quis Deus magnus*
in omni nobilitate, sapientia, pulchritudine,
majestate, beatitudine, sanctitate, dulcedine, *sicut Deus noster,* qui est
trinus in Personis, et in essentia simplex?
Nullus utique, quoniam Deus sublimis et
benedictus omnia alia incomparabiliter
seu infinite excedit. Propter quod ait Isaias
Is. XL, 18. propheta : Cui similem fecistis Deum? aut
15 quam imaginem ponetis ei? *Tu es Deus* B
qui facis propria potestate *mirabilia*, id
est supernaturalia opera : de quo in libro
Job V, 9. Job dicitur, Qui facit magna et inscrutabilia
et mirabilia absque numero.

(14) *Notam fecisti in populis virtutem tuam :* id est, in Pharaone et in populo
ejus demonstrasti potentiam tuam ; imo
in populo universæ terræ notam fecisti
virtutem tuam, ad quos fama dejectionis
Ægyptiorum pervenit. Unde Deus ait ad
Exod. IX, 16. Pharaonem : Idcirco posui te, ut ostenderem
in te fortitudinem meam, et narretur C
nomen meum in omni terra. Hinc nempe
et Jethro cognatus Moysis, Ægyptiorum
Ibid. XVIII, 11. dejectione audita, dixit : Nunc cognovi
quoniam magnus Dominus super omnes
16 deos. *Redemisti in brachio tuo,* id est, in
fortitudine tua de manu et terra Ægyptiorum
eduxisti, *populum tuum, filios Jacob et Joseph,* id est, tam eos qui nati sunt ex
Gen. XLVI, 8 et seq.; XLI, 50-52. his, qui simul cum Jacob in Ægyptum a
terra Chanaan descenderunt, quam eos qui
nati sunt ex his, quos genuit Joseph in
terra Ægypti, videlicet ex Ephraim et Manasse. D
17 (15) *Viderunt te aquæ, Deus :* id est,
Exod. XIV, 21, 22. ita tibi obedivit mare Rubrum in sua divisione
et consolidatione, ac si fuisset
intellectualis naturæ, et tuum imperium
cognovisset. Omnia enim ad nutum divino
parent imperio per obedientialem potentiam,
omni naturæ creatæ ingenitam. Repetitur
autem ista sententia ad confirmationem : *viderunt te aquæ* maris Rubri, *et timuerunt,* id est, per modum timentis se
habuerunt, fugiendo versus ripas, atque
in modum muri illic sistendo ; *et turbatæ sunt abyssi,* id est ambæ partes maris Rubri,
eo quod contra, vel potius supra naturam
steterunt ex lateribus, neque fluebant
in locum inferiorem donec transissent filii
Israel, sicut habetur in Exodo : Filii Exod. XIV, 29.
Israel ambulaverunt per medium sicci maris,
et aquæ eis erant quasi pro muro a
dextris et a sinistris.

(16) *Multitudo sonitus aquarum :* id est, 18
magnus sonus seu strepitus erat in aquis
maris Rubri, quoniam cum ingenti fragore
ac impetu revertebantur aquæ maris Rubri Ibid. 27, 28.
ad locum priorem, et super Ægyptios,
ferebanturque Ægyptii in profundum; *vocem dederunt nubes,* id est, ex columna Ibid. 24.
ignis ac nubis Deus fecit procedere fulgura
atque tonitrua contra Ægyptios. (17) *Etenim sagittæ tuæ transeunt :* id est, pœnæ
tuæ in Ægyptios processerunt, quorum
subvertisti currus et equites; *vox tonitrui* 19
tui, id est sonus tonitruorum illorum, fuit
in rota, id est, ad similitudinem rotæ se
habuit : quoniam sicut rotarum simul currentium
strepitus magnus est, ita erat vox
tonitruorum tuorum, ex nube prædicta
egredientium. (18) *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ :* id est, fulgura tua in
terra Ægypti fulgere fecisti, quemadmodum
scriptum est : Dominus dedit toni- Ibid. IX, 23.
trua et grandinem ac discurrentia fulgura
super terram. Vel : Illuxerunt coruscationes
tuæ orbi terræ, id est, coruscationes
illæ in Ægypto factæ, ad omnium hominum
pervenerunt notitiam. *Commota est et contremuit terra :* id est, Ægyptii ex
tantis prodigiis moti sunt, quidam ad admirationem,
quidam ad obstinationem, quidam
vero ad unius Dei fidem et cultum,
sicut vulgus illud promiscuum innumera- Ibid. XII, 38.
bile, quod simul ascendit cum filiis Israel
ex Ægypto, ut dicitur in Exodo. Contremuit
quoque terra, id est, Ægyptii ex illis
miraculis territi sunt. Vel, tota terra, id
est, homines universi, ad quorum devenit
notitiam opus mirabile Dei in Ægypto,
commoti sunt et contremuerunt, secundum
modum jam dictum.

Digitized by Google

20 (19) *In mari via tua,* quia in mari Rubro A
viam parasti populo tuo; *et semitæ tuæ,* id
est itinera per quæ deduxisti filios Israel,
erant *in aquis multis,* id est in medio
aquarum maris Rubri, vel inter partes hu-
Exod. xiv, 29. jus maris, quoniam aquæ ex utraque parte
stabant solidatæ. *Et vestigia tua non co-*
gnoscentur: id est, nulla apparuerunt indi-
cia pedum seu gressuum populi tui quum
pertransissent : statim enim mare ad pro-
prium rediit locum, et intra se ipsum fuit
conclusum. Et simili sensu in libro Sapi-
Sap. v, 9, 10. entiæ dicitur : Transierunt omnia illa, sci- B
licet sæculi vanitates, tanquam umbra, et
tanquam navis quæ pertransit fluctuan-
tem aquam, cujus, quum præterierit, non
est vestigium invenire, neque semitam ca-
21 rinæ illius in fluctibus. (20) *Deduxisti sic-*
ut oves populum tuum, id est filios Israel
per desertum, in quo eos pavisti, protexi-
sti, et custodisti, quemadmodum pastor
alit et protegit oves suas : et hoc fecisti
Num. xxxiii, 1. *in manu Moysis et Aaron,* id est per ma-
num et ministerium Moysis ducis populi
tui, et Aaron primi ac summi pontificis C
tui in populo Judæorum.

Spiritualiter autem seu mystice expo-
15 nendus est locus iste hoc modo : *Notam*
fecisti, o Deus Pater, *in populis* totius
mundi *virtutem tuam,* id est Christum,
I Cor. i, 24. qui est virtus et sapientia Patris : mitten-
do enim Filium tuum in mundum per in-
carnationem, homines illustrasti, et tan-
dem per sanctos Apostolos totum mundum
16 ad Christi notitiam convertisti. *Redemisti*
in brachio tuo populum tuum : id est, in D
Christo per quem omnia operaris, et qui
Ibidem. virtus tua vocatur, liberasti omnes electos
de pœnis inferni et morte peccati : utpote
filios Jacob, id est Judæos, qui fidem et
opera Jacob sequuntur, *et Joseph,* qui in-
terpretatur augmentum, id est populum
ex gentilibus, ex quo augetur Ecclesia.
17 *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ:*
id est, populi ad fidem conversi tam ex
gentilibus quam ex Judæis, oculo contem-
plationis seu fidei te inspexerunt et co-
gnoverunt. Etenim aquæ multæ, sunt po- Apoc. xvii, 1, 15.
puli multi. *Et timuerunt* jam ad fidem
translati tua judicia, tuam majestatem, pœ-
nas inferni, adversitatesque sæculi; *et tur-*
batæ sunt abyssi : id est, corda humana
ex prædicatione Evangelii mota sunt, quæ-
dam ad indurationem, quædam ad pœni-
tentiam. Dicitur autem cor humanum abys-
sus, id est adeo inscrutabile et profundum,
ut soli Deo sit cognitum. Propter quod
alibi scriptum est : Pravum est cor ho- Jer. xvii, 9, 10.
minis et inscrutabile. Quis cognoscet il-
lud? Ego Dominus scrutans cor et probans
renes.
Multitudo sonitus aquarum: id est, varia 18
fuit vox populorum ad fidem catholicam
conversorum. Nam quidam benedixerunt II Mach. x, 38.
Deum in hymnis et confessionibus, qui-
dam deplanxerunt sua peccata in precibus
atque gemitibus, alii informaverunt alios
doctrinis et prædicationibus sanctis. Hoc
vero idcirco fecerunt, quoniam *vocem de-*
derunt nubes, id est, quia Apostoli eos sua
prædicatione induxerunt ad tam sancta ex-
ercitia. Dicuntur autem Apostoli nubes,
juxta illud Isaiæ : Qui sunt isti, qui ut nu- Is. lx, 8.
bes volant? *Etenim sagittæ tuæ transeunt:*
id est, acutissima Spiritus Sancti verba in
corda electorum infixa sunt ab ore prædi-
catorum sanctorum. Qui enim ex Deo fu- Joann. viii, 47.
erunt, verba prædicantium receperunt. *Vox* 19
tonitrui tui in rota : id est, voces tonitru-
orum tuorum, videlicet sermones Apo-
stolorum, processerunt in omnem mundi Ps. xviii, 5.
circuitum, et in fines orbis terrarum. Di-
cuntur enim Apostoli tonitrua, propter
eminentissimam altitudinem prædicatio-
num suarum. Unde et Christus in Evan-
gelio Joannem et Jacobum filios tonitrui Marc. iii, 17.
legitur appellasse. *Illuxerunt coruscatio-*
nes tuæ orbi terræ : id est, virtutes et gra-
tiæ atque miracula quæ contulisti Apo-
stolis et reliquis sanctis, manifestata sunt
universis hominibus, te Domino sermonem Ibid. xvi, 20.
illorum confirmante sequentibus signis.
Commota est et contremuit terra : id est,
habitantes in terra, ex prædicatione atque
prodigiis Apostolorum ac reliquorum apo-

Digitized by Google

stolicorum virorum, diversimode moti sunt A
et tremefacti, videlicet ad admirationem,
ad pœnitentiam, vel etiam ad persecutionem, et item blasphemiam.

20 *In mari via tua,* id est, in plebe gentili
prædicata est lex evangelica; *et semitæ
tuæ,* id est præcepta tua et consilia, *in
aquis multis,* id est, in plurimis nationibus
manifestata sunt, recepta et adimpleta. *Et
vestigia tua,* o Christe, id est opera tua et
exempla, *non cognoscentur* a populo cui
Matth. xv, 24. specialiter missus eras, utpote ab incre-
Ibid. xii, 24. dulis Judæis, qui opera tua adscripserunt B
Beelzebub. Vel : Vestigia tua non cognoscentur, id est, occultæ impressiones mirabilesque effectus, quos in toto universo
exerces, a nullo homine viatore poterunt
Job xi, 7. perscrutari. Unde ad Job dicitur : Forsan
vestigia Dei comprehendes, et usque ad
21 perfectum, Omnipotentem reperies? *Deduxisti,* o Deus Trinitas, *sicut oves populum tuum,* scilicet Christianos, per viam
hujus exsilii ad patriam felicitatis æternæ, *in manu Moysis et Aaron,* id est in
virtute et gratia Christi, per Moysen Aaronque præfigurati, quoniam Christus est C
dux noster atque sacerdos. Unde de eo in
Dan. ix, 25. Daniele habetur : Ab exitu sermonis usque ad Christum ducem, etc. Et Zacharias
Zach. vi, 13. ait : Ipse erit sacerdos super solio suo. Et
Hebr. vii, 24. Apostolus : Christus, eo quod maneat in
æternum, sempiternum habet sacerdotium.

Ecce psalmum sententiosum, doctrinalem, et totius spiritualis institutionis dogmata includentem audivimus : in quo primo omnium profitetur se homo transiliens, mundana contemnens, soli Divinitati ardentissime inhians, ad Dominum ingenti proclamasse affectu, eumque in tribulatione sua cordialiter exorasse, nec aliquam consolationem vilem, carnalem, indignam admittere voluisse, sed Dei fuisse recordatum, atque ex hoc mentaliter delectatum. Insuper asserit se prævenisse vigilias causa orandi laudandique Dominum, annos quoque æternos considerasse, propriam conscientiam diligentissime discussisse. Deinde ostendit, quam inæstimabilis sit misericordia Creatoris; et postmodum Deum laudat ac superexaltat, mirabilia ejus commemorat, beneficia recolit. Omnino ergo conemur tanti psalmi ignea verba fervida mente cantare, tam doctrinalis psalmi documenta implere, universa terrena amore cœlestium aspernari, in solo Salvatore vera solatia adipisci, Dei in omni angustia reminisci, et ex contemplationis lætitia omnem inordinatam tristitiam propulsare.

PRECATIO.

Ineffabilis pietatis Deus, misericors in millibus, non in finem iratus pro peccatis nostris misericordiam tuam abscindas a nobis : non obliviscaris misereri nostri; sed tua miseratione jube nos æternæ salvationi annumerari.

ARTICULUS XLVIII

ELUCIDATIO PSALMI SEPTUAGESIMI SEPTIMI : ATTENDITE, POPULE MEUS, LEGEM MEAM.

Longus hic psalmus hoc brevi est titulo D
1 inscriptus : *Intellectus Asaph :* id est, in
psalmo præsenti datur intelligi, quomodo
accipienda sint ea quæ Deus in veteri Te-
I Cor. x, 11. stamento populo suo dixit et fecit. Omnia
enim in figura contingebant illis, et scripta sunt ad nostram doctrinam. Dum namque titulus psalmi ait, Intellectus Asaph : Rom. xv, 4.
admonemur ista non simpliciter seu solum historialiter sumere, sed mystice elucidare, præsertim quum in sequenti secundo versu dicatur, Aperiam in parabolis os meum.

Parabolica autem eloquia non superficialiter, sed diligenter scrutanda sunt. Porro evangelista Matthæus primum istius psalmi versum allegat de Christo prædictum : *Matth.* XIII, 34, 35. Hæc omnia (inquiens) facta sunt, ut impleretur illud quod scriptum est, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi : quod in hoc psalmo aliis verbis ita exprimitur, Loquar propositiones ab initio. Hinc infert S. Hieronymus, quod evangelista Matthæus hoc intellexerit ex persona Christi. Duos igitur primos psalmi hujus versiculos, qui per modum præfationis seu prologi præmittuntur sequentibus, dicit Propheta, auctor psalmi præsentis, sive ille sit David, sive Asaph, in persona Christi. Verumtamen quæ sequuntur, ad litteram dicta videntur de populo veteris Testamenti, videlicet de mirabilibus Dei circa populum illum, olim *Deut.* VII, 6. sibi peculiarem ; de ingratitudine quoque populi hujus, et digna castigatione ipsius, *I Reg.* XVI, 13. atque de electione David posteritatisque suæ ad regnum : quæ omnia spiritualiter exponi possunt de populo christiano, sicut aliqualiter tangam in subditis.

VOLENS ergo Propheta populum cui loquitur, docilem, benevolum et attentum efficere, sic orsus est, loquens (ut dixi) non in sua, sed in Christi persona, *Luc.* I, 70. qui etiam per os omnium Prophetarum locutus est : (1) *Attendite, popule meus,* electus a me ad fidem cultumque divinum, *legem meam,* id est legem decem præceptorum moralium : quæ in veteri Testamento ac novo eadem sunt, quæ primo *Exod.* XXXIV. Moysi in monte Sinai divinitus data noscuntur, atque a Christo in Evangelio approbantur. *Inclinate aurem vestram,* tam corporis quam cordis, *in verba oris mei,* id est in verba sacræ Scripturæ ac prædicationis divinæ, ea reverenter auscultando, fideliterque observando.

2 (2) *Aperiam in parabolis os meum.* Hoc de Christo ad litteram verum est : propter *Matth.* XIII, 34. quod in Evangelio dicitur, Sine parabolis non loquebatur ad turbas. Et ipse ait discipulis : Vobis datum est scire mysterium *Marc.* IV, 11. regni Dei ; illis vero qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt. Dicuntur autem parabolæ, quædam rerum similitudines quæ comparantur rebus de quibus tractatur, dum quod de uno asseritur, de alio intelligi datur. *Loquar propositiones ab initio.* Sicut jam patuit, Matthæus ita allegat : Eructabo *Matth.* XIII, 35. abscondita a constitutione mundi. Communiter autem dicunt expositores, quod, Ab initio, in nostra translatione positum, non sit referendum ad mundi exordium, sed ad initium eductionis Israelitarum ex Ægypto. Verumtamen, quoniam Evangelista Spiritu Sancto repletus allegat, A constitutione mundi, dicendum videtur quod in hoc psalmo, saltem implicite et in generali, commemorantur mirabilia Dei ab initio mundi peracta : quia in eo quod sequitur, Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis : non solum oportet accipere opera Dei a tempore Moysis facta, atque a patribus sibi contemporaneis, seu posterioribus ipso, posteris relata ; sed insuper intelligere possumus magnalia Dei a constitutione mundi facta, sicut erat diluvium, submersio Pentapolis, scilicet Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim et Segor, atque similia, quæ Abraham, Melchisedec, Lot, et alii veteres Patriarchæ narraverunt posteris suis, et etiam filiis Israel mediate. Talia vero abscondita Christus in Evangelio narravit, prout studiosis lectoribus constat. Facit *Luc.* XVII, 26-32 ; *Matth.* XXIV, 37-39 ; XIX, 4-9. namque mentionem de Noe atque diluvio, de submersione quoque Sodomæ, et de primæva quoque matrimonii institutione. Quidam vero quod nunc dicitur, Aperiam in parabolis, etc., exponunt de auctore psalmi præsentis, ut sit sensus : Aperiam os meum, id est, dicta et facta veteris Testamenti, quæ sunt figuræ eorum quæ sunt in novo Testamento, narrabo. Loquar propositiones, id est orationes seu quæstiones disputatorias, quæ Græce dicuntur problemata, Hebraice autem ænigmata : propositiones, inquam, loquentes de rebus quæ contigerunt ab initio liberationis Israel de Ægypto.

Digitized by Google

Deinde auctor psalmi in sua ac popu-
li Israelitici loquens persona, subjungit :
3 (3) *Quanta* mirabilia opera et magnifica
beneficia Dei *audivimus et cognovimus ea,*
id est, aure cordis intelligendo percepi-
mus, *et patres nostri,* scilicet Moyses, Jo-
sue, et similes sancti patres, *narraverunt
nobis* mediate, atque per libros quos edi-
4 derunt, et nobis reliquerunt. (4) *Non sunt
occultata* illa opera Dei facta in Ægypto,
in mari Rubro, in deserto, in terraque
Chanaan, *a filiis eorum,* id est ab eis qui
patrum suorum fidem et opera sunt secuti,
non obliti beneficiorum Dei altissimi. Non
autem innotuerunt omnibus filiis eorum,
quoniam in libro Judicum scriptum est :
Judic. II, 10. Surrexerunt interea alii qui non cognove-
runt Dominum, et opera ejus quæ fecit
cum Israel. Tales enim fuerunt solum filii
secundum carnem, non secundum fidei
imitationem. Non sunt ergo occultata a fi-
liis eorum *in generatione altera,* id est a fi-
liis qui fuerunt in generatione succedente,
quia ad posteros pervenit rerum gestarum
memoria. Quid autem patres narraverunt
filiis, subditur : (5) *Narrantes laudes Do-
mini,* id est laudabilia opera ejus, et verba
divinæ laudis contentiva, *et virtutes ejus,*
id est potentias Dei, qui Ægyptum decem
principalibus plagis percussit, *et mirabi-
Exod. XIV. *lia ejus quæ fecit,* mare Rubrum dividen-
do, et Ægyptios submergendo.
5 (6) *Et suscitavit testimonium in Jacob,* id
est, testamentum quoddam contulit popu-
lo Judæorum ex Jacob natorum ; *et legem
Joann. I, 17. *posuit in Israel:* quoniam legem dedit per
Moysen, et legem hanc scripsit in tabulis la-
Exod. XXXIV, 1, 29. pideis, quatenus servaretur, et esset poste-
ris in testimonium divinæ locutionis et le-
gislationis cœlestis, perversis quoque esset
in testimonium damnationis, sicut in Deu-
teronomio Moyses sæpe testatur. Nam ob
Deut. XXXI, 10-13, 26. hanc causam præcepit Dominus scribi Deu-
teronomium legis, tabulasque testamen-
ti servari in tabernaculo. Idem sunt ergo
testimonium et lex, quemadmodum idem
sunt Jacob et Israel; sed ratione differunt.
Lex quippe vocatur, quoniam jubet, coer-

A cet, et religat : jubet, inquam, quid agen-
dum, quid evitandum ; coercet a malo per
prohibitiones ac pœnas ; religat animam
sub Deo per observationem legalem. Testi-
monium vero vocatur, quoniam probat et
convincit.

(7) *Quanta,* id est quam multa et magna
facta et verba, *mandavit patribus nostris*
ex Ægypto eductis, *nota facere ea filiis
suis,* narrando aut scribendo quæ fieri
conspexerunt, *ut cognoscat generatio alte- 6
ra,* id est quælibet generatio illis succe-
B dens. (8) *Filii qui nascentur* ex utero, *et
exsurgent* ad perfectionem ætatis, quanti-
tatis et rationis, *et narrabunt filiis suis.*
Hoc in populo Judæorum sæpe impletum
est. Ideo autem narrabunt filiis suis, qua-
tenus doceant eos in Deo confidere : ideo
sequitur : (9) *Ut ponant* filii isti *in Deo* 7
spem suam, non in propriis viribus aut
aliqua creatura, *et non obliviscantur ope-
rum Dei* quæ fecit, salvando patres eo-
rum, atque incredulos occidendo, *et man-
data ejus exquirant,* id est, exquisite ac
C diligenter scire desiderent, quatenus im-
pleant ea.

(10) *Ne fiant sicut patres eorum,* ex Ægy- 8
pto educti, qui erant *generatio prava,* id
est inobediens, *et exasperans,* id est divi-
nam justitiam ad vindictam inflammans.
Unde et Moyses generationi isti locutus
est : Ego scio contentionem tuam, et cer- *Deut.* XXXI, 27.
vicem tuam durissimam. Adhuc vivente
me et ingrediente vobiscum, semper con-
tentiose egistis contra Dominum. Pro majo-
ri enim parte mali fuerunt : propter quod
D in deserto prostrati sunt. (11) *Generatio* *Num.* XIV, 29; *Ps.* CV, 26.
quæ non direxit cor suum, id est, quæ Do-
minum Deum non quæsivit corde perfecto
et vero atque sincero. Propterea Moyses ait
ad eos : Vos vidistis universa magnalia *Deut.* XXIX, 2, 4.
quæ coram vobis fecit Dominus, et non de-
dit vobis Dominus cor intelligens usque
in præsentem diem. *Et non est creditus
cum Deo spiritus ejus :* id est, spiritus seu
anima populi hujus non est Deo per fi-
dem conjunctus, quoniam divinis promis-
sionibus non crediderunt. Unde alia trans-

Digitized by Google

latio clarior est, dicens : Et non credidit A
Deo spiritus ejus. Et istud referendum non
est ad omnes, sed ad perversos qui erant
in populo isto Israelitico, secundum regu-
lam in principio expositionis hujus libri
inductam, qua dicitur, quod sacra Scri-
ptura interdum loquitur commixtim de
corpore Domini permixto ex bonis et ma-
lis : ubi considerandum est quid ad quos
referri oporteat. Interdum namque tota
congregatio laudatur propter aliquos bo-
nos in ea contentos ; vicissim quoque to-
ta vituperatur propter quosdam malos in B
ea conclusos, sicut nunc agitur.
9 (12) *Filii Ephrem,* id est aliqui nati ex
Gen. xli, 52. progenie Ephraim filii Joseph, *intendentes
et mittentes arcum,* id est arcum proten-
dentes, et ex arcu emittentes sagittas, *con-
versi sunt in die belli,* id est, terga verte-
runt atque fugerunt, in die quando contra
præceptum Moysis ascenderunt in mon-
tem ad præliandum contra Amalecitas et
Num. xiv, 40-45. Amorrhæos, ut scribitur in libro Numero-
rum. A principio namque filii Ephraim
præsumptuosi fuerunt et ambitiosi, quo- C
niam pater eorum, scilicet Joseph, domi-
nus erat fratrum suorum ; et quoniam
Gen. xlviii, 14. 17-20. Jacob prætulit Ephraim secundo natum,
primogenito Joseph, qui erat Manasses ; et
Deut. xxxi, 3, 7; Num. xii, 9. quia Josue minister Moysis et electus ex
multis, Ephratæus exstiterat. Unde eorum
elatio sæpe patescit in libro Judicum ; id-
eoque Propheta in psalmo isto singulariter
invehitur contra filios Ephraim, ostendens
eos non fuisse electos ad regiam dignita-
10 tem, sed tribum Juda. (13) *Non custodie-
runt testamentum Dei :* quia transgressi D
sunt jussionem Dei per Moysen, eundo ad
prælium, sicut nunc dictum est ; *et in lege
ejus noluerunt ambulare,* id est, divina
præcepta contempserunt implere.
11 (14) *Et obliti sunt benefactorum ejus :*
id est, filii Israel communiter, et non so-
lum filii Ephraim seu Ephrem, quod idem
est, beneficiis Dei ingrati fuerunt, vel pe-
nitus non recolendo, vel gratias non agen-
do, nec benefactorem ipsum amando, nec
venerando. Sic quoque obliti sunt *et mira-*

bilium ejus quæ ostendit eis in terra Ægy-
pti, dicentes ad invicem : Constituamus Num. xiv, 4.
nobis ducem, et revertamur in Ægyptum.
(15) *Coram patribus eorum fecit mirabi-* 12
lia in terra Ægypti : ut patet in Exodo. Exod. vii-xiv.
Et hoc maxime fecit Deus *in campo Ta-
neos,* id est in planitie civitatis illius. Ta-
nis enim fuit civitas regalis, in qua rex
cum suis consiliariis habitare solebat. Pro-
pter quod apud Isaiam scriptum est : Stul- Is. xix, 11.
ti principes Taneos, sapientes consiliarii
Pharaonis dederunt consilium insipiens.
Quoniam ergo rex et consules sui, qui
erant principales causæ totius peccati et
afflictionis Ægypti, in hac urbe regia de-
morari solebant, ideo verisimile est quod
civitas ista gravius flagellabatur quam re-
liquæ. Hincque jam dicitur Deus specia-
liter fecisse mirabilia in loco seu campo
urbis istius. (16) *Interrupit mare* Rubrum, 13
dividens illud, *et perduxit eos* sicco pede Exod. xiv.
per alveum ejus ; *et statuit aquas* maris
Rubri sic divisas *quasi in utre,* id est, ita
firmavit eas in loco suo ne fluerent, ac si
fuissent in vase collectæ. (17) *Et deduxit* 14
eos, scilicet filios Israel ex Ægypto, et per
mare Rubrum atque desertum, *in nube
diei,* id est in columna nubis apparentis
in die, *et tota nocte,* id est omnibus nocti-
bus quibus ambulabant, *in illuminatione
ignis,* id est in columna ignis viam osten-
dentis in tenebris noctis. Quemadmodum
enim de die ambulabant sub nube, eos ab
ardore solis protegente, ita de nocte se-
quebantur ductum ignis ; nec unquam de-
fecit columna nubis aut ignis, donec in-
gressi essent terram promissionis ; nec
proficiscebantur diebus aut noctibus, nisi
columna nubis aut ignis prius locum mu-
taret, recedendo a tabernaculo : quæ omnia
in Exodo et Numeris frequenter a Moyse Exod. xiii, xiv ; Num. x-xii.
describuntur.
(18) *Interrupit petram in eremo.* Bis le- 15
gitur Deus omnipotens eduxisse aquam de
petra filiis Israel : semel videlicet de pe-
tra Horeb, de qua eductione loquitur iste
versiculus, quæ in Exodo plenius inveni- Exod. xvii, 6.
tur descripta ; secundo, quando Moyses

Digitized by Google

percussit bis silicem, et egressæ sunt aquæ A
largissimæ, ita ut populus biberet et ju-
Num. xx, 11. menta, de qua eductione in libro Numero-
rum habetur. Fueruntque eductiones istæ
diversæ, quoniam prima erat ante datio-
nem legis, secunda post eam. Ait ergo :
Interrupit petram in eremo, id est, ita fe-
cit quamdam concavitatem seu divisionem
in ea, ac si rupta fuisset, et de petra sic
rupta aquas eduxit; *et adaquavit eos,* id
est, aqua eos potavit, *velut in abysso mul-
ta,* id est tam abundanter, ac si fuissent
juxta pelagus magnum, de quo ad libitum B
aqua hauritur. Quum enim fuerint sexcen-
ta millia virorum in exercitu Hebræorum,
præter mulieres et pueros, eos videlicet
qui nondum viginti annos attigerant, et
item præter vulgus promiscuum Ægyptia-
cum innumerabile, constat quod maxima
copia aquæ fluxit de petra unde univer-
16 si biberent. (19) *Et eduxit aquam de pe-
tra,* dum Moyses percussit bis petram seu
silicem, sicut jam dictum est ; *et dedu-
xit* ex petra hac, *tanquam flumina aquas,*
id est aquas copiose fluentes instar flu- C
viorum.

17 (20) *Et apposuerunt adhuc peccare ei :* id
est, tantis beneficiis Creatoris ingrati fue-
runt, reddideruntque malum pro bono, et
prioribus suis sceleribus adjecerunt nova
peccata : quia et ipsa ingratitudo magnum
est peccatum ; *in iram excitaverunt Ex-
celsum :* id est, ad similitudinem iræ, seu
ad effectum iracundiæ, utpote ad justam
ultionem atque magnarum inflictionem
pœnarum, provocaverunt Deum sublimem
suis peccatis : et hoc, *in inaquoso,* id est D
in deserto, in quo est naturaliter aquæ pe-
18 nuria. (21) *Et tentaverunt Deum in cordibus
suis :* id est, ex proposito præmeditatione-
que cordis experiri volebant providentiam
Dei, an scilicet Deus haberet curam eo-
rum, providendo eis de necessariis ad vi-
vendum. Ideo sequitur : *ut peterent escas
animabus suis,* id est alimentum pro sus-
tentatione vitæ. Bis autem escas hoc modo
Exod. xvi, 3. petiisse leguntur. Semel, ante legislatio-
nem, quando dixerunt ad Moysen : Cur
induxisti nos in desertum istud, ut occide-
res omnem multitudinem fame ? Et tunc
Dominus cœpit pluere manna. Secundo,
petebant carnes sibi præstari, dicentes :
Anima nostra arida est, nihil vident oculi Num. xi, 6.
nostri nisi manna : quemadmodum in li-
bro Numerorum scriptum est.

(22) *Et male,* videlicet infideliter et per- 19
verse, *locuti sunt de Deo ; dixerunt* quod
subditur : *Numquid poterit Deus parare
mensam in deserto,* id est, refectionem
pinguem et deliciosam ? Hoc non asser-
tive, sed dubitative dixerunt ; arguebant
tamen quod Deus hoc posset. (23) *Quoniam* 20
percussit petram, et fluxerunt aquæ ex ea,
et torrentes inundaverunt, id est, aquæ
copiosæ inde egressæ sunt : sicut nunc
patuit. Quum ergo sit ita, (24) *Numquid et
panem poterit dare ?* Per panem (secun-
dum quosdam) non intelligitur hic man-
na, quoniam Deus hunc panem ante edu-
ctionem aquæ prædictam dedit ; sed per
panem intelligitur hic quilibet cibus de-
licatus, ab eis desideratus. Solet quippe
Scriptura nomine panis quemcumque ci-
bum significare, sicut et nomine aquæ
quemlibet potum. Unde de Saul habetur, I Reg.
quod tota die non comederat panem ; et xxviii, 20.
de Esdra, quod panem non comedit, nec I Esdr. x,
bibit aquam, id est, nihil gustavit. Et le- 6.
gitur Eliseus dixisse regi Israel, ut appo- IV Reg. vi,
neret exercitui regis Syriæ, quem Eliseus 22.
miraculose adduxit, panem et aquam. Et
sequitur illic : Apposita est eis magna Ibid. 23.
præparatio ciborum. Sic ergo et nunc per
panem intelligi dicunt cibum deliciosum :
et ideo additur, *aut parare mensam popu-
lo suo?* ubi per mensam intelligi volunt re-
fectionem delicatam, præsertim quoniam
in Hebræo et in translatione Hieronymi
juxta Hebræum, habetur : Aut parare car-
nem populo suo ? Hæc vero (ut tactum est)
non affirmando, sed dubitando dixerunt.
Dixerunt enim, ut Moyses scribit : Estne Exod. xvii,
Deus in nobis an non ? Denique de hac 7.
infidelissima tentatione eorum in libro
Numerorum scribitur : Flagrabant deside- Num. xi, 4,
rio carnium, et dicebant : Quis dabit nobis 5.

Digitized by Google

ad vescendum carnes? In mentem nobis A
veniunt cucumeres et pepones, porri et
allia, quæ comedebamus in Ægypto.

21 (25) *Ideo,* id est, ex quo ista ex infidelitate dixerunt, non habentes pro certo quod Dominus posset implere quod desiderabant, *audivit Dominus* petitionem ipsorum, non quia ipsi hoc meruerunt, sed ut ipse suam omnipotentiam declararet; *et distulit,* id est, non statim ultus est peccatum eorum, sed distulit debitam pœnam, ut postmodum tempore convenienti eam infligeret, et primo ostenderet suam pote- B statem. *Et ignis,* id est vehemens furor seu grandis vindicta, *accensus est in Jacob,* id est, juste inflictus est posteritati Jacob, videlicet filiis Israel : quod consequenter clarius dicitur; *et ira* Dei, id est ultio divinæ justitiæ, *ascendit in Israel,* id est in populum Israeliticum, de semine Jacob, qui dictus est Israel, genitum. Hoc modo communiter versus iste explanatur. Sed quoniam in libro Numerorum eviden-
m. xi, 1. ter habetur : Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore: quod quum C audisset Dominus, iratus est; et accensus in eos ignis Domini, devoravit extremam partem castrorum : quod certum est dici de igne materiali; ideo potest hic versus de illo igne exponi. Nec obstat quod illius ignis accensio hanc tentationem præcessit, quoniam in divina Scriptura, gesta non semper narrantur eo ordine quo contigerunt ; sed quædam per anticipationem, quædam per recapitulationem, quædam per supplementum dicuntur : quod maxime fit in libris metrice scriptis, qua- D lis est liber Psalmorum.

22 Ideo autem Deus eos ita punivit, (26) *Quia non crediderunt in Deo,* qui eis promisit quod induceret eos in terram Chanaan. Dixerunt namque, ut in libro Numerorum
id. xiv, 3. habetur : Utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in terram hanc, ne cadamus gladio et nos et filii nostri et uxores.
bid. 11. Unde Dominus ad Moysen dixit : Usquequo multitudo hæc pessima non credet mihi? *Nec speraverunt in salutari ejus,* id est salubri auxilio Dei, quod Deus eis promisit per Moysen, dicens : Dominus pugnabit Exod. xiv, 14.
pro vobis.

(27) *Et mandavit nubibus desuper :* id 23
est, ex divino imperio factum est, ut ex
aere, in quo nubes gignuntur, manna descenderet. Dicitur enim Deus irrationalibus et inanimatis præcipere, quando ex divinæ virtutis nutu aliquid patiuntur et agunt. Propter quod Dominus ait Eliæ : Præcepi corvis ut pascant te. III Reg. xvii, 4. *Et januas cœli aperuit,* id est, vias fecit in cœlo ae-
rio per quas manna descendit. (28) *Et pluit* 24
illis manna ad manducandum, et panem cœli, id est in cœlo aerio ministerio angelorum formatum, *dedit eis* ad vescendum.
Propterea subditur : (29) *Panem angelo-* 25
rum, id est ministerio angelico productum ac descendentem; non quod angeli sancti eo vescuntur, quoniam non utuntur cibo corporeo, sicut habetur in libro To- Tob. xii, 19.
biæ ; *manducavit homo* quilibet in exercitu Hebræorum ; *cibaria misit eis in abundantia,* id est usque ad satietatem. Ex isto sequi videtur, quod id quod dictum est supra, Numquid et panem poterit dare? intelligi poterit de manna, quia tunc dicitur Deus petitionem eorum audivisse, et manna seu panem cœlestem eis dedisse. De hoc pane seu manna, quod simul descendit cum rore, in libro Exodi sic dicitur : Mane ros jacuit per circuitum ca- Exod. xvi, 13-15, 31.
strorum, et apparuit in solitudine manna minutum, quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram ; et appellaverunt filii Israel illud Manhu, id est, Quid est hoc? Quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. Propterea quoque alio loco scriptum est : Angelorum esca nutrivisti po- Sap. xvi, 20, 21.
pulum tuum, et panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem : deserviens enim uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.

(30) *Transtulit Austrum de cœlo,* id est, 26
Deus cessare fecit in aere ventum australem seu meridionalem, *et induxit in vir-*

Digitized by Google

tute sua Africum, id est, in potentia sua
flare fecit ventum occidentalem, latera-
lem versus meridiem. Flat enim hic ven-
tus inter meridiem et occidentem. Ideo
vero induxit hunc ventum ab Africa flan-
tem, quatenus multitudinem coturnicum
ab illa parte exsistentem, suo impetu ul-
tra mare afferret ad locum filiorum Is-
Num. XI, 31. rael, juxta illud libri Numerorum: Ventus
autem egrediens a Domino, arreptas trans
mare coturnices detulit et demisit in ca-
27 stra. Idcirco subjungitur : (31) *Et pluit*
super eos sicut pulverem carnes, non mor-
tuas, sed vivas : de quibus subjicitur,
et sicut arenam maris volatilia penna-
ta. Erant namque coturnices aves circa
Ibidem. terram volantes, duobus cubitis in altitu-
dinem super terram. Hæc autem animalia
Deus pluit, id est, per modum pluviæ mi-
sit de aere tam copiose, quasi arenam ma-
Ibidem. ris, secundum quod a Moyse dicitur : Ven-
tus detulit coturnices in castra, itinere
quantum uno die confici potest, ex omni
28 parte castrorum per circuitum. (32) *Et ce-*
ciderunt animalia hæc *in medio castro-*
rum eorum, id est intra vel prope castra
seu tentoria filiorum Israel, scilicet *cir-*
ca tabernacula seu papiliones *eorum,* ita
quod sine labore capi poterant. Unde dici-
Ibid. 32. tur in Numeris : Surgens populus toto die
illo et nocte, ac die sequenti, congregavit
coturnicum multitudinem, et siccaverunt
eas per gyrum castrorum.

29 (33) *Et manducaverunt* filii Israel carnes
has, *et saturati sunt nimis,* usque ad col-
lum et nauseam, *et desiderium eorum at-*
tulit eis, id est, rem ab eis desideratam
30 contulit ipsis; *non sunt fraudati a desi-*
derio suo, id est, adeptione rei desideratæ
non sunt privati, quoniam carnium co-
piam sunt adepti. Quæ omnia in libro Nu-
merorum clarius inducuntur, hoc modo:
Ibid. 16, 18-20. Dixit Dominus ad Moysen : Populo dices,
Cras comedetis carnes, et comedetis non
uno die, neque duobus vel quinque, sed
usque ad mensem dierum, donec exeat per
nares vestras, et vertatur in nauseam.
(34) *Adhuc escæ eorum,* scilicet carnes is-
tæ, *erant in ore ipsorum, et ira Dei,* scilicet 31
ultio sequens, *ascendit super eos.* Nam
(35) *Et occidit pingues eorum,* id est in
divitiis abundantes, superbos, carnales; *et*
electos Israel impedivit. Hoc dupliciter ac-
cipi potest. Primo sic : Electos Israel, id
est bonos et justos Judæos, impedivit, ita
quod sua exhortatione aut prece nihil pro-
ficere poterant reprobis illis : quoniam
exigentibus vitiis reproborum, electi pro
eis exauditi non sunt. Secundo sic : Ele-
ctos Israel, id est elegantes personas po-
puli hujus, ab ingressu terræ promissio-
nis impedivit. Et hoc est quod in Numeris
dicitur : Adhuc carnes erant in dentibus *Num.* XI, 33, 34.
eorum, nec defecerat hujusmodi cibus, et
ecce furor Domini concitatus in populum,
percussit eum plaga magna nimis. Voca-
tusque est locus ille, sepulcra Concupi-
scentiæ : ibi enim sepelierunt populum
qui desideraverat carnes.

(36) *In omnibus his* jam prædictis non 32
emendati, sed in suis perversitatibus per-
durantes, *peccaverunt adhuc,* videlicet post
reditum exploratorum, volentes tunc in *Ibid.* XIV, 3, 4.
Ægyptum reverti ; *et non crediderunt in*
mirabilibus ejus : id est, ex consideratio-
ne primorum mirabilium quæ Deus fecit
coram eis in Ægypto, in mari Rubro, in
deserto, nolebant credere quod Deus pos-
set eos in terram Chanaan salvos induce-
re, propter fortitudinem populi, civitatum
atque murorum terræ illius : imo vole-
bant Caleb et Josue lapidare, eo quod di- *Ibid.* 6-10.
xerant Deum facile posse verbum suum
implere, et Chananæos dejicere. (37) *Et* 33
defecerunt in vanitate dies eorum, id est,
propter peccata sua inanes erant dies ip-
sorum; *et anni eorum cum festinatione*
defecerunt, id est, cito consumpti sunt,
occisi atque prostrati in eremo : quoniam
omnes qui tunc numerati erant et mur-
muraverunt, intra quadraginta annos de- *Ibid.* XXVI, 64, 65.
functi sunt in ipso deserto, nec ingredi
poterant terram promissam; multi quoque
eorum subita morte occisi sunt per ser- *Ibid.* XXI, 6; XVI; XXV.
pentes ignitos, et in contradictione Core
et propter peccatum Phogor.

Digitized by Google

(38) *Quum occideret eos, quærebant eum,* A *et revertebantur :* non quod iidem numero occidebantur et revertebantur ; sed secundum regulam in principio positam, loquitur hic Scriptura de diversis, ad eumdem populum pertinentibus, quasi de eisdem suppositis. Itaque, Quum Deus quosdam prævaricatores occideret, aliqui territi sunt ne similia experirentur tormenta : idcirco quærebant eum, id est, misericordiam Dei pro indulgentia invocabant, et revertebantur ad Deum per pœnitentiam. *Et diluculo,* id est, celeriter ex magno pœnarum B timore, *veniebant ad eum,* non gressibus pedum spatioque locorum, sed mentis im-
5 mutatione et pœnitentia cordis. (39) *Et rememorati sunt* ex consideratione priorum mirabilium Dei, et occisione eorum qui ita non recoluerunt, *quia Deus adjutor est eorum* in omnibus bonis, sicut fuit ad-
xiv; jutor eorum in Ægypto, et contra Amalec, *et Deus excelsus redemptor eorum est,* eruens eos a cunctis periculis, sicut eruit eos de manu Pharaonis et ejus exercitu.

Verumtamen, quoniam ista reversio non C erat ex caritate divina, sed ex timore servili : quo pœna timetur, per cujus imminentiam seu experientiam pensat homo
xviii, veritatem, juxta illud, Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui; propterea modo subjungitur : (40) *Et dilexerunt eum in ore suo,* id est, verbis precatoriis simulabant se Deum amare, *et lingua sua mentiti sunt ei,* id est, verba eorum falsa fuerunt, neque ex corde sincero prolata sunt. (41) *Cor autem eorum non erat rectum cum eo,* id est, Deo non placuit, quo- D niam justum et verum non fuit ; *nec fideles habiti sunt in testamento ejus,* id est, fideliter non egerunt in lege divina, ejus custodiendo præcepta.

(42) *Ipse autem* Deus *est misericors, et propitius fiet peccatis eorum,* posteritatem eorum non penitus auferendo, et ipsos citra condignum puniendo ; *et non disperdet eos,* id est, non penitus dispersit eos, sed quosdam ad tempus in vita servavit, et eis posteritatem concessit. (43) *Et abundavit ut averteret iram suam,* id est, copiose paratus fuit vindictam interdum inceptam dimittere, populo parcere, et Moysis preces atque sacrificia Aaron pro peccatis acceptare ; *et non accendit omnem iram suam,* id est, tantum non flagellavit eos
ut meruerunt. (44) *Et recordatus est,* id est, 39
per modum recordantis se habuit, misericorditer ignoscendo, *quia caro sunt, spiritus vadens et non rediens.* Ponit hic partem pro toto, appellando hominem carnem, deinde spiritum euntem et non redeuntem. Est itaque sensus : Recordatus est quia caro sunt, id est, Deus benigne attendit quod corporales et fragiles erant, ac proclives in malum ; recordatus est quoque quia spiritus sunt vadens et non rediens, id est, quod animæ hominum sunt multum defectuosæ, tanquam euntes de una dispositione in aliam, vagæ, instabiles, et tandem vadunt de corpore isto mortali ad regionem ignotam, nec redeunt naturali virtute ad pristinum statum. Ex hac autem recordatione inducitur Deus ad indulgendum nobis facile. Unde et ipsemet alibi testatur : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines ; sensus enim et cogitatio cordis humani, prona sunt in malum ab adolescentia sua. (*Gen.* VIII, 21.) Propter quod Esdras ait ad Dominum : Quid est enim homo, ut ei indigneris ? aut genus corruptibile, ut ita amarus sis de illo ? (IV *Esdr.* VIII, 34.)

Consequenter ostendit Deus enormitatem peccati populi hujus, propter multitudinem et recidivum transgressionis ipsorum.
(45) *Quoties exacerbaverunt eum in deser-* 40
to, in iram concitaverunt eum in inaquoso ? quasi dicat, Multoties. Unde Dominus ad Moysen ait : Tentaverunt me jam per decem vices. (*Num.* XIV, 22.) Quomodo autem dulcissimus atque incommutabilis Deus, exacerbari et ad iracundiam concitari dicatur, sæpe ex-
positum est. (46) *Et conversi sunt* ad se 41
ipsos, ut facerent propriam voluntatem, a Deo aversi, *et tentaverunt Deum :* sicut nunc sæpius dictum est ; *et Sanctum Israel,* id est Deum omnium verorum Israelitarum sanctificatorem, *exacerbaverunt :*

ita quod propter eorum peccata factus est
eis austerus, amarus et durus, ratione ef-
fectus seu ultionis, qui in se ipso natura-
liter, æternaliter et invariabiliter beni-
42 gnus, suavis et mitis est. (47) *Non sunt
recordati* isti ingrati *manus ejus,* id est
potestatis et operationis divinæ ostensæ
eis, *die qua redemit eos de manu tribu-
lantis,* id est de imperio et oppressione
43 regis Ægypti. (48) *Sicut,* id est quemad-
modum seu qualiter, Deus *posuit in Ægy-
pto signa sua,* id est decem plagas : se-
Exod. III, 20. cundum quod in Exodo ait, Percutiam
Ægyptum in omnibus mirabilibus meis;
et prodigia sua in campo Taneos : quod
vers. 12. qualiter intelligi debeat, paulo ante satis
prolixe monstratum est.

Deinde in speciali tractat de istis pro-
44 digiis. (49) *Et convertit in sanguinem flu-
mina eorum,* scilicet Ægyptiorum, *et im-
bres eorum,* id est cisternas seu aquas ex
imbre scaturientes, *ne biberent.* Quemad-
Exod. VII, 19-24. modum in Exodo dicitur, prima plaga
Ægypti fuit, quod extendente Moyse vir-
gam super fluvios Ægypti, versæ sunt om-
nes aquæ Ægypti in sanguinem; foderunt-
que Ægyptii circumquaque, et invenerunt
sanguinem pro aqua, nec poterant bibere
aquas fluminis propter alienationem sa-
45 poris. (50) *Misit* Deus *in eos,* puta Ægy-
* alias *cænomyiam* ptios, *cynomyiam* *, id est muscam cani-
nam : quia cynomyia dicitur a κυνός, quod
est canis, et μυῖα, quod est musca ; seu
omne genus muscarum ; *et comedit eos :*
id est, musca ista punxit momorditque
eos; *et ranam, et disperdidit eos.* Ponun-
tur autem in versiculo isto singularia pro
pluralibus, quia per cynomyiam et ranam
intelligenda est multitudo muscarum et
ranarum. Missio quoque muscarum erat
quarta plaga Ægypti, ut Dominus ait ad
Ibid. VIII, 21. Pharaonem : Immittam in te, et in servos
tuos, et in populum tuum, et in domos
tuas omne genus muscarum. Et sequitur
Ibid. 24. alibi : Venit musca gravissima (id est mul-
titudo muscarum) in domum Pharaonis et
in omnem terram ejus; corruptaque est
terra ab hujusmodi muscis. Missio autem
ranarum erat secunda plaga Ægypti. De
qua in Exodo scribitur : Dixit Dominus ad
Pharaonem : Ecce ego percutiam omnes *Exod.* VIII, 2. 3.
terminos tuos ranis, et ebulliet fluvius
ranas, quæ ingredientur domum tuam, et
cubiculum lectuli tui, et super stratum
tuum, et in domos servorum tuorum, et
in populum tuum, et in furnos tuos, et in
reliquias ciborum tuorum.

(51) *Et dedit ærugini,* id est vento uren- 46
ti, segetes corrumpenti; vel, Aurugini, id
est auræ noxiæ, sive rubigini; *fructus eo-
rum,* id est blada terræ, ad destruendum.
Hæc plaga non est scripta in Exodo, sicut
nec plaga pruinæ, de qua loquitur finis
versus sequentis : quia in Exodo non reci-
tantur nisi plagæ principales et notabiles.
Et labores eorum, id est fructus Ægyptio-
rum, per eorum laborem productos, dedit
Deus *locustæ,* id est multitudini locusta-
rum, ad devorandum. Hæc fuit plaga Ægy-
pti octava. De qua in Exodo scriptum est :
Hæc dicit Dominus ad Pharaonem : Ecce *Ibid.* X, 3-5, 14. 15.
ego inducam locustam in fines tuos, quæ
operiet superficiem terræ, ne quidquam
ejus appareat. Et venerunt locustæ in-
numerabiles, omnia devorantes quæ non
erant consumpta a grandine. (52) *Et occi-* 47
dit in grandine, id est per casum maximæ
grandinis, *vineas eorum.* Hæc erat septi-
ma plaga Ægypti. De qua a Moyse dicitur, *Ibid.* IX, 23-25.
quod maxima grando cecidit in terra Ægy-
pti; et homines et jumenta super quæ
cecidit grando, moriebantur; cunctam quo-
que herbam agri percussit, et omne li-
gnum regionis confregit. *Et moros eorum*
Deus destruxit *in pruina,* id est in frigore
congelante atque nocturno, vel in humore
moris nocivo. (53) *Et tradidit grandini* 48
jumenta eorum : quia omnia bruta in agris
reperta grando occidit; dedit *et possessio-
nem eorum,* scilicet Ægyptiorum, *igni* ad
consumendum : quia ut dicitur in Exodo,
Grando et ignis mixta pariter ferebantur. *Ibid.* 24.

(54) *Misit in eos iram indignationis suæ,* 49
id est vindictam suæ ulciscentis justitiæ,
scilicet *indignationem,* id est effectum sui
contemptus, quo opera eorum indigne fe-

Digitized by Google

rebat, *et iram,* id est æquitatis suæ ulti- A
onem, *et tribulationem* multiplicem, hic
non expressam; *immissiones* quoque *per
angelos malos,* id est, pessimas cogitatio-
nes, indurationem et obstinationem per-
misit Deus immitti cordibus Ægyptiorum
per suggestionem cooperationemque dæ-
monum. Mala pœnæ sunt a Deo effective,
sed mala culpæ non nisi permissive : quia
de malo pœnæ apud Amos prophetam di-
Amos III, 6. citur : Si erit malum in civitate quod Do-
50 minus non fecit? (55) *Viam fecit semitæ
iræ suæ :* id est, plagas suæ iracundiæ mi-
sit versus Ægyptios, non versus Hebræos;
sicque angelum vastatorem fecit declinare
a terra Ramesses, in qua morabantur Ju-
dæi. Unde Dominus ait ad Pharaonem :
Exod. VIII, 23. Ponam divisionem inter populum meum
et populum tuum. *Non pepercit a morte*
* animabus *animarum * eorum :* id est, Deus sine mi-
sericordia occidit Ægyptios magnos et par-
vos. *Et jumenta eorum in morte conclusit,*
id est, occidit. Hæc vero fuit quinta plaga
Ægypti. De qua dixit Dominus ad Pharao-
Ibid. IX, 3. nem : Ecce manus mea erit super agros C
tuos; super equos et asinos et camelos,
Ibid. 6. boves et oves, pestis valde gravis. Mortua-
que sunt omnia animantia Ægyptiorum,
videlicet in agro per pestilentiam.

51 (56) *Et percussit omne primogenitum,*
tam hominum quam jumentorum, *in terra*
Ibid. XII. *Ægypti :* et hæc erat decima plaga Ægy-
pti, ut dicitur in Exodo. Percussit etiam
Deus *primitias omnis laboris eorum,* id
est primitiva atque potissima fructuum
terræ Ægypti, puta frumenta et cetera, *in
tabernaculis Cham,* id est in locis Ægy- D
ptiorum, qui nati erant de semine Cham
filii Noe. Mesraim quippe, ut dicitur in
Gen. X, 6. Genesi, erat filius Cham, et ab hoc Mes-
raim Ægyptus nomen sortita est, quia in
ea dominabatur : et ideo ubi nostra trans-
latio habet, Ægyptus, in veteri Testamento
dicitur, Mesraim.

Deinde post descriptionem plagarum
Ægypti, recitatur liberatio Hebræorum.
52 (57) *Et abstulit sicut oves populum suum :*
id est, quemadmodum bonus pastor eruit
oves suas de invasione luporum; sic Deus
de Ægyptiis reprobis et malignis abstulit
filios Israel; *et perduxit eos tanquam gre-
gem in deserto :* quia providit eis de bono
pastore ac duce, scilicet Moyse, et de cibo
ac potu. (58) *Et deduxit eos in spe,* pro- 53
mittendo quod induceret eos in terram la- Exod. III, 8, 17.
cte et melle manantem; *et non timuerunt*
ad tempus, quia secuti sunt Moysen per Ibid. XIV, 22.
medium maris Rubri; *et inimicos eorum
operuit mare,* videlicet Pharaonem et om-
nem ejus exercitum.

B (59) *Et induxit eos in montem sanctifi-* 54
cationis suæ, id est in Jerusalem et mon-
tem Sion, in quo postmodum constructum
est templum. Huc induxit, non eosdem,
qui ex Ægypto egressi fuerant et nume-
rati, præter Caleb et Josue, sed filios il-
lorum, secundum quod Dominus dixit :
Omnes qui murmurastis contra me, non Num. XIV, 29, 30.
intrabitis terram, super quam levavi ma-
num meam ut darem eam vobis, præter
Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun.
Duxit ergo eos in montem sanctificatio-
nis suæ, *montem quem acquisivit dextera
ejus,* id est, quem Deus, cujus sunt om-
nia, de manu indignorum, propria pote-
state eripuit, et suo populo dedit. Propter
quod additur : (60) *Et ejecit a facie eorum
gentes,* id est, a conspectu Israelitarum
expulit gentes in terra promissionis habi-
tantes, eas occidendo, effugando, aut sub-
jiciendo populo suo : ut patet de Gabaoni- Josue IX, 27.
tis et ceteris Chananæis, qui sub tributo
manebant inter filios Israel, sicut in libro
Josue commemoratur. *Et sorte divisit eis
terram in funiculo distributionis,* per ma-
num Eleazari sacerdotis, et Josue, ac prin- Ibid. XIX, 51.
cipum tribuum Israel, qui ad imperium
Domini diviserunt novem tribubus, et di-
midiæ tribui Manasse, terram Chanaan,
dantes pluribus majorem, paucioribusque
minorem. De qua divisione plene tracta- Ibid. XIII-XIX.
tur in libro Josue. Tribus namque Ruben Num. XXXII, 33-42.
et Gad, media quoque tribus Manasse, ante
hanc divisionem receperunt possessionem
trans Jordanem. Tribus vero Levi non ha- Josue XIII, 33.
buit possessionem, nisi ad habitandum, et

Digitized by Google

ad pecora nutrienda ; sed Deus Israel fuit A
55 eorum hereditas. (61) *Et habitare fecit in*
tabernaculis eorum, id est in civitatibus
et villulis Chananæorum, *tribus Israel.*
Consequenter narrantur peccata filio-
rum Israel, commissa in terra promissio-
56 nis. (62) *Et tentaverunt* Deum fidelem et
verum, de ejus virtute dubitantes, *et exa-*
cerbaverunt Deum excelsum : secundum
sensum præexplanatum ; *et testimonia ejus*
non custodierunt. Duæ sunt partes legis
divinæ, videlicet testimonia et præcepta.
Testimonia pertinent ad credenda, præce- B
pta ad operanda aut omittenda. Quoniam
ergo Deum tentaverunt ex infidelitate, con-
stat quod ejus testimonia, id est assertio-
nes sacræ Scripturæ divinitus inspiratæ,
non custodierunt, firmiter inviolabiliter-
57 que credendo. (63) *Et averterunt se* a Deo
et ejus imperio, *et non servaverunt pa-*
ctum, quod cum Deo inierunt, dicentes, ut
Exod. xxiv, 7. legitur in Exodo : Omnia quæcumque lo-
cutus est Dominus, faciemus et erimus
obedientes. *Sicut patres eorum* murmura-
Ibid. xxxii, 4, 6. tores, Deo rebelles, et vituli adoratores, C
conversi sunt in arcum pravum, id est,
similes facti sunt arcui malo : quoniam
sicut ex arcu pravo jaciuntur sagittæ non
vulnerantes, ita ex ore ipsorum verba mor-
tifera processerunt ; et iterum, quoniam
sicut arcus pravus extensus, cito laxatur
atque remittitur, sic ipsi faciliter a bono
proposito et cultu divino aversi sunt, et
ad iniquitatem laxati.
58 (64) *In iram concitaverunt eum in colli-*
bus suis, sacrificando in excelsis : quod
erat illicitum. Verumtamen advertendum, D
quod quando arca Domini non habuit cer-
tam ac stabilem mansionem, videlicet, an-
Josue xviii, 1. tequam posita erat in Silo, et post de-
structionem Silo usque ad constructionem
templi Salomonis, licuit Judæis offerre ob-
lationes sacrificiaque votiva alibi, quam
ubi fuerat arca ; dum vero erat in Silo et
templo Salomonis, istud non licuit. Quo-
niam ergo Hebræi terram promissionis in-
gressi, immolabant Deo in locis excelsis
seu collibus, etiam tunc quando arca erat
in Silo Salomonisque templo, idcirco nunc
dicitur, In iram concitaverunt eum in col-
libus suis. Pensandum tamen, quod ex dis-
pensatione divina licuit prædictis tempo-
ribus alibi immolare, quam in loco arcæ,
quemadmodum tertio Regum libro legitur III *Reg.*
Elias obtulisse sacrificium in monte Car- xviii, 30-38.
meli. Ex his innotescit, quomodo salvatur
quod dicitur Salomon obtulisse sacrifi- *Ibid.* iii, 4.
cium in excelso Gabaon ; sed et Samuel I *Reg.* vii, 9.
in excelso legitur immolasse, quum ta-
men in libro Regum frequenter impute-
tur populo in peccatum, quod obtulit in
excelsis. *Et in sculptilibus suis,* id est
idola adorando, *ad æmulationem,* id est
indignationem, *eum provocaverunt.*
(65) *Audivit Deus,* id est, mente cogno- 59
vit ista eorum peccata ; *et sprevit* tam
eos, quam culpas eorum : quoniam sicut
Sapiens ait, Odio sunt Deo impius et im- *Sap.* xiv, 9.
pietas ejus. Hinc quoque corrigi non vale-
bant, juxta illud sapientissimi Salomonis :
Considera opera Dei, quod nemo possit *Eccle.* vii, 14.
corrigere quem ille despexerit. *Et ad ni-*
hilum redegit valde Israel. Spiritualiter
namque ad nihil eos redegit, quoniam om-
ne esse caritatis et gratiæ eis subtraxit ;
corporaliter quoque eos ad nihilum redi-
gebat, tradendo iniquos potestati inimi-
corum suorum, ut patet in libris Regum *Judic.* ii, 14.
et Judicum. (66) *Et repulit tabernaculum* 60
Silo : id est, domum in qua erat arca, de-
strui, arcamque captivari permisit. Repu- I *Reg.* iv, 11.
lit ergo tabernaculum Silo, vel potius habi-
tatores tabernaculi ejus, quia non propter
locum gentem, sed propter gentem locum
Dominus elegit. Similiter non propter lo-
cum gentem, sed propter gentem locum
Dominus repulit. *Tabernaculum,* inquam,
suum, ubi, id est in quo, *habitavit in ho-*
minibus, id est inter homines. Deus enim
in cordibus hominum bonorum per gra-
tiam habitat, et quamdiu in ipsis homini-
bus demoratur, in tabernaculis quoque
eorum, et maxime in consecratis, habitare
censetur. Propter quod ait Scriptura : Ecce *Apoc.* xxi, 3.
tabernaculum Dei cum hominibus, et ha- *Deut.* xxiii, 14.
bitabit cum eis. Et Moyses dicit : Dominus

Digitized by Google

Deus ambulat in medio castrorum. Et ipse A
Num. xxxv, 34; Ezech. xliii, 7. Dominus per Moysen : Ego, inquit, sum
qui habito in medio filiorum Israel.
61 (67) *Et tradidit* Dominus *in captivitatem*
Philistæis, qui alias dicti sunt Palæstini
atque Allophyli, *virtutem eorum,* id est
potentiam filiorum Israel : per quam in-
telligi potest robur exercitus eorum, seu
I Reg. iv, 3 et seq. fortes ipsorum ; vel ipsa arca, cujus præ-
sentia et virtute prævalere in præliis con-
sueverunt ; *et pulchritudinem eorum,* id
est pulchras personas, seu arcam quæ ex-
stitit decor et gloria eorum, *in manus ini-* B
62 *mici,* scilicet populi Philistinorum. (68) *Et
conclusit in gladio populum suum,* id est,
per arma et bella Philistinorum occidi
permisit filios Israel ; *et hereditatem suam
sprevit,* id est, populum istum, quem sibi
elegit et coluit, non protexit. Verumtamen
reprobi illi non dicuntur populus atque
hereditas Dei, nisi secundum vocationem
et nomen, non secundum prædestinatio-
nem æternam : quemadmodum et Salva-
tor in Evangelio de Judæis locutus est,
Matth. viii, 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras C
63 exteriores. (69) *Juvenes eorum,* scilicet Ju-
dæorum, *comedit,* id est, devoravit et in-
terfecit, *ignis,* id est magna impugnatio
et vehemens furor Philistinorum ; *et vir-
gines eorum non sunt lamentatæ :* quo-
niam unusquisque pro sui ipsius evasione
tam sollicitus erat, quod aliorum deplo-
64 rationi vacare non potuit. (70) *Sacerdotes
eorum,* videlicet filii Heli, Ophni et Phi-
I Reg. iv, 11. nees, *in gladio* Philistinorum *ceciderunt*
et mortui sunt ; *et viduæ eorum non plo-
rabantur,* propter causam de virginibus D
Ibid. 19-22. assignatam. Nam et uxor Phinees, audito
rumore de morte viri sui, mox incurvavit
se, et in ipso partu defuncta est, nec po-
tuit propter perturbationem defleri.

Deinde ponitur reconciliatio Dei circa
populum suum, atque indignatio ejus con-
65 tra eorum adversarios. (71) *Et excitatus est
tanquam dormiens Dominus, tanquam po-
tens crapulatus a vino.* Quemadmodum ho-
mo dormiens et vino inebriatus, propria
fortitudine non utitur, nec pro suis præ-
liatur ; excitatus autem a somno, et ad
sobrietatem reversus, virtutem suam os-
tendit, et fortiter pugnat, hostesque pro-
sternit : sic Deus omnipotens quamdiu
populo suo irascebatur, nec eum tuebatur,
erat quasi dormiens, et crapulatus seu in-
ebriatus a vino, quasi non attendens affli-
ctionem populi sui, et captivitatem arcæ
testamenti ; dum vero Philistæos hos cœ-
pit per Samuelem, Saul ac David dejicere,
occidere et vastare, videbatur quasi a som-
no suscitari, atque ab ebrietate ad usum
rationis reverti. (72) *Et percussit inimicos* 66
suos Philistæos *in posteriora,* id est in se-
cretioribus natium partibus, ubi mures I Reg. v, 6, 9.
rodebant prominentes extales eorum, et
computruerunt ; *opprobrium sempiternum
dedit illis :* quia in præsenti vita nulla
oblivione delebitur memoria tantæ con-
fusionis ipsorum, in inferno quoque sine
fine culpa eorum torquebitur.

Deinde manifestatur, quod sola tribus
Juda erat ad regiam dignitatem electa.
(73) *Et repulit* Deus *tabernaculum,* id est 67
familiam, *Joseph ;* vel, Tabernaculum Jo-
seph, id est locum et urbem Silo : quæ di-
citur tabernaculum Joseph, quoniam erat
in sorte Ephraim filii Joseph, eratque in Si- Josue xviii, 1.
lo posita arca in tabernaculo Josue Ephra-
tæi : quæ primo Regum plenius recitan-
tur. *Et tribum Ephraim non elegit* ad
regnandum. Nam quamvis Deus contulit
Jeroboam filio Nabat de tribu Ephraim III Reg. xi, 31.
decem tribus Israel, non tamen electus
erat ad perseverandum in regno per suam
posteritatem, sicut nec Saul de progenie I Reg. ix, 1, 17.
Benjamin ; sed uterque assumptus fuit ad
tempus. Denique ad declarandum quod
tribus Juda fuit ad regnum electa, merito
excludit tribum Joseph, id est Ephraim et
Manassen, deinde specialiter tribum Ephra-
im : Primo, quoniam Joseph sanctior erat
fratribus suis, eum injuste vendentibus. Gen. xxxvii, 28.
Secundo, quia sublimior eis, utpote domi- Ibid. xli, 41.
nator Ægypti. Tertio, quia primogenita ei
data fuerunt, juxta illud : Ruben fuit pri- I Par. v, 1.
mogenitus Israel ; sed quum violasset to-
rum patris sui, data sunt primogenita filiis

Digitized by Google

Joseph, et hoc a Jacob patriarcha. Sicque A
progenies Joseph videbatur ad regnandum
propinquior : maxime autem tribus Ephra-
Gen. XLVIII, 20. im, quoniam sicut in Genesi dicitur, Jacob
præposuit Ephraim ipsi Manassæ.
68 (74) *Sed elegit tribum Juda* ad sceptrum
Ibid. XLIX, 10. et regnum. Unde et Jacob prædixit : Non
auferetur sceptrum de Juda, et dux de fe-
more ejus, donec veniat qui mittendus est.
Montem Sion quem dilexit : nam montem
sic dictum Deus elegit, ut esset in eo ha-
I Par. XXI, 26; II Par. III, 1. bitatio sua : quoniam David ædificavit in
eo altare, et postea Salomon templum. B
69 (75) *Et ædificavit sicut unicornium san-
ctificium suum :* id est, Deus ædificari
fecit templum suum sanctum in monte
hoc, sicut unicornium : quod dupliciter ac-
cipi potest. Primo sic : Sicut unicornium,
id est Judæorum, qui unicornes per si-
militudinem appellantur : quoniam sicut
animal quod unicornis vocatur, unum dum-
taxat cornu habet in fronte, sic ipsi unius
Dei cultum et fidem habebant. Ædificavit
ergo sanctificium suum sicut unicornium,
id est, sicut decuit ædificari templum Ju- C
dæorum, unum verum Deum colentium.
Secundo sic : Sicut unicornium, id est, sicut
construitur habitaculum animalium quæ
unicornes seu rhinocerotes dicuntur : quo-
niam sicut hoc animal prohibet omnia
cetera bruta ab ingressu tabernaculi sui,
sic Deus prohibuit alienigenas ab intro-
itu templi. Hinc quoque Balaam comparat
Deum rhinoceroti, dicendo : Deus eduxit Num. XXIII, 22.
Israelem de Ægypto, cujus fortitudo si-
milis est rhinocerotis. *In terra quam fun-
davit in sæcula :* id est, Deus ædificari
fecit templum suum in terra promissio-
nis, quam ad cultum suum consecravit
perpetuo, quantum erat in se.
(76) *Et elegit David servum suum* ad 70
stabile regnum, *et sustulit eum de gregi-
bus ovium,* id est, ab ovibus patris sui I Reg. XVI, 11, 12.
quas pavit, eum reduxit; *de post fetantes,*
id est, post oves fetas seu prolem haben-
tes, *accepit eum* ad gloriam regni; (77) *Pa-* 71
*scere Jacob servum suum, et Israel heredi-
tatem suam,* id est, quatenus bene et digne
regeret in spiritualibus ac temporalibus
populum Hebræorum, ex Jacob, qui etiam Gen. XXXII, 28.
dictus est Israel, natum. (78) *Et pavit eos* 72
David hoc modo, *in innocentia cordis sui,*
id est pura ac simplici intentione; *et in
intellectibus manuum suarum,* id est in
prudentia operationum suarum, *deduxit
eos* ad debitum finem, veramque pacem.

ARTICULUS XLIX

EXPOSITIO PSALMI EJUSDEM SEPTUAGESIMI SEPTIMI MYSTICA.

QUEMADMODUM David figura exstitit D
Christi, sic Synagoga erat figura Ec-
clesiæ; et regnum ac populus David, ty-
pus fuit regni Christi et populi christiani.
Exponendo ergo hunc psalmum de Christo
et populo christiano, ipse Salvator et Do-
minus noster Jesus Christus primo excitat
nos ad diligentissimam advertentiam di-
1 cendorum, et ait : *Attendite* toto studio
mentis, *popule meus,* id est plebs christia-
na, meo sanguine liberata, atque a me
Christo Christiana vocata, *legem meam* Act. XI, 26.
evangelicam ; *inclinate aurem vestram in
verba oris mei,* id est, reverenter suscipi-
te humiliterque implete doctrinam novi
Testamenti, quod proprio ore edocui. *Ape-* 2
riam in parabolis os meum, etc. Quomodo
hoc de Christo exponendum sit, in præce-
denti elucidatione patuit.

Sequitur vox Ecclesiæ. *Quanta audivi-* 3
mus mirabilia Christi, quæ ipse in mundo
egit, et quæ de eo dicta ac scripta sunt,

Digitized by Google

atque in nomine ejus a suis discipulis fa- A
cta creduntur; *et cognovimus ea* per fi-
Rom. x, 17. dem certissimam. Et quoniam fides est ex
auditu, secundum Apostolum, ideo subdi-
tur : *et patres nostri,* Evangelistæ atque
Apostoli, *narraverunt nobis :* quia per to-
Marc. xvi, 15, 20. tum mundum opera Christi prædicave-
runt, et ea ad memoriam sempiternam
nostramque informationem, in scriptis re-
4 liquerunt. *Non sunt occultata a filiis eo-*
rum spiritualibus, scilicet bonis Christia-
Joann. viii, 47. nis, qui quoniam ex Deo sunt, verba Dei
avide audiunt, *in generatione altera,* id B
est in populo christiano, priorum Christi-
fidelium vestigia imitante. *Narrantes* pa-
tres nostri prædicti, *laudes Domini,* id est
præconia Christi, contestando quod ipse
sit unigenitus Filius Dei Patris, æterno
Patri consubstantialis, coæternus et coæ-
qualis, pro mundi salute veraciter incar-
Act. x, 42. natus et passus, omniumque judex consti-
tutus; *et virtutes ejus,* id est divinitatis
suæ omnipotentiam, et suæ humanitatis
Matth. xxviii, 18. potestatem, cui data est omnis potestas
in cœlo et in terra. Vel, Virtutes ejus, C
id est conversationis suæ perfectissimam
sanctitatem, videlicet ejus caritatem, man-
suetudinem, humilitatem, patientiam. *Et*
Ibid. ix, 25; Luc. vii, 14, 15; Joann. xi, 43, 44; ii, 6, 7. *mirabilia ejus quæ fecit,* tres mortuos sus-
citando, cæcum natum illuminando, cordi-
um secreta propalando. Non tamen omnia
mirabilia Christi narraverunt, sicut scri-
Joann. xxi, 25. ptum est : Multa alia fecit Jesus, quæ si
scribantur per singula, nec ipsum mun-
dum arbitror posse capere eos, qui scri-
bendi sunt, libros.

5 *Et suscitavit* Christus *testimonium,* id D
est novum Testamentum, et ea quæ cre-
denda sunt, *in Jacob,* id est in populo
christifideli, contra vitia colluctante, et
eadem supplantante; *et legem* vitæ et gra-
tiæ, *posuit in Israel,* id est in Ecclesia
sancta catholica, Deum spiritualiter con-
templante.

Quanta mandavit patribus nostris, nota
facere ea filiis suis, id est, valde multa
præcepit Christus suis Apostolis, aliisque
nonnullis discipulis, quatenus manifesta-
rent ea his quos ipsi in Christo spirituali-
ter gignerent : sicut Apostolus ait ad Gala-
Galat. iv, 19. tas, Filioli mei, quos iterum parturio donec
formetur Christus in vobis; *ut cognoscat* 6
generatio altera, id est omnes posteri. *Fi-*
lii qui nascentur, id est spiritualiter rege-
Joann. iii, 5. nerabuntur ex aqua et Spiritu Sancto, *et*
exsurgent a somno peccati ad vigilantiam
custodiæ cordis, et a terrenis ad amorem
cœlestium, *et narrabunt filiis suis* veraci-
ter christianis, ut sciant et impleant di-
vina præcepta. Ad hanc annuntiationem
Ephes. v, 18, 19. hortatur nos sanctus Apostolus : Implemini
(inquiens) Spiritu Sancto, loquentes vobis-
metipsis in psalmis et hymnis et canticis
Ibid. vi, 4. spiritualibus. Et rursus : Patres, ait, nolite
ad iracundiam provocare filios vestros, sed
educate illos in disciplina et correptione
Domini. *Ut ponant in Deo spem suam,* id 7
est, per meritum Christi salvari confidant,
Rom. x, 3. ne (quod absit) ignorantes Dei justitiam,
et suam quærentes statuere, justitiæ Dei
non sint subjecti; *et non obliviscantur*
operum Dei, sed opera Christi incessabi-
liter recolant, quoniam omnis ejus actio,
nostra est instructio. Unde monet Aposto-
Hebr. xii, 3. lus : Recogitate eum qui talem sustinuit a
peccatoribus adversus semetipsum contra-
I Petr. ii, 21. dictionem. Et Petrus : Christus passus est
pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut
sequamini vestigia ejus. Qui enim opera
Christi cordialiter meminit, totius perfe-
ctionis documenta invenit, nec faciliter
cadere valet aut perire. *Et mandata ejus*
exquirant. Hoc est quod Christus Aposto-
Matth. xxviii, 19, 20. lis dixit : Euntes docete omnes gentes, do-
centes eos servare quæcumque mandavi
vobis. Sine observatione enim mandato-
rum, nemo potest salvari. Propter quod
I Joann. ii, 4. ait Joannes : Qui se dicit nosse Deum, et
mandata ejus non custodit, mendax est.
Ne fiant sicut patres eorum carnales. 8

Filii Ephrem, id est mali et reprobi 9
Christiani, qui multi sunt, et electis ad
exercitium apponuntur : Ephraim enim
fructificatio interpretatur; *intendentes et*
mittentes arcum oris sui, id est pulchra
loquentes et plurima promittentes, sed tur-

Digitized by Google

piter operantes et promissa non adimplentes; *conversi sunt* ad se ipsos et vitia sua, *in die belli,* id est tempore adversitatis, eis a mundo, carne, dæmonibusve inflictæ. *Matth.* XIII, 21; *Luc.* VIII, 13. Nam, sicut ait Salvator, Hi radicem non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. *II Petr.* II, 22. Contigit quippe eis illud veri proverbii, quod Petrus commemorat, scilicet: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. *Luc.* VI, 46. Propter quod Christus iterum loquitur: Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?
10 *Non custodierunt testamentum Dei,* *Tit.* I, 16. dicentes se nosse Deum, et factis negantes; *et in lege ejus* evangelica *noluerunt ambulare:* et ita peccabant ex certa malitia, atque ex proposito, non ex infirmitate, aut ex ignorantia: quod quam damnabile sit, *II Petr.* II, 21. Petrus docet: Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. *Luc.* XII, 47. Servus namque sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis.

11 *Et obliti sunt benefactorum ejus:* id est, mali Christiani oblivioni dederunt beneficia Christi, qui pro eis incarnatus est, *Baruch* III, 38. conversatus in mundo, suspensus in ligno: *Joann.* X, 15. qui in tantum eos dilexit, quod animam suam posuit pro eis, et corpus suum ac sanguinem in saluberrimum reliquit viaticum, suæque passionis amarissimæ, ac dilectionis eximiæ memoriale perpetuum. Hoc modo obliviscitur beneficia Christi, quicumque eum non diligit, qui mundi vanitatibus vacat, qui carnis suæ concupiscentiis servit. Qui autem Christo compatitur, qui ejus passionibus, propriam crucem bajulando, quotidie assimilatur, et in labore pœnitentiæ quotidie mortificatur, hic vere memor est beneficiorum Domini sui. Non enim ad veram ac gratam memoriam sufficit nuda et superficialis reminiscentia; sed necessaria est affectuosa quædam recordatio, et operis exhibitio. Obliti quoque sunt *et mirabilium ejus,* scilicet Christi, *quæ ostendit eis* per prædicationem famulorum suorum et instructionem sacræ Scripturæ, vel per inspirationem et

A illuminationem Spiritus Sancti. Mirabilia Christi fuerunt, quod pertransivit benefaciens, *Act.* X, 38. sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo, *Matth.* IV, 23. secundum quod Evangelistæ testantur, omnesque oppressos a diabolo, ut adstruit Petrus. *Act.* X, 38. Quos autem sanavit in corpore, justificavit in anima. Horum mirabilium obliviscitur, qui hoc exemplo ad Christum misericordissimum, prudentissimum, ac potentissimum medicum non festinat, qui animæ suæ vulnera ei non detegit, qui fontem omnis
B salutis et gratiæ, pro oleo pietatis et rivulis gratiarum non deprecatur, præsertim quum ipse proclamet: Venite ad me, omnes, *Matth.* XI, 28. qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et alibi, *Joann.* VI, 37. Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.

12 *Coram patribus eorum,* id est in conspectu Apostolorum et discipulorum suorum, qui patres sunt omnium Christianorum, *fecit* Christus *mirabilia in terra Ægypti,* id est in mundo isto. Ægyptus enim interpretatur caligo seu tribulatio:
C sicque per eam accipitur sæculum istud nequam, et mundus qui totus in maligno positus est, *I Joann.* V, 19. in quo electi multipliciter tribulantur. *In campo Taneos,* id est in planitie humilis mandati: quia et Christus ait, Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *Joann.* XIV, 31. Non enim per jactantiam aliquid fecit, quemadmodum ipsemet rursus dicit: Claritatem ab hominibus non accipio. *Ibid.* V, 41. Christus etiam nobis præceptum humilitatis proposuit, dicens, Discite a me quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* XI, 29. Quia etenim Ta-
D nis humile mandatum interpretatur, recte per campum Taneos humilis mandati planities designatur. Debemus quoque præcipue humilitatem a Christo discere et sectari.

13 *Interrupit mare et perduxit eos.* Per mare (ut sæpius dictum est) intelligi potest gentilitas, vitiorum amaritudine qualificata. Unde conversis gentilibus Paulus clamat: Omnis amaritudo, ira, et indignatio, *Ephes.* IV, 31. et clamor tollatur a vobis. Potest quoque per mare designari tribulationum mul-

Digitized by Google

Thren. II, 13. titudo, sicut in Threnis ait Jeremias : Magna A
est velut mare contritio tua. Utroque au-
tem modo interrupit Christus mare et per-
duxit patres nostros sanctos Apostolos et
eorum imitatores. Nam per medium ma-
re gentilitatis ipsos perduxit, convertendo
paganos ad fidem, gentilitatemque rupit,
destruendo ritum gentilium, conterendo
etiam peccata et idola paganorum. Per-
duxit insuper eos per varias tribulationes,
et de omnibus illis eripuit eos, quemad-
II Cor. I, 3, 4. modum Paulus testatur : Benedictus Deus,
qui consolatur nos in omni tribulatione B
nostra. *Et statuit aquas quasi in utre :*
quia gentiles ad fidem conversos, in divi-
no timore stabilivit, et a fluxu libidinis,
sub jugo divinorum præceptorum compe-
scuit ; tribulationes etiam fecit cessare, et
14 quasi in utre quiescere. *Et deduxit eos,*
II Tim. III, 12. videlicet omnes Christifideles, qui volue-
runt pie vivere in Christo, et idcirco per-
secutionem perpessi sunt, *in nube diei,* id
est in refrigerio consolationis divinæ, et
sub rore ac stillicidiis gratiæ suæ ; *et tota*
nocte, id est in omni adversitate et impu- C
gnatione, *in illuminatione ignis,* id est in
splendore sapientiæ Spiritus Sancti, et in
radio interioris illuminationis Christi, qui
afflictis maxime prope est.
15 *Interrupit* Deus Pater, id est, perforari
I Cor. X, 4. et rumpi permisit, *petram,* id est Christum,
Joann. XIX, 34. seu latus ipsius, *in eremo* hujus mundi,
seu in cruce, omni humano solatio desti-
Matth. XXVII, 46. tuta. Unde Christus clamavit : Deus meus,
Deus meus, ut quid dereliquisti me ? In
hujus petræ vulneribus, tuti efficimur ab
omni invasione hostili, imo et ab iracun- D
Is. II, 10. dia Dei. Propterea dicitur : Ingredere in
petram, abscondere in fossa humo a facie
timoris Domini. *Et adaquavit eos velut in*
abysso multa : id est, Deus merito sangui-
nis Christi, Christianos abundanter pota-
vit aqua gratiæ salutaris et donis Spiritus
Joann. VII, 37. 38. Sancti, et ideo Christus ait : Si quis sitit,
veniat ad me, et bibat. Qui credit in me,
sicut dicit Scriptura, flumina de ventre
16 ejus fluent aquæ vivæ. *Et eduxit aquam*
Ibid. XIX, 34. *de petra :* quia de latere Jesu lancea per-

forato, exivit sanguis et aqua ; *et deduxit*
tanquam flumina aquas : id est, Deus Tri-
nitas de Christo capite nostro deduxit in
membra ipsius (id est in nos) copiosa mu-
nera gratiarum : quia, ut Joannes ait, De Joann. I, 16.
plenitudine ejus accepimus omnes, gratiam
pro gratia. Apostolus quoque ad Titum : Se- Tit. III, 5, 6.
cundum suam, inquit, misericordiam sal-
vos nos fecit, per lavacrum regenerationis
et renovationis Spiritus Sancti, quem effu-
dit in nos abunde per Jesum Christum. De
hac aqua Dominus ait per Ezechielem :
Effundam super vos aquam mundam, et Ezech. XXXVI, 25.
mundabimini ab omnibus inquinamentis
vestris.

Et apposuerunt adhuc peccare ei. Sic 17
(proh dolor !) multi Christiani post gra-
tiam Baptismi et cetera beneficia Christi,
pro gratiarum actione multiplicant offen-
siones. *In iram excitaverunt Excelsum,* id
est Christum Dei virtutem, *in inaquoso,* id
est in corde suo arenti et infructuoso, om-
ni aqua gratiæ cœlestis privato. *Et ten-* 18
taverunt Deum in cordibus suis, ut pete-
rent escas animabus suis. Hoc excessive
sollicitos respicit, qui promissionibus Chri-
sti increduli sunt, quibus ait : Primum quæ- Matth. VI, 33.
rite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc
omnia adjicientur vobis ; rursusque : No- Ibid. 31, 32.
lite solliciti esse, dicentes, Quid manduca-
bimus, aut quid bibemus, aut quo operie-
mur ? Hæc enim omnia gentes inquirunt.
Scit enim Pater vester quia his omnibus
indigetis. Nimis sollicitantur pro tempo-
ralibus congregandis, non acquiescentes
Paulo qui ait, Habentes alimenta et qui- I Tim. VI, 8.
bus tegamur, his contenti simus : qui
etiam avaritiam nominat idolorum servi- Coloss. III, 5.
tutem.

Ideo audivit Dominus Jesus ista peccata 21
Christianorum, *et distulit,* non statim ulci-
scendo se, sed longanimiter exspectando,
quemadmodum in Ecclesiastico scribitur :
Altissimus est patiens redditor. Et Petrus : Eccli. V, 4.
Patienter, inquit, agit Dominus propter II Petr. III, 9.
nos, nolens aliquem perire, sed omnes ad
pœnitentiam reverti. Maxime autem appa-
ret patientia Dei tempore novæ legis; nam

Digitized by Google

sicut philosophis innotuit Dei majestas, A
Judæis autem justitia, sic Christianis in-
notescit misericordia Creatoris. Propter
Tit. iii, 4. quod Apostolus asserit : Apparuit benigni-
tas et humanitas Salvatoris nostri Dei. *Et*
ignis iræ Christi, scilicet ultio ejus, *accen-*
sus est in Jacob, id est in Ecclesia christi-
ana : quia non redeuntes nec pœnitentes
Christus tanto horribilius punit, quanto
diutius eos exspectavit ; *et ira* Dei *ascen-*
dit in Israel: quia Ecclesia Christi propter
sua peccata variis modis sæpe oppressa
est. Nunc quoque opprimitur a Sarracenis, B
hæreticis et tyrannis, quemadmodum olim
Synagoga a Chananæis, Philistæis, Ammo-
22 nitis et Moabitis. *Quia non crediderunt in*
Deo, id est in Deum, ejus præceptis ob-
temperando ; *nec speraverunt in saluta-*
ri ejus, id est in Christum ; sed potius in
vanitatibus suis, aut propriis meritis seu
viribus sunt confisi.
23 *Et mandavit nubibus desuper.* Per nu-
bes intelligi possunt angeli sancti, secun-
dum Dionysium; itemque Apostoli, de qui-
Is. lx, 8. bus Isaias interrogat : Qui sunt isti, qui ut C
nubes volant ? Quoniam ergo ministerio
Luc. i, 31. archangeli Gabrielis nuntiata est Virgini
gloriosæ incarnatio Christi, ministerio quo-
Ibid. ii, 10, 11. que angeli nuntiata est pastoribus nativi-
tas Christi jam facta, ministerio quoque
angelorum Prophetæ illuminati sunt ad
vaticinandum de Christi tunc futura incar-
natione ; idcirco nunc dicitur Deus man-
dasse nubibus cœli desuper, id est angelis
sanctis, videlicet ut exhiberent obsequium
circa Christi descensum in mundum. Porro
Apostoli prædicaverunt per mundum incar- D
nationem Christi impletam, mandavitque
Apostolis ut circa Christi clarificationem
in cordibus hominum famulatum impen-
Act. x, 42. derent, juxta illud Petri : Præcepit nobis
testificari quia ipse est qui constitutus
est a Deo judex vivorum et mortuorum.
Utrisque ergo nubibus Deus mandavit. *Et*
januas cœli, id est ora Apostolorum, *aper-*
uit ad prædicandum Christi Evangelium.
Luc. xxi, 15. Nam et Christus eis prædixit : Ego dabo
vobis os et sapientiam. Vel, Januas cœli
empyrei aperuit, quantum ad hoc quod ex
eo ad nos angelos misit.

Et ita *pluit illis manna ad manducan-* 24
dum, id est, per hunc modum misit Chri-
stum in mundum, et annuntiavit eum gen-
tibus, ut in eum crederent, ejusque corpus
in Sacramento comederent. Unde Isaias ha-
bet : Rorate, cœli, desuper, et nubes plu- Is. xlv, 8.
ant Justum. Christus enim est verum man-
na, cujus figura erat manna illud patribus Exod. xvi, 14, 15.
datum. *Et panem cœli dedit eis,* id est,
corpus Christi contulit Christianis in sa-
lutiferum animæ cibum, secundum quod
Christus fatetur : Non Moyses dedit vobis Joann. vi, 32.
panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis
panem de cœlo verum ; et iterum, Ego Ibid. 51.
sum panis vivus, qui de cœlo descendi.
Panem angelorum, id est Christum sub 25
formis Sacramenti altaris, *manducavit ho-*
mo quilibet Christianus electus, sacramen-
taliter vel spiritualiter, seu modo utroque.
Christus namque qui est omnium Bea-
torum refectio in cœlis, ipse quoque est
cibus noster in terris, prout ipse testa-
tur : Qui manducat me, et ipse vivet pro- Ibid. 58.
pter me. Estque necessarium omni cre-
denti, hunc panem aliquo prædictorum
modorum comedere, sicut ipse affirmat :
Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, Ibid. 54.
et biberitis ejus sanguinem, non habebitis
vitam in vobis. *Cibaria misit* Deus Pater
eis, scilicet Christianis, *in abundantia :*
quoniam omnes Christiani qui volunt, hoc
pane cœlesti refici possunt, nec tamen
eum consumere aut comminuere queunt.
Transtulit Austrum de cœlo : id est, 26
prædicatores angelicæ conversationis, fla-
tu verbi divini corda audientium perflan-
tes, misit per mundum ; *et induxit* Deus
Trinitas *in virtute sua,* divina et propria,
Africum, id est prædicatores decliviora
dogmata prædicantes. Auster enim est ven-
tus meridionalis; Africus autem est ventus
occidentalis, et lateralis versus meridiem.
Ideo per Austrum designantur sublimiora
prædicantes, quemadmodum ait Apostolus,
Sapientiam loquimur inter perfectos ; per I Cor. ii, 6.
Africum vero, humiliora prædicantes, in

Digitized by Google

I Cor. II, 2. quorum persona idem ait, Non judicavi A
me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Chri-
27 stum, et hunc crucifixum. *Et pluit super*
eos, id est super omnes ad catholicam fi-
dem conversos, *sicut pulverem,* id est co-
piosissime nimis, *carnes,* id est corpus
Christi : quod licet sit unum et idem in
omnibus hostiis consecratis, tamen pro-
pter multitudinem materiarum seu panum
qui convertuntur in ipsum, dictum est
Carnes ; vel propter partes suas : unde
Ps. CXVIII, 120. Psalmista ait, Confige timore tuo carnes
meas. Quod enim corpus Christi sit caro B
et cibus quo reficiuntur fideles, ipse de
Joann. VI, 56. se ostendit, dicens : Caro mea vere est ci-
bus, et sanguis meus vere est potus.

Pluit etiam Deus super Christianos *et*
sicut arenam maris, id est in innumera-
bili multitudine, *volatilia pennata,* id est
homines contemplativos, Dei amicos : de
Ps. CXXXVIII, 18. quibus infra habetur, Dinumerabo eos, et
super arenam multiplicabuntur. Hos Deus
pluit super Ecclesiam suam, quatenus po-
pulum Christi irrigarent et fecundarent
pluvia verbi cœlestis, essentque aliorum C
pastores. Possunt quoque per volatilia pen-
nata intelligi angeli sancti : quoniam Deus
singulis Christianis mittit singulos ange-
los ad custodiam atque subsidium ; imo
Hebr. I, 14. secundum Apostolum, Omnes sunt admi-
nistratorii spiritus, in ministerium missi
propter eos qui hereditatem capiunt sa-
lutis. Hos autem misit Deus multo copio-
sius atque frequentius tempore legis Chri-
28 sti, quam Moysis. *Et ceciderunt,* id est,
descenderunt pastores prædicti et angeli
sancti, *in medio castrorum eorum,* id est D
Ecclesiarum fidelium, *circa tabernacula*
eorum, id est circa civitates, villas, imo et
circa corpora Christianorum. Angeli nam-
que custodiunt corpora hominum a multis
læsionibus atque periculis. Unde in Acti-
Act. V, 19; XII, 7-10. bus Apostolorum, angelus Dei primo edu-
xit omnes Apostolos de ergastulo carceris,
deinde Petrum eripuit. Deinde legitur et
Luc. X, 1. in Evangelio Christus misisse discipulos
suos binos et binos, in omnem civitatem
et locum quo erat ipse venturus.

Et manducaverunt electi Christiani cor- 29
pus Domini sui, sicut ipse præcepit : Hoc, Luc. XXII, 19.
inquiens, facite in meam commemoratio-
nem ; *et saturati sunt nimis,* id est, intus
copiose repleti sunt gratia Spiritus Sancti,
et spiritualiter impinguati, secundum quod
Christus locutus est : Qui manducat meam Joann. VI, 57.
carnem, et bibit meum sanguinem, in me
manet, et ego in eo ; et iterum, Qui man- Ibid. 59.
ducat hunc panem, vivet in æternum. *Et*
desiderium eorum attulit eis, exaudiendo
preces eorum.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, 30
non electorum, sed indigne manducantium,
et ira Dei ascendit super eos : quoniam 31
Satanas eos ingreditur, sicut et Judam Ibid. XIII, 27.
proditorem, quia de eis ait Apostolus : Qui- I Cor. XI, 27.
cumque manducaverit panem hunc, vel
biberit calicem Domini indigne, reus erit
corporis et sanguinis Domini. *Et occidit*
Deus pingues eorum : id est, carnaliter
Christum sumentes, spiritualiter interfi-
cit, subtrahendo eis caritatem et gratiam.
Nam ut ait Apostolus, Qui manducat et Ibid. 29.
bibit indigne, judicium sibi manducat et
bibit, non dijudicans corpus Domini, id
est non sentiens de illo spiritualiter, nec
sumens illud reverenter atque fideliter,
sed sicut alios cibos. *Et electos Israel,* id
est, qui videbantur esse magni in Eccle-
sia, *impedivit* ab introitu regni cœlestis,
propter peccatum indignæ communionis.
Electi enim non semper in sacra Scriptura
dicuntur prædestinati ad vitam æternam,
quoniam Christus in Evangelio Apostolis
ait : Nonne ego vos duodecim elegi, et unus Joann. VI, 71.
ex vobis diabolus est? Et alibi habetur,
Erat Saul vir electus : quem tamen multi I Reg. IX, 2.
Sanctorum dicunt damnatum.

In omnibus his peccaverunt adhuc : id 32
est, non obstantibus tantis beneficiis Chri-
sti, ingrati Christiani Christum offende-
runt. *Et defecerunt in vanitate dies eorum,* 33
id est, sine fructu et merito defluxerunt ;
et anni eorum cum festinatione : quia
sicut in libro Job habetur, Impius, ante- Job XV, 32.
quam impleantur dies ejus, peribit. Et
iterum de peccatoribus Scriptura testatur :

Digitized by Google

Job xxii, 16. Quoniam ante tempus suum sublati sunt. A
Sap. v, 13. Unde ipsi fatentur : Nos nati continuo
desivimus esse, et in malignitate nostra
34 consumpti sumus. *Quum occideret eos, quæ-*
rebant eum et revertebantur. Nam multi
perversi, qui tempore securitatis converti
contemnunt, dum similes sibi male perire
conspiciunt, sibique eadem flagella im-
minere perpendunt, convertuntur ad Do-
minum. Tuncque reminisci incipiunt quod
35 *Deus adjutor est eorum.* Verumtamen quo-
niam pœnitentia ista potius procedere so-
let ex humano timore, quam divino amore, B
36 idcirco de ipsis mox additur: *Et dilexerunt*
Matth. vii, 21. *eum in ore suo,* dicentes, Domine, Domi-
ne ; *et lingua sua mentiti sunt ei,* quia
ex ejus reverentia non recesserunt a malo.
38 *Ipse autem* Christus *est misericors* ex
proprietate naturali, *et propitius fiet pec-*
catis eorum, dummodo vere convertantur,
et digne pœniteant ; *et non disperdet eos*
ab electorum consortio, nec denegabit eis
gratiam in præsenti, nec gloriam in fu-
Luc. xv, 7. turo : quoniam ipse ait, Gaudium est an-
gelis Dei super uno peccatore pœniten- C
Matth. ix, 13. tiam agente ; et alibi, Non veni vocare
justos, sed peccatores. *Et abundavit* Chri-
stus in se ipso divitiis misericordiæ suæ,
ut averteret iram suam ab Ecclesia sua, cle-
Rom. v, 8, 9. mentissime indulgendo. Nam quum adhuc
inimici essemus, ipse pro nobis mortuus
est ; et quantum in se est, nullum per-
ire permittit. *Et non accendit* contra nos
omnem iram suam, id est justitiæ suæ ri-
gorem, sed effudit super nos copiose mise-
ricordiam suam.

Sed quanta est ingratitudo Christiano- D
40 rum quorumdam ! Nam *quoties,* id est
quam sæpe, quasi dicat, Multoties valde,
exacerbaverunt eum, scilicet Salvatorem
tam misericordissimum, dulcissimum, at-
que mitissimum, *in deserto,* id est in mun-
do isto a bonis relicto et malis impleto,
arescenti et infructuoso ! Et quoties *in*
iram concitaverunt eum in inaquoso, vi-
delicet in animo suo indurato et sicco, tan-
41 quam aquis gratiæ destituto ! *Et conversi*
sunt, post Baptismum et Pœnitentiam, ad
pristinam conversationem mundanam ; *et*
tentaverunt Deum, quærentes experiri po-
tentiam, providentiam, aut scientiam ejus,
tanquam ambigui an Deus omnia pos-
sit, cunctorum providentiam habeat, et an
universa cognoscat. *Non sunt recordati* 42
Christiani ingrati, *manus ejus,* id est piæ
subventionis Jesu Christi, qua eis subve-
nit, *die qua redemit eos de manu tribu-*
lantis, id est de potestate diaboli, de servi-
tute peccati, et morte æterna. Hoc autem
Christus fecit in die Parasceves, quando
ipse justus pro nobis injustis passus est, 1 Petr. iii,
ut nos offerret Deo, mortificatos quidem 18.
carne, vivificatos autem spiritu, quemad-
modum scriptum est. *Sicut posuit in Ægy-* 43
pto, id est in mundo isto vitiis involuto,
signa sua : quoniam eo in cruce pendente,
obscuratus est sol, tempore oppositionis, per Matth.
suppositionem lunæ sub sole : quod mira- xxvii, 45.
bilissimum fuit, sicut in epistola ad Poly-
carpum magnus Dionysius pulchre pro-
sequitur. Sed et terra tunc mota est, et Ibid. 51-53
multi defuncti surrexerunt, non in die
passionis, sed resurrectionis.

Et convertit in sanguinem flumina eo- 44
rum. Decem plagæ, quæ Ægyptiis cor-
poraliter contigerunt, perversis fidelibus
spiritualiter accidunt. Convertuntur enim
flumina eorum in sanguinem, dum sapien-
tia eorum carnalis efficitur, et spiritualia
ab eis carnaliter sentiuntur : quoniam,
sicut ait Apostolus, Animalis homo non 1 Cor. ii, 14
percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. *Misit,* 45
et quotidie mittit Christus, non effecti-
ve, sed permissive, *in eos,* id est in ingra-
tos Christianos, *cynomyiam,* id est mores
caninos, videlicet rabiem iræ, furorem im-
patientiæ, irreverentiam circa parentes at-
que prælatos, *et comedit eos,* id est, ista
tortuositas mox spiritualiter eos annihi-
lat ; *et ranam,* id est incustodiam linguæ,
et impudentissimam garrulamque loqua-
citatem, *et disperdidit eos,* id est, diversi-
mode perdidit animas eorum loquacitatis
peccatum. Unde Salomon dicit : Vidisti Prov. xxix,
hominem velocem ad loquendum ? Stulti- 20.
tia magis speranda est, quam illius cor-

Digitized by Google

Jacob. III, 6. rectio. Et Jacobus : Universitas iniquita- A
tis, lingua constituitur. Propter quod in
Eccli XX, 8. Ecclesiastico etiam scriptum est : Qui mul-
Jacob. I, 19. tis utitur verbis, lædit animam suam. Sit
igitur omnis homo velox ad audiendum,
tardus autem ad loquendum, et tardus ad
iram.

46 *Et dedit ærugini fructus eorum.* Per
æruginem, quæ est ventus seu aura occul-
te nocens et fructus inficiens, designatur
latens arrogantia cordis : per quam om-
nium operum bonorum fructus dissipa-
tur, quoniam sola superbia destruit om- B
nia, si comitetur. Nec mirum, quoniam
Ibid. IV, 6; I Petr. V, 5. Deus superbis resistit; et certum quoniam
non sit tutum aut facile contra Deum pu-
gnare. *Et labores eorum locustæ :* id est,
opera laboriosa et bona prius facta ab
ingratis et recidivantibus, Deus permittit
evacuari a præmio per vitium detractio-
nis : quia ingrati Deo, hoc vitium detra-
ctionis incidere solent : quod valde abo-
Eccle. X, 11. minabile est, juxta illud Ecclesiastæ, Si
mordeat serpens in silentio, nihil eo mi-
47 nus habet qui occulte detrahit. *Et occidit* C
in grandine, id est in iniquitate alios vio-
lenter opprimente, sicut et potestas tyran-
nica, *vineas,* id est animas, *eorum :* quia
dum Deo ingrati et arrogantes, alios op-
primunt et contristant, semetipsos intus
occidunt, et proprio gladio spiritualiter
ruunt ; *et moros eorum,* id est opera eo-
rum priora, igne amoris succensa, occi-
dit, id est, occidi permisit Deus, *in prui-
na,* id est in nocturno frigore mentis,
utpote in rancore et odio : quod est frigus
et congelatio spiritus, sicut dilectio est D
ignis et liquefactio ejus. Qui enim post
caritatem receptam, ad interiorem frigi-
ditatem odii ducitur, priorum operum in
caritate factorum præmio juste privatur,
et variis vitiis implicatur. Propter quod
Matth. XXIV, 12. ait Salvator : Abundabit iniquitas, et re-
frigescet caritas multorum. Hoc frigore
tacto ait Joannes, vel potius per Joannem
Apoc. II, 4, 5. Christus : Habeo adversum te, quod cari-
tatem tuam primam reliquisti. Memor esto
itaque unde excideris, et age pœnitentiam.

Et tradidit grandini, id est prædictæ 48
iniquitati, *jumenta eorum,* id est sensiti-
vas eorum potentias, tam cognitivas quam
appetitivas, videlicet sensus exteriores et
interiores, appetitum quoque concupisci-
bilem et irascibilem. Dum enim peccator
Deo ingratus, toto studio quærit quomodo
alios opprimat, lædat, aut eis prævaleat,
tunc prædictæ potentiæ grandini dantur,
quoniam per operationes earum quærit et
satagit quomodo perversum suum propo-
situm exsequatur. *Et possessionem eorum,*
id est statum et perfectiones, seu interio-
res divitias mentis hominum horum, dat
Deus *igni,* id est avaritiæ æstui : quia dum
a spiritualium amore bonorum labuntur,
ad terrenarum atque inanium rerum desi-
deria convertuntur ; sicque avaritiæ ignis
in eis devastat et destruit quidquid per-
fectionis ante inhæserat. Unde et Paulus
ad Timotheum scribit : Qui volunt divites I Tim. VI, 9.
fieri, incidunt in tentationem et laqueum
diaboli. Et Ecclesiasticus : Nihil est ini- Eccli. X, 10.
quius quam amare pecuniam. Hic enim
(puta avarus) et animam suam venalem
habet.

Viam fecit Deus *semitæ iræ suæ,* id est 50
effusioni suæ vindictæ. Dum enim pecca-
torem in suo errore relinquit, viam facit
semitæ iræ suæ, quia non tollit impedi-
mentum incurrendi pœnam divinæ justi-
tiæ. Hoc facit Deus in vasis iræ, quæ ad
contumeliam facta sunt, puta in reprobis :
quos Deus in suis adinventionibus juste
relinquit, quia in eis suæ justitiæ distri-
ctionem ostendere cogitavit, sicut in ele-
ctis misericordiæ suæ divitias. De qua re Rom. IX, 21-23.
plenius docet Apostolus. *Non pepercit a
morte animarum eorum :* quoniam carita-
tem, quæ est vita animæ, Deus protinus
subtrahit cunctis hominibus qui morta-
liter peccant. *Et jumenta eorum,* id est
carnales eorum affectus et opera carnis,
Deus *in morte conclusit,* id est, æterna
morte damnavit : quoniam teste Apostolo,
Qui talia agunt, regnum Dei non conse- Galat. V, 21.
quentur ; et iterum, Si secundum carnem Rom. VIII, 13.
(inquit) vixeritis, moriemini.

Digitized by Google

51 *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti :* id est, in omnibus cordibus in tenebris hujus mundi manentibus, Deus occidit fidem formatam, in quantum formatam, licet in eis fides informis perseveret. Fides namque formata, est in nobis primogenitum, id est primum Dei donum, et omnium operum meritoriorum principium, juxta illud Habacuc (*Habac.* II, 4) : Ecce qui incredulus est, non erit anima ejus recta in semetipso ; justus autem meus ex fide vivit. Et Isaias (*Is.* XXI, 2) : Qui incredulus est, infideliter agit. *Primitias omnis laboris eorum,* id est interiores sanctæ caritatis fervores, ex quibus omnis labor Deo placens meritoriusque procedit, Deus occidit, secundum modum prædictum, in ingratis et ad vitia pristina remeantibus, *in tabernaculis Cham,* id est hominum mundanorum seu dæmonum, qui sapientes sunt ut faciant mala, sed benefacere nescierunt (*Jer.* IV, 22). Cham enim callidus interpretatur. Et Christo testante, Filii hujus sæculi prudentiores in generatione sua sunt filiis lucis (*Luc.* XVI, 8).

52 *Et abstulit* Christus *sicut oves populum suum,* id est electos, de potestate diaboli, de conversatione sæculari, de societate reproborum, quemadmodum per Osee ait (*Osee* XIII, 14) : De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Et alibi electis locutus est (*Joann.* XV, 19) : De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo. Hoc agit Salvator, quotiescumque homini gratiam conversionis infundit. *Et perduxit eos tanquam gregem in deserto,* id est in præsenti exsilio, pascendo eos gratiis atque virtutibus. Propter quod de se ait (*Ibid.* X, 14, 28) : Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, et ego vitam æternam do eis. Pascit quoque eas cibo dignissimo, scilicet pretiosissimo corporis sui et sanguinis Sacramento.

53 *Et deduxit eos in spe* felicitatis futuræ, *et non timuerunt* inordinato timore damna temporalia aut diaboli tentamenta, quoniam audierunt quod Salvator ait ad eos (*Ibid.* XVI, 33) : In mundo pressuram habebitis ; sed confidite, ego vici mundum. Et alibi (*Ibid.* XIV, 27) : Non turbetur cor vestrum, neque formidet; et, Nolite timere eos qui corpus occidunt (*Matth.* X, 28). *Et inimicos eorum,* id est persecutores justorum, *operuit mare,* id est iniquitas propria seu damnatio infernalis, vel tumultus occupationum vitæ sæcularis.

54 *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ,* id est in obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ, quæ est regnum Christi, in ea per fidem regnantis. Idcirco dicit Apostolus (*Coloss.* I, 3, 13) : Gratias agimus Deo et Patri, qui nos transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. *Montem quem acquisivit dextera ejus,* scilicet Christi, pro nobis in cruce expansa atque transfixa. Christus namque emit Ecclesiam non corruptibilibus auro et argento, sed sanguine suo pretioso (*I Petr.* I, 18, 19), juxta illud Apostoli (*Hebr.* IX, 28) : Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. In Actibus quoque Paulus apertius loquens, et pastores exhortans (*Act.* XX, 28) : Attendite, inquit, vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Et ejecit a facie eorum gentes.* Hoc in Christianis ad litteram constat impletum, quoniam in universo mundo, ubi olim habitabant gentiles, postmodum habitaverunt Christiani, nuncque morantur : quod utique factum est virtute divina per multa miracula, quibus eradicata est idololatria, et publicata fides catholica. *Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Per sortem, Dionysius interdum intelligi vult quemdam splendorem seu ordinationem Spiritus Sancti. Quoniam ergo Apostoli, secundum Spiritus Sancti instinctum, mundum sibi partiti sunt, abeuntes singuli in sortem seu partem sibi deputatam, sicut Joannes in Asiam, Petrus in Italiam, Andreas in Achaiam, Thomas in Indiam, etc. ; ideo dicitur Deus divisisse eis terram in funiculis distributionis. Unde et Paulus fatetur (*II Cor.* X, 13) : Nos non in infinitum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos.

55 *Et habitare fecit* Deus *in tabernaculis eorum,* id est in locis, terris et urbibus paganorum, *tribus Israel,*

Digitized by Google

id est populum christianum, qui sunt filii A
Patriarcharum, non carne, sed spiritu.

Iterum redit Propheta ad describendum
peccata Christianorum malorum, qui pa-
trum suorum non sunt imitati vestigia, sed
solo nomine et fide informi Christiani ex-
56 sistunt. De quibus nunc subditur: *Et tenta-
verunt et exacerbaverunt Deum excelsum:*
secundum modum nunc sæpe expositum.
58 *In iram concitaverunt eum in collibus
suis,* id est in tumore superbiæ suæ, trans-
I Tim. I, 17. ferentes honorem Dei, cui soli debetur
omnis honor et gloria, ad semetipsos, quæ- B
rentes præesse, dominari ac honorari. Ta-
Joann. V, 44. libus equidem a Christo dicitur: Quomodo
potestis vos credere, qui gloriam ab invi-
cem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo
est, non quæritis? *Et in sculptilibus suis,*
id est in idolis seu phantasmatibus imagi-
nationum suarum, et in vanis memoriæ
suæ simulacris, *ad æmulationem,* id est
ad indignationem, *eum provocaverunt,* co-
gitantes perversa, et vilium rerum recor-
dationibus inhærentes, atque per hoc di-
vinorum obliviscentes, et Deum judicem C
Mich. II, 1. offendentes: qui per Michæam ait, Væ qui
Is. I, 16. cogitatis inutile; similiter per Isaiam, Au-
ferte malum cogitationum vestrarum ab
oculis meis. De talibus namque dicit Za-
Zach. VII, 12. charias: Posuerunt cor suum ut adaman-
tem, ne audirent legem.
59 *Audivit Deus,* id est, omnia ista populi
peccata cognovit, quemadmodum Amos te-
Amos V, 12. statur: Cognovi multa scelera vestra; *et
sprevit* operantes et opera, sicut inferius
Ps. CXVIII, 118. dicitur: Sprevisti omnes discedentes a
justitiis tuis; *et ad nihilum redegit valde* D
Israel, id est plebem fidelium, spoliando
eos omni virtute et gratia Spiritus Sancti,
60 propter peccata commissa. *Et repulit ta-
bernaculum Silo:* per quod intelligi po-
test Ecclesia, quam Deus frequenter va-
stari permisit a tyrannis et impiis, eo quod
legem Christi reliquerit. Potest etiam per
hoc accipi corpus nostrum, in quo Deus
I Cor. VI, 20. habitare censetur, sicut ait Apostolus:
Glorificate et portate Deum in corpore
Ibid. 19. vestro; et rursus: Nescitis quia corpora
vestra templum sunt Spiritus Sancti? Hoc
tabernaculum Deus repellit, dum animam
deserit, ab ea offensus propter vitam car-
nalem. Unde Dominus olim locutus est:
Non permanebit spiritus meus in homine Gen. VI, 3.
in æternum, quia caro est.

Et tradidit in captivitatem virtutem eo- 61
rum, id est, a tentatore permisit eos su-
perari, et perfectionem eorum exstingui.
Superbi enim in se ipsis confidentes, et
ingrati, Deo bona sua non adscribentes,
divina protectione indigni sunt, ideoque
a dæmonibus superantur. *Et pulchritu-
dinem eorum in manus inimici:* id est,
splendorem gratiæ interiora ornantis, per-
misit obtenebrari et tolli a suggestione et
impugnatione carnis, mundi aut dæmonis,
in hominibus sibi ingratis. Nam de ingra-
to ait Salvator in Evangelio: Ei autem Matth. XXV, 29.
qui non habet, et quod videtur habere,
auferetur ab eo. Sic ergo captivi sunt, se-
cundum quod Petrus protestatur: Iniqui, II Petr. II, 19.
servi sunt corruptionis: a quo enim quis
superatus est, hujus et servus est. *Et con-* 62
clusit in gladio infidelium *populum suum*
christianum, quem Sarraceni in Terra san-
cta sæpe occiderunt et expulerunt. Potest
quoque nomine gladii intelligi impugnatio
tentatoris, seu perversitas animæ se ipsam
necantis, imo et totum hominem spiritua-
liter occidentis gladio consensus illiciti.
Et hereditatem suam sprevit: id est, ple-
bem christianam, quæ merito foret heredi-
tas Dei, tanquam ejus sanguine empta, ab
infidelibus non protexit, nec a culpa re-
traxit.

Juvenes eorum comedit ignis concupi- 63
scentiæ carnalis: sicut Osee ait, Spiritus Osee IV, 12.
fornicationis decepit eos; *et virgines eo-
rum* vanæ et fatuæ *non sunt lamentatæ:*
quia non est qui earum vanitatem deplo-
ret ex compassione caritatis fraternæ, sed Ps. X, 3, sec. Hebr.
laudantur peccatrices in vanitatibus animæ
suæ. *Sacerdotes eorum in gladio cecide-* 64
runt. Gladius spiritualis, secundum Apo- Ephes. VI, 17.
stolum, est verbum Dei. Est igitur sen-
sus: Sacerdotes Christianorum, proprii oris
prædicatione occisi sunt intus. Dum enim

Digitized by Google

docent quæ ipsi non implent, mortaliter A
peccant : et ita se ipsos damnant, spiritu-
Rom. II, 1. aliterque occidunt. Unde Apostolus ait : In
quo alium judicas, te ipsum condemnas;
Job XV, 6. eadem enim facis. Et Job dicit : Os tuum
condemnabit te, et non ego, et labia tua
respondebunt tibi. *Et viduæ eorum non*
I Tim. V, 6. *plorabantur :* sicut ait Apostolus, Vidua
quæ in deliciis vivit, vivens mortua est.
Viduæ ergo non plorantur, dum earum
carnales deliciæ non deflentur pio com-
passionis affectu.
66 *Et percussit inimicos suos in posterio-* B
ra, id est, extrema atque finali pœna eos
damnavit, quemadmodum Dominus per
Jer. XXIII, 40. Jeremiam ait quibusdam : Dabo vos in
opprobrium sempiternum et ignominiam
æternam, quæ nunquam oblivione delebi-
tur. Idcirco nunc additur, *opprobrium sem-*
piternum dedit illis, projiciendo eos in
lacum carceris gehennalis. Propter quod
Ibid. XXIV, 9. in Jeremia Dominus loquitur : Dabo eos
in vexationem et maledictionem et stupo-
rem, et in sibilum, et in opprobrium, eo
quod non audierint verba mea. C
Consequenter agit Propheta, de populo
67 ad regnum Christi veraciter pertinente. *Et*
repulit Deus *tabernaculum,* id est poste-
ritatem, domum, familiam, *Joseph,* id est
populi Judæorum, in lege sibi finem et
sufficientiam constituentis, qui se putat
sine gratia Christi per legem posse salva-
ri. Merito quoque per Joseph populus Ju-
dæorum signatur. Primo, quoniam Joseph
ceteris Patriarchis fratribus suis sanctita-
te atque imperio eminebat. Secundo, quo-
niam Joseph interpretatur additamentum : D
et ita per eum designantur Judæi, quibus
temporalium bonorum promittebantur au-
gmenta. *Et tribum Ephraim non elegit.*
Ephraim interpretatur frugifer seu fructi-
ficatio : per quem significatur idem po-
pulus qui per Joseph, in quantum terrenis
68 fructibus inhiabat. *Sed elegit tribum Ju-*
da, id est populum christianum, Domino
confitentem devote et pure propter bona
cœlestia ac divina, videlicet *montem Sion,*
id est militantem Ecclesiam, *quem dilexit,*

juxta illud Apostoli : Christus dilexit Ec- Ephes. V, 25, 26.
clesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut
illam sanctificaret. *Et ædificavit sicut uni-* 69
cornium, id est, sicut ædificari decuit do-
mum Christifidelium, unum verum Deum
colentium, *sanctificium suum,* id est Ec-
clesiam militantem, seu populum christi-
anum : quem ædificavit, faciendo sibi in
cordibus nostris habitaculum aptum per
fidem et gratiam Spiritus Sancti. De hac
quippe ædificatione ait Christus per Amos :
Suscitabo tabernaculum David quod ce- Amos IX, 11.
cidit, et reædificabo aperturas murorum
ejus. Hoc sanctificium Deus ædificavit *in*
terra quam fundavit in sæcula, id est in
universo mundo, sicut apud Malachiam te-
statur : Ab ortu solis usque ad occasum, Malach. I, 11.
magnum est nomen meum in gentibus; et
in omni loco offertur nomini meo obla-
tio munda, videlicet Sacramentum altaris.
Et hæc terra est fundata in sæcula, quoni-
am, sicut Ecclesiastes ait, Terra in æter- Eccle. I, 4.
num stat.
Et elegit Deus Trinitas *David servum* 70
suum, id est Christum hominem : qui se-
cundum quod homo est, servus Dei atque
electus est, quemadmodum in Isaia Domi-
nus ait : Ecce servus meus, suscipiam il- Is. XLII, 1.
lum; electus meus, complacuit sibi in illo
anima mea. Quod evangelista Matthæus de Matth. XII, 17, 18.
Christo dictum allegat. Christum ergo Deus
elegit, ut sit caput et princeps universalis
Ecclesiæ, dux, pastor, judex et Dominus
omnium electorum. Propter quod Domi-
nus ait : Salvabo gregem meum ; et susci- Ezech. XXXIV, 22, 23.
tabo super eum pastorem unum qui pascat
eum, David servum meum, id est Chri-
stum, ut omnes exponunt. *Et sustulit*
eum, scilicet Christum, Deus Trinitas, *de*
gregibus ovium, id est, præ omnibus ele-
ctis exaltavit glorificavitque eum, quem-
admodum Sponsa decantat : Dilectus meus Cant. V, 10.
candidus et rubicundus, electus ex milli-
bus. *De post fetantes accepit eum :* id est,
postquam oves suas in hoc mundo spiritu-
aliter fecundavit, redemit, et confirmavit,
recepit eum Pater in cœlos ad dexteram
suam. Propter quod Christus ait ad Pa-

Digitized by Google

Joann. xvii, 4. 13. trem : Opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem ; nunc autem ad te venio. Vel, De post fetantes accepit eum, quia Matth. xv, 24. Christus primo missus est ad oves perditas domus Israel, quibus reparatis, quoad electos, misit discipulos suos per totum mundum ad oves ex gentibus congregan- Joann. x, 16. das, sicut ipse ait : Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere.

71 Accepit autem Deus Christum, *pascere,*
id est ut pasceret, *Jacob servum suum,* id
est populum christianum vitia conculcan-
tem ; *et Israel hereditatem suam,* id est
eumdem populum spiritualia contemplan-
72 tem, et ad vitam æternam electum. *Et pa-*
vit eos Christus in mundo corporaliter
vivens, scientia et doctrina : et hoc, *in*
Is. liii, 9; I Petr. ii, 22. *innocentia cordis sui,* quoniam ipse ini-
quitatem non fecit, nec inventus est dolus
in ore ejus, sicut in Isaia legitur. *Et in*
intellectibus manuum suarum deduxit eos.
Ipse nempe est virtus et sapientia Patris,
Joann. xiii, 13. qui de se ipso discipulis dixit: Vos vocatis
me, Magister et Domine ; et bene dicitis :
Matth. xxiii, 8. sum etenim. Et iterum : Nolite, ait, vocari
Rabbi : unus est enim magister vester,
Christus ; omnes autem vos fratres estis.
Christus ergo deduxit oves suas in intellectibus manuum suarum, id est in doctrina et sanctitate, quoniam cœpit facere et docere. Act. i, 1. Pascit autem, deducitque Christus oves suas per se ipsum, per vicarios suos, Ecclesiarum prælatos et prædicatores, per angelos sanctos. Ipse enim solus gratiam influit; angeli vero nos ad eam disponunt, nosque illuminant : quod etiam homines facere possunt, quemadmodum Paulus ad Corinthios loquitur : Ego plantavi, Apollo I Cor. iii, 6. rigavit, Deus autem incrementum dedit.

Ecce psalmum prolixum audivimus, in superficie planum, in interioribus suis mysteriis plenum : quem expedit prompte intelligere, quoniam compendiose includit quæ in diversis libris Moysis dispendiose tractantur. Ceterum, nunc omissa, præcedenti expositione vel plane omnia patescunt, vel de facili intelligi queunt.

PRECATIO.

Deus, qui omnium innisereris, et lapsos ad te redeuntes paterna pietate suscipere non desinis : recordare, quæsumus, quia caro sumus, et abunda ut avertas iram, et non accendas contra nos omnem iram tuam ; sed mitiga eam, et largire nobis indeficientem gratiam tuam.

ARTICULUS L

ELUCIDATIO LITTERALIS PSALMI SEPTUAGESIMI OCTAVI : DEUS, VENERUNT GENTES.

Sensus tituli psalmi jam declarandi, vi-
1 delicet, *Psalmus Asaph,* ex præcedentibus
clarus est. Advertendum vero, quod ter leguntur Judæi repulsi, loquendo de repulsione eorum graviori et magis famosa : quarum prima facta est per Chaldæos, secunda per Antiochum regem, tertia per Romanos. Quod autem hic psalmus scriptus non sit de repulsione eorum per Romanos inducta, Augustinus in expositione psalmi hujus satis ostendit. Illis namque non convenit, quod in secundo versu psalmi istius habetur, videlicet, Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Erant enim Judæi a Romanis occisi, infideles, obstinati ac reprobi. Cassiodorus ergo et Hugo exponunt hunc psalmum de oppressione Judæorum ab Antiocho introducta. Sed istud Nicolao de Lyra non placet, pro-

Digitized by Google

pter id quod in fine primi versus hujus A psalmi habetur, Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam : loco cujus habet Hebraica veritas, Posuerunt Jerusalem in acervum ; translatio quoque Hieronymi, Posuerunt Jerusalem in acervis lapidum. Per quod designari videtur destructio civitatis et templi : quæ ab Antiocho facta
I Mach. I, 57. non invenitur; sed polluit templum, statuendo in eo idolum abominandum. Verumtamen ista objectio facillime solvitur. Nam civitas et templum destructa dicuntur, vel propter occisionem populi et sacerdotum, B vel propter destructionem quarumdam partium civitatis Jerusalem : quæ tempore Antiochi maxime impugnata est, partimque destructa, ut patet in libris Machabæorum. Ubertim enim in divinis Scripturis per habitatores intelliguntur habitacula, et per partem totum exprimitur. Non ergo oportet hunc psalmum ad litteram dumtaxat intelligi de Judæorum dejectione, et templi ac civitatis destructione, factis tempore Chaldæorum. Mihi quoque videtur, quod de utraque eorum devastatione apte C ac litteraliter possit intelligi, quoniam ad utramque littera facile applicatur ; et sicut unam, sic et aliam credere possumus sancto Prophetæ divinitus fuisse revelatam, ac per hoc de utraque simul prophetat. Nam qua ratione dicitur vaticinatus in psalmo præsenti de una, dici potest prophetasse de alia.

Ait ergo Propheta in persona congregationis fidelium : (1) *Deus, venerunt gentes,* videlicet Babylonii et Antiochus D cum suis, *in hereditatem tuam,* id est in Judæam, quæ erat terra divino cultui præelecta, et filiis Israel a Deo specialiter atque hereditarie condonata. Vel, In hereditatem tuam, id est in populum Judæorum.
Is. XIX, 25. Unde per Isaiam Dominus ait : Benedictus populus meus Ægypti, et opus manuum mearum Assyrius ; hereditas autem mea Israel. *Polluerunt templum sanctum tuum.*
IV Reg. XXV, 9. Nam Chaldæi polluerunt et destruxerunt templum a Salomone constructum ; Antiochus vero cum suis, polluit templum a Zorobabel et populo a captivitate Babylonica redeunte ædificatum. I Mach. I, 57. Dicuntur autem hi templum polluisse, quia fecerunt in eo quæ erant per legem prohibita, ponendo in eo idola, vel gentes introducendo in ipsum. Unde Jeremias : Vidit (inquit) Thren. I, 10. gentes ingressas in sanctuarium tuum, de quibus præceperas ne ingrederentur in ecclesiam. De hac pollutione templi, primo libro Machabæorum scriptum est : Accepit Antiochus altare aureum et omnia I Mach. I, 23. vasa ejus, et comminuit omnia. Rursusque : Ædificavit Antiochus rex abominandum Ibid. 57. idolum desolationis super altare Dei : nempe (ut alibi dicitur) posuit in templo statuam Jovis. II Mach. VI, 2.

Posuerunt Jerusalem, id est domos ejus ac templum, *in pomorum custodiam,* id est, tam vilem eam reputaverunt, sicut reputatur domuncula in qua custodiuntur poma. Vel, In pomorum custodiam : quia sicut custodia pomorum, id est domus in qua poma servantur, relinquitur atque destruitur pomis sublatis, sic isti civitatem Jerusalem destruxerunt, et eam a propriis incolis relinqui fecerunt. Propter quod in primo libro Machabæorum legitur : Misit I Mach. I, 30, 33. rex principem tributorum ; et accepit spolia civitatis, et succendit eam igni, et destruxit domos ejus et muros ejus in circuitu. Ex quo constat, objectionem Nicolai prætactam, nullam esse. Et iterum ait Scriptura loco præallegato : Fugerunt ha- Ibid. 40. bitatores Jerusalem propter eos, et facta est habitatio exterorum. Unde et Isaias : Relinquetur, inquit, filia Sion velut um- Is. I, 8. braculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario.

(2) *Posuerunt morticina servorum tuo-* 2
rum, id est corpora Judæorum occisa, *escas volatilibus cœli ; carnes sanctorum tuorum,* id est cadavera meliorum ac perfectiorum famulorum tuorum, dederunt in escam *bestiis terræ :* non enim sepelierunt ea, sed projecerunt ea ad devorandum avibus cœli et bestiis terræ. Propter quod Jeremias ait de valle filii Ennom : Non vo- Jer. VII, 32.

Digitized by Google

cabitur amplius, Vallis filii Ennom, sed, A
3 Vallis occisionis. (3) *Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret.* Propter quod libro primo Machabæorum habetur : Effuderunt sanguinem innocentem
I Mach. I, 39. per circuitum sanctificationis. Et non erat qui sepeliret occisos, præ multitudine corporum occisorum. Nam sicut secundo libro
II Mach. V, 14. Machabæorum habetur, Erant in toto triduo octoginta millia occisi ab Antiocho.
4 (4) *Facti sumus opprobrium vicinis nostris :* quod consequenter clarius dicitur : B
subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Gentiles enim in circuitu Judææ morantes, videlicet Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Philistæi, etc., communiter gloriari solebant, quando filiis Israel aliquid adversitatis evenit : tunc deridebant eos, et subsannabant. Et ideo Nehemias inducit : Audi, Deus noster, quia facti sumus
II Esdr. IV, 4. despectui. In libro quoque Machabæorum
I Mach. I, 41, 42. legitur : Sanctificatio Jerusalem, scilicet templum, desolata est sicut solitudo ; dies festi ejus conversi sunt in luctum, sabbata C
ejus in opprobrium, honores ejus in nihilum. Secundum gloriam ejus, multiplicata est ignominia ejus.

Deinde sequitur vox populi ita afflicti, lamentabiliter et querulose ad Dominum
5 proclamantis : (5) *Usquequo, Domine, irasceris in finem ?* id est, quamdiu vindicabis peccata nostra, tamque prolixe nos vastari permittes ? quasi dicant, Noli tam diu populo tuo irasci. *Accendetur velut ignis zelus tuus?* id est, quamdiu indignatio tua tam vehementer ulciscetur se de nobis, D
tradendo nos in potestatem crudelium ho-
6 minum ? (6) *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt :* id est, vindictam quam in nobis exerces, aufer clementer a nobis cultoribus tuis, te per fidem scientibus, eamque exerce in prædictis hominibus idololatris te ignorantibus; *et in regna* Chaldæorum, et eorum quibus imperabat Antiochus, *quæ nomen tuum non invocaverunt,* sed deos vanos, quos coluerunt.
7 (7) *Quia comederunt Jacob :* id est, populum

ex Jacob patriarcha puero tuo dilecto natum, consumpserunt in ore gladii, aut alia morte, quemadmodum a manducante cibus consumitur. Unde Jeremias propheta ait : Primus Assur comedit eum ; iste no- Jer. L, 17.
vissimus Nabuchodonosor exossavit eum. *Et locum ejus desolaverunt :* quoniam urbes Judææ destruxerunt, vel populum ejus effugaverunt. Secundum quod primo libro Machabæorum scriptum est : Exclamavit I Mach. II, 27, 28.
Mathathias voce magna, dicens : Omnis qui zelum habet legis, exeat post me. Et fugit ipse et filii ejus in montes, et reliquerunt quæcumque habebant in civitate. Oratur autem hoc loco pro punitione adversariorum, non ex odio, sed zelo justitiæ vel ex caritate, quatenus in præsenti corrigantur, atque a malis prohibeantur, ne quotidie addant peccata peccatis, et post- Eccli. III, 29.
modum gravius condemnentur.

(8) *Ne memineris iniquitatum nostrarum* 8
antiquarum, quas nos ipsi et patres nostri multo tempore perpetravimus. Dicitur autem Deus iniquitatum nostrarum reminisci, dum eas in nobis ulciscitur ; dum vero indulget, oblivisci asseritur, quum tamen ejus cognitio æternaliter invariabilis perseveret. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ,* id est, effectus tuæ pietatis æternæ præveniant nos, ne incidamus judicium tuum, et ne justitiæ tuæ effectus præoccupent nos, faciendo nobis sicut meruimus. Hoc autem oramus, *quia pauperes facti sumus nimis,* quoniam templo et possessionibus ac urbibus spoliati sumus. In spiritualibus quoque inopes sumus, exigentibus vitiis nostris. Gratiam enim et spiritualium bonorum copiam, peccando perdidimus. Peccatum enim, spiritualis paupertatis atque miseriæ causa est, juxta illud Salomonis : Miseros facit populos pec- Prov. XIV, 34.
catum. Ecclesiastes quoque : Qui in uno Eccle. IX, 18.
peccaverit, multa bona perdet. Propterea propriam mentis inopiam ignoranti, spiritualiterque excæcato propter carentiam gratiæ, in Apocalypsi dicitur : Dicis, Quia Apoc. III, 17.
dives sum ; et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper et cæcus et nudus.

Digitized by Google

Ob hanc nimiam paupertatem dixit Matha- A
I Mach. II, 12. thias : Ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est.

O quanta est virtus versiculi hujus, atque duorum versiculorum sequentium ! Vere enim omnem humanum sensum virtus eorum transcendit, et deficit lingua ab elocutione laudis eorum. Sed et quam bonum est, propriam paupertatem agnoscere, sicque indesinenter in Oratione dominica
Luc. XI, 3. proclamare, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ! Admiranda est virtus orationis versuum horum; et omnino saluberrimum est, mentali affectu cum attentione ingenti, cum præcordiali sapore, hos sacros versus depromere : quoniam possibilius foret cœlum et terram perire, quam talem orationem inefficacem exsistere.

9 (9) *Adjuva nos, Deus salutaris noster,* id est salvator noster et causa nostræ sa-
Joann. XV, 5. lutis. Tu enim dixisti, Sine me nihil pote-
II Cor. III, 5. stis facere; nec sumus sufficientes aliquid cogitare a nobis quasi ex nobis, sed universa sufficientia nostra ex te est. Itaque C adjuva nos, confortando naturam nostram per gratiam, dando in adversis patientiam, in tentatione victoriam, in persecutione ereptionem, mittendo quoque ad nostrum subsidium cives cœlestes angelos sanctos; et per preces ac merita omnium tibi placentium, tribue nobis quod nostra non meretur oratio, nec propria obtinet vita. *Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos :* id est, idcirco et ad hunc finem eripe nos a tribulationibus cunctis, omnibusque peccatis atque periculis, quatenus D misericordia tua glorificetur in nobis ab omnibus, tuque misericors prædiceris, et ob hoc a cunctis lauderis et honoreris. Hæc est ordinatissima deprecatio. Quamvis enim propriam liberationem et beatitudinem debeamus a Deo deposcere, tamen hanc ipsam nostram redemptionem debemus ad Dei honorem referre, Deumque precari ut propter se ipsum et nominis sui honorem nos audiat. Nam de ip-
Prov. XVI, 4. so Salomon dicit : Universa propter se ipsum operatus est Dominus. Sic orando Deum honoramus, ideoque ab eo exaudiri et honorari meremur, quemadmodum ipse testatur : Quicumque glorificaverit me, I Reg. II, 30. glorificabo eum. Deus enim gloriosus et sanctus, ad sui ipsius laudem et gloriam omnes electos creavit, secundum quod ipse alibi asserit : Omnem qui invocat no- Is. XLIII, 7. men meum, in gloriam meam creavi eum. Semper igitur toto affectu et intentione sincera, ordinemus ad Dei honorem et gloriam, quidquid pro nobis ipsis vel aliis po- B stulamus; nec unquam reflectamur ad nos ipsos per privatum amorem, neque gloriemur in nobis per stultissimam vanitatem.

(10) *Et propitius esto peccatis nostris,* pœnam relaxando, et culpam penitus indulgendo, *propter nomen tuum,* id est propter te ipsum et propriam bonitatem, quoniam tu dixisti : Non propter vos ego Ezech. faciam, notum sit vobis, sed propter no- XXXVI, 22, 32. men sanctum meum.

Et hoc fac, o Domine Deus, *Ne forte* 10 *dicant in gentibus,* id est inter gentiles et insipientes : *Ubi est Deus eorum ?* id est, jam apparet quod Deus eorum ipsos salvare non potest, aut eorum cultum contemnit. Ne ergo tibi, o Domine, tanta irrogetur injuria, audi nos, sicut per Isaiam dixisti : Propter me ego faciam, ut non Is. XLVIII, blasphemer. (11) *Et innotescat in nationi-* 11. *bus,* id est in prædictis gentilibus, *coram oculis nostris,* id est tam manifeste ut nobis patescat, *ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est :* id est, effusionem sanguinis innocentis populi nostri vindica in paganis præfatis. Orat Propheta in persona populi Judæorum, pro ultione homicidiorum in Jerusalem et in Judæa factorum. Unde secundo libro Machabæorum orat hic populus : Afflige opprimentes II Mach. nos, et contumeliam facientes in superbia. I, 28. Quod etiam Moyses prædixit Deum esse facturum : Sanguinem, inquiens, sancto- Deut. XXXII, rum suorum ulciscetur, et vindictam re- 43. tribuet in hostes eorum.

(12) *Introeat in conspectu tuo gemitus* 11 *compeditorum :* id est, captivorum tuorum

Digitized by Google

suspiria pie exaudi, et eos de captivitatibus
eripe. Multos enim Judæorum captivave-
rant servi Antiochi atque Chaldæi. (13) *Se-
cundum magnitudinem brachii tui,* id est
secundum magnam tuam potentiam, *possi-
de filios mortificatorum,* id est nos, quorum
patres a gentilibus istis occisi sunt, ita ut
protegas atque conserves nos, sicut custo-
12 ditur possessio propria ab herede. (14) *Et
redde vicinis nostris :* de quibus superius
vers. 4. dictum est, Facti sumus opprobrium vici-
nis nostris; *septuplum,* id est perfectam
vindictam : septenario enim designatur
perfectio; *in sinum eorum :* id est, tam
evidenter et tam infallibiliter pœna cadat
super eos, et recipiatur ab eis, ne evadant,
quam infallibiliter recipit homo quod in
gremium ejus projicitur. Hoc enim non
resilit. *Improperium ipsorum,* id est pœ-
nam pro improperio, *quod exprobraverunt
tibi, Domine,* dicendo de nobis : Ubi est Ps. CXIII, 10.
Deus eorum ?

(15) *Nos autem populus tuus* peculiaris, 13
et oves pascuæ tuæ : de quibus alibi dixi-
sti, Ego ipse pascam oves meas, salvabo Ezech.
gregem meum, in montibus Israel pascam XXXIV, 15, 22, 13.
eas; *confitebimur tibi in sæculum,* id est,
diu et perseveranter laudabimus te, gratias
tibi canendo pro nostra liberatione. (16) *In
generationem et generationem annuntia-
bimus laudem tuam,* id est, in genera-
tione nostra quoadusque vivimus, lauda-
bimus te per nos ipsos; in generationibus
autem futuris, laudabimus te per filios
seu fidei nostræ imitatores, quibus relin-
quimus materiam te laudandi, dum bene-
ficia tua nobis exhibita, eis insinuamus
verbo aut scripto.

ARTICULUS LI

EXPLANATIO TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI SEPTUAGESIMI OCTAVI.

ECCLESIA insuper Christi et quilibet
Christianus, merito potest et debet
hunc psalmum cantare lamentabili voce,
propter amissionem Terræ sanctæ : præ-
sertim quoniam ipsa sacra urbs Jerusa-
lem, in qua Christi sepulcrum est, cum
ipso venerandissimo et sanctissimo Christi
sepulcro in manus Sarracenorum est da-
ta, atque ab eis diu possessa. Et ad hoc
applicari potest hic psalmus hoc modo :
1 *Deus,* Dei Unigenite Jesu Christe, qui es
verus Deus et vita æterna, *venerunt gen-
tes,* videlicet Sarraceni seu pagani legem
Mahometi sequentes, *in hereditatem tuam,*
id est in civitatem Jerusalem, ab impera-
tore Ælio reædificatam, vel in populum
hujus civitatis christifidelem, qui est he-
reditas tua. *Polluerunt templum sanctum
tuum,* id est ecclesiam in qua sepulcrum
tuum continetur : quoniam templum illud
irreverenter tractant, nec Christi cultum
in eo fieri sinunt. *Posuerunt Jerusalem
in pomorum custodiam,* occidentes in ea
aut expellentes de ea omnem Christianum.

Et de Christianorum in ea atque in Ter-
ra sancta multoties occisorum cadaveribus
loquitur versus sequens : *Posuerunt morti- 2
cina,* etc., secundum sensum in præceden-
ti elucidatione introductum. *Effuderunt 3
sanguinem eorum,* scilicet Christianorum
Sarraceni, *tanquam aquam,* id est valde
abundanter, *in circuitu Jerusalem,* et in
civitatibus per gyrum ejus jacentibus. Hoc,
proh dolor ! factum est nimis frequenter,
quemadmodum chronica testantur. *Facti 4
sumus opprobrium vicinis nostris.* Omnes
enim terræ circa Terram sanctam situatæ,
et legi Mahometi subjectæ, videlicet Phi-
listiim, Ammonitæ, Moabitæ, etc., contem-
nunt nos, et nobis illudunt, quod Terra

Digitized by Google

sancta et Christi sepulcrum, eorum pote- A
stati subduntur.
6 *Effunde iram tuam in gentes,* videlicet
in Sarracenos, *quæ te non noverunt* per
fidem et cultum, sed immundissimi homi-
nis ritui serviunt, et legem vanissimam
servant, *et in regna* Sarracenorum, *quæ
nomen tuum non invocaverunt,* quia nec
sperant in te, sed in omni angustia Maho-
metum invocant. Orat ergo hoc loco Ec-
clesia pro recuperatione Terræ sanctæ, et
7 expulsione gentilium inde. *Quia comede-
runt Jacob,* id est populum christianum, B
fidem et simplicitatem Jacob patriarchæ
sectantem, *et locum ejus,* id est urbes Ter-
ræ sanctæ et civitatem Jerusalem, *desola-
verunt,* id est, incolas christianos inde eje-
cerunt, et paganis hominibus loca sancta
impleverunt.

Sed quoniam tantam miseriam Christia-
ni meruerunt, propter pessimam suam vi-
tam, maxime in Terra sancta, quæ quum
adhuc a Christianis in pace habitaretur,
Christiani in ipsa sceleratissime vixerunt;
propterea orat modo Ecclesia pro indulgen- C
tia peccatorum tantorum et antiquorum,
quatenus remissione percepta, terrenam
Jerusalem readipiscatur, et ad cœlestem
Jerusalem perducatur.

Alia expositio.
1 DENIQUE omnia hæc generalius possunt
exponi hoc modo : *Deus, venerunt gentes,*
id est infideles seu infideliter conversan-
tes, *in hereditatem tuam,* id est in populum
tuum electum et christifidelem : quem-
admodum lupi oves impugnare solent et
dissipare. Talibus enim electis ait Chri- D
Luc. x, 3. stus : Ecce ego mitto vos sicut agnos inter
Joann. xvi, 33. lupos ; et, In mundo pressuram habebitis.
Polluerunt templum sanctum tuum : quia
Ecclesiam multipliciter destruxerunt, de-
honestaverunt, et opera nefaria commi-
serunt in ea, non solum pagani, sed etiam
hæretici, maxime Ariani. *Posuerunt Jeru-
salem,* id est militantem Ecclesiam, in qua
est visio pacis, et locus internæ quietis,
in pomorum custodiam, expellendo de ea
ministros altaris, ipsamque comminuentes.

Sequens autem versiculus, de corpori-
bus plurimorum martyrum ad litteram
convenienter exponitur : imo interdum in
tantum desæviit rabies persecutorum, ut
corpora martyrum sepulta effoderent, com-
burerent, dissiparent, vel avibus cœli ac
bestiis terræ ad devorandum projicerent.
Effuderunt tyranni atque eorum satelli- 3
tes, *sanguinem eorum,* videlicet martyrum,
tanquam aquam in circuitu Jerusalem, id
est per omnem gyrum Ecclesiæ, utpote
per totum mundum ubi christiana viguit
fides. Ecclesia namque per universum or-
bem diffunditur ; et sæpe imperatores Ro-
mani ordinaverunt et præceperunt ut om-
nes Christiani trucidarentur ubicumque
invenirentur, quatenus nomen et memo-
ria Christi omnino deficeret. *Et non erat
qui sepeliret* occisos. Hoc namque sub pœ-
na mortis erat frequenter prohibitum, ne
quis Christianos martyrizatos sepelire præ-
sumeret. *Facti sumus opprobrium vicinis* 4
nostris, etc. Hoc, secundum sensum præ-
habitum, dicit Ecclesia quilibetque fidelis
in persona Christianorum, juxta vel inter
gentiles, hæreticos, seu persecutores mo-
rantium, qui Christianos sæpe subsannant,
præcipue dum in præliis prævalent eis.

Effunde iram tuam in gentes, etc. Orat 6
Ecclesia, inimicos suos diligens, pro puni-
tione et dejectione adversariorum suorum
in præsenti sæculo, ne pereant in futuro.
Et innotescat in nationibus coram oculis 10
*nostris ultio sanguinis servorum tuorum
qui effusus est.* Orat Ecclesia pro ultione
sanguinis martyrum, eo modo quo et in
Apocalypsi habetur : Animæ interfecto- Apoc. vi, 10.
rum clamabant voce magna : Usquequo,
Domine, sanctus et verus, non vindicas
sanguinem nostrum de his qui habitant
in terra ? Unde et Christus in Evangelio
loquitur : Deus non faciet vindictam ser- Luc. xviii, 7, 8.
vorum suorum clamantium ad se die ac
nocte? Dico vobis, quia cito faciet vindi-
ctam eorum.

Introeat in conspectu tuo, id est, exau- 11
diatur a te, *gemitus compeditorum,* qui
propter justitiam corporaliter ligantur et

Digitized by Google

incarcerantur, vel vinculis divinæ ac fraternæ dilectionis constringuntur in tantum, ut etiam pro hostibus et persecutoribus fideliter orent, teque omnipotentem Deum ligare et prohibere dicantur, sicut tu ipse ad Moysen dicis : Cerno quod po- (Exod. XXXII, 9, 10.)
pulus iste, scilicet filii Israel, duræ cervicis sit ; dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos. Sed quid fecit Moyses sanctus ? Non acquievit tibi, quin (Ibid. 31, 32.) potius ligatum te tenuit, dicens : Aut dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Libenter, o Domine, hoc modo vinctus teneris vinculis sancti amoris. Tu enim es amor, et nullus te ita ligat, nisi cujus tu mentem tam vehementer inflammas. Vel, Gemitus compeditorum, id est servorum tuorum mortalium, multis necessitudinibus humanæ corruptibilitatis et vinculis præsentis miseriæ, quotidianorumque lapsuum miserabiliter vinctorum, atque in carcere corporis hujus gementium, et (Rom. VII, 24.) cum Paulo clamantium : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis (Philipp. I, 23.) hujus ? Et rursus : Cupio dissolvi, et esse cum Christo.

Secundum magnitudinem brachii tui posside, per indesinentem custodiam et gratiæ multiplicationem, *filios mortificatorum,* id est nos omnes, qui sumus filii spirituales Apostolorum et martyrum ac reliquorum Sanctorum, pro nomine tuo corporaliter occisorum, vel quotidie afflictorum, et in laboribus pœnitentiæ, exercitiisque spiritualis vitæ incessabiliter in- A terfectorum, quemadmodum ait Apostolus : Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. (II Cor. IV, 10, 11.)

Postremo inducitur vox Ecclesiæ, Domino regratiantis pro beneficiis ejus : *Nos* 13
autem populus tuus, a te Christo christianus vocatus, tuo sanguine liberatus, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes ; *et oves pascuæ tuæ,* id est, qui sacramentis tuis B reficimur, aqua sapientiæ a te potamur, pane vitæ cibamur, gratia tua roboramur et crescimus, et tua gubernatione subsistimus, atque ad finem beatum pertingimus ; *confitebimur tibi in sæculum.* Cetera ex præcedenti elucidatione clarissime elucescunt. (Act. XI, 26. I Petr. II, 9. Apoc. V, 10.)

Decet autem nos psalmum hunc pro reparatione Terræ sanctæ quotidie cum affectuosissima mente depromere, quia et hoc vere sanctum est, et Deo gratissimum, pro hac tam pia intentione orare. Et si non C exaudimur pro hoc, Deus tamen qui nostrum desiderium approbat, in aliis copiosam nobis mercedem impendet.

PRECATIO.

Preces nostras, quæsumus, Domine, placatus intende, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum propter nomen tuum laudabile et gloriosum : ut te præstante, ab omnibus liberi offensis, jugiter operibus invigilemus æquitatis.

ARTICULUS LII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI SEPTUAGESIMI NONI : QUI REGIS ISRAEL, INTENDE.

HABET interea psalmus jam declarandus
1 hunc titulum : *In finem, pro his qui commutabuntur, testimonium Asaph pro Assyriis :* id est, psalmus præsens in Chri- D stum, qui est finis præcepti ac legis, nos erigens, est testimonium Asaph, id est congregationis fidelium, Christi incarnationem fideliter recipientium ; scriptusque

Digitized by Google

est pro his qui commutabuntur, id est ad A
instructionem et utilitatem eorum qui to-
to corde convertuntur ad Dominum, puta
pro Assyriis, id est vitam suam coram Deo
recte dirigentibus. Assyrii namque diri-
gentes interpretantur. Non enim sumitur
hoc loco nomen, Assyriis, pro populo illo
Thren. V, 6. de quo in Threnis asserit Jeremias : Ægy-
pto dedimus manum et Assyriis : de quo
IV *Reg.* XVII. in libro Regum habetur.

Psalmus igitur iste, secundum doctores
catholicos, de primo Christi adventu, vi-
delicet de incarnatione Salvatoris, ad litte- B
ram scriptus est. Incarnatio autem Chri-
sti, salus est totius mundi, seu omnium
electorum, qui unquam in mundo fuerunt,
exsistunt, et erunt. Una quoque est om-
nium fidelium Ecclesia, eorum videlicet
qui fuerunt ante legem, sub lege, et tem-
pore gratiæ. Hæc autem Ecclesia nomine
vineæ designatur, quoniam Deus eam co-
lit, fecundat, et regit. Sed quoniam tempo-
re legis Mosaicæ pene omnes declinabant
ad idololatriam, idcirco pro tempore illo
per vineam Domini designabatur Synago- C
ga, seu congregatio Judæorum. Tempore
quoque evangelicæ legis, per vineam Domi-
ni intelligenda est Christianorum Ecclesia,
quoniam extra Ecclesiam Christi nemo po-
test salvari, quemadmodum ait Salvator :
Joann. XV, 6. Si quis in me non manserit, mittetur foras
sicut palmes, et arescet. Sancti igitur ve-
teris Testamenti, Christi incarnationem ve-
hementissime desiderantes, Deum orabant
ut vineam suam, quam sæpe per angelos
sanctos et homines virtuosos visitaverat,
per se ipsum visitare dignaretur apparen- D
do in carne. Hoc nempe desiderare au-
debant, quoniam Deus eis hoc promisit,
Is. LII, 6. quemadmodum apud Isaiam testatur : Pro-
pter hoc sciet populus meus nomen meum
in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce
adsum. Unde et iterum beatissimus Isaias
Ibid. XXXIII, 22. prophetavit : Dominus judex noster, Do-
minus legifer noster, Dominus rex noster,
ipse veniet et salvabit nos. Per Zachariam
Zach. II, 10. quoque : Lauda et lætare, filia Sion, quia
ecce ego venio, et habitabo in medio tui.

ITAQUE duo primi versus ad Ecclesiam
Dei pertinent, quæ erat tempore legis
scriptæ : qui tamen allegorice exponuntur
de Ecclesia Dei, quæ est tempore gratiæ.
Ait ergo : (1) *Qui regis Israel,* id est, tu 2
Deus qui gubernasti Jacob patriarcham, et
populum natum ex eo, *intende,* id est, pre-
ces meas et populi tui vota misericorditer
intuere, *qui deducis velut ovem Joseph,* id
est, qui Joseph in innocentia et simplici- *Gen.* XXXVII, 2 et seq.
tate sua custodisti, velut ovem electam, ad
tuum ovile pertinentem ; vel, Velut ovem,
id est, sicut pastor ovem suam ducit, cu-
stodit et alit. Vel sic : Qui deducis Jo-
seph, id est populum Israel designatum
per Joseph, quoniam ipse erat excellentior
fratribus suis, eosque tempore famis sal- *Ibid.* XLV, 5.
vavit. Hunc populum Deus deduxit per de-
sertum, præcedens eum per columnam nu- *Exod.* XIII, 21.
bis in die, et per columnam ignis in nocte ;
potius autem per angelum sanctum, qui
columnam nubis et ignis movebat. Unde
Dominus ait ad Moysen : Ecce ego mitto an- *Ibid.* XXIII, 20.
gelum meum qui præcedat te, et custodiat
in via, et introducat ad locum quem para-
vi. In Scripturis enim, per Jacob et Israel,
intelligere possumus, vel personam illam
filium Isaac, qui dictus est Jacob et Israel, *Gen.* XXV, 25; XXXII, 28.
[vel populum ex eo ortum]. Similiter quo-
que per Joseph, interdum accipimus fi-
lium Jacob, qui Joseph vocatus est ; ali- *Ibid.* XXX, 24.
quando autem populum ex semine Joseph
ortum ; quandoque vero totum populum
Israeliticum.

(2) *Qui sedes super Cherubim,* id est, qui
omnem altitudinem creatæ scientiæ super-
excedis, et in angelicis illis spiritibus, Che-
rubim nuncupatis, resides, eos excellenter
illuminando, *manifestare,* id est, eviden-
ter te ipsum nobis ostende, descenden-
do ad nos, et nobis visibiliter apparen-
do : manifestare, inquam, *coram Ephraim,* 3
Benjamin, et Manasse, id est coram omni
populo fideli, per has tribus significato.
Per Ephraim namque, qui interpretatur
fructificatio, intelliguntur hi qui dignos *Matth.* III, 8.
pœnitentiæ fructus et opera sancta produ-
cunt ; per Benjamin quoque, qui filius dex-

Digitized by Google

træ dicitur, intelligendi sunt illi qui Deo A per operationem justitiæ fortiter feliciterque cohærent ; per Manassen vero, qui oblivio dicitur, designantur qui propter divinorum amorem, terrenorum atque carnalium omnium obliviscuntur. Qui autem hujusmodi sunt, digni et apti sunt ut Deus eis appareat. Tales vero utique exstiterunt patres antiqui, qui Christi adventum tam inhianter optabant. Sciebant enim quia beati oculi qui viderent. Et de eis Christus dixit discipulis suis : Multi reges et Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, B et audire quæ vos auditis. *Matth.* XIII, 17; *Luc.* X, 24.

*Allegorice

Moraliter *, per Israel designatur Ecclesia, Deum per fidem conspiciens : quam Deus nunc specialiter regit, dirigendo eam ad vitam æternam, quemadmodum olim specialiter rexit Synagogam, tanquam populum peculiarem. Per Joseph quoque, qui interpretatur augmentum, intelliguntur fideles ex gentilitate ad Christum conversi, et primitivæ Ecclesiæ ex Judæis collectæ adaucti : quia hi duo populi in Christo lapide angulari uniuntur sicut duo C parietes, constituuntque unam Ecclesiam. Hunc autem populum Deus deducit in hujus mundi exsilio per viam mandatorum suorum, illuminans eum per evangelicam apostolicamque doctrinam, per inspirationem occultam, per aliorum informationem. Unde apud Isaiam habetur : Hæc dicit Dominus redemptor tuus, Ego Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. *Is.* XLVIII, 17.

Sed quia non sufficit ardentissimo amatori semel aut bis divinam invocasse præ- D sentiam, ideo rursus petit quod ante petivit, scilicet Christi adventum, dicendo : (3) *Excita,* tu, Domine Deus, Unigenite Dei, *potentiam tuam,* quæ quasi obdormisse videtur, dum electos tuos non liberas, præsertim dum sanctos patres in limbo inferni dereliquisti, et universum pene mundum per idololatriam aliosque diversos errores permisisti seduci, atque diabolicæ dominationi miserabiliter subjugari. Excita ergo, id est, exerce, in actum extende, declara potentiam tuam, qua potes fortem armatum (id est diabolum) ligare, et vasa ejus diripere, id est peccatores salvare ; *et veni,* non per legatum, sed in propria persona per carnem assumptam, *ut salvos facias nos* a reatu originalis peccati, imo ab omni peccato mortali et veniali, et a potestate diaboli. Ob hæc enim Christus advenit, quemadmodum Joannes dicit : In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Potest etiam quilibet nostrum pro se ipso quotidie ista orare, videlicet ut Dominus per gratiæ infusionem seu spiritualem adventum ad ipsum descendat, sicut Salvator de se ipso et Deo Patre loquens, Ad eum (inquit) veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Matth.* XII, 29 ; *Marc.* III, 27; *Luc.* XI, 21, 22. I *Joann.* III, 8. *Joann.* XIV, 23.

4 (4) *Deus, converte nos,* id est, corda nostra tuo adventui præpara, a rebus caducis et vanis averte, tibi incommutabili bono fac inhærere ; *et ostende faciem tuam,* id est, te ipsum nobis manifesta, apparendo in forma visibili. Vel, Ostende faciem tuam, id est, placatus respice nos, et ne nobis tuis famulis indigneris. Vel, Ostende faciem tuam post hanc vitam, quatenus videamus te in patria facie ad faciem, id est sicuti es, atque per speciem : quemadmodum in prima sua Canonica ait Joannes : Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Itaque ostende nobis statim post egressum a corpore, faciem tuam, id est essentiam tuam, ut simus sicut angeli Dei, de quibus scriptum est : Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris, etc. Hujus faciei ostensionem concupivit Moyses, dicens : Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. Si autem sic feceris, Domine, *et salvi erimus,* in præsenti vita a culpa, et in futuro a pœna; erimus quoque salvi, id est beati, nunc in spe et inchoative, post vero in re et completive. I *Cor.* XIII, 12. I *Joann.* III, 2. *Matth.* XVIII, 10. *Exod.* XXXIII, 13.

5 (5) *Domine, Deus virtutum,* id est dator et conservator omnium potestatum, sine

Digitized by Google

quo nil valet omnis natura creata. Vel, A
Deus virtutum, id est angelorum sancto-
rum, qui omnes dici solent virtutes : de
Luc. xxi, 26. quibus et Christus testatur, Virtutes cœlo-
rum movebuntur; *quousque irasceris su-*
per orationem servi tui? id est, quamdiu
precem famuli tui repelles, exaudireque
6 differes? Et quousque etiam (6) *Cibabis*
nos pane lacrimarum, id est, doloribus et
ærumnis nos implebis, aut impleri permit-
tes, sicut impletur quis cibo? *Et* quamdiu
potum dabis nobis in lacrimis, id est, po-
tu lacrimarum nos implebis (sicut de pa- B
ne prætactum est), *in mensura* justitiæ
tuæ, id est tam vehementer sicut merui-
mus, scilicet secundum exigentiam culpa-
rum nostrarum, non relaxando tormen-
Apoc. xviii, 7. tum? quemadmodum testatus es, Quantum
glorificavit se et in deliciis fuit, tantum
date illi tormentum et luctum. Vel, In men-
sura, id est secundum nostram possibili-
tatem, videlicet quantum ferre nos posse
I Cor. x, 13. cognoscis. Non enim permittis nos ten-
tari supra id quod possumus ferre, sed fa-
cis cum tentatione proventum, ut possi- C
mus sustinere. Est autem quidam panis et
potus lacrimarum valde desiderabilis et
salubris, sicut sunt lacrimæ prodeuntes ex
pœnitentia pro peccatis, ex caritate divina
pro desiderio regni cœlestis, ex dilectio-
ne proximi, ex compassione infirmitatis
ipsius : et hic cibus veraciter animam re-
ficit, indulgentiam obtinet, gratiamque ac-
quirit.
7 (7) *Posuisti nos in contradictionem vici-*
nis nostris : id est, in tantum opprobrium
atque miseriam nos venire et cadere per- D
misisti, quod hostes nostri, nobis loco pro-
pinqui, audenter contradicunt nobis; *et*
inimici nostri subsannaverunt nos, quasi
inaniter Deum coleremus. Hoc modo Sy-
nagoga reprobabatur et subsannabatur a
Babyloniis, tempore transmigrationis, et
post reditum ad terram Judææ a Samari-
tanis, secundum quod in libro Esdræ fre-
II Esdr. iv, 1. quenter habetur: Factum est, inquit, quum
audisset Sanaballat quod ædificaremus mu-
rum, iratus est valde, et subsannavit Ju-
dæos. Sed et Tobias proximus ejus dixit : II Esdr. iv, 3.
Ædificent; si ascenderit vulpes, transiliet
murum eorum. Primitiva quoque Ecclesia
Christi, multiplicem contradictionem sus-
tinuit : primo a Judæis, ut patet in Acti- Act. iv et seq.
bus Apostolorum; deinde per totum mun-
dum a paganis, ut scribitur in legendis
Sanctorum. Pro hujus contradictionis et
subsannationis amotione orat Jeremias :
Ne nos des in opprobrium propter nomen Jer. xiv, 21.
tuum, neque facias nobis contumeliam.
Verumtamen Paulus hanc contradictionem
et subsannationem non timuit, cui Athe-
nienses philosophi dixerunt : Quid vult Act. xvii, 18.
seminiverbius hic dicere? Novorum dæ-
moniorum videtur annuntiator esse. Nihi-
lo minus propter duas causas potest homo
perfectus Deum orare, pro ablatione sub-
sannationis et contradictionis hujusmodi :
Primo, propter periculum infirmorum, ne
in adversis frangantur. Secundo, propter
caritatem adversariorum, quorum errori
condolere debemus ex vera caritate, ne
pereant : et ita possumus desiderare ut
cessent nos persequi, ne Deum offendant,
et damnationem incurrant.
(8) *Deus virtutum, converte nos.* Non 8
enim sine gratia tua prævenienti conver-
ti valemus, quemadmodum a Jeremia di-
citur : Converte nos, Domine, ad te, et Thren. v, 21.
convertemur. Unde et iterum flagitat Je-
remias : Converte me, Domine, et con- Jer. xxxi, 18, 19.
vertar. Postquam enim convertisti me, egi
pœnitentiam. *Et ostende faciem tuam,*
nunc per fidem et gratiam, in futuro quo-
que per speciem et gloriam, *et salvi eri-*
mus. Ex quo clarissime constat, quod sa-
lus seu beatitudo nostra, in ostensione
seu visione divini vultus consistit, videli-
cet in actu intellectus. Unde Salvator ait :
Hæc est vita æterna, ut cognoscant te so- Joan. xvii, 3.
lum verum Deum, et quem misisti Jesum
Christum. Denique Christus promittit fa-
ciei suæ ostensionem pro præmio, dicens:
Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et Ibid. xiv, 21.
ego diligam eum, et manifestabo ei me
ipsum. Propter quod Augustinus : Visio,
inquit, est tota merces. Non ergo (ut aliqui

putant) beatitudo in actu voluntatis essentialiter sita est.

9 (9) *Vineam de Ægypto transtulisti :* id est, Synagogam seu populum Judæorum de terra Ægyptiorum eduxisti, atque per modum agricolæ eam in alia terra transplantasti, videlicet in terra promissionis. Dicitur autem Synagoga vinea, quoniam Deus diligenter eam excoluit, purgavit, fe-
Cant. II, 4. cundavit, et in cellam suam vinariam introduxit, ut habetur in Canticis. Propter
Is. V, 7. quod apud Isaiam asseritur : Vinea Domini exercituum, domus Israel est ; et vir Juda, germen delectabile ejus. *Ejecisti gentes* Chananæorum de terra promissionis, *et plantasti eam,* id est, populum Judæorum in terra hac firmiter collocasti, et sine ullo pavore habitare fecisti.

10 (10) *Dux itineris fuisti in conspectu ejus,* id est, populum Hebræorum in via duxisti de Ægypto usque in terram eis promissam, præcedendo eos per angelum san-
Exod. XIII, vers. 2. ctum et columnam ignis ac nubis : quemadmodum paulo ante plenius dictum est ; *et plantasti radices ejus,* id est, genitores seu patres, duces ac principales populi hujus fortiter roborasti in anima, stabiliterque locasti in terra prædicta ; *et implevit terram,* id est, populus iste multiplicatus est longe ac late, et per totam terram promissionis diffusus. Quanta enim fuerat multitudo populi hujus tempore David,
Par. XXI, 6. scriptum est primo Paralipomenon : Dedit Joab numerum populi David ; et inventus est omnis Israel mille millia, et centum millia virorum ; de Juda autem quadringenta septuaginta millia. Nam Levi et Benjamin non numeravit, eo quod invitus exsequeretur imperium regis. Ecce quomodo populus iste terram implevit. Nam quando post egressionem de terra Ægypti, pri-
Num. I, 46. mo a Moyse numerabantur, erant circa sexcenta millia tantum, et tempore David erant fortasse in triplo plures.

11 (11) *Operuit montes umbra ejus :* id est, vinea ista tam alte excrevit, quod umbra ejus montes operuit : quia tam sublimes personæ ex populo isto natæ fuerunt, videlicet reges, Prophetæ, Nazaræi, sacerdotes et judices : quorum *umbra,* id est gratia in hac vita concessa (quæ gratia umbra est respectu gratiæ quæ habetur in patria), *operuit,* id est, vehementer transcendit atque excessit, *montes,* id est sublimes personas aliarum nationum et omnium gentium. Unde Moyses : Non est, inquit, Deut. IV, 7.
alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest Dominus noster cunctis obsecrationibus nostris. Et denuo : Quæ est alia gens sic inclyta, ut Ibid. 8.
habeat cærimonias justaque judicia, et universam legem, sicut populus Israel ? Per umbram quoque intelligi possunt cærimoniæ veteris legis : quæ erant obscuræ figuræ, non evidentes similitudines futurorum bonorum, juxta illud Apostoli, Um- Hebr. X, 1.
bram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Quemadmodum enim Dionysius docet, status christianæ religionis medio modo se habet inter statum veteris Testamenti et statum Beatorum in patria : ideo quæ in novo Testamento geruntur, sunt evidentes similitudines futurorum cœlestiumque bonorum, id est status patriæ et eorum quæ illic geruntur ; sed quæ in veteri Testamento fiebant, erant remotæ atque obscuræ figuræ futurorum bonorum. Est igitur sensus : *Operuit montes umbra ejus :* id est, lex cærimonialium præceptorum atque figuræ veteris Testamenti, operuit nostro intellectui, id est, obscuros et ad intelligendum difficiles reddidit, montes, id est Prophetas, qui propter gratiæ excellentiam montes dicuntur. Obscure enim et quasi in umbra loquuntur. *Et arbusta ejus cedros Dei.* Arbusta sunt, quæ juxta arborem nasci solent : per quæ hoc loco intelliguntur augmenta seu excrementa vineæ, videlicet posteri Patriarcharum patrumque filii, quorum adoptionis gratiæ atque imperii dignitas tanta fuit, ut cedros Dei, id est excellentes valde personas, excellant. Ex Patriarchis enim et populo ex Ægypto translato, orti sunt sanctissimi et maximi reges, Prophetæ, sacerdotes, et alii multi altissimæ gratiæ homines.

Digitized by Google

Qui autem vineam istam omnino ad
litteram vellet exponere, hunc quoque ver-
siculum posset corporaliter explanare. *Ope-
ruit montes umbra ejus :* id est, ædificia,
turres, domus et muri populi Judæorum
tam alte erant constructa, quod propter
eorum sublimitatem montes terræ Israel,
quæ montuosa est, radiis solis privaban-
tur, sicque umbram patiebantur. Et prope
Jerusalem in gyro montes fuerunt, quos
certum est sole oriente umbram sustinuis-
se ad tempus, ex uno latere urbis, propter
altitudinem ædificiorum ipsius. Unde de
II *Par.* xvii, 12. Josaphat dicitur, quod ædificavit in Jeru-
salem domos in modum turrium altas. *Et
arbusta ejus,* id est tuguria juxta ædificia
sita, vel arborum excrementa, operuerunt
propter suam altitudinem *cedros Dei,* id
est cedros terræ promissionis : quæ di-
cuntur cedri Dei, quia fuerunt cedri terræ
divinitus præelectæ.

Descripta altitudine vineæ hujus, descri-
12 bitur latitudo ipsius dum subditur: (12) *Ex-
tendit palmites suos usque ad mare :* id
est, vinea seu populus Judæorum filios
genuit, quorum habitatio protensa est us-
que ad mare Mediterraneum ; extendit *et
usque ad flumen* magnum Euphraten *pro-
pagines,* id est generationes suas : et ita
possederunt filii Israel omnem terram sibi
promissam, multiplicatique sunt in ea a
termino uno usque ad terminum alium.

Quum ergo, o Domine, tanta bona præ-
13 stiteris olim vineæ huic, (13) *Ut quid* post-
modum *destruxisti,* id est abstulisti, *ma-
ceriam ejus,* id est sepem, parietem, seu
protectionem, subtrahendo ei tuum auxi-
lium, angelicamque defensionem? Quibus
destituta, in idololatriam et alia multa fa-
cinora lapsa est, promeruitque quod se-
quitur : *et vindemiant,* id est, vastant,
conculcant et destruunt *eam omnes qui
prætergrediuntur viam,* id est omnes na-
tiones gentilium, in circuitu ejus et procul
manentes. Porro hoc modo destructurum
se esse maceriam vineæ hujus, per Isaiam
Is. v, 5. Dominus prædixit : Ostendam, inquiens,
vobis quid faciam vineæ meæ : auferam
A sepem ejus, et erit in conculcationem.
Quod et factum ostendit apud Jeremiam :
Pastores multi demoliti sunt vineam meam. *Jer.* xii, 10.
Unde et primo Machabæorum inducitur :
Quæ gens non hereditavit regnum ejus, et I *Mach.* ii, 10.
non obtinuit spolia ejus? (14) *Extermina-* 14
*vit eam aper de silva, et singularis ferus
depastus est eam.* Quidam Cassiodorum
imitantes, per aprum intelligunt Vespa-
sianum; per singularem vero ferum, fi-
lium ejus Titum : sed non videtur. Nam
populus Judæorum tempore devastationis
B suæ sibi a Vespasiano et Tito inductæ,
nullo modo erat vinea Domini, quia nec
Deus coluit eam per gratiam, nec ipsa co-
luit Deum per fidem : sed erat populus
ille pro tunc, sicut et nunc, omnino infi-
delis et reprobus; habuitque veritatem in
eis, quod ait Joannes in Apocalypsi, Dicunt *Apoc.* ii, 9.
se Judæos esse, et non sunt, sed sunt sy-
nagoga Satanæ. Aptius ergo per aprum et
singularem ferum, accipimus eumdem ty-
rannum, sive ille dicatur fuisse Nabucho-
donosor, sive Antiochus. Horum namque
C uterque exterminavit, id est extra proprios
terminos posuit, populum istum, ædificia
ejus destruendo, et habitatores transfe-
rendo seu effugando : sicut de Juda Ma-
chabæo et fratribus ejus legitur, quod in- II *Mach.* v, 27.
ter feras in desertis locis morabantur. Et
hic singularis ferus depastus est vineam
istam, populum hunc terribiliter trucidan-
do. Judæi autem in sua perfidia indurati,
per aprum singularemque ferum intelli-
gunt Titum seu Vespasianum.

Hæc vero, quæ de Synagoga sub nomine
D vineæ dicta sunt, de Ecclesia Christi my-
stice accipi possunt hoc modo : *Vineam,*
id est militantem Ecclesiam seu populum
christianum, *de Ægypto,* id est de sæculo
isto tenebroso, *transtulisti* in regnum Chri-
sti, ut essent Christiani tui heredes, et *Rom.* viii, 17.
Christi coheredes. Propter quod ait Apo-
stolus : Deus eripuit nos de præsenti sæ- *Galat.* i, 4; *Coloss.* i, 13.
culo nequam, et transtulit nos in regnum
Filii dilectionis suæ. *Ejecisti gentes,* id est,
gentiles commutasti in melius, converten-
do eos ad fidem, et converti nolentes feci-

Digitized by Google

sti deficere; *et plantasti eam,* id est, po- A
pulum christianum habitare fecisti in locis
et terris, in quibus gentiles olim morati
sunt; vel, Plantasti eam in Christo per fi-
dem et caritatem. *Dux itineris fuisti in
conspectu ejus :* quia Apostolos per totum
mundum duxisti, et omnes electos per gra-
tiam ad te ipsum omnium rerum ultimum
finem perducis, quemadmodum protesta-
Joann. XIV, 6. ris : Ego sum via, veritas, et vita. Nemo
venit ad Patrem, nisi per me. Et iterum :
Ibid. 18, 28. Non relinquam vos orphanos; vado et ve-
nio ad vos. *Et plantasti radices ejus :* id B
est, primos Ecclesiæ principes, aliorum
utique spirituales genitores, videlicet Apo-
stolos et eorum præcipue sectatores, ut
erant Dionysius, Polycarpus, Ignatius, in
Christo inconcusse corroborasti, ita ut pos-
sent ipsi alios in Christo fundare, sicut
fundatur palmes in vite. Nam et Christus
Ibid. XV, 1, 5. ait : Ego sum vitis vera, vos palmites. *Et
implevit terram :* quia Ecclesia per uni-
versum orbem diffusa est. Unde scriptum
Is. XXVII, 6. est in Isaia : Florebit et germinabit Is-
rael, et implebunt faciem orbis semine. C
Quod exponi non potest de carnali genera-
tione et multiplicatione Judæorum, sed de
spirituali generatione Apostolorum, ex po-
pulo Israel prodeuntium, et multiplicatio-
ne fidelium, qui sunt semen Apostolorum.
Operuit montes umbra ejus : id est, ele-
ctio Christianorum omnem altitudinem
gratiæ aliis datæ excessit. Nam et Aposto-
li secure præferuntur Prophetis, et Eccle-
sia Synagogæ. *Et arbusta ejus, cedros Dei:*
quoniam gratia major effusa est in com-
munem populum christianum, quam olim D
in homines Dei sublimes. *Extendit* Ecclesia
palmites suos, id est filios suos, *usque ad
mare* occidentale a mari orientali, quem-
Zach. IX, 10. admodum de Christo alibi habetur : Pote-
stas ejus a mari usque ad mare. *Et usque
ad flumen,* id est fontem Baptismi, exten-
dit *propagines* suas : quoniam quotquot
gignit Ecclesia, omnes intingit Baptismatis
aqua, sicut Salvator præcepit Apostolis :
Matth. XXVIII, 19. Docete omnes gentes, baptizantes eos in
nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.
Propter quod Petrus propagini, quam in
exordio suæ prædicationis in Christo pro-
duxit, dixisse scribitur : Baptizetur unus- Act. II, 38.
quisque vestrum in nomine Christi, in re-
missionem peccatorum vestrorum. *Ut quid
destruxisti maceriam ejus?* id est, cur per-
misisti Ecclesiam ita deficere, tuo auxilio
ei subtracto? *Et vindemiant eam,* id est,
spiritualibus bonis eam spoliant, *omnes
qui prætergrediuntur viam,* id est, qui
mandatorum tuorum semitas transgrediun-
tur, videlicet dæmones, hominesque per-
versi. *Exterminavit eam aper de silva,* id
est, Mahometus Sarracenorum legislator,
cujus populus Ecclesiam Jerosolymorum
subvertit. *Et singularis ferus depastus est
eam.* Per hunc singularem ferum, intelligi
potest ipse Mahometus, seu quilibet crude-
lis tyrannus aut hæresiarcha.

(15) *Deus virtutum, convertere,* id est, 15
te ipsum ad nos clementer converte, quem-
admodum testatus es : Convertimini ad Zach. I, 3.
me, ait Dominus exercituum, et convertar
ad vos. *Respice de cœlo,* oculo pietatis tuæ
immensæ, *et vide* indigentiam nostram; *et
visita* in propria persona *vineam istam,* id
est Ecclesiam tuam; visita quoque corda
humana quotidie per gratiæ infusionem, et
spiritualium bonorum augmentum. (16) *Et* 16
perfice eam, scilicet Ecclesiam, dando ei
spiritualem profectum et evangelica con-
silia, quibus perficiuntur præcepta; *quam
plantavit* in fide et individua caritate, *dex-
tera tua,* id est misericordia tua, seu po-
tentia tua benigna. Christus enim stabilivit
Ecclesiam suam in terra. Specialiter au-
tem vide *et super filium hominis,* id est
Christum, qui se ipsum in Evangelio sæpe Matth. VIII,
appellat hominis Filium, in cujus figura 20 et alibi.
Ezechiel tam frequenter dictus est filius Ezech. II,
hominis; *quem* Christum *confirmasti ti-* 1, 3, etc.
bi, id est, inseparabiliter tuæ divinitati
conjunxisti, tam secundum unionem per-
sonalem, quam secundum unionem fruiti-
vam. Et ita Christus homo peccare non
potuit, nec aliquo modo separari a Deo :
nam et in triduo mortis, corpus ejus et
anima Verbo manserunt unita. Vel, Super

Digitized by Google

Filium tuum dilectum Dominum Jesum, quem confirmasti tibi, id est, quem firmiter testatus es esse Filium tuum, confirmando eum tibi in conspectu hominum, dicendo ad eum tam in baptismo quam in monte sancto, Hic est Filius meus carissimus, in quo mihi complacui. *Matth.* III, 17; XVII, 5.

17 Si autem sic feceris, (17) *Incensa igni,* id est peccata ex igne concupiscentiæ seu flamma inordinati amoris commissa, *et suffossa,* id est peccata ex timore malo, deprimente et humiliante, provenientia, *ab increpatione vultus tui peribunt,* id est, in peccatore pœnitente cessabunt per increpationem tui respectus, dum hominem paternaliter increpas, corrigendoque respicis, illuminas, et convertis. In his vero qui in vitiis perseverant, peribunt ista peccata, id est, æternaliter damnabuntur ab increpatione vultus tui, id est a rigore tuæ divinæ justitiæ, quando peccatoribus dices : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Ibid.* XXV, 41. Sciendum vero, quod sicut omnia opera meritoria veniunt ex bono amore, aut bono timore, sic omnia opera mala nascuntur aut ex malo amore, aut malo timore. Timor autem ad amorem, sicut ad causam atque radicem reducitur : non enim timemus, nisi cujus oppositum amamus. Idcirco omnia opera bona originaliter ex amore divino procedunt : nam sine caritate nihil est meritorium. Omnia quoque mala ex inordinato amore nascuntur.

18 (18) *Fiat manus tua,* id est divinitatis tuæ potentia, o Deus Pater, *super virum dexteræ tuæ,* id est super Christum hominem, ita quod tua divinitas ejus humanitati in omnibus cooperetur, et per eam, nostram salutem finaliter operetur : secundum quod ipse Christus ait, Pater in me manens, ipse facit opera ; *Joann.* XIV, 10. *et super filium hominis,* id est Christum filium Deiferæ Virginis, *quem confirmasti tibi.* Secundum modum expositum, secunda pars exponit priorem. Dicitur autem Christus vir dexteræ Dei : Primo, quoniam favor, amor, gratia et misericordia, et felix Dei præsentia, in omnibus plene ejus humanitatem prævenit, implevit et beatificavit, prout scriptum est : Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. *Joann.* I, 14. Secundo, quoniam secundum divinitatem æqualis est Patri : quæ æqualitas nomine dexteræ designatur. Tertio, quoniam sedet ad dexteram Dei Patris, juxta illud : Dominus Jesus assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. *Marc.* XVI, 19. (19) *Et non dis-*
cedimus a te, id est, non cessamus clama- 19
re ad te, et invocare præsentiam Christi : idcirco fiducialiter dico, quia *vivificabis nos,* vita gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro, per meritum incarnationis et passionis Domini Salvatoris. Tu enim per Isaiam tuum dixisti : Ego Dominus, super quo non confundentur omnes qui exspectant eum. *Is.* XLIX, 23. *Et nomen tuum invocabimus,* donec æternam beatitudinem impetremus. Non ergo discedamus a Deo, si differat exaudire, sed dicamus cum Job : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. *Job* XIII, 15.

(20) *Domine, Deus virtutum, converte* 20
nos, etc. Ecce jam trina vice versum hunc repetit : quoniam in summæ Trinitatis visione nostra salus consistit ; et item ad designandum affectus sui fervorem, hujusque versiculi utilitatem, dulcedinem et virtutem. Est enim hic versus admirabili potestate refertus, quia in eo petitur quod ad nostram salvationem requiritur, etiam eo ordine quo petendum est. Primo enim a Deo convertimur, quia ab eo est omnis boni principium, deinde divinitus illustramur, et ita deinceps salvi efficimur.

Explicari non potest, quanta sit virtus, dignitas atque sententia hujus versus. In eo namque quod dicitur, *Domine, Deus virtutum,* tangitur divina majestas, quæ est omnium potestatum fontana origo ; excitaturque anima nostra ad reverentialem tanti Dominatoris timorem, de quo a Jeremia scriptum est : Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o rex gentium ? *Jer.* X, 6, 7. In eo quoque quod additur, *converte nos,* profitemur totam nostram perfectionem et salutem a Deo penitus dependere inchoative, prose-

Digitized by Google

cutive et completive, in tantum ut ipsa A primordialis nostra conversio, sit Dei largitio. Quod Salomon innuens, sic orat : (leg. VIII, 58.) Sit Dominus Deus noster nobiscum, et inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in omnibus viis ejus. Quod autem prosecutio seu continuatio boni, sit donum Altissimi, David alio loco professus est, dicens : (r. XXIX.) Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem eorum, et semper in veneratione tui mens ista permaneat.

In eo autem quod sequitur, *et ostende faciem tuam,* accenditur et certe merito in- B comparabili flamma amoris æstuare debet in nobis divina dilectio. Quid enim tam bonum, quid tam amabile, dulce, pulchrum, salubre, jucundum et nobile, sicut videre faciem Dei? O facies pulchra, o pulchritudo immensa, o felicitas infinita ! Promittitur nobis adspectus faciei Creatoris nostri : sed quis eam videre dignus habebitur, nisi cujus anima fuerit ab omni immunditia depurata ? (th. V, 8.) Propterea, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ecce si Deum diligimus, affectuose C dicamus, Ostende faciem tuam : et tanto affectuosius, quanto frequentius. Non enim decet nos, ex frequenti iteratione et longa consuetudine in bono tepescere, pristinam sollicitudinem perdere, aut remissius agere. Qui enim opus Dei non negligenter, sed (Jer. XLVIII, 10.) reverenter exsolvit, quotidie in gratia crescit : sicque de die in diem divinum obsequium perfectius solvit. Indesinenter igitur Dominum deprecemur ut faciem suam nobis ostendat, nunc quidem per fidem illuminatam et gratiæ claritatem, contemplationemque quotidie sinceriorem, in futuro autem per speciem et gloriæ lumen. Tanto demum faciem Dei clarius jucundiusque conspiciemus in præsenti exsilio, futuroque sæculo, quanto nunc affectuosius exoramus hunc versum, qui veraciter inæstimabili dulcedine superexuberat.

Sed et totus hic psalmus præclarus est nimis; et liquet in eo, quam vehementissimo desiderio veteres sancti Christi adventum optabant : et turpe est nobis, si ejus incarnationem jam factam, minori dilectionis fervore amplectimur, quam illi futuram desiderabant.

PRECATIO.

Deus, Pater virtutum, esto propitius dux itineris recti in conspectu populi, Filii tui sanguine redempti : ut forti a te plantata radice christianæ professionis, impleat terram æternæ repromissionis.

ARTICULUS LIII

EXPOSITIO PSALMI OCTOGESIMI : EXSULTATE DEO ADJUTORI NOSTRO.

Est autem psalmi jam perscrutandi ti- D 1 tulus iste : *In finem, pro torcularibus, quinta sabbati, psalmus ipsi Asaph.* Titulus hic magis pertinere videtur ad mysticam, quam ad litteralem psalmi præsentis explanationem, præsertim quum multa habeantur verba in eo, quæ nec in Hebræo ponuntur, nec in titulo Hieronymi juxta Hebræum. Idcirco in sequenti explanatione, in qua psalmus iste spiritualiter exponetur, præinductus quoque titulus correspondenter explanabitur. Porro Hieronymus, in translatione sua juxta Hebræum, talem titulum ponit: Victori in torcularibus, Asaph. Pro cujus intellectu habendo, pensandum quod psalmus iste specialiter erat decantandus in festo Tubarum, quod fuit primo die Septembris : circa quod tempus solent esse completæ vindemiæ in terra promissionis, quoniam calida est : idcirco tunc

Digitized by Google

fiebant libamina sacrificiorum in templo. A
Et ergo hic psalmus titulum sortitur a tor-
cularibus, unde vina exprimuntur, quia
in eo redditur Deo gratiarum actio pro
fructibus anni collectis.

2 AIT ergo : (1) *Exsultate Deo adjutori*
nostro : id est, ad gloriam et honorem
ac laudem Dei, nos in omni bono adjuvan-
tis per gratiam suam, tam cordialiter ac
vehementer gaudete in eo, ut ex abundan-
tia interioris lætitiæ, foris erumpant signa
gaudii interioris. Dicitur enim exsultatio, B
quasi extra se saltatio, puta dum ex ple-
nitudine gaudii interioris, extra manife-
stantur ejus indicia. *Jubilate Deo Jacob,*
id est, ineffabiliter intus gaudete, et foris
affectuosissima laude Deo cantate. Est
enim jubilus gaudium animi, quod præ
vehementi excessu nec integre valet ex-
plicari, nec in toto taceri. Dicitur autem
Deus universorum, specialiter Deus Jacob,
propter excellentissimam gratiam sibi col-
Baruch III, 37. latam. Unde de Deo ait Scriptura : Dedit
3 viam disciplinæ Jacob puero suo. (2) *Su-* C
mite psalmum, ut eum Deo devote cante-
tis, *et date tympanum :* id est, non tantum
voce, sed etiam musico instrumento Deum
laudate, et simul cum sono tympani psal-
mos vocibus decantetis. Solebant enim
Hebræi instrumentis musicalibus psalmos
cantare, sicut nunc in organis cantat Ec-
clesia. Sic quoque date *psalterium jucun-*
dum cum cithara, laudando Deum in tali-
I *Par.* XIII, 8. bus instrumentis : secundum quod David
instituit.
4 (3) *Buccinate in neomenia,* id est in die D
novilunii, *tuba,* ad buccinandum forma-
Num. x, 2. ta : quoniam Moyses jussit fieri tubam ad
hoc. Judæi autem in omnibus noviluniis
agebant festum in memoriam gubernatio-
nis divinæ. In novilunio vero septimi men-
sis communiter occurrebat festum Tuba-
rum, apud Hebræos valde solenne, in
memoriam redemptionis Isaac ab immo-
Lev. XXIII, 24. latione, prout in Levitico legitur. Idcirco
nunc subditur : *in insigni die solennitatis*
vestræ, id est in solenni festo Tubarum.

Cur autem hæc agere debeant, pandit :
(4) *Quia præceptum in Israel est,* quoniam 5
Dominus jussit sic fieri in populo Israeli- *Num.* XXIII, 1.
tico, sicut habetur in libro Numerorum.
Et judicium Deo Jacob : id est, istud
mandatum est a Deo Jacob, qui hoc ju-
stum esse dictavit. Vel sic, Judicium Deo
Jacob, id est, judicium damnationis erit
Jacob, id est populo ex Jacob nato, a Deo
omnium justo judice, si populus iste omi-
serit istud præceptum implere.
(5) *Testimonium in Joseph posuit illud :* 6
id est, Deus istud præceptum cum attesta-
tione proprii testimonii proposuit Joseph,
id est populo Judæorum per Joseph desi-
gnato, propter hoc quod Jacob primogenita I *Par.* v, 1.
contulit ei, et ipse aliis fratribus suis san-
ctior atque sublimior fuit. *Quum exiret*
Joseph, id est populus Judæorum, *de ter-*
ra Ægypti per manum Moysis. *Linguam*
quam non noverat audivit, id est, legem
divinam a Deo per Moysen sumpsit, quam
ante nescivit. Vel hoc ideo dicitur, quo-
niam populus Judæorum, quum accessis-
set ad montem Sinai, audivit Deum, vel
potius angelum Dei sibi loquentem de me-
dio ignis : propter quod territi, dixerunt
ad Moysen : Non loquatur nobis Deus, ne *Exod.* XX, 19.
forte moriamur ; sed loquere tu nobis.
Propter quod Moyses : Ecce, inquit, osten- *Deut.* v, 24.
dit nobis Dominus Deus noster majesta-
tem suam ; et probavimus hodie, quod
loquente Deo cum homine vixerit homo ;
vocem ejus audivimus de medio ignis. Vel
quod dicit, Linguam quam non noverat
audivit, forsitan ideo dicit, quoniam filii
Israel in Ægypto nati et educati, quum
venissent ad terras Amorrhæorum, Madiani-
tarum, Moabitarum, Idumæorum, etc., lin-
guas ignotas audierant. (6) *Divertit ab one-* 7
ribus dorsum ejus : id est, Deus populum
Judæorum eripuit a deportatione onerum,
quæ portabant in terra Ægypti ex imperio
Pharaonis, construentes ei civitates taber- *Exod.* I, 11.
naculorum, ut patet in Exodo; *manus ejus*
in cophino servierunt. Nam filii Israel in
sportis collegerunt et detulerunt lateres,
seu alia quæque necessaria ad structuram.

Digitized by Google

Deinde mutat Propheta personam, lo-
8 quiturque in persona Dei, subdens : (7) *In
tribulatione invocasti me :* id est, o popu-
le Judæorum, dum in Ægypto affligebaris
a præpositis operum atque Ægyptiis, vitam
vestram ad amaritudinem perducentibus,
Exod. II, 23. clamasti ad me pro liberatione; *et liberavi
te* in manu forti et maximis signis. Hinc
Ibid. III, 9, 8. enim Dominus ait ad Moysen : Clamor
filiorum Israel venit ad me, descendique
ut liberem eos. *Exaudivi te in abscondito
tempestatis,* id est in afflictione cordis tui
occulta, quando gemebunde suspirabas ad
me, non audens manifeste me invocare
aut conqueri, propter Ægyptiorum formi-
dinem ; *probavi te apud aquam Contradi-
ctionis,* id est, ibi ostendi tuam ingrati-
tudinem et perversitatem. Unde in libro
Num. XX, 13. Numerorum legitur : Hæc est aqua Contra-
dictionis, ubi jurgati sunt filii Israel con-
tra Dominum. Potest quoque istud spe-
cialiter ad Moysen Aaronque referri, qui
circa hunc locum Deum per incredulita-
tem offenderunt, propter quod terram pro-
missionis intrare prohibiti sunt, dicente ad
Ibid. 12. eos Domino : Quia non credidistis mihi, ut
sanctificaretis me coram filiis Israel, non
introducetis hos populos in terram quam
dabo eis.

9 (8) *Audi, populus meus* peculiaris, ver-
ba legis meæ auribus cordis et corporis,
et contestabor te, id est, testis ero verborum
meorum, operumque tuorum : juxta illud,
Jer. XXIX, 23. Ego sum judex et testis, ait Dominus. *Is-
rael,* id est plebs Israelitica, *si audieris
me,* id est, si præcepta legis meæ imple-
10 veris, *non erit in te deus recens,* quem
colas : quia nil temporale aut creatum
pro Deo recipies ; *neque adorabis deum
Exod. XX, 3, 2. alienum,* sed me solum, verum, æternum-
11 que Deum. (9) *Ego enim sum Dominus
Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti,*
et adhuc plura beneficia dare paratus sum.
Nam *dilata os tuum,* id est, desiderium
tuum aperi ad recipiendum, et os corpo-
rale ad petendum, *et implebo illud* gratia
mea, dando tibi quod postulas.

Consequenter ostenditur populi ingrati-
A tudo. (10) *Et non audivit populus meus* 12
aure cordis *vocem meam,* id est verba præ-
ceptorum meorum ; *et Israel non intendit
mihi,* id est, non advertit neque curavit
me. Sed mirum apparet, quod Deus po-
pulum rebellem et inobedientem appellat
populum suum, præsertim quum de tali
populo per Osee prophetam dicat : Non Osee I, 9.
populus meus vos, et ego non Deus vester.
Et respondendum, sicut nunc sæpius di-
ctum est, quod populus Judæorum (etiam
reprobus) dicitur populus Dei, in quantum
B a Deo præ ceteris gentibus vocati erant, et
multis beneficiis ejus honorificati. Ideo
namque Dominus apud Jeremiam ait : Sic- Jer. XIII, 11.
ut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic
agglutinavi mihi domum Israel, ut esset
mihi in populum, et in nomen, et in lau-
dem, et in gloriam ; et non audierunt. Sic
quoque dicuntur dilecti a Deo, secundum
quod Dominus apud eumdem ait : Quid Ibid. XI, 15.
est, quod dilectus meus in domo mea fe-
cit scelera multa ? Non quod vere atque
finaliter dilecti erant a Deo, de quo di-
C ctum est supra, Odisti omnes qui operan- Ps. V, 7.
tur iniquitatem ; sed quantum ad bene-
ficia eis a Deo exhibita in præsenti, di-
cuntur dilecti. Hujus autem ingratitudinis
gravissima pœna mox subditur : (11) *Et* 13
*dimisi eos secundum desideria cordis eo-
rum :* id est, gratiam meam eis subtraxi :
qua subtracta, non præservantur a cul-
pa, sed concupiscentias suas sequuntur, et
proprias cogitationes et inclinationes se-
ctantur. Propter quod additur : *ibunt in
adinventionibus suis,* id est, in erroribus
D suis et vitiis a se excogitatis vivent et per-
durabunt.

(12) *Si populus meus audisset me,* id est 14
legem meam, *Israel si in viis meis,* id est
in observantiis mandatorum meorum, *am-
bulasset ;* (13) *Pro nihilo,* id est tanquam 15
nihil seu gratis, *forsitan,* id est certitudi-
naliter, dummodo ipsi in viis meis perse-
verassent, *inimicos eorum humiliassem,* id
est, septem gentes terræ promissionis, et Exod. III, 8;
ceteros gentiles eorum hostes dejecissem, XIII, 5; XXIII, 23; XXXIII, 2;
atque potestati eorum subjugassem, sicut et alibi.

per Moysen sæpe promisi ; *et super tribu-* A
lantes eos, id est super persecutores eo-
rum, *misissem manum meam,* id est, po-
testatem meam et ultionem justitiæ meæ
extendissem.
16 (14) *Inimici Domini,* id est Judæi in-
Num. xx, 10. grati : de quibus Moyses loquitur, Audite,
rebelles et increduli ; *mentiti sunt ei,* id
est ad injuriam ejus, quia non impleverunt
Exod. xxiv, 7. quod spoponderunt dicentes, Omnia quæ
locutus est Dominus, faciemus. Nam pau-
lo post vitulum aureum adoraverunt. *Et*
erit tempus eorum in sæcula : id est, dam- B
natio et pœna eorum in æternum durabit,
quoniam in inferno sine fine cruciabun-
Ibid. xxxii, 34. tur. Unde Dominus dixit ad Moysen : Ego
in die ultionis visitabo et hoc peccatum
eorum. (15) *Et cibavit eos,* id est, non ob- 17
stante prædicta ingratitudine Judæorum,
Deus cibavit illos *ex adipe frumenti,* sci-
licet pane cœlesti seu manna : quod adeo Exod. xvi, 15, 31.
dulce fuit, ac si de simila et adipe fa-
ctum fuisset. Vel sic : Cibavit eos ex adi-
pe frumenti : quoniam postquam ingressi
sunt terram promissionis tritico abundan-
tem, aluit eos pane de simila tritici fa- Josue v, 11.
cto. *Et de petra melle saturavit eos,* id est
melle emanante de petra. Nam terra pro-
missionis dicitur lacte et melle manare.
Apes namque in rupibus terræ promissio-
nis mellificant, et ita de locis petrosis mel
satis copiose colligitur.

ARTICULUS LIV

EXPLANATIO EJUSDEM PSALMI OCTOGESIMI TROPOLOGICA SIVE MORALIS.

SPIRITUALEM denique intellectum se- C
quendo, titulus psalmi hujus, in prin-
cipio præcedentis expositionis positus, ita
1 exponitur : *Psalmus* iste *in finem,* qui
Christus est, nos dirigens, proponitur et
cantatur *ipsi Asaph,* id est congregationi
fidelium per Asaph designatæ ; et agit hic
psalmus *pro torcularibus,* id est de tribu-
lationibus, seu Ecclesiis pressura tribula-
tionum afflictis, quibus mali separantur a
bonis : quæ separatio designata est *quin-*
ta sabbati, id est quinta die hebdomadæ :
in qua ex aqua producti sunt pisces aves- D
que ; remanseruntque pisces in aqua, et
aves conscenderunt in aera. Per quod præ-
figuratum est, quod in Ecclesia Christi
contingit. Omnes enim Christiani in fonte
Baptismatis spiritualiter producuntur et
regenerantur ; sed quidam eorum manent
in terra transitoriis inhærendo, ceteri vo-
lant in altum amando cœlestia.
Itaque, o universi filii ecclesiasticæ con-
2 gregationis, *Exsultate Deo adjutori no-*
stro, videlicet summæ Trinitati, simplici
Deo, *jubilate Deo Jacob,* id est supplantan-
tium vitia. Per Jacob namque, qui inter-
pretatur supplantator, conculcatores vitio-
rum intelliguntur. Versiculus iste spirituali
hilaritate redundat. Est enim exhortatio
jucundissima, admonitio saluberrima, do-
ctrina prorsus angelica. Quid enim tam
cœliforme, angelicum, deiforme ac splen-
didum, sicut in Deo exsultare et Domino
jubilare, congaudendo infinitæ perfectio-
ni Creatoris, infinitæ beatitudini Divinita-
tis, infinitæ jucunditati supergloriosissimæ
Trinitatis ? Hoc nempe est præclarissimum
exercitium summæ virtutis, videlicet ca-
ritatis divinæ, quo esse non potest subli-
mius in sæculo isto. Quanto enim dignitati
et gloriæ Domini Dei nostri cordialius con-
gratulamur, tanto eum ardentius diligere
comprobamur; quo autem Deum calidiori
mente amamus, eo deiformiores ac nobi-
liores consistimus, quoniam summa nobi-
litas mentis creatæ est amor divinus, id
est actualis dilectio superbenedictæ Divi-
nitatis.

Digitized by Google

3 *Sumite psalmum,* id est, bonam opera-
tionem a gratia Dei accipite : quam ope-
rationem non nisi a Deo habere potestis,
Philipp. II, 13. quoniam (sicut ait Apostolus) ipse est qui
operatur in nobis et velle et perficere pro
bona voluntate, id est ex sua voluntate
Is. XXVI, 12. benigna. Ad quem Isaias loquens : Domi-
ne, inquit, dabis pacem nobis; omnia enim
opera nostra operatus es nobis. Unde et
Joann. XV, 4. Christus ait discipulis : Sicut palmes a
semetipso non potest ferre fructum, nisi
manserit in vite; sic nec vos, nisi in me
manseritis. *Et date tympanum,* id est, dul-
cem reddite sonum, Dei auribus benepla-
centem : qui utique non est proprie sonus
sensibilis atque exterior, sed intellectua-
lis, videlicet mortificatio carnis, et castitas
sancta, quæ etiam est odor bonus. Quem-
admodum namque tympanum, id est co-
rium in ligno expansum, non nisi percus-
sum dulciter sonat; sic caro castigationibus
pœnitentialium flagellorum lassata et at-
tenuata, Domino placet, et sua operatio
coram Altissimo sonat. Sumite quoque
psalterium jucundum cum cithara. Psal-
terium quod a superioribus sonat, et de-
cem chordas habet, designat Decalogum
legis divinitus datum. Cithara vero habens
sex chordas, et ab inferioribus sonans, si-
gnificat sex opera misericordiæ. Est igi-
tur sensus : Sumite psalterium jucundum
cum cithara, id est, divinæ legis præcepta
implete, vacando cœlestibus : sed cum
cithara, quatenus simul exerceatis opera
misericordiæ, quoniam non debetis sic esse
intenti cœlestibus, ut negligatis succurre-
re proximorum necessitatibus.
4 *Buccinate,* o Christifideles, id est, au-
dacter et amorose sonate Dei præconia, ve-
stra peccata, et proximorum documenta, ita
ut Deum laudetis, vos ipsos vituperetis, et
proximos instruatis; *in neomenia,* id est
in exordio illuminationis vestræ a Sole
justitiæ, scilicet *in insigni die solennita-
tis vestræ* interioris, quando videlicet Spi-
Ibid. XIV, ritus Sanctus venit ad vos, et mansionem
sibi facit in vobis : tunc enim gratiam
vobis concessam, aliis libenter debetis com-
A municare. Sic autem buccinate *tuba,* id
est verbo Dei : *quia præceptum in Israel* 5
est, id est, Ecclesiæ Christianorum Deum
per fidem speculanti, divinitus jussum est
taliter facere. Christus enim in Evangelio
damnat servum, qui talentum sibi conces- Matth. XXV,
sum abscondit. Et Paulus vult, ut singuli 24-30.
non quæ nostra sunt quæramus, sed quæ I Cor. X, 24.
aliorum. Propter quod in Ecclesiastico scri-
ptum est : Sapientia abscondita et thesau- Eccli. XX,
rus invisus, quæ utilitas in utrisque? De- 32; XLI, 17.
nique excellentissimus apostolici ordinis
B princeps, evidentius atque præclarius lo-
quens : Unusquisque, inquit, sicut accepit I Petr. IV,
gratiam, in alterutrum illam administran- 10.
tes, sicut boni dispensatores multiformis
gratiæ Dei.
Testimonium in Joseph posuit illud, id 6
est in populo ex gentilitate ad Christum
converso, et Ecclesiæ addito. Joseph enim
interpretatur augmentum; sicque per eum
signantur ex gentibus Christo per fidem
adaucti : et his Deus testatus est præce-
ptum prædictum, ut patet ex auctoritatibus
C allegatis. *Quum exiret de terra Ægypti,* id
est, quum gentiles in Christum credentes,
egrederentur de pristinis suis obscuritati-
bus, vitiis et ignorantiis. *Linguam quam
non noverat, audivit,* id est, tunc audi-
re cœperunt evangelicam prædicationem,
apostolicamque doctrinam, ante ipsis pror-
sus ignotam. Propter quod Athenienses ad
Paulum dixerunt : Volumus scire quæ est Act. XVII,
hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina. Nova 19, 20.
enim quædam infers auribus nostris. Tunc
quoque quum sic de Ægypto exiret hic
D populus, Deus *divertit ab oneribus dorsum* 7
ejus, id est a pondere vitiorum, a servi-
tute peccati, a jugo mundi, carnis, atque
diaboli. Talibus enim clamat Christus :
Venite ad me, omnes qui laboratis et one- Matth. XI,
rati estis, et ego reficiam vos. *Manus ejus,* 28.
id est operationes populi hujus, antequam
converteretur ad Deum, *in cophino,* id est
in vasis immunditiarum ac sordium viti-
orum, *servierunt* legi peccati, imo pecca-
to ac dæmoni. Dum enim peccator vitiis
immoratur, manus operationum suarum

Digitized by Google

tenet in vase peccati, id est in actione in- A
ordinata, seu voluntate perversa, in qui-
bus culpa fundatur.

Deinde Christus ait Ecclesiæ, cuilibetque
8 devoto : *In tribulatione,* id est persecuti-
one, tentatione, seu alia quacumque mo-
lestia, *invocasti me :* quod est tutissimum
saluberrimumque remedium. Idcirco quan-
documque affligimur, sive a dæmone, si-
ve a malis hominibus, sive a propriis pas-
sionibus, Deum invocare debemus cum
omni fiducia atque constantia, et ita effi-
ciemur securi : nam exaudiemur, sicut B
subjungitur. *Et liberavi te; exaudivi te in
abscondito tempestatis,* tempore diabolicæ
suggestionis seu intimæ afflictionis, quan-
do ad alium nullum confugere poteras.
Denique hoc debet esse summa et unica
consolatio omni afflicto, quod certissimum
est Deum maxime adesse afflictis, quoni-
am promptus est succurrere eis, sicut su-
Ps. XXXIII, 19. perius dictum est : Juxta est Dominus his
qui tribulato sunt corde. Inferius quoque
Ps. XC, 15. ipse testatur : Cum ipso sum in tribulati-
one. Propterea viri perfecti in tribulatio- C
nibus gaudent, et in eis libenter exsistunt
propter præsentiam Dei, sed pro patientia
et fortitudine animi Dominum deprecan-
tur. *Probavi te apud aquam Contradicti-
onis,* id est apud quamcumque adversi-
tatem et resistentiam, qua tibi in bono
resistitur ab hostibus tuæ salutis, videlicet
mundo, carne et diabolo. Adversitas enim
et resistentia, quam sustinet homo in via
Dei ab his qui moliuntur eum a bono ope-
re avertere, declarant an homo vere fi-
deliterque Deo adhæreat. Unde Moyses ait: D
Deut. VIII, 2. Adduxit te Dominus, ut affligeret atque
tentaret, et notum fieret utrum custodi-
res mandata illius, an non. Et ista est
ratio cur Deus permittit famulos suos talia
impedimenta pati, videlicet ut probentur,
et innotescat utrum sincere quærant justi-
tiam, sicque gratiam ampliorem acquirant,
et aliis in exemplum proponantur. Pro-
Sap. III, 6. pter quod scriptum est : Tanquam aurum
in fornace probavit electos Dominus, et
quasi holocausti hostiam accepit eos.

Audi, populus meus, qui a me Chri- 9
stianus vocaris; qui etiam Israel diceris,
id est Deum per fidem conspiciens. Tu
ergo *si audieris me,* implendo præcepta
mea, ita ut Deum tota anima, toto corde, *Deut.* VI, 5.
et tota fortitudine diligas, *non erit in te* 10
Deus recens, id est, me non derelinques,
nec aliis magis quam mihi adhærebis. Non
servies creaturæ potius quam Creatori ; *Rom.* I, 25.
non magis amabis ventris ingluviem, car-
nis luxuriam, mundi honorem, temporalia
bona sive pecuniam, quam me summum
atque incommutabile bonum. Qui enim
castitatem relinquit et voluptati deservit,
recentem suscipit deum : quoniam luxu-
riosi deus est sua dilecta, gulosi deus est *Philipp.* III,
venter; avari, pecunia. Quod enim quis 19.
amplius cogitat, amat et colit, hoc deus
ipsius esse convincitur. *Ego enim* Unige- 11
nitus Dei propter te incarnatus, *sum Do-
minus Deus tuus, qui eduxi te de terra
Ægypti,* id est de hoc sæculo nequam, vi- *Galat.* I, 4.
delicet de caligine culpæ et tenebris igno-
rantiæ, per mortis meæ meritum et san-
guinis pretium, per gratiam baptismalem,
per virtutum infusionem, et Spiritus Sancti
multiplicem illustrationem.

Dilata os tuum, et implebo illud, id
est, ad gratiam te dispone, et eam reci-
pies. Misericordiam meam implora, et fa-
ciam tecum misericordiam ; invita me ad
cordis tui hospitium, et ingrediar illud.
Ego enim sto ad ostium, et pulso. Ora pro *Apoc.* III, 20.
illuminatione interna, et dabo tibi sapi-
entiæ claritatem, quemadmodum spondet
Apostolus meus, dicens : Si quis indiget *Jacob.* I, 5, 6.
sapientia, postulet a Deo, et dabitur ei. Po-
stulet autem in fide nihil hæsitans. Ad
minus enim recipiet illam quæ est donum *Is.* XI, 2.
Spiritus Sancti, quam habet omnis qui
gratiam gratum facientem sortitus est. Ita-
que, Dilata os tuum, id est, aperi cor
tuum, obicemque depone, et implebo il-
lud, quia non est abbreviata manus mea, *Ibid.* LIX, 1.
ut salvare non valeat.

Et non audivit populus meus, qui solo 12
nomine Christianus est, seu per fidem, et
non per caritatem ; qui se dicit nosse *Tit.* I, 16.

Digitized by Google

Deum, et factis negat ; *vocem meam,* id est A
præcepta et exhortationem sacræ Scriptu-
ræ. Sic enim reprobi dicuntur populus
Christi, quomodo ipse in Evangelio ait cui-
Matth. xxii, 12. dam : Amice, quomodo huc intrasti, non
habens vestem nuptialem ? Et sicut de ali-
Joann. i, 11. quibus dicitur : In propria venit, et sui
13 eum non receperunt. Idcirco, *et dimisi eos*
secundum desideria cordis eorum. Hæc est
maxima ultio Dei, dum hominem exigen-
tibus suis peccatis sibi ipsi relinquit. Hoc
enim tam malum est, quam bonum est a
Domino conservari, in præsenti vita filia- B
liter corrigi, a vitiis cohiberi. Unde certis-
simum signum divinæ reprobationis atque
futuræ damnationis est, nunc in omnibus
prosperari ad libitum, a Deo relinqui juxta
proprium desiderium, nec flagellari cum
filiis adoptionis. Ideo namque Dominus
Apoc. iii, 19. ait : Ego quos amo, arguo et castigo. Apo-
Hebr. xii, 7, 8. stolus quoque ad Hebræos : Quis filius
quem non corripit pater ? Quod si extra
disciplinam estis, cujus participes facti
sunt omnes : ergo adulteri, et non filii es-
Prov. iii, 11, 12. tis. Et hoc quoque Salomon monet : Disci- C
plinam Domini, fili mi, ne abjicias ; et ne
deficias, quum ab eo corriperis. Quem
enim diligit Dominus, corripit, et quasi
pater in filio complacet sibi. Si ergo beati
esse optamus, in præsenti vita pro nostris
excessibus castigari desideremus, pensan-
tes prudentissima mente illud in libro
Job v, 17, 18. beati Job : Beatus homo qui corripitur a
Domino. Increpationem ergo Domini ne
reprobes, quia ipse vulnerat, et medetur.
Tob. xii, 13. Hinc insuper angelus dixit Tobiæ : Quia
acceptus eras Domino, necesse fuit ut ten- D
tatio probaret te. Unde ex persona om-
nium electorum testatur alia scriptura :
II Mach. vi, 14-16. Non sicut in aliis nationibus Dominus pa-
tienter exspectat, ut eas, quum judicii dies
advenerit, in plenitudine peccatorum pu-
niat : ita et in nobis statuit, ut peccatis
nostris in finem devolutis, ita demum in
nos vindicet. Propter quod nunquam mi-
sericordiam suam a nobis amovet ; corri-
piens vero in adversis, populum suum non
derelinquit. His autem verbis præmittit
quod sæpius allegatum recordor : Etenim II Mach. vi, 13.
multo tempore non sinere peccatoribus ex
sententia agere, sed statim ultiones adhi-
bere, magni beneficii est indicium.

Si populus meus audisset, etc., *pro ni-* 14
hilo forsitan inimicos eorum visibiles et 15
invisibiles *humiliassem :* quoniam ego su-
perbos humilio, et ego dæmones super-
bientes vehementer humilio, dum eos a
servis meis humilibus vinci fugarique fa-
cio. Ideo namque dicit Apostolus : Deus Rom. xvi, 20.
pacis conteret Satanam sub pedibus ve-
stris velociter. *Et super tribulantes eos*
misissem manum meam, electos protegen-
do, et illos opprimendo, saltem post ter-
minum vitæ præsentis.

Inimici Domini, id est mali Christiani : 16
de quibus ait in Evangelio, Inimicos meos, Luc. xix, 27.
qui noluerunt me super se regnare, addu-
cite huc, et occidite coram me ; *mentiti*
sunt ei, id est, promissionem illam frege-
runt, quam in fonte Baptismatis fecerunt,
promittentes se abrenuntiaturos Satanæ et
ejus operibus. Omnes quoque, qui post
confessionem, pœnitentiam et sacram com-
munionem, ad pristina vitia revertuntur,
nec student coram Deo ambulare sollicite, Mich. vi, 8.
inimici sunt Christi, mentiunturque ei. *Et*
erit tempus damnationis *eorum in sæcula,*
id est in æternum, quoniam ibunt in ignem
æternum. Non est tamen hoc ita sumen-
dum, quasi post diem extremi judicii tem-
pus erit. Nam primi mobilis motu ces-
sante, cessabit et tempus, juxta illud in
Apocalypsi : Angelus levavit manum suam Apoc. x, 5, 6.
ad cœlum, et juravit per Viventem in sæcu-
la sæculorum, quia tempus ultra non erit.

Et cibavit Christus *eos,* scilicet Christia- 17
nos, *ex adipe frumenti,* id est Sacramento
corporis sui sub forma panis triticei ; *et*
de petra melle : id est, melle quo designa-
tur dulcis effectus Sacramenti corporis
Christi, videlicet consolatio spiritualis, in-
fusio gratiæ sacramentalis, impinguatio
mentis : hoc melle fluente de petra, id est
Christo, seu merito passionis et sanguinis
ejus (nam per meritum Christi datur no-
bis quidquid gratiæ participamus), *satu-*

Digitized by Google

ravit eos, saturitate interiori, dando eis desiderium cordis sui.

Ecce psalmum spirituali doctrina repletum, et divina beneficia recolentem, hominum ingratitudinem, Dei quoque vindictam breviter commemorantem, audivimus. Elaboremus itaque omnia hæc ad nostram informationem trahere, Deo exsultare et jubilare, divinorum beneficiorum reminisci, Sacramenti Christi gratiam adipisci, summe ac diligentissime præcaventes, ne tam inæstimabilibus beneficiis A Christi inveniamur ingrati. Quæ autem nunc omissa sunt, in præcedenti expositione patent.

PRECATIO.

Fac, Domine, populum tuum vocem tuam audire; dilata os nostrum, et imple illud laude gratiæ tuæ : ut in tribulatione præsentis vitæ te invocantes nos exaudias, et ab omni impetu inimicorum ac tempestatis æternæ subducas.

ARTICULUS LV

ELUCIDATIO PSALMI OCTOGESIMI PRIMI : DEUS STETIT IN SYNAGOGA DEORUM.

BREVIS hic psalmus, brevi et facili titulo
1 prænotatur, dum dicitur, *Psalmus Asaph.*
Dicitur enim Psalmus Asaph, vel quia ab eo compositus est, vel quoniam congregationi per Asaph designatæ proponitur. Ad litteram quoque dicitur psalmus iste esse conscriptus contra judices injustos, eorum perversitatem redarguens, divinamque justitiam contra eorum injustitiam postulans.

AIT ergo : (1) *Deus stetit in synagoga deorum.* Deus incorporeus et immensus, in quo nullus est situs aut locus secundum naturam divinitatis, dicitur in synagoga deorum (id est in congregationibus judicum) stetisse et stare, quoniam ipse ubique est, et omnium verba ac opera intuetur, pensat et judicat : maxime tamen et distinctissime judicum corda, verba et facta considerat. Dicuntur autem judices dii, juxta illud in Exodo : Ad deos utriusque causa perveniet, id est ad judices. Unde et iterum Moyses : Diis, inquit, non detrahes. *In medio autem,* id est, Deus in medio universorum exsistens; vel, In medio, id est secundum æqualitatem justitiæ; *deos,* id est judices, *dijudicat,* id est, im- B pios judices reprobat, et bonos a malis discernit. Unde in libro Sapientiæ scriptum est : Audite, reges; et discite, judices finium terræ. Quoniam data est vobis a Deo potestas, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur : quoniam quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in
his qui præsunt, fiet. (2) *Usquequo,* o ju- 2
dices impii, *judicatis* judicio approbationis *iniquitatem,* illam excusando, laudando aut occultando, *et facies peccatorum sumitis,* id est, personas malorum acceptatis, justificando causam eorum amore propinquitatis aut munerum, vel timore potestatis ipsorum? Hoc valde iniquum est, et contra documentum gloriosi regis Josaphat, cujus verba omnium judicum plenissime instructiva sunt. Scriptum est enim de eo : Præcepit Josaphat judicibus : Videte quid faciatis. Non enim hominum judicium exercetis, sed Domini; et quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite.

Exod. XXII, 9. — Ibid. 28. — Sap. VI, 2, 4-6. — II Par. XIX, 6, 7.

Digitized by Google

Deinde Propheta admonet judices ad A
3 emendationem. (3) *Judicate,* id est, justum
judicium facite, *egeno et pupillo,* qui se
ipsos defendere nequeunt contra potentes
et divites ; *humilem et pauperem* spiritu,
non avarum aut impium, *justificate,* id
est, justum esse dictate, sicut veraciter
4 est. (4) *Eripite pauperem* de violenta im-
petitione potentis, *et egenum de manu,* id
est injusta potestate, *peccatoris liberate.*
Talis judex erat beatus Job, qui de se ipso
Job xxix, 25. 15, 16. testatur : Quum sederem quasi rex cir-
cumstante exercitu, eram tamen mœren- B
tium consolator. Oculus fui cæco, et pes
claudo. Pater eram pauperum, et causam
quam ignorabam, diligentissime investi-
gabam. Et hoc est quod Dominus admonet
Is. i, 17. apud Isaiam : Quærite judicium, subveni-
te oppresso, judicate pupillo, defendite
viduam.

Consequenter inducitur causa erroris et
5 injustitiæ judicum injustorum. (5) *Nesci-
erunt* regulas juris, *neque intellexerunt*
subtiliter intentionem legislatoris seu le-
gum; sed sicut sonant, sic eas intelligunt ; C
in tenebris cordis et operum, id est in
cogitationibus rudibus atque injustis ope-
ribus, *ambulant; movebuntur,* id est, Chri-
stum judicem formidabunt, saltem in die
judicii, *omnia fundamenta terræ,* id est
omnes principes terreni, qui aliorum fun-
damenta atque columnæ esse deberent.
Vel, Movebuntur omnia fundamenta ter-
Luc. xxi, 26. ræ, id est, elementum terræ movebitur :
Sap. v, 18, 21. quoniam, ut dicit Sapiens, Deus armabit
creaturam ad ultionem inimicorum, et pu-
gnabit cum illo orbis terrarum contra in- D
sensatos.

Quamvis, o judices mali, tam indigni
sitis propter vestram abusionem atque ma-
6 litiam, tamen (6) *Ego dixi : Dii estis,* quia
Exod. xxii, 28. per Moysen vocavi vos deos, propter pote-
statem desuper vobis datam, et quia ad
vos sermo Dei dirigitur. Hæc verba Chri-
Joann. x, 34. 35. stus allegat, loquens Judæis : In lege (in-
quit) vestra scriptum est : Ego dixi, Dii
estis. Quod quare dicatur, subjungit : Illos
dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.

Dicuntur autem judices dii, non per natu-
ram, sed per divinæ proprietatis partici-
pationem, videlicet quoniam aliis provi-
dere et præesse debent : quod Deo proprie
competit. *Et filii excelsi omnes.* Hoc dupli-
citer accipi potest, secundum quod *excel-
si,* accipi potest singulariter et pluraliter.
Si enim singulariter accipiatur, sensus est :
Vos, judices, estis filii Excelsi, scilicet Dei
sublimis, quia ad ejus imaginem conditi Gen. i, 27.
estis. Si vero sumatur pluraliter, sensus
est : Vos judices estis filii excelsi, id est
sublimes, quoniam ceteris filiis hominum
præsidetis ac imperatis. (7) *Vos autem sic-* 7
ut homines ceteri *moriemini,* in anima
dum peccaveritis, atque in corpore dum
hora a Deo præfixa advenerit ; nec pote-
rit vos a morte eripere vestra potestas ;
et sicut unus de principibus, id est ange-
lis apostaticis et superbis, *cadetis,* nunc
in foveam culpæ et postmodum in lacum
mortis æternæ, nisi modo vixeritis juste.

Et quoniam ultio ista a nullo infligi po-
test nisi a Deo, qui solus est Dominus do- Apoc. xvii, 14; i, 5;
minorum, et princeps ac judex regum ac Hebr. xii,
judicum terræ ; ideo, quatenus nullum 23.
malum maneat impunitum, Asaph implo-
rat divinum judicium. (8) *Surge, Deus,* id 8
est, ad actum justitiæ tuæ procede, sine
motu ac mutatione ; *judica terram,* id est
omnes habitantes in terra, seu homines
universos, per Jesum Christum quem con- Act. x, 42.
stituisti judicem universorum ; *quoniam
tu hereditabis in omnibus gentibus :* id est,
omnes gentes tanquam hereditatem quam-
dam tibi subjicies, præsertim in die ju-
dicii, quia ex tunc erunt electi perfecte
immobiliterque subjecti ordini tuæ mise-
ricordiæ, reprobi vero ordini tuæ justitiæ :
quoniam culpa tunc erit per pœnam ad
quamdam justam ordinationem redacta.

Augustinus autem et eum sequentes, ex- Expositio
ponunt hunc psalmum de Christo et sa- allegorica.
cerdotibus ac Scribis Judæorum, ut sit
sensus : *Deus,* id est Christus Dei Filius 1
homo factus : de quo ait Joannes, Hic est I Joann. v,
verus Deus et vita æterna ; *stetit* corpora- 20.

Digitized by Google

libus pedibus suis *in synagoga deorum :*
quia frequenter in synagogis ac templo
Judæorum prædicavit, atque miracula fe-
Joann. XVIII, 20. cit, quemadmodum dixit ad Annam : Ego
semper docui in synagoga et in templo,
quo omnes Judæi conveniunt. Et quum
factus esset annorum duodecim, inventus
Luc. II, 49. in templo a Matre, dixit : Nesciebatis quia
in his quæ Patris mei sunt, oportet me es-
se ? Quod etiam a Malachia prophetatum
Malach. III, 1. est ita : Statim veniet ad templum suum
Dominator quem vos quæritis, et Angelus
testamenti quem vos vultis. Dicuntur au-
tem sacerdotes dii, propter rationem præ-
dictam, quia erant principes et judices
populi. *In medio autem* synagogæ Chri-
stus Deus et homo, *deos,* id est sacerdo-
tes et primos Judæorum, *dijudicat,* id est,
redarguit, reprobat et condemnat. Sæpe
enim (ut Evangelistæ testantur) Christus
Matth. XXIII. in templo sacerdotes increpavit. Propter
Malach. III, 2, 3. quod Malachias de Christo loquens : Ipse,
inquit, quasi ignis conflans, et quasi her-
ba fullonum, etc., purgabit filios Levi, et
colabit eos quasi aurum.

Insuper Propheta sacerdotes magistra-
2 tusque templi redarguens, ait : *Usquequo
judicatis iniquitatem,* id est, quamdiu ju-
dicando approbabitis verba et dicta eorum
qui Domino Salvatori obloquuntur, dicen-
Matth. XXVII, 63. tes eum esse seductorem, *et facies pecca-
torum sumitis,* id est, falsos testes laudatis
Ibid. XXVI, 59-61. et acceptatis, qui falsum testimonium con-
3 tra Christum locuti sunt ? *Judicate egeno
et pupillo,* id est Christo : qui erat egenus,
Ibid. VIII, 20. quoniam non habuit ubi caput reclinaret ;
et pupillus, quoniam sicut in cœlis habuit
Patrem sine matre, ita in terris Matrem
sine patre. *Humilem et pauperem,* id est
Ibid. XI, 29. Christum, qui ait, Discite a me quia mitis
sum et humilis corde, *justificate,* id est,
justum esse asserite, et nolite contra eum
4 blasphemias dicere. *Eripite pauperem* Chri-
stum de morte, et non Barabbam homici-
dam atque latronem : cujus contrarium,
o principes sacerdotum, fecistis, persuaden-
Ibid. XXVII, 20. tes populo ut peterent Barabbam, Jesum
vero perderent ; *et egenum* Christum *de*

A *manu peccatoris*, scilicet Judæ proditoris,
Pilati vel Caiphæ, *liberate.*

Nescierunt hi principes Judæorum Je- 5
sum esse Christum, quoniam excæcavit eos Sap. II, 21.
malitia eorum. Et si cognovissent, nun- I Cor. II, 8.
quam Dominum gloriæ crucifixissent. Un-
de Petrus loquens Judæis : Fratres, ait, scio Act. III, 17.
quia per ignorantiam fecistis, sicut et prin-
cipes vestri. *Neque intellexerunt* doctri-
nam ipsius esse a Deo, sed dixerunt : Hunc Luc. XXIII, 2.
invenimus subvertentem gentem nostram.
Miracula quoque ipsius, principi dæmo- Matth. XII, 24.
B num adscripserunt. *In tenebris* perfidiæ
ambulant : propterea *movebuntur omnia
fundamenta terræ :* id est, terra Judæo-
rum tam horribiliter vastabitur, destrue-
tur, et comburentur civitates ipsius, habi-
tatoresque occidentur, quod præ nimia
perturbatione videbitur ipsa terra moveri
et interius concuti : quæ omnia a Roma-
nis facta sunt loco et genti Judæorum, in
ultionem sanguinis Christi, quemadmodum Luc. XIX, 43, 44.
Christus prædixit.

Ego dixi : Dii estis. Hoc de Judæorum 6
C principibus dicitur, propter rationem de
aliis judicibus assignatam.

Surge, Deus, id est, tu, Unigenite Dei, 8
qui in morte occubuisti, et in sepulcro
dormisti, surge tertia die a mortuis ; *judi-
ca terram,* id est, justo judicio damna hos
terrenos atque carnales Judæos, quemad-
modum alibi protestaris : Calcavi eos in Is. LXIII, 3, 4.
furore meo, et conculcavi eos in ira mea.
Dies enim ultionis in corde meo, annus
retributionis meæ venit. *Quoniam tu here-
ditabis in omnibus gentibus :* id est, popu-
D lo Judæorum excæcato et derelicto, tu per
prædicationem Apostolorum totum mun-
dum hereditarie possidebis, regnando per
fidem et gratiam in cordibus omnium
gentium, ad fidem catholicam conversa-
rum, quemadmodum de te ait Scriptura :
Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Dan. VII, 14.
Hunc versum allegat Augustinus contra
hæreticos, præcipue contra Donatistas, pro-
bans ex eo, quod Christus ex morte resur-
gens, non solum in uno angulo terræ seu
modico populo, ut erat pars Donati, sed in

Digitized by Google

toto mundo, in cunctisque gentibus per fidem regnaret. Adducitque Augustinus ad hoc verba Christi, quæ post resurrectionem dixit Apostolis : Eritis, inquiens, mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. (Act. I, 8.) Ex quo sequi videtur, quod psalmus iste, secundum Augustinum, ad litteram de Christo passo et resurgente, atque principibus sacerdotum loquatur : maxime, quoniam (secundum Augustinum) argumentum per Scripturas pro fide non valet, nisi in sensu litterali.

Postremo exhortandi essent ex psalmo præsenti pastores ovium Christi et judices A populi christiani, ut in omni judicio circumspecti, cauti et justi consistant, pensantes se Judicem habere in cœlis, qui usque ad novissimum quadrantem exiget (Matth. V, 26.) rationem ab eis, de omnibus quæ circa subditos commiserunt aut omiserunt.

PRECATIO.

Deus, a quo omnis justa operatio procedit et fortis consistit, justifica nos spiritu justitiæ et fortitudinis : ut non iniquitaB tem judicantes, nec facies peccatorum sumentes, justa et tibi placita semper peragere studeamus.

ARTICULUS LVI

EXPOSITIO PSALMI OCTOGESIMI SECUNDI : DEUS, QUIS SIMILIS ERIT TIBI ?

Denique psalmi jam pertractandi titulus
1 iste est : *Canticum, psalmus Asaph :* id
est, canticum præsens est psalmus Asaph, vel quia ab eo est editus, vel quia congregationi fidelium, per Asaph (qui interpretatur congregatio) designatæ, proponitur. Præsens enim psalmus ad litteram scriptus est de diversis hostibus populi Judæorum, et orat Propheta pro justa dejectione et pœna adversariorum populi sui.

2 Ait itaque : (1) *Deus* æterne atque omnipotens, Deus Israel, Deus patrum nostrorum, *quis similis erit tibi,* similitudine univoca, essentiali et perfecta? Nullus utique, quoniam tu solus cuncta in infinitum excedis, et tui comparatione, est totus mundus quasi pulvis exiguus. (Is. XL, 15.) De te enim veraciter scriptum est : Domine Deus, Creator omnium, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es rex bonus, solus præstans, solus justus, omnipotens et æternus. (II Mach. I, 24, 25.) Job quoque : Digne eum invenire non possumus; magnus fortitu- C dine et judicio et justitia, et enarrari non potest : ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes. (Job XXXVII, 23, 24.) Est tamen quædam similitudo imitativa, imperfecta, atque gratuita : et secundum hanc similis est creatura Creatori, sicut et omnis effectus assimilatur suæ causæ. Unde et Dominus : Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram. (Gen. I, 26.) Ad hanc quoque deiformem similitudinem invitamur in novo ac veteri Testamento. Dominus namque D ait : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. (Lev. XI, 44; XIX, 2.) Et Salvator : Perfecti estote, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. (Matth. V, 48.)

Quoniam ergo non est tibi similis, *ne taceas,* id est, noli dissimulare injurias tibi ac populo tuo illatas, sed vindica eas, *neque compescaris, Deus,* id est, ne videaris compesci sustinendo blasphemias perfidorum, sed omnipotentiam tuam ulcis-
cendo declara. (2) *Quoniam ecce inimici* 3
tui, videlicet adversarii nostri pagani, *sonuerunt,* id est, irrationabiliter contra te

Digitized by Google

locuti sunt, et tubis in prælio cecinerunt, A
atque cum fremitu super nos famulos
tuos irruerunt; *et qui oderunt te,* scilicet
inimici prædicti, *extulerunt caput,* id est,
cervicem contra te erexerunt, præsum-
ptuose cogitando, superbe loquendo, con-
4 tumaciterque agendo. (3) *Super populum*
tuum, puta Judæos, *malignaverunt,* id est,
fecerunt malum *consilium,* tractantes po-
pulum tuum omnino exstinguere, *et cogi-*
taverunt adversus sanctos tuos, Prophetas
5 et Nazaræos, ac reliquos religiosos. (4) *Di-*
xerunt : Venite, et disperdamus, id est, di- B
versimode perdamus, *eos de gente,* id est
de aliis populis, occidendo eos, ne amplius
inter populos demorentur. Nec solum vo-
luerunt vitam populi tui exstinguere, ve-
rum etiam ejus memoriam tollere : ideo
additur, *et non memoretur nomen Israel*
ultra, id est, tam funditus destruamus
civitates et templum ac populum Hebræo-
rum, ut nemo de cetero recordetur eo-
rum, neque reliquiæ aliquæ eorum per-
maneant.

6 (5) *Quoniam cogitaverunt unanimiter,* id C
est pari consensu in malo ; *simul adver-*
sum te testamentum, id est forte pactum
7 et male propositum, *disposuerunt taberna-*
cula Idumæorum, id est habitatores Idu-
mææ, videlicet nati ex semine Esau : qui
Gen. xxv, 30. alio nomine dictus est Edom, a quo Idu-
mæi nomen sortiti sunt; *et Ismaelitæ,* id
Ibid. xvi, 15. est populi nati de Ismaele filio Abrahæ, fra-
tre Isaac. Quemadmodum enim Esau perse-
Ibid. xxvii, 41. quebatur Jacob, volens eum occidere, sicut
Galat. iv, 29. habetur in Genesi; et Ismael Isaac, ut dicit
Apostolus ad Galatas : sic Idumæi perse- D
quebantur Judæos de Jacob descendentes;
similiter Ismaelitæ. Propter quod ait Ab-
Abdiæ 10, 11. dias propheta : Propter iniquitatem in fra-
trem tuum Jacob operiet te confusio, et
peribis in æternum. In die quando capie-
bant alieni exercitum ejus, tu quoque eras
quasi unus ex eis. (6) *Moab,* id est Moabi-
tæ nati de Moab filio Lot, *et Agareni,* id
est filii Abrahæ ex Agar ancilla Saræ. Quæ
Gen. xxv, 1, 2. Agar alio nomine appellatur Cetura, ut
aliqui dicunt : quæ legitur peperisse mul-
tos filios Abrahæ post mortem Saræ con-
jugis suæ, sicut in Genesi patet. *Gebal,* 8
sic dictus, *et Ammon,* id est Ammonitæ
filii Ammon, filii Lot, *et Amalec,* id est Gen. xix, 38.
Amalecitæ de Amalec nati. Qui Amalec
primo impugnavit filios Israel, quando Exod. xvii, 8.
egrediebantur Ægyptum et in deserto me-
abant, ut dicitur in Exodo, ubi sic legitur :
Quum elevaret Moyses manus, vincebat Ibid. 11.
Israel; si autem paululum remisisset, vin-
cebat Amalec. *Alienigenæ,* id est Philistæi:
nam in Hebræo habetur, Philistæi : qui
erant Judæis valde molesti; *cum habitan-*
tibus Tyrum, id est cum Tyriis. Quamvis
etiam Tyrii confœderati essent Hebræis
tempore Hiram regis sui, qui habuit fœ-
dus cum David et Salomone, ut legitur se- II Reg. v, 11; III Reg. v, 12.
cundo et tertio Regum : postea tamen ru-
ptum est fœdus pacis eorum. (7) *Etenim* 9
Assur venit cum illis, id est, Assyrii *facti*
sunt in adjutorium filiis Lot, id est Moa-
bitis et Ammonitis : ex quo videtur, quod
filii Lot fuerunt principales adversarii Is-
raelitarum in prælio de quo agitur hic.

(8) *Fac illis,* o Deus Israel, *sicut Madian* 10
et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cison.
Quoniam liber iste metrice scriptus est,
contingit sæpe in eo variari ordinem re-
rum gestarum in narratione, sicut et nunc.
Nam in libro Judicum legitur Jabin rex Judic. iv, 2.
Chanaan oppressisse filios Israel; habuit-
que principem militiæ Sisaram. Porro in
eodem libro leguntur filii Israel dati in Ibid. vi, 1-6.
manus Madianitarum. Orat ergo Propheta
ut Deus dejiciat prædictos inimicos populi
sui, qui erant tempore regum Juda et Is-
rael vel postea, sicut debellavit Madianitas Ibid. vi.
et Sisaram. Madianitas namque miraculose
debellavit per Gedeonem et trecentos vi-
ros ejus. Similiter exercitum Jabin regis
Chanaan expugnavit per manum Barac.
Et Jahel uxor Haber Cinæi, clavum infi- Ibid. iv, 17, 21.
xit in tempus Sisaræ, eumque occidit. *Sic-*
ut Jabin in torrente Cison : nam juxta
torrentem Cison percussus est populus Ja-
bin a filiis Israel. Unde Debora prophetes
dixit ad Barac : Vade, et educ exercitum Ibid. 6, 7.
in montem Thabor; ego autem adducam

Digitized by Google

ad te in loco torrentis Cison Sisaram et A
omnem multitudinem ejus. In hoc quoque
torrente quidam submersi leguntur, juxta
Judic. v, 21. illud : Torrens Cison traxit cadavera eo-
11 rum. (9) *Disperierunt in Endor,* quia pro-
pe locum sic dictum occisi sunt ; *facti
sunt ut stercus terræ,* quia insepulti man-
serunt, et pro nihilo reputabantur.
12 (10) *Pone principes eorum,* scilicet Idu-
mæorum, Ismaelitarum, Moabitarum, Aga-
renorum, etc., de quibus dictum est paulo
ante, *sicut Oreb et Zeb,* id est, eos occide,
quemadmodum occidisti Oreb et Zeb, *et* B
Zebee et Salmana principes Madianita-
rum, quos occidisti per Gedeonem et ad-
Ibid. vii, 25. jutores ipsius. Oreb enim et Zeb Ephratæi
decollaverunt ; Zebee autem et Salmana
Ibid. viii, 21. ipsemet Gedeon interfecit, ut scribitur in
14 libro Judicum. (12) *Deus meus, pone illos
ut rotam :* id est, fac illos instabiles, cur-
rentes, et non perficientes, quemadmodum
rota movetur motu circulari, in quo non
est finem certum accipere ; *et* pone eos
sicut stipulam ante faciem venti, quate-
nus sicut stipula a vento movetur et cadit, C
15 sic ipsi tua virtute succumbant. (13) *Sicut
ignis qui comburit silvam* igne succen-
sam, seu ligna silvæ in ignem projecta,
et sicut flamma comburens montes, id est
loca montana quæ igne succenduntur cum
16 habitaculis suis ; (14) *Ita persequeris illos*
prænominatos, videlicet Moab, Agarenos,
Gebal et Ammon, *in tempestate tua,* id est
in ira furoris tui, id est in districta ultione
justitiæ tuæ. Hoc totum impletum est. Nam
sicut ignis consumit ligna silvarum, sic
Deus frequenter consumpsit hostes populi D
IV Reg. xix, 35. sui Israel, ut patet in occisione exercitus
regis Assyriorum ac aliis multis. *Et in ira
tua turbabis eos,* vertendo eos in fugam,
aut terrendo, occidendove eos. Potest quo-
que hæc pœna, sicut et sequens, referri
ad damnationem inferni, et ad pœnam fu-
turi judicii.

(15) *Imple facies eorum ignominia,* ita 17
ut manifeste dejiciantur, omnibusque in-
notescat quod victi sunt ; *et quærent no-
men tuum, Domine.* Quidam enim gen-
tilium videntes populum Judæorum tam
mirabiliter prævalere, et se tam inopinate
divina virtute succumbere, ad Deum Is-
rael convertebantur. (16) *Erubescant et con-* 18
turbentur in sæculum sæculi, in die finalis
judicii : sicut de impiis dicitur, Turba- Sap. v, 2.
buntur timore horribili ; et in libro Judi-
cum, Sic pereant inimici tui, Domine. *Et* Judic. v, 31.
confundantur et pereant. Sæpe eumdem
sensum resumit ad designandum zelum
justitiæ, qua adversus malignos movetur.
Non enim ex impatientia aut rancore, sed
ex zelo justitiæ et pro Dei honore ista pre-
catur. (17) *Et cognoscant,* per experientiam 19
suæ damnationis in futuro, seu per expe-
rientiam pœnæ in sæculo isto, *quia nomen
tibi Dominus,* id est, quod tu vere et di-
gne Dominus appellaris, tanquam univer-
sorum princeps, provisor et judex, cujus
in ditione cuncta sunt posita, qui singulis Esther xiii, 9.
tribuis quod merentur, qui per Isaiam te-
status es : Ego Dominus, hoc est nomen Is. xlii, 8.
meum ; gloriam meam alteri non dabo.
Cognoscant quoque, quoniam *tu solus Al-
tissimus in omni terra,* id est, quod non
solum Judæa in tua potestate consistit, sed
quod omnia regna terræ et dii eorum tuo
imperio sunt subjecta : sicut et Ezechias
rex ait : Deus Israel, tu es Deus solus om- Ibid. xxxvii, 16.
nium regnorum terræ.

Digitized by Google

ARTICULUS LVII

EXPOSITIO MORALIS EJUSDEM PSALMI OCTOGESIMI SECUNDI.

MORALEM autem intelligentiam prosequendo, longe subtilior ac fructuosior est psalmi præsentis expositio : sic enim materia psalmi hujus, est secundus Christi adventus et persecutio dura ac gravis fidelium a perversis. Triplex autem fuit Ecclesiæ persecutio. Prima erat in gladio tyrannorum ; secunda, in verbis hæreticorum ; tertia, in malis operibus fratrum fallacium. Quarta restat, quæ ex omnibus istis constabit, videlicet persecutio Antichristi, qui potestate armorum, verbis disputationum, operibus simulatarum virtutum, fideles persequetur, occidet, et plurimos fallet. Quatenus igitur tempus (Marc. XIII, 20.) illud gravissimæ persecutionis abbrevietur, orat nunc Asaph pro secundo Christi adventu, seu acceleratione finalis judicii : (II Thess. II, 8.) quando, secundum Apostolum, Dominus Jesus spiritu oris sui occidet, et illustratione adventus sui damnabit seu destruet (Is. XI, 4.) Antichristum : de quo et Isaias, Spiritu (inquit) labiorum suorum interficiet impium.

Admirans itaque Asaph virtutem et gloriam quibus Christus in judicio apparebit, ita orditur : 2 *Deus, quis similis erit tibi?* id est, o unice Fili Patris æterni, Domine Christe, universorum judex, quis similis tibi in sapientia discernendi inter bonum et malum? Nullus utique, juxta (Job XXXVI, 26.) illud in Job : Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram. Quis similis tibi in æquitate cunctis reddendi quod promerentur? Nullus utique, quia de te scriptum (II Par. XIX, 7.) est : Non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec acceptio munerum. Quis similis tibi in potestate exsequendi sententiam justi judicii? Nullus utique, quia de te ait sermo divinus : Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. (Dan. VII, 1)

Quum ergo, o Christe, sis talis tantusque judex, *ne taceas,* jam regnans in cœlo, aut in secundo tuo adventu judicioque futuro, quemadmodum in primo tuo adventu a judicio tacuisti, dicens : Ego non judico quemquam; et iterum : Non misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. (Joann. XII, 15. Ibid. III, 17.) *Neque compescaris, Deus,* id est, ne retraharis ab ultione justissima ; sed verum esse ostende quod de te profitetur divina Scriptura : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas; opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. (Job XXXIV, 10, 11.) 3 *Quoniam ecce inimici tui,* videlicet mali Christiani, hæretici, Judæi, pagani, *sonuerunt,* id est, irrationabiliter voces iniquas protulerunt, verba vana, vacua et perversa effando. Et ideo non ait, Locuti sunt, sed, Sonuerunt, quoniam non more hominum rationabiliter sunt locuti, sed more ferarum irrationabilem strepitum effuderunt, murmurando, contradicendoque tibi : quod tempore Antichristi maxime fiet. Tunc namque Antichristiani in liberam vocem prorumpent, sed irrationabilem prorsus, ut sonitus magis vocetur quam sermo. *Et qui oderunt te,* id est, qui malitiam diligunt et vitia amant, *extulerunt caput,* sicut superbi caput suum erigere solent. Vel, Extulerunt caput, id est propriam rationem, confidentes in suo ingenio, atque se ipsos sapientes esse putantes. (Rom. I, 22.) Vel, Extulerunt caput, id est, Antichristum exaltaverunt, credentes esse filium Dei, et Dominum Jesum blasphemantes : idcirco non ait, Capita, sed, Ca-

Digitized by Google

put, quoniam omnes in unum filium perditionis, scilicet Antichristum, consentient.

S. Augustinus affirmat, quod nullius pene conscientia potest Deum odisse; sed quia frequenter ait Scriptura, quod peccatores Deum odio habeant, debemus absolute concedere, quod impii Deum habeant odio. (Ps. xx, 9; lxxxiii, 1, 23; et alibi.) Quemadmodum enim divinis præceptis obtemperantes, Deum amare dicuntur; sic Deo rebelles, eum utique odio habent. Nonne Deum odivit, de cujus ore semel audivi, quum eum ad meliora hortarer, atque divinæ majestatis beatitudinem commendarem, Mallem, inquit, Deum non esse, quam me vestram vitam, videlicet Cartusiensis ordinis conversationem, debere subire? Quomodo ergo verum est quod asserit Augustinus? Et respondendum, sicut et S. Thomas respondet, quod aliquis dicitur Deum odisse dupliciter: primo, secundum se ipsum; secundo, ratione sui effectus. Primo modo pene nullus Deum odit, quum ipse sit pura infinitaque bonitas; sed secundo modo multi Deum odiunt, videlicet propter pœnas quas pro peccatis infligit, vel quia eorum voluntati placentia prohibet, displicentia jubet.

4 *Super populum tuum,* id est contra Christianos, *malignaverunt consilium* tyranni et fratres falsi, quatenus eos vel blandimentis alliciant, vel pœnis et minis deterreant, aut aliquo modo a Deo avertant, lædant, aut occidant; *et cogitaverunt adversus sanctos tuos :* quia non solum mediocres famulos tuos, sed et viros perfectos subvertere quærunt, imitantes in hoc caput suum diabolum, de quo Dominus ait ad sanctum Job (Job xl, 18): Absorbebit fluvium, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Ubi per fluvium designantur animæ sæculares, vagæ atque instabiles, quas absorbet diabolus, nec inde miratur, id est, hoc pro magno non reputat; per Jordanem vero intelliguntur animæ religiosæ ac sanctæ, quas confidit dæmon se posse decipere. Ideo membra ejus, videlicet reprobi, non solum communem populum christianum, sed et sanctos fallere student. *Dixerunt* 5
isti adversarii tui, o Domine : *Venite, et disperdamus eos,* scilicet Christianos, *de gente :* id est, omnes interficiamus, ne quisquam eorum de cetero inter gentes commoretur; *et non memoretur nomen Israel,* id est militantis Ecclesiæ, *ultra.* Multi namque tyranni conati sunt cultum et fidem atque memoriam populi christiani prorsus auferre.

Simul adversum te testamentum dispo- 6
suerunt tabernacula Idumæorum et Isma- 7
elitæ, Moab et Agareni, Gebal et Ammon, 8
etc. Quemadmodum populi isti adversati sunt Synagogæ Judæorum, sic designati per eos adversantur Ecclesiæ Christianorum. Qui autem intelligantur per populos istos, pensare debemus ex interpretationibus nominum horum. Sicut in Genesi legitur, dum natus esset Esau, apparuit totus in modum pellis hispidus atque sanguineus (Gen. xxv, 25): propterea vocatum est nomen ejus Edom. Idumæi ergo ab Edom nomen sortiti, interpretantur sanguinei seu terreni : per quos designantur avari, terrenarum rerum amatores inordinati. Ismaelitæ interpretantur inobedientes : per quos hoc loco designantur, qui propriam voluntatem sequuntur, non Deo, sed sibimetipsis obtemperantes : per quos significantur gulosi, qui non Christo, sed suo ventri deserviunt (Rom. xvi, 18). Moab interpretatur, ex patre : per quem designantur perversi, ex Deo secundum naturam exorti, sed propter malitiam ex patre diabolo nati : quibus Christus ait, Vos ex patre diabolo estis (Joann. viii, 44). Per quem exprimuntur luxuriosi, quoniam filia major ipsius Lot, genuit Moab ex patre proprio (Gen. xix, 33, 37). Agareni interpretantur, alieni seu advenæ : per quos figurantur falsi fratres, qui solo nomine inter electos computantur, sicut Joannes asserit : In nobis erant, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum (I Joann. ii, 19). Gebal interpretatur, vallis vana : sicque per eum explicantur fallaciter humiles atque hypocritæ, de quibus in libro Job habetur : Simulatores et callidi provocant (Job xxxvi, 13).

Eccli. xix, 23. iram Dei. Et in Ecclesiastico : Est qui ne- A
quiter se humiliat ; interiora autem ejus
Luc. xvi, 15. plena sunt dolo. Talibus ait Salvator : Vos
estis qui justificatis vos coram hominibus,
Deus autem novit corda vestra; quia quod
hominibus altum est, abominatio est an-
te Deum. Per Ammon, qui interpretatur,
populus turbidus, designati sunt iracun-
di, quoniam ira rationem perturbat, et
hominem stulto assimilat. Propter quod
Eccle. vii, 10. Ecclesiastes dicit : Ne sis velox ad irascen-
dum, quia ira in sinu stulti requiescit ; et
Job v, 2. Job, Virum stultum interficit iracundia. B
Gen. xxxvi, 12. Per Amalec, quem genuit Eliphaz primo-
genitus Esau, et interpretatur, populus
lingens, significantur adulatores fallaciter
blandientes. Quo vitio se caruisse ostendit
I Thess. ii, 5. Apostolus, dicens : Neque aliquando fui-
mus in sermone adulationis.

Alienigenæ, id est Philistæi, qui inter-
pretantur, cadentes potione : per quos
designantur vitiis atque luxuria ebrii ;
cum habitantibus Tyrum, id est cum in-
vidis. Tyrus enim interpretatur angustia :
invidi autem in se ipsis torquentur, quasi C
loco angusto conclusi. Hi utique omnes
9 populo præelecto ad vitam repugnant. *Et-
enim Assur venit cum illis.* Per Assur, qui
interpretatur deprimens seu elatus, signi-
ficatur diabolus, qui in profundum pec-
cando prolapsus est, et in mentis tumo-
Job xli, 25. rem erectus ; qui etiam rex est super
omnes filios superbiæ, sicut in libro Job
scriptum est. *Facti sunt in adjutorium
filiis Lot,* id est declinantibus. Lot nam-
que interpretatur declinans : quo signan-
tur apostatæ angeli, qui cum principe suo D
Lucifero declinaverunt a Deo. Dæmonum
vero adjutores sunt homines impii jam
prædicti, quemadmodum justi adjutores
seu cooperatores sunt Dei.

Deinde orat Ecclesia pro dejectione et
justa punitione istorum, potius futura tor-
menta prædicendo, quam mala imprecan-
do, vel conformando se divinæ justitiæ,
vel orando ut in præsenti castigentur, ne
æternaliter condemnentur, aut diutius vi-
vendo gravius prævaricentur, et ne bo-
num commune atque Ecclesiam diutius
persequi permittantur. *Fac illis sicut Ma-* 10
dian et Sisaræ, etc. Madian, qui erat filius Gen. xxv, 2.
Abrahæ ex Cetura, interpretatur, relin-
quens judicium : quo figurantur qui se
ipsos non judicant, neque Dei futurum
judicium metuunt : propter quod salvari
non poterunt, secundum quod in libro Job
quidam dicit, Numquid qui non amat ju- Job xxxiv, 17.
dicium, sanari potest ? Per Sisaram, qui
interpretatur, exclusio gaudii, illi signan-
tur qui propter mundi et carnis suæ deli-
cias, æternæ beatitudinis gaudia a se ipsis
excludunt, sicut de talibus ait Dominus
Jesus : Væ vobis qui nunc ridetis, quia Luc. vi, 25.
lugebitis et flebitis. Salomon quoque : Cor Eccle. vii, 5.
sapientium ubi tristitia, et cor stultorum
ubi lætitia. Est tamen quædam spiritualis
lætitia non abjicienda, de qua dicit Aposto-
lus : Gaudete in Domino semper. Per Ja- Philipp. iv, 4.
bin, qui interpretatur sapiens, intelligun-
tur carnaliter sapientes, quibus ab Isaia
dicitur : Væ qui sapientes estis in oculis Is. v, 21.
vestris. Per Cison, quod interpretatur du-
ritia, intelliguntur obstinati in malo, seu
induratio cordis.

Orat ergo Ecclesia, ut persecutoribus
suis fiat sicut peccatoribus nunc prædi-
ctis sæpius factum est ; præcipue tamen
ista petuntur contra exercitum Antichri-
sti. *Pone principes eorum,* scilicet persecu- 12
torum Ecclesiæ, *sicut Oreb et Zeb et Ze-
bee,* etc. Per Oreb, qui interpretatur sic-
citas, designantur aridi a gratia Dei : de
qua ariditate scriptum est, O pastor et ido- Zach. xi, 17.
lum derelinquens gregem, brachium ejus
ariditate siccabitur, id est, operatio ejus
gratia Dei privabitur. Per Zeb, qui inter-
pretatur lupus, significantur rapaces. Per
Zebee, qui interpretatur, victima lupi, fi-
gurantur qui peccando facti sunt præda
diaboli. Per Salmana, qui interpretatur, um-
bra commotionis, seu, in pravitate perfe-
ctus, signantur instabiles, seu cum diabolo
unum corpus effecti, qui simul cum illo
projiciendi sunt in caminum ignis æterni.
Omnes principes eorum, id est, capitaneos
peccatorum jam prænominatorum, justos

Digitized by Google

13 vastantium ; *qui* principes *dixerunt : He-* A
reditate possideamus sanctuarium Dei, id
est terram, possessiones, ecclesias Christi-
anorum, vel potius ipsos Christianos, sub-
jiciendo eos nostro imperio, legi et cultui.
Populus namque fidelis sanctuarium Dei
I Cor. III, 17. vocatur, juxta illud Apostoli : Templum
Dei sanctum est, quod estis vos. Cetera ex-
ponenda sunt sicut in præcedenti articulo.

Psalmus iste contra iniquos satis terri-
biliter invehitur ; et quam inæstimabili
confusione ac pœna in futuro judicio sint
plectendi, qui modo non convertuntur, in B
ipso ostenditur. Quod vero hic dicitur,
17 *Imple facies eorum ignominia,* accipi po-
test de tarda et infructuosa pœnitentia
reproborum, non ex amore justitiæ, sed
timore pœnarum de peccato dolentium :
de quorum pœnitentia in libro Sapientiæ
Sap. V, 3. scriptum est : Dicentes intra se, pœniten-
tiam agentes, et præ angustia spiritus ge-
Ibid. 14. mentes ; et sequitur : Talia dixerunt in
inferno. Denique versus iste, Imple facies
eorum ignominia, accipi potest in bono ;
eritque sensus : Da, Domine, ut in præ-
senti refutentur et contemnantur ac vitu-
perentur, secundum quod peccatores sunt,
quatenus ex ipsa sua ignominia cessent
peccare. Quemadmodum enim per adula-
tionem et laudem falsissimam roboratur
peccator in culpa, ita per ignominiam sibi
illatam, a malo retrahitur, dum se ab om-
nibus argui contuetur. *Et* ita salubriter
quærent nomen tuum, Domine, per pœni-
tentiam salutarem et veram compuncti-
onem. Pertinere quippe videtur hoc ad
eos, de quibus in Evangelio scriptum est : Luc. XIV, 23.
Compelle intrare.

PRECATIO.

Deus supernæ majestatis, cui non est similis, propter multitudinem peccatorum non disperdas nos de gente electorum ; sed clementi bonitate facias nomen nostrum memorari in Israel in æternum.

ARTICULUS LVIII

EXPLANATIO PSALMI OCTOGESIMI TERTII : QUAM DILECTA TABERNACULA TUA !

1 DECLARANDI nunc psalmi titulus est : *In* C
finem, pro torcularibus, filiis Core, psal-
mus : id est, psalmus iste in finem, id est in
Christum, qui est beatitudo nostra ac vita
æterna, nos dirigens, convenit filiis Core,
id est imitatoribus Jesu Christi crucifixi ;
scriptus pro torcularibus, id est, de tri-
bulationibus atque pressuris Ecclesiarum,
seu ipsis Ecclesiis multipliciter tribulatis,
agens et tractans. Core enim interpretatur
Joann. XIX, 17, 18. Calvaria. Calvaria autem est locus in quo
crucifixus est Dominus. Psalmus iste ad
litteram de inæstimabili desiderio ferven- D
tium viatorum, ad patriam suspirantium,
atque de incomprehensibili beatitudine
comprehensorum scriptus videtur.

AIT ergo : (1) *Quam dilecta tabernacula* 2
tua ! id est, vehementer dilecta, mul-
tum amanda, et incomparabiliter deside-
rabilia sunt habitacula curiæ cœlestis, lo-
ca et mansiones Beatorum in patria. De
quibus tabernaculis etiam ait Salvator :
Facite vobis amicos de mammona ini- Luc. XVI, 9.
quitatis, ut recipiant vos in æterna ta-
bernacula ; et rursus : In domo Patris mei Joann. XIV, 2.
mansiones multæ sunt. Non quod in cœlo
empyreo, quod est locus, domus et patria
Beatorum, sint habitacula parietibus seu
interstitiis opacis divisa ; sed pluraliter
dicitur, Tabernacula, et, Mansiones, ad de-
signandum varios gradus præmiorum in
patria. Quemadmodum enim alia est cla- I Cor. XV, 41.

Digitized by Google

ritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum ; sic diversa est quantitas gloriæ Beatorum, secundum exigentiam meritorum eorum. Beatitudo tamen seu vita æterna quam habent, una est ex parte objecti, quæ designatur per denarium, *Matth.* xx, 9, 10. quem singuli operarii receperunt, sicut in Evangelio Veritas docet. Itaque multum dilecta cordi devoto sunt tabernacula tua cœlestia, o *Domine virtutum,* id est angelorum sanctorum seu omnium potestatum cœlestium, terrestrium et infernorum. Quemadmodum enim omnes angelici spiritus, Angeli appellantur, ita et Virtutes dicuntur, secundum principem theologorum, propter efficaciam quam habent in exsequendo omnem operationem deiformem, eis a Deo præfixam.

Hæc superna tabernacula, quantum ad locum corporeum, sunt unum tabernaculum, scilicet cœlum empyreum, de quo *II Cor.* v, 1. ait Apostolus : Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam *Hebr.* ix, 24. in cœlis. Et ad Hebræos : Non in manufacta sancta Jesus introiit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum. Horum supermundanorum tabernaculorum figuræ erant tentoria filiorum Israel, de quibus ait Balaam propheta verus, sed homo ini- *Num* xxiv, 5, 6. quus : Quam pulchra tabernacula tua, Jacob ! tentoria tua, Israel ! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Deus. Hæc tabernacula sibi precabatur ostendi anima Christi amore succensa, ejusque sponsa, dicens *Cant.* i, 6. in Cantico : Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Verumtamen mirum videtur, cur Propheta non potius commendat amabilitatem regis et habitatoris tabernaculorum istorum, quam ipsa tabernacula : præsertim quum non propter tabernacula hæc amandus sit Rex cœlestis, sed propter Regis decorem amanda sint tabernacula ejus. Et respondendum, quod ideo tabernacula commendantur, ut cognoscamus quæ sit [A] patria nostra, in qua mentis nostræ affectum atque intuitum semper erigere ac stabilire debemus. Nomine quoque tabernaculorum insinuatur decor, gloria et amabilitas Regis ac Creatoris ipsorum. Denique tam dilecta ac diligenda sunt tabernacula ista, quantum sunt bona, jucunda, beata. Quam autem jucunda, itemque beata consistant, inferius tangit.

Concupiscit et deficit anima mea. De 3
duplici concupiscentia loquitur sacra Scriptura, quarum una est sancta et nobilis, [B] alia fœda ac vilis. Concupiscentia sancta et clara, intellectualis vocatur : de qua in libro Sapientiæ dicitur, Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum ; *Sap.* vi, 21. et Ecclesiasticus, Auris, inquit, bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. *Eccli.* iii, 31. De concupiscentia vero immunda et vili, quæ sensualis dicta est, scribitur apud eumdem : Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. *Ibid.* xviii, 30. Nunc autem de intellectuali concupiscentia, quæ est desiderium voluntatis, sermo inducitur. [C] Itaque, Concupiscit, id est, vehementer desiderat, anima mea, cum Creatore suo esse peroptans, et tendens *in atria Domini,* id est in tabernacula jam prædicta : quæ appellantur tabernacula, propter inhabitationem ; et atria, propter capacitatis suæ latitudinem. Nec solum concupiscit, sed insuper deficit : quod dupliciter accipi potest. Primo sic : Deficit, id est, tantum desiderare atria ista non valet, quantum desiderabilia sunt, quia nec intellectus viatorum digne aut satis [D] cognoscere, neque affectus eorum digne aut satis appetere potest gaudia Beatorum, juxta illud Apostoli : Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. *I Cor.* ii, 9. *Is.* lxiv, 4. Et quasi ab eo interrogaremus, Unde hoc nosti ? respondens, Nobis, inquit, revelavit Deus per Spiritum suum. *I Cor.* ii, 10. Secundo exponitur sic : Deficit anima mea in atria Domini, id est, ex vehementi affectu in alienationem seu ecstasim cecidit : quoniam ex vehementissima oc-

Digitized by Google

cupatione intellectualium potentiarum in Deo, corporalis natura mirabiliter immutatur, naturalis harmonia constringitur, corpus obrigescit et obstupescit; sicque sensitivæ potentiæ a suis operationibus suspenduntur, et homo a se ipso alienari atque deficere perhibetur.

(2) *Cor meum,* id est appetitus intellectualis, *et caro mea,* id est appetitus sensitivus; vel, Cor meum, id est anima, et caro mea, scilicet corpus; *exsultaverunt in Deum vivum,* id est, cum exsultatione tetenderunt in Deum omnis vitæ principium, et in ipso et de ipso lætati sunt, ita quod Deus est objectum, causa et terminus lætitiæ meæ. Sed non uniformiter convenit exsultatio ista appetitui intellectivo seu voluntati, appetitui quoque sensitivo et carni. In voluntate namque est secundum essentiam; in appetitu sensitivo, secundum redundantiam; in carne vero, secundum aliqua signa interioris lætitiæ, sicut est serenitas vultus, risus et refloritio quædam ætatis: quia ut scriptum est, Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Appetitus autem superior, qui est voluntas, appetitum sensitivum movet et secum trahit, quemadmodum sphæra superior inferiorem: propterea magnæ affectiones voluntatis, in appetitum sensitivum redundant, ita quod ipse participat naturam affectionis, quæ in voluntate consistit. [Pr. xvii,]

4 (3) *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Versiculus iste diversimode exponitur. Hieronymus enim ad litteram ita exponit, quod Propheta quodammodo probat arguens a majori, quod utique rationalis creatura habeat locum beatum, in quem deveniens quietetur ac requiescat, quoniam passer qui est irrationale animal, post volatum et lassitudinem invenit locum quo quiescat. Turtur quoque nidum habet, in quo pullos proprios collocet: ergo et homo locum sortitur, ubi opera sua reponat, sicut et Christus hortatur: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. — [Matth. vi,]

A Secundo exponitur sic: *Etenim passer,* id est homo pœnitens: de quo inferius dicitur, Factus sum sicut passer solitarius in tecto; *invenit sibi domum,* id est locum misericordiæ in Ecclesia Christi, qui eum qui venit ad se, non ejicit foras; *et turtur,* id est homo perfectus cœlestia speculans, invenit *nidum sibi,* id est mansionem, haud dubium quin in cœlo, *ubi ponat,* id est, finaliter statuat, *pullos suos,* id est opera sua, non quærens mercedem in terra ab homine, sed in cœlo a Deo. [Ps. ci, 8.] [Joann. vi, 37.]

B Dicitur autem homo pœnitens, passer: primo, quoniam ante conversionem, ad similitudinem passeris, mobilis erat, vagus, libidinosus et petulans; secundo, quoniam post conversionem, ad similitudinem passeris, in alto ædificat, turrim virtutum construere cupiens, et opera sua ab insidiis dæmonum in Christo abscondens. Vir quoque perfectus, turtur ideo dicitur, quoniam desiderio cœlestium gemit, in petra quæ Christus est, nidificat, pro cantu, id est pro gaudiis mundi, gemitum C habet, id est terrenarum rerum contemptum. — Tertio sic: *Etenim passer,* id est ratio, quæ instar passeris sublimiter volat penna contemplationis atque virtutis, *invenit sibi domum* nunc in militanti Ecclesia, habitando in ea per fidem et dilectionem, et postea in Ecclesia triumphanti, habitando in ea per speciem, fruitionemque beatam; *et turtur,* id est caro mortificata, spiritui prompte obediens, in operibus pœnitentiæ gemens, *nidum sibi, ubi ponat pullos suos,* quoniam opera D sua ponit in loco securo, videlicet non in ore hominum, sed in conscientiæ puritate. [Luc. xiv, 28.] [1 Cor. x, 4.]

(4) *Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus et Deus meus.* Versus iste uno modo exponitur, ita ut ad præcedentem versum pertineat, et declaret quæ sit domus, et quis nidus, quem passer et turtur sibi inveniunt, utpote, Altaria tua, id est mansiones cœlestes, de quibus in principio psalmi hujus jam dictum est: quæ idcirco appellantur altaria, quia in eis incessabi-

Digitized by Google

liter sacrificia laudum Domino offeruntur; imo et nostra obsequia, oblationes et vota ibi ab angelis sanctis Deo repræsentantur et immolantur. Hæc ergo altaria tua, Domine, sunt domus et nidus viatorum ad cœlos tendentium, o Domine virtutum : qui licet sis omnium Deus et rex, quoniam cuncta creasti et regis; specialiter tamen es rex meus, quoniam specialiter provides mihi, præservando me a multis periculis et peccatis, gratiamque recte tendendi ad patriam vitæ æternæ præstando; es etiam specialiter Deus meus, quia non tantum in naturali esse me produxisti, sed in esse supernaturali, divino atque gratifico me per gratiam reformasti, et ego te præ omnibus rebus singulariter amo et colo. Non est hoc omnium dicere, sed perfectorum dumtaxat, vel etiam ferventer efficaciterque proficientium, qui Deum quotidie fervidorum desideriorum brachiis complectuntur, dicentes : Tenui illum, nec dimittam; (Cant. III, 4.) et, Mihi adhærere Deo bonum est. (Ps. LXXII, 28.) — Secundo exponitur versus iste per se, aliquid tamen subintelligendo, ut sit sensus : Altaria tua, Domine virtutum, sunt illa, in quibus humanus quietatur affectus, videlicet tabernacula illa superna : quæ dicta sunt nidus, propter securitatem; altaria vero, propter oblationem perfectam, præsertim quum in eis etiam Christus interpellet pro nobis. (Rom. VIII, 34.)

5 (5) *Beati qui habitant in domo tua, Domine,* id est in regno cœlorum, in patria electorum, in palatio angelorum, in cœlo empyreo, in domo non manufacta, æterna, (II Cor. V, 1.) in triumphanti Ecclesia; *in sæcula sæculorum,* id est sine fine, *laudabunt te :* prout in Apocalypsi habetur : Requiem non habebant, die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens. (Apoc. IV, 8; Is. VI, 3.) Et alibi : Qui redempti fuerint, venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus. (Is. LI, 11.) Tanta est equidem beatitudo habitantium in domo ista cœlesti, ut omnem defectum, omnem miseriam, omnem displicentiam, omnem insecuritatem ac terminationem excludat, omnem vero sufficientiam, omnem complacentiam comprehendat. Quidquid enim appetitur, præsto est; quidquid respuitur, longe est. Merito igitur in Evangelio scriptum est : Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum. (Luc. XIV, 15.) Et Petrus : In Jesum, non videntes, creditis; videntes autem, exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata. (I Petr. I, 8.) In hoc itaque beatitudinis regno, summa et unica occupatio nostra, totum exercitium nostrum, jucundissimumque nostrum negotium erit Deum laudare, superfelicissimam Trinitatem glorificare, Deo sublimi et benedicto incessabile Alleluia cantare, prout in Isaia scriptum est : Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis. (Is. LI, 3.) Sed quis ad hanc laudem perennem, mansionemque cœlestem perduci merebitur? nisi qui nunc Dominum laudat, nunc in ejus præconiis gaudet, nunc in ejus veneratione lætatur; qui in carne vivens, non carnaliter conversatur, (II Cor. X, 3.) sed in præsenti sæculo angelicam ac cœlestem conversationem orditur ac imitatur, implere studens quod scriptum est : Timete Dominum, et date illi honorem, et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum. (Apoc. XIV, 7.)

Insuper manifestat Propheta, quod non humana et naturali virtute, sed ope gratiæ Dei, homo perveniat ad domum cœlestem.

6 (6) *Beatus vir, cujus est auxilium abs te :* id est, felix homo nunc in spe, et tandem in re, cui tu, Domine, modo auxilium gratiæ tuæ impendis, ut operetur et adipiscatur per gratiam (quæ est supernaturale donum, omnem naturalem dignitatem et facultatem excedens) quod nec agere neque acquirere sufficit per naturam. In quo error Pelagianorum confunditur, asserentium hominem sine gratia speciali et supernaturali posse mereri atque salvari. Propterea enim ait Apostolus : Deus vivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. (Ephes. II, 5.) Et rursus : Gratia, inquit, salvati estis per fidem, et non ex operibus. (Ibid. 8, 9.) Dei

Digitized by Google

enim donum est, ne quis glorietur. Domi- A
Osee xiii, 9. nus quoque per Osee dicit : Perditio tua,
Israel, ex te; in me tantummodo auxilium
tuum. Igitur, Beatus vir, cujus est auxi-
Rom. viii, 31. lium abs te : quia si Deus pro nobis, quis
contra nos?

Ascensiones, id est spiritualium profe-
ctuum gradus, virtuosorum processuum
incrementa, *in corde suo disposuit*, propo-
nens fortiter proficere, et gratiæ Dei per
7 liberi usum arbitrii cooperari, *in valle la-
crimarum*, id est in præsentis peregri-
nationis exsilio, in quo peccata semper B
plangenda sunt, *in loco quem posuit*, id
est, quem homo sibi ipsi vallem lacrima-
Gen. iii, 23. rum effecit, quoniam peccando, paradiso
expulsus est, et in hanc vallem projectus.
Vel, In loco quem Deus posuit homini pro
valle lacrimarum, quatenus in eo vitia sua
deploret, ad patriamque plorans adspiret.
Ibid. 17, 19. Unde Dominus Adæ : Maledicta, inquit,
terra in opere tuo. In sudore vultus tui
vesceris pane tuo. Verumtamen de hac
valle lacrimarum faciunt sibi nonnulli do-
mum lætitiæ, utentes hoc mundo ut patria, C
non ut via; ut paradiso, non quasi exsilio.
Jacob. iv, 4. Talibus clamat Scriptura : Quicumque vo-
luerit amicus hujus mundi fieri, inimicus
Dei constituetur. Nos vero utamur hoc
mundo tanquam peregrinatione, via, exsi-
lio, lacrimarumque valle et carcere, et as-
censiones spiritualium profectuum intra
nos disponamus; consummationem vero
et exsecutionem a Domino exspectemus,
Prov. xvi, 9. secundum quod a Salomone scribitur : Cor
hominis disponit viam suam, sed Dei est
dirigere gressus ejus. Ideo subditur : D
8 (7) *Etenim benedictionem*, id est cœle-
stis gratiæ infusionem ac divinorum do-
norum multiplicationem, *dabit* in hac via
electis suis *legislator*, id est Christus, utri-
usque Testamenti collator, qui per Isaiam
Is. ii, 4. admonet : Attendite ad me, populus meus,
quia lex a me exiet, et judicium meum in
luce populorum requiescet. *Ibunt* fideles
de virtute in virtutem, id est de bono in
melius, donec ad optimum perducantur;
ibunt de unius virtutis actu in opus virtu-
tis alterius, nunc orando, nunc aliis suc-
currendo, nunc propria mala deflendo :
et ita post hanc peregrinationem ab eis
clare *videbitur Deus deorum*, id est sum-
mus et verus Deus, omnium participative
dictorum deorum creator et Dominus, *in
Sion* illa cœlesti, de qua Apostolus loqui-
tur : Accessistis ad montem Sion, et civi- Hebr. xii, 22.
tatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et
multorum millium angelorum frequenti-
am. Hic Deus a Sanctis in patria cernitur,
quemadmodum in Apocalypsi ostenditur :
Videbunt faciem ejus, et nomen ejus in Apoc. xxii, 4.
frontibus eorum. Ecce quanta et quam
jucunda est merces spiritualis ascensio-
nis, in vera humilitate fundamentum ha-
bentis, cui visio Dei promittitur. Propter
quod dictum est : Bonorum laborum glo- Sap. iii, 15.
riosus est fructus, videlicet Dei clara co-
gnitio. De qua ait eadem Scriptura : Nos- Ibid. xv, 3.
se te, Domine, consummata justitia est;
et scire virtutem tuam, radix est immor-
talitatis.

Ut ergo homo hoc Dei auxilium conse-
qui mereatur, devote nunc postulat : (8) *Do- 9
mine, Deus virtutum, exaudi orationem
meam*, dando quod peto; *auribus percipe*,
id est, per misericordiam et sapientiam
tuam demonstra te precem meam acce-
ptasse, *Deus Jacob* patriarchæ, et populi
vitia supplantantis per Jacob designati.
(9) *Protector noster* in adversis, *adspice*, 10
Deus, preces, vota, et opera mea; *et respi-
ce in faciem Christi tui*, Domini Salvato-
ris, quem habemus advocatum apud te, et I Joann. ii, 1, 2.
est propitiatio pro peccatis nostris, secun-
dum Joannem; qui secundum Paulum, as-
cendit in cœlum ut appareat nunc vultui Hebr. ix, 24.
tuo pro nobis. In hunc respice, et per om-
nem sanctitatem, dignitatem, ac meritum
omnium quæ ipse pro nostra salute as-
sumpsit, fecit ac pertulit, tribue nobis
quod nostra opera non merentur, et quid-
quid in nomine ejus precamur, quatenus
verificetur quod Christus tuus ait : Amen, Joann. xvi, 23.
amen dico vobis, si quid petieritis Patrem
in nomine meo, dabit vobis.

Gratiam hanc perveniendi ad gloriam

Digitized by Google

11 tuam, o Domine, ideo peto, (10) *Quia me-*
lior est dies una in atriis tuis, id est in
prædictis tabernaculis tuis tam dilectis,
mansionibusque cœlestibus, *super millia,*
id est ultra quamcumque multitudinem
dierum vitæ præsentis. Nulla est enim
comparatio gaudiorum seu divitiarum re-
gni cœlestis, ad bona vitæ præsentis; no-
biliusque exsisteret, Deum una die per
speciem contemplari, quam multis milli-
bus dierum eum per fidem conspicere. Di-
cit autem, Melior est dies una, etc., non
quod in cœlo sint plures dies, quia in cœ-
lo dies nocte non rumpitur, nec vicissitu-
dinem temporum patitur; sed quoniam
illa una dies Sanctorum in patria, quæ est
participata æternitas appellaturque ævum,
multos dies continet et includit. Conjun-
ctio quoque causalis, in principio versus
istius posita, ad sequentem versum potest
referri: (11) *Elegi abjectus esse in domo*
Dei mei, id est, malui despectus videri,
humiliari, subesse, obedire, contemni et
castigari in Ecclesia Christi, seu qualibet
congregatione fideli, *magis quam habita-*
re in tabernaculis peccatorum, id est, quam
honorari in mundo, sublimari in sæcu-
lo, præesse, dominari, hominibus impiis
commisceri, conformari aut complacere.
Per humilitatem namque, et non aliter,
ad altitudinem pervenitur. Hinc Moyses:
Num. XVI, 26. Recedite, inquit, a tabernaculis impio-
rum hominum, et nolite tangere quæ ad
eos pertinent, ne involvamini in peccatis
eorum.
12 (12) *Quia misericordiam et veritatem,* id
est justitiam, *diligit Deus* in se ipso, et
item in nobis, quia per eas Deo placemus,
Mich. VI, 8. quemadmodum Michæas commemorat: In-
dicabo tibi, homo, quid sit bonum, aut
quid Dominus requirat a te: utique facere
judicium, et diligere misericordiam. Nam
Ps. XXIV, 10. et superius dictum est, Universæ viæ Do-
mini misericordia et veritas: quæ etiam
in omni opere Deo conveniunt. Et Salo-
Prov. III, 3, 4. mon docet: Misericordia et veritas non te
deserant, et invenies gratiam coram Deo
et hominibus. *Gratiam* in præsenti *et glo-*
A *riam* in futuro *dabit Dominus:* ab eo enim
descendit omne bonum optimum, et omne *Jacob.* I, 17.
donum perfectum. (13) *Non privabit bonis* 13
prædictis, videlicet auxilio gratiæ, bene-
dictione cœlesti, et præmio gloriæ, *eos qui*
ambulant in innocentia cordis, id est, qui
juste vivunt, nulli nocendo, et divinis
mandatis obediendo. De quibus asserit Sa-
lomon: Qui justi sunt, habitabunt in terra, *Prov.* II, 21.
et simplices permanebunt in ea. Unde ad
sanctum Job quidam dicit: Recordare, ob- *Job* IV, 7-8.
secro, quis unquam innocens periit? Quin
B potius vidi iniquos Deo flante perisse. Et
alibi: Salvabitur innocens; salvabitur au- *Ibid.* XXII, 30.
tem munditia manuum suarum. *Domine*
virtutum, beatus homo qui sperat in te,
per spem formatam, prout Isaias fatetur:
Deus judicii Dominus; beati omnes qui *Is.* XXX, 18.
exspectant eum. Unde alio loco scriptum
est: Respicite, filii, nationes hominum, et *Eccli.* II, 11.
scitote quia nullus speravit in Domino et
confusus est.

O quam gloriosum, amorosum, et san-
ctum psalmum audivimus! Qui etiam reli-
C giosos et claustrales præcipue consolatur,
qui Domino malunt in cœnobio, spreto
sæculo, in humili abjectaque vita servire,
quam in mundo deliciari atque florere.
Amemus igitur et incomparabili dilectio-
ne præamemus dilecta tabernacula Domini
virtutum, omnia transitoria transcenden-
do, et velut stercora reputando. Concupi-
scat, et concupiscendo deficiat anima no-
stra in atria Dei, scientes et profitentes
quoniam non habemus hic manentem ci- *Hebr.* XIII, 14.
vitatem, sed futuram inquirimus, tanquam *I Petr.* II, 11.
D advenæ et peregrini. Exsultemus insuper
intus et foris in Domino, ejus dignitatem,
bonitatem et beatitudinem contemplando,
ejus beneficia recolendo, ejus promissa
præstolando, eum in omnibus amando,
eum in singulis venerando, intendendo et
exquirendo. Conemur quoque incessanter
proficere, de actu unius virtutis in opera-
tionem alterius transmeare, atque in istis
divinis operibus perseverare, quoadusque
Deum deorum in Sion per speciem con-
templari sinamur.

Digitized by Google

PRECATIO.

Auxiliator Deus fortis, adsit nobis, quæsumus, virtus tua hac in valle plorationis; doce nos ascensiones in cordibus nostris disponere : ut de virtute in virtutem euntes, Deum deorum in cœlesti Sion nos te videre concedas lætantes.

ARTICULUS LIX

ELUCIDATIO PSALMI OCTOGESIMI QUARTI : BENEDIXISTI, DOMINE, TERRAM TUAM.

1 HABET præterea psalmus nunc declarandus hunc titulum : *In finem, filiis Core, psalmus :* id est, psalmus præsens in finem, qui Christus est, nos dirigens, cantatur et convenit filiis Core, atque imitatoribus Christi crucifixi, cujus tota conversatio erat velut quædam continua passio. Psalmus iste ad litteram scriptus est de primo Christi adventu seu incarnatione, variisque beneficiis humano generi per Christi passionem collatis.

Sicut sæpe jam præhabitum est, psalmi isti, in quorum titulis ponuntur filii Core, secundum Hieronymum et Hebræos, a filiis Core seu uno eorum conscripti sunt. Secundum Augustinum vero, omnes psalmi a David editi asseruntur, et filii Core spiritualiter exponuntur, sic quod per eos intelligantur filii Domini Jesu pro nobis crucifixi, quoniam Core interpretatur Calvaria, ubi Christus crucifixus est. [*Joann.* XIX, 17, 18.] Hebræi vero (quos imitatur Hieronymus) asserunt, quod dum Core incepit Moysi esse rebellis, quemadmodum Dathan et Abiron et Hon de tribu Ruben, tunc filii Core consenserant patri suo, sed postmodum pœnitebant. Quum vero Moyses jusserat ut omnes recederent a tabernaculis Core et Dathan et Abiron, ne simul cum illis perirent, filii Core non recesserunt, sed cum patre suo in tentorio permanserunt, quatenus eum a sua rebellione averterent. Verum dum ille flecti contempsit, dirupta est terra sub pedibus ejus, et ipse cum tabernaculo suo a terra absorptus est, descenditque in infernum humo opertus. Et factum est grande miraculum, ut eo pereunte, filii ejus non perirent : manserant namque in aere suspensi, quousque reclusa est terra. Quæ omnia in libro Numerorum Moyses adstruit. [*Num.* XVI.] Quibus gestis et consideratis, filii Core totis præcordiis ad Deum conversi sunt : propter quod spiritum prophetiæ recipere meruerunt, plurimosque psalmos fecerunt. Et dicit Hieronymus : Omne psalterium sagaci mente perlustrans, nihil triste in psalmis filiorum Core invenio : semper enim in psalmis eorum læta sunt omnia et jucunda ac amorosa; sæcularibusque contemptis, cœlestia et æterna desiderant.

2 AIT itaque sanctus Propheta : (1) *Benedixisti, Domine* Pater seu Deus Trinitas, per Christi incarnationem, *terram tuam,* id est omnium electorum Ecclesiam, dando eis salutem et gratiam per Christi adventum. Quod enim facit incarnatio et passio Christi jam facta, hoc fecit antiquis temporibus fienda atque futura, in omnibus Christo tunc futuro per fidem formatam, id est caritati conjunctam, unitis. Unde Joannes in Apocalypsi affirmat, [*Apoc.* XIII, 8.] Agnum qui Christus est, ab origine mundi occisum. Benedictio autem Dei vocatur, collatio munerum divinorum. *Avertisti captivitatem,* id est obligationem ad pœnam damni propter originale peccatum, et spiritualem captivitatem qua a dæmonibus captus tenetur homo, propter jugum ini-

Digitized by Google

quitatis et servitutem culpæ ac dæmonis. A Sic igitur, Avertisti captivitatem *Jacob,* id est populi fidelis, vitia supplantantis, ex Jacob corporaliter vel spiritualiter nati, eripiendo eum a servitute peccati et ca-
Matth. XII, 29. *Joann.* XII, 31. ptivitate diaboli. Christus enim fortem armatum alligavit, et principem hujus mundi foras projecit. De cujus captivitatis aversione per Christum jam facta, Zacha-
Luc. I, 73, 74. rias lætabundus cecinit : Juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. Jeremias quo- B
Jer. XXIII, 6. que de futura hac liberatione dicit : In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter. Et Dominus apud Isaiam ait
Is. XLII, 6, 7. ad Christum : Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Merito autem per Jacob seu populum Judæorum, intelliguntur ad litteram universi fideles, quoniam eo tempore quo scriptus est psalmus præsens, totus pene mundus ad idololatriam declinavit, præter filios Jacob : sicque per Jacob omnes C designantur, qui fidem ejus sequuntur.

3 (2) *Remisisti,* o Deus Trinitas, *iniquitatem plebis tuæ* fidelis et electæ, per Christi adventum ac passionem : qui non solum originale peccatum delevit, sed etiam actualia vitia abstulit, satisfaciendo pro totius mundi delictis, quemadmodum scri-
Joann. I, 29. ptum est : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit
II Cor. V, 19. peccata mundi. Et Apostolus : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Isaias
Is. LIII, 6. quoque : Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Sed si virtus seu meri- D tum incarnationis, conversationis, passionisque Christi nobis proficere debet, oportet ut applicetur nobis : applicatur autem nobis per fidem et caritatem et sacramenta Ecclesiæ. Propter quod Paulus testatur :
Act. XIII, 39. In hoc omnis qui credit, justificatur. *Operuisti omnia peccata eorum* per Christi mortem ac obedientiam : qui quantum in se est, ita omnia peccata moriendo delevit, ac si nunquam fuissent. Idcirco tu,
Zach. III, 8, 9. Deus, de Christo testatus es : Ecce ego adducam servum meum Orientem, et auferam iniquitatem terræ illius in una die, id est in die passionis ipsius.

(3) *Mitigasti omnem iram tuam :* id est, 4
vindictam tuæ justitiæ in effectum misericordiæ convertisti, non ulciscendo amplius originale peccatum : quoniam propter illud nullus a beatifica visione differtur post Christi passionem, dummodo aliunde defectum non habeat, scilicet quia meritum Christi sibi applicatum non est; *avertisti* te ipsum *ab ira indignationis tuæ,* id est a magna ultione tuæ justitiæ : quoniam usque ad Christi adventum, dimisisti gentes variis erroribus falli multipliciterque damnari, sed Christo adveniente cœpit gentilitas illuminari. Propter quod Paulus :
Tempora, inquit, prioris ignorantiæ despi- *Act.* XVII, 30.
ciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant. Et Scri-
ptura ait : Nos omnes quasi oves erra- *Is.* LIII, 6.
vimus, unusquisque in viam suam declinavit. Sed Domino Salvatore jam nato,
populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem *Ibid.* IX, 2.
magnam ; cœperuntque homines proprias vias deserere, et Christi itinera ambulare,
quemadmodum Joannes edocuit : Qui se *I Joann.* II, 6.
dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Hæc autem mitigatio etiam ad Judæos extenditur, imo et usque ad patres in limbo : nam et ipsis per Christum indultus est originalis peccati reatus, propter quem retardabantur a
gloria. Unde Dominus ait : Sanabo contri- *Osee* XIV, 5.
tiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis. Quod Mi-
chæas quoque introducit, dicendo : Non *Mich.* VII, 18, 19.
immittet Dominus ultra furorem suum, quia volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostri ; deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.

(4) *Converte nos, Deus salutaris noster,* 5
conversione stabili et perfecta, ita ut toto corde, tota anima, tota virtute tibi adhæreamus per contemplationem sinceram, dilectionem ferventem, devotum et humilem cultum ; *et averte iram tuam a nobis,* per

Digitized by Google

temetipsum descendendo ad nos, et satis- A
faciendo pro nobis. Sed quia superius di-
xit, Mitigasti omnem iram tuam, quid ne-
cesse est nunc orare ut iram suam a nobis
avertat ? Et respondendum, quod Deus,
quantum in se est, omnino placatus est no-
bis per Christum ; sed si nos Christo in-
grati efficimur, gravius quam ante irasci-
tur nobis Deus. Oramus itaque ut iram
suam avertat : primo, ne dimittat nos ca-
dere ; secundo, quatenus si ceciderimus,
ipse protinus misereatur atque subveniat.

6 (5) *Numquid in æternum irasceris nobis,* B
subtrahendo opem et gratiam tuam propter
nostra demerita, *aut extendes iram tuam,*
id est, continuabis tuam vindictam, *a ge-
neratione in generationem,* id est a quali-
bet generatione præcedenti in quamlibet
generationem sequentem sine fine ? Non
utique, quoniam tibi proprium est misere-
Jer. XXIX, 11. ri et parcere : qui locutus es, Ego scio co-
gitationes quas cogito super vos, cogita-
tiones pacis, et non afflictionis, ut dem
vobis finem et patientiam.

7 (6) *Deus, tu conversus* ad nos per tuam C
incarnationem et corporalem præsentiam,
vivificabis nos vita gratiæ in præsenti, et
vita gloriæ in futuro. Unde Christus ait :
Joann. X, 10. Ego veni ut vitam habeant, et abundan-
Ibid. I, 17. tius habeant. Alibi quoque : Gratia et ve-
ritas per Jesum Christum facta est. Et ipse
Ibid. XI, 25, 26. iterum : Ego, inquit, sum resurrectio et
vita ; qui credit in me, non morietur in
æternum. Vivificavit autem nos Christus,
quoniam a morte peccati et nece inferni
nos eruit, atque salutari sua doctrina et
gratia corda nostra implevit. Et ideo scri- D
Osee X, 12. ptum est : Tempus inquirendi Dominum,
quum venerit qui docebit nos justitiam ;
Ibid. XIII, 14. rursusque, De manu mortis liberabo eos,
de morte redimam eos. *Et plebs tua* chri-
stiana electa et sancta, *lætabitur,* non in
rebus carnalibus, vanis, illicitis, sed *in te,*
tuæ bonitati, perfectioni, et beatitudini
congratulando, atque de tuis beneficiis
ac promissis cordialiter exsultando. Ad
hanc sanctam in Deo lætitiam admone-
Joel II, 23. mur a Joele : Exsultate in Domino Deo ve-
stro, quia dedit vobis Doctorem justitiæ.
Isaias quoque in persona populi christi-
ani pulcherrime ait : Ecce Deus noster Is. XXV, 9.
iste ; exspectavimus eum, et salvabit nos.
Iste Dominus, sustinuimus eum ; exsul-
tabimus et lætabimur in salutari ejus.
Hinc etiam Habacuc ait : Ego autem in Habac. III, 18.
Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Je-
su meo.

(7) *Ostende nobis, Domine, misericordiam* 8
tuam : id est, Christum Filium tuum mi-
sericordiæ fontem, per quem tu nostri
summe misertus es, manifesta oculis no-
stris, quatenus eum oculis mentis et cor-
poris videamus in terra conversari : sicut
per Baruch dictum fuit, Post hæc super Baruch III, 38.
terram visus est, et cum hominibus con-
versatus est. Orat ergo Propheta ut Chri-
stus visibiliter in mundo appareat, assu-
mendo naturam humanam : quod modo
impletum est, prout Joannes in exordio
primæ suæ Canonicæ pandit : Quod fuit ab I Joann. I, 1.
initio, quod audivimus, quod vidimus ocu-
lis nostris, et manus nostræ contrectave-
runt de Verbo vitæ. Alibi quoque : Verbum Joann. I, 14.
caro factum est, et habitavit in nobis. Et
vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Uni-
geniti a Patre. *Et salutare tuum,* id est
Christum Salvatorem, per quem tu salvas
nos, *da nobis* gratis ex tua caritate et bo-
nitate, non ex nostra justitia, mittendo
eum ad nos per nativitatem ex Virgine :
quemadmodum per Isaiam prædictum est,
Puer natus est nobis, et filius datus est Is. IX, 6.
nobis. Et alibi Christus ait : Sic Deus dile- Joann. III, 16.
xit mundum, ut Filium suum unigenitum
daret. Nos quoque quotidie versum istum
congruenter orare debemus ad hunc sen-
sum : Ostende nobis, Domine, misericor-
diam tuam, id est, effectum pietatis tuæ
evidenter et copiose ostende in nobis ; et
salutare tuum, id est salvationem saluta-
rem, da nobis, vel etiam Christum, dando
eum nobis quotidie in Sacramento altaris,
et per spiritualem adventum ejus in no-
bis, sicut de ipso sub nomine sapientiæ
scriptum est : Da mihi, Domine, sedium Sap. IX, 4.
tuarum adsistricem sapientiam.

Digitized by Google

9 (8) *Audiam* auribus mentis cum ingenti advertentia, *quid loquatur in me Dominus Deus* per inspirationem internam, seu illustrationem angelicam et occultam. Et merito audiam, *quoniam loquetur pacem in plebem suam,* id est, mihi per allocutionem internam inspirabit ea, quæ spectant ad pacem plebis suæ : quia dum mihi inspirat de Christi adventu, passione et morte, ea in me loquitur per quæ totus mundus veram cœlestemque pacem sortitur. Propterea Christo nato, angelus dixit
Luc. II, 10, 11. pastoribus : Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator.
Ibid. 13, 14. Quo ista loquente, subito facta est multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. (9) *Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor :* quoniam ista locutio pacis non solum pertingit ac pertinet ad plebem communem, sed etiam ad perfectos, et ad gentiles ac peccatores, qui de idololatria, quæ summa est stultitia et irrationabilissimus error, vel de sensualitate atque perverso judicio, redeunt ad cor, id est ad usum rationis, obediendo legi divinæ, rationique rectæ.

Docemur hoc loco diligenter advertere, quid in nobis Dominus Deus noster loquatur, quatenus ejus inspirationi acquiescamus.
Habac. II, 1. Ideo namque Habacuc inquit : Super custodiam meam stabo, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi. Sed ad hoc satis necesse est scire, quis sit instinctus divinus, quis angelicus, quis naturalis, quis diabolicus. Verumtamen quidquid menti nostræ secundum Deum et legem Christi occurrit, Deo sine periculo adscribere possumus, illudque implere seu conservare debemus. De ipsa enim increata Sapientia
Sap. VII, 24, 27. ait Scriptura : Omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam. Et quum sit una, omnia potest; et in animas sanctas se transfert, prophetas et amicos Dei constituit.
I Joann. II, 27. Ideo et Joannes : Unctio, inquit, ejus docet vos de omnibus. Nec dissonat quod Paulus testatur : Dabit tibi Dominus de omnibus intellectum. *II Tim.* II, 7.

10 (10) *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius :* id est, Christus, qui est salutare Dei Patris, adest timentibus Deum timore initiali seu filiali. Nam qui Deum timet, declinat a malo : et ita Christus demoratur in corde ipsorum per gratiam. Unde superius dictum est : Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus Deum. *Ps.* XXXIII, 10. Ecclesiasticus quoque : Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. *Eccli.* II, 20. *Ut inhabitet gloria,* id est Christus rex gloriæ, qui est imago Dei invisibilis, *Coloss.* I, 15. splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, *Hebr.* I, 3. imo et gloria Patris, prout scriptum est, Gloria patris, filius sapiens; *Prov.* X, 1. vel, Gloria, id est Christus, qui est honor et gloria nostra; *in terra nostra,* id est in Judæa, in qua Christus inter homines corporaliter vixit et habitavit, ut Zacharias testatur : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui; *Zach.* II, 10. et Jeremias : Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis, quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? *Jer.* XIV, 8.

11 (11) *Misericordia et veritas,* id est pietas et justitia Dei, *obviaverunt sibi,* id est, convenerunt, apparuerunt, et sibi invicem sine discordia occurrerunt in Christo. Misericordia enim Dei in Christi incarnatione apparuit, quoniam ex ineffabili misericordia Dei factum est, ut unigenitus Filius carnem assumeret. Justitia quoque in ea relucet, quoniam Deus in Christi incarnatione implevit quod per Prophetas prædixit ac repromisit. *Justitia et pax osculatæ sunt :* id est, justa satisfactio, qua Christus pro nobis per viam justitiæ satisfecit, sustinendo pœnam pro culpa nostra, et confœderatio generis humani cum Deo, hanc satisfactionem concomitans, amorose in Christo unitæ sunt. Christus namque (secundum Apostolum) factus est nobis a Deo justitia et redemptio. *I Cor.* I, 30. Ipse quoque est pax nostra, qui fecit utraque unum. *Ephes.* II, 14. Pro-

Digitized by Google

Coloss. I, 19. 20. pter quod ait Apostolus : In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per ipsum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris. Hæc quoque justitia et pax osculantur se mutuo in nobis per Christum redemptis, quoniam justificationem nobis per Christum collatam, sequitur statim in nobis pax qua Deo pacificamur.

12 (12) *Veritas,* id est Christus Dei Filius incarnatus : qui de se ipso loquitur, Ego (Joann. XIV, 6.) sum via, veritas, et vita ; *de terra orta est,* id est, de utero Virginis gloriosæ carnem assumpsit, et nascendo processit : sicut de hac terra, videlicet sancta Maria, per Isaiam affectuosissime dicitur, Aperiatur (Is. XLV, 8.) terra, et germinet Salvatorem. *Et justitia de cœlo prospexit :* id est, æquitas Dei, seu Deus justus hunc Christi ortum approbavit, gratumque habuit, atque per eum genus humanum redemit. Moraliter vero, veritas de terra oritur, dum cor peccatoris rebus terrenis involutum, proprias culpas integre confitetur ; dumque Deus omnipotens peccatorem confitentem statim justificat, justitia de cœlo mox prospicit. Unde Joannes ait : Si confiteamur pecca- (I Joann. I, 9.) ta nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate. Convenienter autem Virgo Mater designatur per terram. Nam ut devotissimus ait Bernardus, Quemadmodum campus seu terra sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo ; sic Virginis venter floruit, sic inviolata, casta, integra Mariæ viscera, æterni viroris florem protulerunt, cujus pulchritudo et gloria nunquam marcescit.

Sed ne alicui impossibile videatur, quod Virgo generet Christum, ostendit modum generationis istius, videlicet quod non sit humana virtute, sed potestate divina.

13 (13) *Etenim Dominus,* scilicet Trinitas Deus, cujus opera sunt indivisa, *dabit benignitatem,* id est gratiæ misericordissimam affluentiam, dando per Spiritum Sanctum A Virgini præelectæ fecunditatem supernaturalem, et plenitudinem gratiarum : prout Gabriel declaravit, dum Virgini huic locutus est : Ave, inquiens, gratia plena ; Dominus tecum. (Luc. I, 28.) *Et terra nostra,* id est Virgo Maria, nostra salvatrix, mater et advocata, *dabit fructum suum,* Christum gignendo : sicut de ipsa superius dictum est, Terra (Ps. LXVI, 7.) dedit fructum suum. De quo fructu ait ad eam S. Elisabeth : Benedictus fructus ventris tui. (Luc. I, 42.) — Spiritualiter Dominus dat benignitatem, dum corda nostra implet per B gratiam, nostrasque preces exaudit, peccatorem gratis justificat, impium prævenit, justum conservat, proficientemque perficit. Et terra nostra dat fructum suum, dum corpus nostrum obedit spiritui, et in piis exercitiis occupatur; quando implemus illud Apostoli : Obsecro vos, ut exhibeatis (Rom. XII, 1.) corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.

14 (14) *Justitia ante eum ambulabit :* id est, justa doctrina et conversatio sancta Christum in omnibus anteibit, ita quod C de corde ac ore ipsius nihil nisi justum et sanctum procedet. Cœpit enim Jesus facere et docere, (Act. I, 1.) haud dubium quin justa et vera. Unde Ecclesiasticus ait : Ante omnia (Eccli. XXXVII, 20.) opera verbum verax præcedat te, et ante omnem actum consilium stabile. *Et ponet in via gressus suos :* id est, ipse Christus opere adimplebit quod docebit. In via enim gressus suos doctor ponit, dum doctrinam, quæ est via ad vitam æternam, quam aliis proponit, ipse bene operando veram esse ostendit. Alii ita exponunt : Justitia, id D est Joannes Baptista, ante eum ambulabit, quoniam Christi præcursor exstiterat ; et ponet in via gressus suos, quia implevit quod docuit. Sed quod Joannes Baptista appelletur justitia, non invenio in Scriptura canonica : quod tamen de Christo reperio scriptum in Isaia, ubi de Christo ait Pater æternus : Prope est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. (Is. LVI, 1.) — Moraliter, *Justitia ante eum ambulabit :* id est, justitia hominis in confessione et pœnitentia culpæ consistens, adventum Christi

Digitized by Google

ad animam hominis talis præcedet. Prima A namque justitia hominis est, de malo pœnitere : et hæc præcurrit et præparat viam adventui Christi in animam. *Et* tunc Christus *ponet in via* sic sibi parata *gressus suos,* dando homini gratiam christiformiter conversandi. Sed quoniam tota nostra justitia originaliter Dei donum est, nec posset esse in homine vera justitia, scilicet meritoria et infusa, nisi Deo eum præveniente, fidem gratiamque præstando : idcirco non videtur proprie dictum, quod justitia hominis præcedit Christi spiritua- B lem adventum ; imo per ejus adventum peccator justificatur. Aptior ergo apparet expositio prima.

Postremo, quis intellectus concipere, quæ lingua exprimere possit dignitatem ac laudem psalmi præsentis ? in quo primo Dei beneficia devotissime recoluntur, deinde oratio efficacissima introducitur, scilicet *Converte nos, Deus salutaris noster.* Et merito versus iste contra noctis insidias, dæmonum tenebras, et hominis infinitas indigentias de sero ante Completorium di- C citur, quatenus diurno jam lumine recedente, mens ipsa ad Deum conversa, luce gratiæ perfundatur, atque ab omnibus sensibilibus rebus abstracta, intelligibili, incommutabili, summoque bono firmiter immergatur. Et ne tanta nobis gratia denegetur propter nostra delicta, convenientissime superadditur, *et averte iram tuam a nobis.* Hunc itaque versum, præsertim in Completorio, cum vehementi affectu et cordis sinceritate dicamus. In versibus quoque sequentibus spes consequendi D misericordiam inflammatur, omnisque pusillanimitas ac diffidentia penitus eradicantur. Sed et versiculus iste, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,* nonne sententiosa dulcedine ac dulci sententia omnem carnalium rerum suavitatem excedit ?

Præterea tres primos versiculos hujus psalmi, quidam ad litteram exponunt de terra Judææ, et populo Judæorum a captivitate Babylonica redeunte. Verumtamen melius arbitror, ut totus psalmus de Christo exponatur, et spirituali liberatione Ecclesiæ, secundum sensum inductum, quatenus totus sensus sit sibi connexus et consonus. Versiculum insuper illum, *Misericordia et veritas obviaverunt sibi,* S. Bernardus profundissime atque pulcherrime in quodam sermone pertractat : in quo sic eum exponit, quod circa mysterium redemptionis humanæ videbantur quodammodo sibi invicem contradicere misericordia Dei et veritas : quoniam misericordia exigebat miserum liberari, veritas autem dictabat reum damnari. Sed in hac obviatione *justitia et pax osculatæ sunt,* quia miser redemptus est, et culpa ejus impunita non fuit. Hanc vero expositionem, quoniam satis communis et prolixa est, derelinquo.

Vers. 11.

PRECATIO.

Supplices, Domine Deus, clementiam tuam exoramus ; remitte iniquitatem plebis tuæ, averte a nobis iram indignationis tuæ, vivifica nos pia actione, potenti dextera tua : ut plebs tua lætetur in te pace præsenti et sempiterna.

Digitized by Google

ARTICULUS LX

ELUCIDATIO DE CHRISTO PSALMI OCTOGESIMI QUINTI : INCLINA, DOMINE, AUREM TUAM.

1 Titulus psalmi est : *Oratio David,* id est A Christi, secundum Hieronymum, in cujus scilicet persona David hic loquitur. Secundum alios, psalmus iste partim convenit Christo, et partim membris ipsius. Secundum quosdam vero, ad litteram de David exponitur.

Christus itaque secundum quod homo, et passioni jam proximus, ait ad Deum Patrem, seu totam superbeatissimam Trinitatem : (1) *Inclina, Domine, aurem tuam,* id est, pietatem tuam paternam ex- B tende ad me, *et exaudi me,* dando quod postulo. Loquitur hic Propheta de Deo, quasi de homine, qui dum oratur, primo aurem suam inclinat ad deprecantem, deinde eum exaudit. *Quoniam inops et pauper sum ego.* Christus inops, id est sine ope alterius erat, præsertim in passione, secundum Is. LXIII, 5. quod Isaias contestatur : Circumspexi, et non erat auxiliator. Erat etiam pauper, sicut II Cor. VIII, 9. de eo ait Apostolus : Quum dives esset, propter nos pauper factus est.

2 (2) *Custodi animam meam,* id est, vitam C meam corporalem conserva, ne a Judæis, Herode, aut aliunde occidar ante tempus passioni præordinatum. Hoc Christus petere potuit, quando quærebant eum Judæi Luc. IV, 29; Joann. X, 31; XI, 8. præcipitare et lapidare. Non autem orabat Christus custodiri a ruina peccati, quoniam comprehensor erat, et confirmatus in bono. *Quoniam sanctus sum.* Hic Christus meritum suum allegat, cur dignus sit exaudiri : Quoniam, inquit, sanctus sum. Christus enim ut Deus, essentialiter sanctus est, et sanctitas infinita ; in quantum vero D est homo, omnium creaturarum sanctitatem solus excedit : propter quod, Sanctus Dan. IX, 24. Sanctorum vocatur a Daniele : Ungatur Sanctus Sanctorum. Unde et inimicus ejus diabolus compulsus est dicere : Scio quia Marc. I, 24. sis Sanctus Dei. *Salvum fac servum tuum,* id est me Christum, qui propter homines redimendos formam servi accepi : de quo Philipp. II, 7. tu dicis, Ecce servus meus, suscipiam Is. XLII, 1. eum ; et qui ad te ait, Hæc dicit Dominus, Ibid. XLIX, 5. formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum. Itaque, Salvum fac servum tuum, o *Deus meus,* qui es omnium Deus generaliter, sed meus Deus summe et specialiter, sicut quem incomparabiliter colo et diligo, et a quo incomparabiliter electus atque dilectus sum ; *sperantem in te,* id est in tua virtute et bonitate. Christus namque, quamvis spem (quæ est theologica virtus) non habuit, nihilo minus in quantum homo passibilis, speravit in Deo per quamdam fiducialem confidentiam, qua exspectavit ab eo adipisci omne bonum quod concupivit. Petit autem Christus salvari a Deo, non utique a peccato, a morte perpetua, quoniam peccatum non habuit ; sed a passibilitate corporis, a rabie Judæorum, a corporis morte per resurrectionem beatam, sicut superius de eo inductum est, Salva me ex ore leonis, etc. Ps. XXI, 22. Unde et ipse ait : Pater, salvifica Joann. XII, 27. me ex hac hora.

(3) *Miserere mei, Domine* Pater, liberando me a præsentis vitæ pœnis atque miseriis, *quoniam ad te clamavi* corde ardenti seu voce sublimi, *tota die,* id est cunctis diebus quibus vixi in mundo. Christus namque, etiam ut homo, semper in actu divinæ contemplationis dilectionisque fuit : et ita indesinenter oravit, quum oratio (secundum Damascenum) sit ascensus mentis in Deum, nec cesset orare, qui non cessat laudabiliter agere. Oravit ergo Salvator ju- 3

giter, et præsertim pro humana salute. A
4 *Lætifica animam servi tui,* lætitia acci-
dentalis præmii. Anima namque Christi
incessabiliter erat in gaudio beatificæ frui-
tionis ; sed animam suam, quæ tristis erat
Marc. xiv, 34. in passione, ita ut diceret, Tristis est ani-
ma mea usque ad mortem, petit lætifica-
ri in resurrectione de corporis sui glori-
ficatione, patrum in limbo exsistentium
eductione, omnium electorum salute seu
Rom. iv, 25. justificatione. Mortuus est enim propter
delicta nostra, et resurrexit propter justi-
ficationem nostram, secundum Apostolum. B
*Quoniam ad te, Domine, animam meam
levavi,* contemplando, seu intente orando.
5 (4) *Quoniam tu, Domine,* Deus Pater,
seu Trinitas benedicta, es *suavis et mitis.*
Deus vere, proprie et naturaliter, imo su-
peressentialiter incircumscriptibiliterque
suavis est ; et ipsa divina essentia est dul-
cedo fontana, viva, simplex et infinita,
omnem sensum exsuperans, quantum ad
suam plenitudinem, omni menti creatæ
ignota et inexperta, a qua fluit omnis sua-
vitas, omnis consonantia, omnis fragran- C
tia. Mititas vero seu mansuetudo, Deo non
competit proprie, sicut nec ceteræ virtu-
tes morales, circa passionum moderatio-
nem versantes : sed sicut Deo adscribitur
ira, non propter veritatem affectus, sed
propter similitudinem effectus ; sic miti-
tas, quæ proprie appellatur virtus moralis,
passionem iræ refrenans, Deo adscribitur
transumptive, videlicet quia justam vindi-
ctam relaxat. Itaque Deus suavis est ju-
stis, ipsum pure et amorose contemplanti-
bus, in quorum affectu divinæ dulcedinis D
degustatio, omnem mundanæ delectationis
fallaciam facit odibilem. Mitis quoque est
Deus peccatoribus ad ipsum toto corde re-
deuntibus, quoniam talibus, per modum
hominis mansueti, cito omnem ultionem
Jer. iii, 1, 12. indulget, quemadmodum Jeremias ait : Re-
vertere ad me, et non avertam faciem
meam. *Et multæ misericordiæ omnibus in-
vocantibus te :* id est, multum misericors
es, multiplicemque pietatis effectum im-
pendis cunctis te intime deprecantibus :

sicut habetur, Pius et misericors est Deus, *Eccli.* ii, 1
et remittit in tempore tribulationis pecca-
ta, et protector est omnibus exquirentibus
se in veritate ; ibidemque, Quis invocavit *Ibid.* 12
illum, et despexit eum?
(5) *Auribus percipe, Domine, orationem* 6
meam. Superius dixit singulariter, Inclina,
Domine, aurem tuam : et ibi per aurem,
intellecta est misericordia Creatoris; nunc
vero pluraliter, Auribus percipe. Quid er-
go modo per aures Dei, nisi misericordia
et scientia ejus, intelligendum videtur ?
Per misericordiam siquidem Deus exaudit,
per scientiam vero omnia audit. Interdum
autem per aures Dei non designantur mi-
sericordia et scientia, sed scientia et justi-
tia, sicut dum Dominus ait : Superbia tua *Is.* xxxvii,
ascendit in aures meas, videlicet ut eam 29.
juste ulciscar. His igitur auribus percipe,
Domine, orationem meam, ut eam tibimet-
ipsi tenaciter imprimas, non obliviscendo
ipsius, id est non tardando ejus effectum
seu exauditionem. Ideo subditur : *et inten-
de voci deprecationis meæ,* id est, oratio-
nem meam vocalem diligenter ac pie ad-
verte. (6) *In die tribulationis meæ,* id est 7
tempore persecutionis et passionis, *clama-
vi ad te,* dicendo : Pater, si fieri potest, *Matth.*
transeat a me calix iste; et, Pater, ignosce xxvi, 39. *Luc.* xxiii,
illis ; et, In manus tuas commendo spiri- 34.
tum meum. Fiducialiter autem et secure *Ps.* xxx, 6.
te deprecatus sum, *quia exaudisti me* sem-
per in omnibus; et ego ipse dixi : Pater, *Joann.* xi,
gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego 41, 42.
autem sciebam quoniam semper me audis.
(7) *Non est similis tui in diis, Domine :* 8
quoniam omnes deos, qui vel mendaciter
dii appellantur et veraciter dæmones sunt,
vel gratiam divinitatis excellenter parti-
cipant, per quam efficiuntur divinæ con- II *Petr.* i, 4.
sortes naturæ, et dii dicuntur per parti-
cipationem, tu, summe veraxque Deus, in
infinitum excellis : sicut et Moyses loqui-
tur : Quis similis tui in fortibus, Domine? *Exod.* xv,
quis similis tui, magnificus in sanctitate, 11.
terribilis atque laudabilis, et faciens mi-
rabilia? Sophonias quoque protestatur :
Horribilis Dominus, et attenuabit omnes *Soph.* ii, 11.

Digitized by Google

deos terræ. *Et non est secundum opera* A
tua, id est, non invenitur qui tibi similia
possit efficere. Multa namque sunt opera
tibi propria, quæ nulli creaturæ conveni-
unt, sicut creatio, justificatio, felicitatio,
cordium perscrutatio, futurorum pure con-
tingentium certa prænotio, transsubstan-
tiatio, miraculorum operatio. De talibus
Joann. v, 17. operibus Christus præcipue ait : Pater
meus usque modo operatur, et ego operor.
9 (8) *Omnes gentes quascumque fecisti, ve-*
nient et adorabunt coram te, Domine. Hæc
est prophetia de gentium illuminatione et B
vocatione ad fidem : estque distributio
ista intelligenda sicut et illa qua dictum
Gen. xxii, 18. est Abrahæ, In semine tuo benedicentur
omnes familiæ terræ ; et qua ait Virgo
Luc. i, 48. Christifera, Beatam me dicent omnes ge-
nerationes. Non enim est in istis distribu-
tio pro singulis generum, sed pro generi-
bus singulorum. Est igitur sensus : *Omnes*
gentes quascumque fecisti, id est quidam
de omni genere hominum a te creatorum,
venient ad fidem, *et adorabunt coram te,*
Domine, qui omnia cernis. Adorabunt au- C
tem te Deum in spiritu et veritate, sicut
Soph. iii, 9. apud Sophoniam prædixisti : Quia tunc
reddam populis labium electum, ut invo-
cent omnes nomen Domini, et serviant ei
Is. xlix, 22. humero uno ; et alibi : Ecce levo ad gen-
tes manum meam, et exaltabo ad populos
signum meum. Quæ omnia apud Danielem
Dan. vii, 14. clare tanguntur his verbis : Omnes popu-
li, tribus et linguæ servient ei. *Et glorifi-*
cabunt nomen tuum, id est, te gloriosum
esse verbis pronuntiabunt, et opere de-
monstrabunt, sicut per Isaiam pulchre in- D
Is. xxiv, 15, 16. ducitur : In doctrinis glorificate Domi-
num, in insulis maris nomen Domini Dei
Israel. A finibus terræ laudes audivimus,
gloriam Justi, scilicet Christi.
10 (9) *Quoniam magnus es tu :* juxta illud :
Judith xvi, 16. Adonai Domine, magnus es tu, et præcla-
rus in virtute. Denique tam magnus es, ut
Ps. cxliv, 3. magnitudinis tuæ nullus sit finis. *Et fa-*
ciens mirabilia in cœlo et in terra. *Tu es*
Deut. xxxii, 39. *Deus solus :* qui locutus es, Videte quia
ego sim solus, et non sit alius Deus præter
me ; et rursus, Ego sum Dominus faciens Is. xliv, 24.
omnia, extendens cœlos solus, stabiliens
terram, et nullus mecum. Sumitur autem
Deus in his locis absolute, et pro Deo Tri-
nitate. Unde Apostolus ait : Unus Deus, Ephes. iv, 5.
una fides, unum Baptisma ; et iterum :
Etsi sint qui dicantur dii et domini, nobis I Cor. viii, 5, 6.
tamen unus Deus est ex quo omnia, et
unus Dominus per quem omnia.
(10) *Deduc me, Domine, in via tua.* Se- 11
cundum expositores, Christus hunc ver-
sum dicit, non pro se ipso, sed pro corpo-
re suo mystico : secundum quem modum
ait apud Zachariam, Qui tetigerit vos, tan- Zach. ii, 8.
get pupillam oculi mei; et in Actibus, Sau- Act. ix, 4.
le, Saule, quid me persequeris? Potest
tamen hic versus de Christo exponi hoc
modo : Deduc me, Domine, in via tua. Via
Dei fuit, qua anima Christi in limbum pa-
trum descendit, atque post resurrectionem
in cœlos conscendit : et in hac via petiit
Christus a Deo deduci, sicut et Sancti in
patria orant in corpore glorificari. Omne
etenim bonum futurum, nondum adeptum,
quod licite desideratur, licenter oratur,
secundum Augustinum. *Et ingrediar* in
regnum cœlorum usque ad dexteram tu-
am, *in veritate tua,* id est, quemadmodum
per sanctos Prophetas veraciter promisisti.
Scriptum est enim : Adspiciebam in visio- Dan. vii, 13, 14.
ne noctis, et ecce in nubibus cœli quasi
Filius hominis veniebat, et usque ad Anti-
quum dierum, id est Deum æternum, per-
venit ; et in conspectu ejus obtulerunt
eum, et dedit ei potestatem et honorem et
regnum. *Lætetur cor meum, ut timeat no-*
men tuum timore filiali ac casto. Hoc Chri-
stus dicit, non orando ut sic sit, sed cor-
dialiter exsultando quia sic est, sicut et
Sancti in patria dicunt illud in Apocaly-
psi : Gaudeamus et exsultemus, et demus Apoc. xix, 7.
gloriam Deo. Timuit autem Christus ut ho-
mo Deum timore casto, illo præcipue qui
est unum septem donorum Spiritus San-
cti, secundum quod scriptum est : Reple- Is. xi, 3.
bit eum spiritus timoris Domini.
(11) *Confitebor tibi, Domine Deus meus,* 12
id est, laudabo te, *in toto corde meo,* id

Digitized by Google

est integro, non diviso, nec vago affectu
et intellectu. Hoc Christo perfectissime
competit, quoniam indesinenter tota anima, tota virtute, tota mente ferebatur in
Deum, sicut et Sancti in patria, nec erat
cor suum per evagationem aut inordinatum amorem divisum. Hoc modo confessus est Christus Deo, ex toto corde ipsum laudando, prout de ipso in Evangelio
Luc. x, 21; *Matth.* xi, 25. scriptum est : Exsultavit Jesus in Spiritu
Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc
a sapientibus et prudentibus, et revelasti
ea parvulis. Et alibi Christus Patri confi-
Joann. xvii, 11, 25. *Ibid.* 17. tetur confessione laudis, dum eum justum
et sanctum appellat, eique ait : Sermo tuus
veritas est. *Et glorificabo nomen tuum in
æternum* verbis et factis, per me ipsum
et ministros, qui per meam doctrinam et
gratiam ad te glorificandum inducuntur.
Ibid. viii, 50, 49. Unde ait Salvator : Ego non quæro gloriam
meam, sed honorifico Patrem meum.

13 (12) *Quia misericordia tua magna est
super me,* id est super naturam meam humanam quam assumpsi. Misericordia Dei
super illum esse asseritur, qui misericordiam consequitur. Multiplex autem est misericordiæ Dei effectus, et secundum hoc
diversimode dicitur misericordia Dei esse
super homines magna. Unus namque effectus misericordiæ Dei est, peccata dimittere. Alius, gratiam conversionis infundere : sicque misericordia Dei magna est
super peccatores pœnitentes et conversos.
Propter quod in libro Esdræ ait Scriptura :
*peccatores *IV Esdr.* viii, 31. Tu, Deus, propter nos miseros * misericors
appellaris. Alter effectus misericordiæ Dei
est, hominem per gratiam prævenire, atque in innocentia sine peccato custodire :
et ita misericordia Dei magna et incomparabiliter magna in Christo est, quoniam
sola gratia natura ejus humana est Dei
Verbo unita, a principio suæ creationis
beata fruitione dotata, confirmata in bono, et præservata ab omni malo : et ideo
Ps. xx, 4. ante de eo dictum est Deo Patri, Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis ; et
Joann. iii, 34. in Evangelio, Non ad mensuram dat Deus

A Spiritum, scilicet homini Christo. *Et eruisti,* in die resurrectionis, *animam meam
ex inferno inferiori,* id est ex limbo inferni infra terram exsistenti. De quo limbo Jacob in Genesi : Descendam, inquit, *Gen.* xxxv[ii], 35.
lugens ad filium meum in infernum ; Job
etiam : In profundissimum inferni descendent omnia mea : putasne ibi erit re- *Job* xvii, 1[6].
quies mihi ? Ex hoc inferno eruit Deus
animam Christi tertia die, secundum quod
Christus superius dixit, Domine, eduxisti *Ps.* xxix, [4].
ab inferno animam meam ; et, Quoniam *Ps.* xv, 1[0].
B non derelinques animam meam in inferno.

(13) *Deus* Trinitas, *iniqui* Judæi *insurrexerunt super me,* id est contra me ; *et* 14
synagoga potentium, id est principes sacerdotum, Scribæ, Pharisæi, magistratusque templi, *quæsierunt animam meam,* id
est vitam meam, ad occidendum : secundum quod dicitur : Quærebant summi sa- *Marc.* xiv, 1.
cerdotes quomodo Jesum tenerent et occiderent. Et Sapiens : Dixerunt impii apud *Sap.* ii, 1, 10, 12, 16, 13.
se, cogitantes non recte : Opprimamus virum justum, quoniam contrarius est ope-
C ribus nostris, et gloriatur se Deum patrem
habere, et Filium Dei se nominat. *Et non
proposuerunt Deum * in conspectu suo,* id * alias te
est, divinum judicium non expaverunt in
tanto facinore : prout de quibusdam alio
loco dictum est, Everterunt sensum suum, *Dan.* xiii, 9.
ne recordarentur judiciorum justorum.

(14) *Et tu, Domine Deus, miserator* in 15
opere, *et misericors* in natura, *patiens,*
longanimiter exspectando, juxta illud, Al- *Eccli.* v, 4.
tissimus est patiens redditor. Non tamen
convenit patientia proprie sumpta Deo,
D sicut de mititate ostensum est, quoniam
patientia proprie est virtus moralis, passionem tristitiæ reprimens. Dicitur ergo
Deus patiens propter similitudinem operis, quoniam scilicet peccatorem longanimiter præstolatur ad veniam. *Et multæ misericordiæ :* sicut expositum est ; *et verax*
in verbis, factis atque promissis. (15) *Re-* 16
spice in me oculo pietatis paternæ, *et miserere mei :* secundum sensum jam explanatum ; *da imperium tuum puero tuo,* id
est, regnum militantis Ecclesiæ judicia-

Digitized by Google

riamque potestatem da mihi Christo Filio A tuo dilecto : quemadmodum alibi prædi- I *Reg.* II, 10. ctum est, Dominus dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. Sed *Hebr.* II, 8. quoniam omnis creatura subjecta est Christo, a suæ conceptionis maternæ exordio, quid nunc orat ut sibi detur imperium, nisi ut Deus Pater manifestet hominibus hoc imperium Christo esse collatum? Hoc *Joann.* XVII, 1. enim Christus deprecatur, dicendo : Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. *Et salvum fac* a morte per resurrectionem, *filium ancillæ tuæ,* id est B *Luc.* I, 38. me Christum natum Mariæ, quæ ait, Ecce ancilla Domini.

17 (16) *Fac mecum,* o Domine, Deus Pater, *signum in bonum,* id est, signum resurre- *Joann.* XVII, 1. ctionis ostende in me ad clarificationem nominis mei per mundum, *ut videant qui oderunt me,* id est Judæi seu custodes se- *Matth.* XXVIII, 4. pulcri, qui angelo viso territi ceciderunt, et facti sunt velut mortui : videant, inquam, per certa argumenta atque miracula me resurrexisse, *et confundantur* de suis peccatis, nunc per pœnitentiam, vel C postmodum per condemnationem. Quidam etenim Judæorum, per hæc signa et argumenta Jesum esse verum Christum per *Joann.* XIX, 15. fidem viderunt post resurrectionem, qui ante clamaverunt : Tolle, tolle, crucifige eum. De ipsis namque Christus loquebatur : Quum exaltaveritis, inquiens, Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. *Joann.* VIII, 28. Hoc signum quod Christus hic petit, est signum Jonæ prophetæ, quemadmodum in Evangelio dicit de Judæis Dominus Jesus : Generatio adultera et perversa signum quærit; et signum non dabitur ei nisi signum *Matth.* XII, 39. Jonæ prophetæ, qui tertio die exivit de *Jonæ* II, 11. piscis ventre. Non ergo datum est Judæis signum descensionis de cruce quod petebant, dicentes, Si rex Israel est, et, Si hic *Matth.* XXVII, 42. est Christus Dei electus, descendat nunc *Luc.* XXIII, 35. de cruce, et credimus ei; sed signum resurrectionis de monumento. De quo per Sophoniam loquitur Christus, Exspecta me *Soph.* III, 8. in die resurrectionis meæ in futurum; de quo alibi ait sermo divinus, Vivificabit nos *Osee* VI, 3. post duos dies, in die tertia suscitabit nos. Potest quoque per hoc signum intelligi operatio miraculorum, per quod sancti Apostoli in Jerusalem primitus probaverunt Christum resuscitatum. Unde Petrus, claudo nato sanato, dixit Judæis : Deus patrum *Act.* III, 13. nostrorum glorificavit Filium suum Jesum. Itaque, Fac mecum signum in bonum, ut videant, etc., *quoniam tu, Domine, adjuvisti me,* cooperando mihi in omnibus, *et consolatus es me* in resurrectione, liberando me ab omni pœna et passibilitate.

ARTICULUS LXI

EXPLANATIO MORALIS EJUSDEM PSALMI OCTOGESIMI QUINTI DE QUOLIBET VERE FIDELI.

PORRO quum psalmus iste magna excel- D lentia polleat (continet namque ardentissimas preces viri devoti, pulcherrimas laudes Dei, beneficiorumque divinorum gratam memoriam), ideo plenius pertractandus est, hortando magis quam exponendo : difficultatem enim non habet in sensu; et si aliqua in eo difficultas consistat, ex præcedenti expositione elucescit. In primis ergo pensandum, quod licet homo Dominum orans, misericordiæ ejus debeat præcipue inniti, dicendo cum publicano, Deus, propitius esto mihi pecca- *Luc.* XVIII, 13. tori : nam et alibi scriptum est, Non te *Eccli.* VII, 5. justifices coram Deo; unde et sanctus Job *Job* IX, 20. asserit, Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : nihilo minus potest homo interdum in oratione aliqua opera sua

Digitized by Google

bona commemorare, non ea sibi ipsi contumaciter, sed Deo humiliter attribuendo, quatenus majorem exauditionis fiduciam inde concipiat. Sic enim Ezechias orans,
IV *Reg.* XX, 3; *Is.* XXXVIII, 3. locutus est : Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto. Judith quoque :
Judith VI, 15. Domine, Deus cœli et terræ, intuere superbiam eorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende. Sed et sancta ac venerabilis Es-
Esther XIV, 3, 16, 18. ther Deum ita precatur : Domine mi rex, adjuva me solitariam, cujus præter te nullus alius auxiliator est. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum, quasi pannum menstruatæ, et non portem illud in diebus silentii mei, et quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo translata sum huc. O quam vere sublimis perfectio ! Ecce ex humili statu facta erat imperatrix, et conjux potentissimi illius
Ibid. I, 1. regis Assueri, qui regnavit super centum viginti septem provincias : et quum esset in tanta majestate, honore et gloria, nunquam maculavit animam ejus ambitio, nunquam inaniter est lætata, nunquam regis incircumcisi adamavit cubile. Quid ad hæc nos barbati dicemus ?

Simili itaque modo in psalmo præsenti homo devotus multas causas allegat, cur deceat se exaudiri a Deo, quarum quædam sumuntur ex parte sui, quædam vero ex parte Dei. Earum autem quæ sumuntur ex parte sui, quædam pertinent ad suæ imperfectionis confessionem, quædam vero ad suam perfectionem. Primo igitur allegat causas ex parte sui, quarum prima est propria indigentia et paupertas, de qua
1 modo fatetur : *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego.* Tanquam dicat : Tu, Deus,
Ephes. II, 4. *Is.* LIX, 1. *Ps.* XCIV, 4. qui dives es in misericordia, cujus manus non est abbreviata, in cujus manu sunt omnia, in quo sunt infinitæ divitiæ, exaudi me egenum et pauperem. Decet enim liberalem et divitem Dominum, pauperem famulum exaudire, sicut tu ipse apud Pro-

A phetam testatus es : Ego Dominus exaudiam egenum et pauperem ; non derelinquam eos. *Is.* XLI, 17. Dicit autem, Inclina, Domine, aurem tuam : non quod in incircumscripto ac simplici Deo sint aures corporeæ aut inclinatio motus localis ; sed secundum sensum præhabitum.

Secunda ratio exauditionis ex parte hominis, est bonitas vitæ : et istam allegat, subjungens, *Custodi animam meam* ab 2
omni tentationis et adversitatis periculo, *quoniam sanctus sum,* id est mundus et
B innocens. Sanctitas enim (secundum Dionysium) est munditia, ab omni impuritate sejuncta. Sed quis viator audeat hoc dicere, quum asserat Salomon : Quis potest *Prov.* XX, 9.
dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato ? Job quoque : Etiam, inquit, si *Job* IX, 21.
simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. Et S. Joannes protestatur : Si diximus quia peccatum non habemus, nos *I Joann.* I, 8.
ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Videturque prorsus periculosum homini, dicere coram Deo, Sanctus sum, in
C cujus conspectu cœli mundi non sunt : *Job* XV, 15.
præsertim quum omnes nostræ justitiæ sint tanquam pannus menstruatæ, secundum Isaiam ; *Is.* LXIV, 6. et teste Scriptura, Nescit homo an sit dignus amore vel odio. *Eccle.* IX, 1.

Hucusque argumentatus sum, quod non sit tutum dicere coram Deo, Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Nunc ex Scriptura argumentandum est ad partem oppositam, quatenus tandem rationabile medium inveniamus et solutionem condignam. Ecce Scriptura testante, in Con-
D fessione omnia dimittuntur ; in Baptismo quoque omnia vitia lavantur. Adultus ergo baptizatus, secure atque verissime dicit, Sanctus sum : imo nisi hoc putet, gratiæ Baptismatis derogat, et christianus non est. Similiter in professione vitæ monasticæ et passione martyrii pro Christo, omnia indulgentur peccata, sanctificaturque homo. Et qui ex contritione et bono proposito confitetur, fiducialiter credere potest se esse ab omni peccato mortali immunem. Denique Paulus apostolus se ipsum et Co-

Digitized by Google

apostolos suos non solum sanctos, sed et sanctissimos et Prophetis sublimiores esse demonstrat, dicendo : Nos ipsi qui primitias Spiritus accepimus. Quid enim est dicere, Primitias Spiritus accepimus, nisi, Primas seu summas gratias Spiritus Sancti adepti sumus ? Jeremias etiam in principio libri visionum suarum fatetur se sanctificatum in utero.

Rom. VIII, 23.
Jer. I, 5.

Et respondendum, quod de eadem re diversa proferuntur judicia secundum considerationes diversas : quemadmodum Christus ait, Neque me scitis, neque Patrem meum; et tamen alibi dicit eisdem, Et me scitis, et unde sim scitis. Similiter Job, qui sicut nunc allegatum est, dicit, Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea ; idem ipse loquitur : Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea ; justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram. In quibus utique verbis testatur se ipsum innocentem esse, justum, constantem et perseverantem. Sed parum est hoc : addit namque, Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea. Hoc Paulus dicere non potuit, qui licet veraciter dixerat, Nihil mihi conscius sum, quantum ad hoc quod de præteritis doluit, et a futuris abstinere peccatis proposuit : reprehendit tamen eum cor suum in multis, propter quod dixit, Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei; et rursus, Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Non tamen præfero sanctum Job Paulo ; imo secure præfero Paulum illi.

Joann. VIII, 19.
Ibid. VII, 28.
Job IX, 21.
Ibid. XXVII, 5. 6.
Ibid. 6.
I *Cor.* IV, 4.
Ibid. XV, 9.
I *Tim.* I, 15.

Dicendum ergo, quod nemo dicere potest se sanctum esse simpliciter et absolute, videlicet quasi nullo peccato obnoxius sit : quoniam ut alibi scriptum est, Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram : ad minus enim originali peccato fuit obnoxius. Potest tamen homo ad punctum omni peccato carere, quantum ad maculam culpæ et pœnæ reatum : ut patet de evolantibus, qui sine dilatione regnum ingrediuntur cœleste. Sed non potest homo diu in hac vita sine venialibus vivere : quoniam scriptum est, Justus septies in die cadit; et Job dicit, Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere ? Dicitur autem viator sanctus, secundum exigentiam et possibilitatem vitæ præsentis, quoniam a mortalibus sollicite abstinet, venialia deflet, in gratia Dei et sancto ejus amore quotidie crescere studet : sicque se ipsum sanctum sine periculo profitetur, qui integro proposito deservire Domino nititur, proponens incessanter proficere, quotidiana mala deplangere, atque in his se ipsum quotidie pro posse exercens.

Job XIV, 4, 5 juxta LXX.
Prov. XXIV, 16.
Job XV, 14.

Dicere ergo, Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : non est sermo elati, neque præsumptio hominis vani, sed vox Domino non ingrati, qui sanctitatem suam non suo labori aut viribus, sed gratiæ et misericordiæ Salvatoris cordialiter tribuit. Quod autem Salomon ait, Nescit homo an sit dignus amore an odio, non ideo dictum videtur, quasi nullus ex speciali gratiæ dono hoc sciat : imo multi ex revelatione divina cognoverunt se esse prædestinatos ; multi quoque sciunt se esse in gratia, in quorum persona dicit Apostolus : Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus ; et denuo : Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Verum est tamen, quod homo certitudinaliter scire non valet an sit in gratia gratum faciente, sine speciali instinctu Spiritus Sancti seu revelatione divina : idcirco, secundum communem legem loquendo, nescit homo an sit dignus amore an odio. Ex his (ut reor) multa divinæ Scripturæ eloquia, quæ prima fronte dissonare videntur, concordari faciliter possunt. Quod autem non dicat se homo pius sanctum ex elatione, hinc constat, quod in præcedenti versu se inopem pauperemque vocavit ; et nunc se confidere dicit, non in se ipso seu meritis propriis, sed subjungit : *salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.*

Eccle. IX, 1.
Rom. VIII, 16.
I *Cor.* II, 12.
Eccle. IX, 1.

Digitized by Google

Tertia causa, quam allegat pro sua ex-
auditione, est perseverantia in orando.
Oportet namque instanter orare, juxta illud
I *Thess.* v, 17. Apostoli : Sine intermissione orate. Ideo
3 subditur : *Miserere mei, Domine,* culpas
delendo, pœnas laxando, gratias multipli-
cando, *quoniam ad te clamavi tota die*
naturali (qui tempus nocturnum includit),
id est singulis horis diei ad orandum de-
4 putatis aut debitis. *Lætifica animam servi*
tui, id est, animæ meæ infunde consola-
tionem internam de remissione peccato-
rum, de infusione divinorum charisma-
tum, de contemplatione et spe futurorum
bonorum. Lætifica animam servi tui, ut
II *Cor.* ix, 7. tibi læto corde deserviam, quoniam hila-
rem datorem tu diligis : omnem inordina-
tum mœrorem expelle a me, fac me omni
profectui proximorum congaudere, de om-
ni bono eventu lætari. *Quoniam ad te,*
Domine, animam meam levavi per fidem,
spem et caritatem, te summum bonum con-
templando, exspectando ac diligendo, te-
7 que devote invocando. *In die tribulationis*
meæ, dum vel a carnis concupiscentiis
stimulor, aut a passionibus animæ pul-
sor, vel a dæmonibus tentor, aut a mun-
do affligor, aut corpore infirmor, *clamavi*
ad te pro succursu et adsistentia gratiæ
tuæ piissimæ, sicut tu ipse alibi admo-
Ps. xlix, 15. nes : Invoca me in die tribulationis, eruam
Cf. *Is.* xliii, 11. te, et honorificabis me ; et rursus : Sa-
lus populi ego sum ; de quacumque tri-
bulatione clamaverint ad me, exaudiam
eos. Ideo autem invocavi te, *quia exau-*
disti me : id est, quoniam expertus sum
prius me exauditum esse a te, ideo nunc
fiduciam habui te invocandi, teque in-
vocavi.

11 *Deduc me, Domine,* per gratiam tuam
angelicamque custodiam, *in via tua,* id est
in lege divina, per quam itur ad te, quate-
nus illam sine offensione custodiam, digne
et sancte ambulando in tua præsentia ; *et*
ingrediar in veritate tua, id est, in hac vi-
ta degam, et ad futuram vitam deambulem
in veritate tuæ doctrinæ, illi credendo et
obediendo, in veritate tuæ justitiæ, illam

A sequendo : ut impleatur in me, o Domine
Christe, quod tu pro electis orasti, Pater, *Joann.* xvii,
sanctifica eos in veritate ; nec in illorum 17.
societate inveniar, de quibus apud Jere-
miam dicitur, Vere mendacium possede- *Jer.* xvi, 19.
runt patres nostri, vanitatem quæ eis non
profuit. *Lætetur cor meum, ut timeat no-*
men tuum, id est, cum interiori delectati-
one te timeat sancto et casto timore, qui
ex amore procedit. Quum enim timere
Deum sit actus virtuosus, delectabiliter fi-
eri debet, quoniam signum virtutis est de-
B lectatio operationi annexa. Porro quam
necessarius ad salutem sit timor Domini,
Moyses ostendit, populo Israelitico loquens:
Nisi timueris nomen Domini gloriosum at- *Deut.*
que terribile, augebit plagas tuas ; et sicut xxviii, 58, 59, 63.
ante lætabatur super vos benefaciens vo-
bis, sic nunc lætabitur vos disperdens at-
que subvertens. Dominus quoque per Ma-
lachiam ait : Filius honorat patrem suum, *Malach.* i,
et servus timet dominum suum. Si ergo 6.
pater ego sum, ubi est honor meus ? et si
Dominus ego sum, ubi est timor meus ?
C Perfecti igitur timeant Deum timore filia-
li, ne ab ipso separentur aut eum offen-
dant. De hoc nempe timore ait Scriptura :
Ecce timor Domini, ipsa est sapientia. Hic *Job* xxviii,
enim timor vere jucundus est, sicut in 28.
Ecclesiastico scriptum est : Nihil dulcius *Eccli.* xxiii,
quam timere Deum. Imperfecti vero time- 37.
ant Deum, vel potius nomen Domini, quo
Judex vocatur, timore partim servili et
partim filiali, quia de hoc metuendo no-
mine Domini scriptum est : Ecce nomen *Is.* xxx, 27.
Domini venit de longinquo ; ardens furor
D ejus et gravis ad portandum.

12 *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in*
toto corde meo, confessione tuæ laudis et
meæ iniquitatis ; confitebor ad gloriam
tuam mea peccata et tua præconia. Ex in-
timis ergo præcordiis, et corde ad Deum
pure converso, confiteamur Domino suam
bonitatem et beneficia, nostramque pravi-
tatem et ingratitudines plurimas. *Et glori-*
ficabo nomen tuum in æternum, id est, tu-
am felicitatem et gloriam verbis fatebor, et
opere protestabor, jam per fidem incho-

Digitized by Google

ando, et demum in cœlo per speciem sine A
cessatione complendo. Sanctificatur, ma-
gnificatur, et glorificatur creatura a Crea-
tore, et econverso, sed dissimiliter valde.
Deus namque mentem creatam sanctificat
gratiam infundendo ; eamque magnificat
spiritualem profectum præstando ; glori-
ficat vero beatitudinem largiendo. Mens
autem creata Deum sanctificat, magnifi-
cat, glorificatque, non aliquid ei præstan-
do, sed ejus sanctitatem, dignitatem et
gloriam verbis et factis testando : quod
Luc. i, 74, 75. fit, dum ei in sanctitate et justitia servit, B
ejusque laudes jugiter resonat. In hac glo-
rificatione qua Deum glorificamus, con-
sistit nostra felicitas, quemadmodum ait
I Reg. ii, 30. Altissimus, Quicumque glorificaverit me,
Prov. viii, 17. glorificabo eum ; et rursus, Ego diligen-
tes me diligo.
13 Propterea autem hæc faciam, *Quia mi-
sericordia tua magna est super me,* id est,
quoniam multiplicem pietatis tuæ effe-
ctum mihi largitus es, mittendo Filium
tuum pro me, ejus passione me eruendo,
per patientiam tuam me longanimiter ex- C
spectando : ita quod *et eruisti animam
meam ex inferno inferiori,* id est de pec-
catis mortalibus, quorum demerito per-
venitur ad inferiorem infernum, in quo
reprobi demorantur, in æternum damnati.
Quadruplex autem ponitur infernus, vide-
licet : locus purgatorii (unde in Missis pro
defunctis cantatur : Libera animas fidelium
de pœnis inferni) ; secundus infernus, est
locus infantium non baptizatorum ; tertius
autem, limbus patrum, ad quem infernum
Christus descendit ; quartus, est locus re- D
proborum sine fine pereuntium. Creditur
quoque infernus esse sub terra, sicut et
purgatorium limbusque patrum. Infernus
vero reproborum in infimo loco est, in
Luc. xvi, 22. quo sepultus est dives, de quo Christus in
Evangelio loquitur.
14 *Deus, iniqui,* id est spiritus maligni, *in-
surrexerunt super me,* animam tentando ;
et synagoga potentium, id est congrega-
tio tyrannorum hominumque malorum,
quæsierunt animam meam malo exemplo

subvertere, a tuo itinere elongare, suis
perversitatibus conformare. *Respice in me,* 16
vulnera animæ meæ pie sanando, *et mise-
rere mei,* miserias meas tollendo. *Da im-
perium tuum,* id est, præceptum tuum
da mihi *puero tuo* implere et custodire :
quemadmodum in Evangelio dictum est,
Si vis ingredi ad vitam, serva mandata ; *Matth.* xix, 17.
et salvum me *fac filium ancillæ tuæ,* pu-
ta Ecclesiæ, seu feminæ christianæ. Ecce
quam dulcis, amorosus atque blandisonus
versus.

Fac mecum signum in bonum : id est, 17
talem effectum operare in me, per quem
innotescat me esse dilectum ac prædesti-
natum a te, liberando videlicet me ab om-
ni incursu hostili, et gratiam infundendo,
per quam ea agam quæ sunt signa præde-
stinationis : quæ sunt, verbum Dei libenter
audire, vitia abhorrere in quantum sunt
vitia, bonum habere propositum ad sem-
per bene vivendum ; *ut* dæmones homi-
nesque perversi *videant* signum hoc, *qui
oderunt me* odio iniquo ac pessimo, invi-
dentes non solum temporali meæ prospe-
ritati, sed animæ quoque saluti ; *et confun-
dantur,* adspicientes se non posse obtinere
de me quod cupiunt, imo oppositum sui
desiderii in me conspicientes ; *quoniam
tu, Domine, adjuvisti me,* ne illorum ten-
tationi et persecutioni succumberem, *et
consolatus es me* in omni tribulatione at-
que angustia, ita ut illud Jacobi adimple-
rem : Omne gaudium existimate, fratres, *Jacob.* i, 2.
quum in tentationes varias incideritis ; il-
lud quoque Salvatoris : Gaudete et exsultate *Matth.* v, 12.
in illa hora, quando videlicet exprobrami-
ni et multa adversa patimini, quoniam
merces vestra copiosa est in cœlo. Unde
Apostolus : Gloriamur, inquit, in spe glo- *Rom.* v, 2-4.
riæ filiorum Dei ; non solum autem, sed et
gloriamur in tribulationibus, scientes quod
tribulatio patientiam operatur, patientia
autem probationem, etc. Hoc modo conso-
latus fuit Deus Apostolum, qui testatur :
Sicut abundant passiones Christi in nobis, *II Cor.* i, 5.
ita et per Christum abundat consolatio
nostra.

Digitized by Google

Ineffabilis plane est virtus hujus versicu- A li : sed et totus hic psalmus divina dulcedine, sancto fervore, spirituali jucunditate et admiranda devotione redundat : quem condecet nos cum mentali sapore, cum magna lætitia, cum attentione præcipua decantare.

PRECATIO.

Famulantes tibi nos, Domine, deduc in via tua, et ingrediamur in veritate tua : ut magna super nos stillante misericordia tua, animam nostram eruas ab inferno inferiori, atque æternæ gloriæ facias participari.

ARTICULUS LXII

EXPOSITIO PSALMI OCTOGESIMI SEXTI : FUNDAMENTA EJUS.

Psalmi jam pertractandi, qui parvus est B quantitate et magnus virtute, brevis verbo,
1 sed magnus sententia, iste est titulus : *Filiis Core, psalmus cantici :* id est, psalmus iste spiritualem lætitiam continens, cantatur et scriptus est filiis Core, id est fidelibus imitatoribus Christi. His enim in hoc psalmo describitur atque laudatur civitas Dei, id est Ecclesia, secundum duplicem ejus statum. Primo namque agit de ea secundum statum suæ militiæ in præsenti : et inde in titulo dicitur, *psalmus :* per quem operatio designatur, quia operari C convenit Ecclesiæ in statu militiæ. Secundo, scilicet in ultimo versu, loquitur de Ecclesia secundum statum sui triumphi, seu in quantum est cum Deo regnans in cœlo. Idcirco in titulo additur, *cantici :* per quod spiritualis significatur jucunditas, quæ maxime convenit Sanctis in patria.

Ait ergo : (1) *Fundamenta ejus.* Non exprimit cujus *ejus;* et quare hoc facit, puto quod ob eamdem causam, ob quam D Maria Magdalene dixit ei, quem hortulanum credebat : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, etc. (Joann. xx, 15.) Ob vehementem nempe amorem, nullius mentem credidit ab ejus notitia vacuam, cujus fervidus amor mentem suam omnino implevit, occupavit, possedit. Sic nunc Propheta, propter ardentissimam cordis sui dilectionem quam ad Ecclesiam habuit, nomen ejus non explicat : et tamen de ea se loqui, ex verbis sequentibus innotescit. Relatio igitur fit ad id quod corde prædixit. Itaque dicit : *Fundamenta ejus,* id est Ecclesiæ, collata sunt et stabilita *in montibus sanctis,* id est in Christo, monte montium, et ejus Apostolis. Hi namque Ecclesiam, id est Christifideles, in fide et gratia fundaverunt. Quamvis enim unum sit principale summum lumen, fundamentum et mons sanctæ Ecclesiæ, sunt tamen alia quædam secundaria et minus principalia lumina, fundamenta et montes Ecclesiæ : et isti sunt sancti Apostoli, quibus Christus in Evangelio ait, Vos estis lux mundi. (Matth. v, 14.) De quibus in Apocalypsi habetur : Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum et Agni. (Apoc. xxi, 14.) Potest etiam, quamvis minus subtiliter, istud exponi de montibus terræ, in quibus Christus evangelicam legem prædicavit, confirmavit et docuit, ut sit sensus : *Fundamenta ejus,* id est fundamentalia documenta Ecclesiæ, initiata ac data sunt, et ipsi quoque Apostoli instructi sunt, *in montibus sanctis,* id est : in monte Sion, in quo situm erat templum in quo sæpe prædicavit, et cœnaculum in quo Sacramentum altaris instituit et Spiritum Sanctum misit ; et in monte quem legitur ascendisse, (Matth. v,)

Digitized by Google

in quo octo beatitudines docuit et evangelicæ legis doctrinam promulgavit; atque
Matth. xvii. in monte Thabor, in quo coram Petro, Joanne et Jacobo transfiguratus est, et fidem futuræ resurrectionis tali experimento probavit.

2 *Diligit Dominus portas Sion,* id est, acceptat et approbat sacramenta, virtutes et exorcismum, catechismum atque Baptismum Ecclesiæ, *super omnia tabernacula Jacob,* id est magis quam cultum veteris Testamenti, qui in diversis tabernaculis
Num. vii, 1. exhibebatur, videlicet: in tabernaculo Moy-
II Reg. vi, 17. sis; secundo, in tabernaculo facto a David; tertio, in templo Salomonis;
III Reg. viii, 6. quarto, in templo Zorobabel. Hoc est quod ait
I Esdr. vi, 15. Apostolus: Nihil ad perfectum adduxit lex;
Hebr. vii, 19. introductio vero melioris spei, per quam approximamus ad Deum. Per hoc autem quod præfert portas Sion, id est cultum et sacramenta, et ea per quæ Christiani regnum ingrediuntur cœleste, observantiis veteris Legis, præfert etiam populum christianum seu ipsam Ecclesiam populo Hebræorum ac Synagogæ. Synagoga equidem erat figura Ecclesiæ; et cultus Synagogæ typus exstitit cultus Ecclesiæ, secundum Dionysium. Figuratum vero præfertur figuris. Idcirco ad Synagogam Dominus per
Malach. i, 10. Malachiam ait: Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ecce in his verbis Synagogam et ejus sacrificia reprobat. Ecclesiam vero
Ibid. 11. et ejus sacrificium approbans, addit: Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.

Moraliter per Sion intelliguntur speculatores cœlestium; per Jacob autem, supplantatores vitiorum. Plus ergo diligit Dominus portas Sion, id est virtutes et opera bona hominum contemplativorum, quam tabernacula Jacob, id est habitatores terræ per Jacob signatos: qui licet in gratia Dei exsistant, nondum tamen vitia funditus ejecerunt, sed indigent quotidie contra motus illicitos dimicare. Quamvis isti

A magis laborant quam speculativi viri perfecti, minus tamen merentur de præmio essentiali quam illi: quoniam actus eorum non prodeunt ex tam sincera, perfecta ac fervida dilectione ut actus illorum, nec tam prompte, tranquille ac delectabiliter operantur ut illi. Quanto autem quis opus Dei promptius, quietius, delectabiliusque exsequitur, tanto absolute loquendo amplius promeretur.

Deinceps laudat Ecclesiam propter excellentiam suæ famæ. (2) *Gloriosa dicta* 3
B *sunt de te,* in veteri Testamento, magis autem in novo, *civitas Dei,* id est, o Ecclesia Christi. Multa namque præclara loquebantur olim Prophetæ de Ecclesia novi Testamenti: quæ tamen in Canticis canticorum copiosius commendatur. De Ecclesia etenim ex gentibus congregata, in Christo fundata, scriptum est: Lauda, sterilis quæ Is. liv, 1.
non paris; decanta laudem et hinni, quæ non pariebas: quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habuit virum. De qua iterum Isaias: Gens et regnum quod Ibid. lx, 12.
C non servierit tibi, peribit; rursusque ad Deum: Ecce, inquit, gentem quam nesciebas, Ibid. lv, 5.
vocabis. De hac etiam Christi Ecclesia in Osee dictum est: Erit in loco ubi di- Osee i, 10.
cetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis. Et Amos: In die illa Amos ix, 11; Act. xv, 16, 17.
suscitabo tabernaculum David quod cecidit, ut requirant ceteri hominum Dominum: quod Jacobus exponit de vocatione gentium ad fidem catholicam. Et alibi laudatur Ecclesia Christi hoc modo: Exaltabi- Mich. v, 9.
tur manus tua super hostes tuos, et omnes
D inimici tui peribunt. In Scriptura autem novæ legis, multo splendidius laudatur Ecclesia. Unde in Apocalypsi habetur: Veni, Apoc. xxi, 9.
et ostendam tibi novam nuptam, sponsam Agni; et: Vidi Jerusalem novam descen- Ibid. 2.
dentem de cœlo, a Deo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo.

Appellatur vero Ecclesia civitas, quasi civium unitas: quia in ea colliguntur omnes nationes seu tribus terræ per fidem et caritatem, ut sint unus populus Christi: in quo, secundum Apostolum, non est di- Rom. x, 12.

Digitized by Google

stinctio Judæi et Græci. Et de hac unione A
Joann. XI, 51, 52. fidelium scriptum est, quod Jesus moritu-
rus erat pro gente ; et non tantum pro
gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi,
congregaret in unum. Unde Christus orat :
Ibid. XVII, 11. Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos
dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.
I Cor. I, 10. Paulus quoque : Obsecro (inquit) vos, fra-
tres, per nomen Domini nostri Jesu Chri-
sti, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint
in vobis schismata.

Consequenter declaratur conversio gen-
4 tium ad Christi obsequium, qui ait : (3) *Me-* B
mor ero Rahab et Babylonis, scientium
me. Rahab hoc loco non est proprium no-
Matth. I, 5. men mulieris illius, ex qua Salmon genuit
Josue II, 1, 4. Booz, quæ legitur recepisse et abscondis-
se nuntios Josue ; sed secundum Hierony-
mum, Rahab est hic nomen appellativum,
designans superbiam seu superbam : per
quod designantur pagani idololatriæ dedi-
ti, Deo per elationem multum rebelles. Ba-
bylon vero interpretatur confusio : et ita
per Babylonem intelliguntur perversi vi-
tiis deordinati. Est itaque sensus : *Memor* C
ero, misericordiam impendendo, *Rahab et*
Babylonis, id est gentilium superborum, et
in peccatorum confusione exsistentium ;
scientium me per fidem, postquam eorum
recordatus sum. Horum memor fuit Deus,
mittendo ad eorum conversionem sanctos
Apostolos, per quorum prædicationem cor-
da eorum edocuit, humiliavit et ordinavit,
Jer. XVI, 16. quemadmodum scriptum est : Ecce ego
mittam piscatores multos, dicit Dominus,
et piscabuntur eos. Ad litteram quoque
memor fuit Dominus Babylonis, quoniam D
per prædicationem Simonis et Judæ, ma-
gnam partem terræ illius convertit ad fi-
dem. (4) *Ecce alienigenæ,* id est olim a fide
extranei. In translatione Hieronymi juxta
Hebræum habetur, Ecce Palæstina, id est
Philistæi. *Et Tyrus,* id est populus vitiis
angustiatus, privatus latitudine caritatis :
Tyrus namque interpretatur angustia ; *et*
populus Æthiopum, id est pagani vitiis
denigrati. *Hi fuerunt illic,* id est in civi-
tate Christi, quæ est Ecclesia : hujusmodi
enim peccatores, facti sunt Ecclesiæ fi-
lii. Ad litteram etiam, Palæstina, Tyrus et
Æthiopia, ad Christum erant conversæ,
viguitque vehementer fides orthodoxa in
populis illis : et ita per homines gentiles
circa Judæam habitantes, designantur alii
infideles, qui in toto mundo ad Ecclesiæ
unitatem pervenerunt.

(5) *Numquid Sion dicet homo? Et homo* 5
natus est in ea, et ipse fundavit eam Al-
tissimus. Versus iste multipliciter exponi-
tur. Sion namque hoc loco est dativi ca-
sus, quia in translatione Hieronymi juxta
Hebræum ita habetur, Ad Sion dicetur. Sic-
que hæc dictio, Numquid, non sumitur
negative, sed affirmative, ut sit sensus :
Numquid ? quasi dicat, Imo ; ipsi *Sion,* id
est Ecclesiæ per Sion significatæ, *dicet*
homo quæ in hoc psalmo de Christo atque
Ecclesia conscribuntur. Possumus autem
per hominem accipere Christi præcurso-
rem : de quo in Evangelio scriptum est,
Fuit homo missus a Deo. Hic enim primo Joann. I, 6.
evangelizavit Sion : de quo in Isaia dici-
tur, Super montem excelsum ascende, tu Is. XL, 9.
qui evangelizas Sion. Quid autem hic di-
xerit, subditur : *Et homo natus est in ea :*
id est, Christus Deus et homo genitus est
in populo Sion, quoniam natus est ex Vir-
gine gloriosa, quæ est dignissimum mem-
brum in ipsa Ecclesia. Unde ad Hebræos
ait Apostolus : Quia pueri communicave- Hebr. II, 14.
runt carni et sanguini, et ipse Christus
participavit eisdem. *Et ipse Altissimus,*
id est Christus ex Virgine natus secun-
dum humanitatem, Altissimus vero et æter-
nus secundum divinitatem, *fundavit eam,*
id est, Virginem matrem in omni gratia
stabilivit, in tantum quod nunquam a ve-
ro fundamento, peccando prolapsa est.
Vel, Fundavit eam, id est Ecclesiam, quam
a principio in fide et gratia ædificavit,
contestante Deo signis et portentis, et va- Ibid. 4.
riis virtutibus et Spiritus Sancti distribu-
tionibus. Propter quod de Christo loquens
Zacharias : Ipse, inquit, ædificabit tem- Zach. VI, 13.
plum Domino.

In hoc itaque versu evidenter ostendi-

Digitized by Google

tur in Christo duplex natura et una perso- A
na. Dum enim dicitur, Homo natus est in ea, declaratur in Christo natura humana, temporalis, creata; dum vero idem homo demonstratur pronomine Ipse, patet identitas in persona. Postremo quum subditur, Fundavit eam Altissimus, manifestatur divinitas Christi dupliciter : Primo, quum ait, Fundavit. Nullus enim Ecclesiam originaliter fundavit, nec aliquis propriam matrem fecit, nisi Deus. Secundo, dum ait, Altissimus. Nemo enim altissimus, nisi verus unusque Deus, de quo dictum est B
Ps. LXXXII, 19. supra, Tu solus Altissimus in omni terra.
Eccli. I, 8. Et alia scriptura ait : Unus est Altissimus creator omnium, omnipotens rex, et metuendus nimis.

Secundo exponitur sic : *Numquid Sion*, id est Ecclesiæ, *dicet homo*, id est Christus? quasi dicat, Imo. Nam Christus frequenter dixit Judæis, atque discipulis, primum adventum suum fuisse impletum. — Tertio sic : *Numquid Sion*, id est virgo Maria, de Sion seu populo Judæorum exorta; vel, Sion, id est Ecclesia; *dicet* corde et ore, C
Homo (subaudi, purus) est? quasi dicat, Non : quia nec Virgo Christifera, neque Ecclesia dixit seu credidit Christum esse hominem purum, sed Deum et hominem. Et huic sensui consonat littera qua Chrysostomus utitur, qui ita hunc versum allegat : Mater Sion dicet, Homo.

Quarto exponitur sic : *Numquid Sion dicet homo?* id est, numquid aliquis purus homo, humana sapientia et virtute persuadebit seu suggeret Ecclesiæ, ea quæ de Christo tenenda sunt, scilicet quod et D
homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? quasi dicat, Non : quia per humanam rationem hoc persuaderi nequivit, quod Christus esset homo natus, et Deus altissimus. Unde dicit Apostolus :
I Cor. II, 4. Prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Fides quippe catholica divinæ auctoritati innititur, est-
Marc. XVI, 20. que Deo comprobante confirmata, juxta illud : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quare de Christo nunc dictum est, Homo natus est in ea, et non potius, Homo conceptus est in ea, nisi ad insinuandum quod Christus ab exordio suæ conceptionis in Virgine, erat homo cunctis virtutibus scientiisque perfectus? Et hoc est novum illud, de quo scriptum est : Novum creavit Jer. XXXI, 22.
Dominus super terram, Mulier circumdabit virum. Propterea angelus dixit ad Joseph : Quod natum est in ea, de Spiritu Sancto est. Matth. I, 20.

Consequenter de christianæ fidei mysteriorumque Christi evangelizatione ac publicatione subjungitur : (6) *Dominus* 6
Christus, seu Trinitas Deus, *narravit* in toto mundo, *in scripturis populorum*, id est, in Scriptura canonica novi Testamenti, videlicet in Evangeliis, Epistolis, et Actibus Apostolorum. Et quoniam istæ Scripturæ ab Apostolis atque Evangelistis, Christianorum principibus, scriptæ sunt, ideo subditur : *et principum horum qui fuerunt in ea*. De eis namque prædictum est : Constitues eos principes super omnem terram; et, Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, id est cum Christo omnium vero Deo. Ps. XLIV, 17. Ps. XLVI, 10.

Deinde describit Ecclesiam secundum statum quo nominatur triumphans. (7) *Sicut* 7
lætantium omnium habitatio est in te : id est, habitatio tua, o civitas Dei, superna Jerusalem, est sicut lætantium omnium, id est talis, qualis est habitatio eorum qui omnes lætantur : quod proprie Ecclesiæ militanti non competit, in qua omnes qui volunt pie vivere in Christo, II Tim. III, 12.
persecutionem patientur. Cui etiam dicitur, Beati qui lugent; et, Mundus gaudebit, Matth. V, 5.
vos autem contristabimini; et alibi, Cum Joann. XVI, 20.
metu et timore ac tremore vestram salutem operamini. Sed verissime competit Philipp. II, 12.
istud Ecclesiæ triumphanti, cujus tota occupatio est jucundissima incessabilisque Dei laudatio. De qua in Apocalypsi scribitur : Absterget Deus omnem lacrimam ab Apoc. XXI, 4.
oculis eorum, et mors ultra non erit, ne-

Digitized by Google

que luctus, sed nec ullus dolor. Itaque hæc A dictio, Sicut, hoc loco non similitudinem, sed veritatem designat.

Ecce in psalmo hoc compendioso præclare laudatur Ecclesia, Christi continentur mysteria, cœlestis patriæ commendatur lætitia : quem decet nos eo devotius affectuosiusque cantare, quo in eo vocatio gentium clarius prænuntiatur. Et quoniam satis intricatus est, decet ut ejus intellectum studeamus luculenter cognoscere, et limpide intueri, quia nec aliter poterit cum devotione perfecta proferri.

PRECATIO.

Vivifica nos, Domine, ab operibus mortuis, et fundamenta sinceræ fidei et bonæ operationis in nobis construe : quibus fructum virtutum superædificantes, animas nostras ad te proficiscentes gloriosa civitas tua suscipiat gratulando.

ARTICULUS LXIII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI OCTOGESIMI SEPTIMI : DOMINE, DEUS SALUTIS MEÆ.

Titulus psalmi nunc explanandi talis B
1 est : *Canticum, psalmus, filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, in-*
*Ezrahitæ *tellectus Eman Israelitæ* :* id est, tractatus præsens qui dicitur *canticum,* quoniam agit de his per quæ ad spiritualem lætitiam pervenitur, videlicet de Christi passione, quæ est porta ad gloriam : qui tractatus appellatur etiam *psalmus,* quoniam monet ad bene operandum, scilicet ad imitationem dominicæ passionis ; et dirigit nos psalmus iste *in finem,* qui Christus est. Proponitur quoque *filiis Core,* id est C
Galat. v, 24. sectatoribus Crucifixi, qui carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Et scriptus est psalmus iste *pro Maheleth,* id est pro populo fideli per modum coronæ seu chori ad Christum concurrenti, *ad respondendum,* id est, ut ei tanquam præcentori respondeant, imitando vestigia
II Cor. i, 7. ejus : quatenus exsistendo socii tribulationum, socii fiant et consolationis. Et hic psalmus est *intellectus Eman Israelitæ,* id est, in eo describitur quid frater et consors Christi intelligere debet : utpote ter- D renas delectationes esse spernendas, et pro Dei amore dura et aspera sponte et æquanimiter esse toleranda. Maheleth interpretatur chorus ; Eman vero, frater fidelis. Ergo concorditer et ex omni latere Christum imitando, sunt Maheleth ; unusquisque quoque eorum Christo se conformando, est Eman, id est frater Christi qui ait in Evangelio, Vade, et dic fratribus Joann. xx, 17. meis. Est etiam Israelita, id est Domini speculator. Secundum Hugonem, psalmi in quorum titulis ponitur, Psalmus, agunt de operatione ; in quorum autem titulis ponitur, Canticum, agunt de spirituali lætitia ; sed in quibus utrumque conjungitur, de operatione et lætitia agunt. Denique, secundum Hieronymum, Eman Israelita (vel, ut alii dicunt, Jesraita*) exstitit au- *Ezrahita
ctor psalmi præsentis, sicut et ceterorum in quorum titulo ponitur.

Loquens ergo Propheta in persona Christi in passione exsistentis, ait :
(1) *Domine, Deus salutis meæ.* Deus Trini- 2
tas seu Deus Pater, est Deus salutis Christi, loquendo de salute Christi creata, quam anima ejus habuit a principio suæ creationis, Deum per speciem intuendo. Hujus namque salutis Pater seu Trinitas dicitur Deus, tanquam dator, conservator et objectum ipsius. Erat autem in Christo etiam

Digitized by Google

salus increata, æterna et infinita, quæ est
ipsa divina essentia. Et quamvis Christus
Verbum Dei, hanc a Patre suscipit sicut
divinam essentiam, non tamen Pater dici-
tur Deus hujus salutis Christi, quoniam in
nomine Dei designatur excellentia super
id cujus est Deus. Pater autem non est
excellentior Filio, quantum ad increatam
ejus salutem. *In die clamavi et nocte,* id
est, in prosperis et adversis, atque assidue
exoravi, *coram te,* id est corde non vago
et a te distracto, sed coram te constituto,
attento ac devoto. Vel, In die passionis
seu die Parasceves, et nocte præcedente,
clamavi magno affectu te invocando, di-
Luc. XXIII, 34. cens, Pater, ignosce illis; et, Si possibile
Matth. XXVI, 39. est, transeat a me calix iste. Clamore vo-
cali et exteriori Christus ut homo non
oravit Deum nocte ac die, ita quod nun-
quam cessavit, quamdiu in mundo mora-
tus est; sed credendum est quod ab in-
teriori clamore nunquam cessavit : imo
quemadmodum ardentissime humani ge-
neris salutem optavit, sic indesinenter ac
affectuosissime pro ea mentaliter Deum
deprecabatur.
3 Quid vero orando dixerit subditur : (2) *In-
tret in conspectu tuo,* id est, tibi accepta
sit, *oratio mea; inclina aurem tuam ad
precem meam,* eam implendo. Et hoc igi-
4 tur oro, (3) *Quia repleta est malis anima
mea.* Triplex est malum, videlicet malum
naturæ, sicut naturalis defectus, malum
pœnæ, et malum culpæ. Malum autem na-
turæ in Christo non fuit, quia secundum
Damascenum, detrahibiles defectus non
assumpsit. Malum quoque culpæ longe erat
a Christo omnium sanctificatore. Sed ma-
lis pœnæ seu pœnis plena erat anima ejus
et caro, puta vulneribus, timore, dolore,
Ibid. 38. tristitia. Propter quod dixit : Tristis est
Ibid. XXVII, 46; Ps. XXI, 2. anima mea usque ad mortem; et : Deus
meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
Is. LIII, 2, 3. Unde in Isaia scriptum est : Vidimus eum
despectum et novissimum virorum, virum
dolorum, et scientem infirmitatem. Vel,
dicitur anima Christi malis repleta, id est
peccatis, non propriis, sed eorum pro qui-
bus passus est Christus, eo modo quo per
Isaiam dicitur : Dominus posuit in eo ini- Is. LIII, 6.
quitatem omnium nostrum. Juxta quem
modum Apostolus loquitur : Christus fa- Galat. III, 13.
ctus est pro nobis maledictum, ut nos
de maledicto legis liberaret. Scriptum est
enim : Maledictus omnis qui pendet in Deut. XXI, 23.
ligno. *Et vita mea inferno,* id est morti
per quam ad infernum transitur, et quæ
inferno assimilatur, *appropinquavit,* quia
morti exposita est.
(4) *Æstimatus sum* a perversis Judæis et 5
infidelibus universis *cum descendentibus
in lacum,* id est talis, quales sunt qui pro-
pter sua peccata ad infernum descendunt,
et sepulturæ traduntur. Quoniam enim vi-
debant Christum similiter aliis mori, pu-
tabant eum cum aliis similem causam
mortis habere, ac per hoc corpus ejus in
sepulcro debere resolvi, animam quoque
ipsius in inferno teneri. Idcirco dictum
est : Nos putavimus eum quasi leprosum, Is. LIII, 4.
et percussum a Deo et humiliatum. Et hoc
est quod impii dicunt de Christo : Tor- Sap. II, 19, 17.
mentis interrogemus eum, et probemus
quæ ventura sunt illi, et sciemus reveren-
tiam ejus. Si enim vere Filius Dei est, libe- Ibid. 18.
rabit eum de manibus adversariorum, id
est, non sinet eum occidi.
Factus sum sicut homo sine adjutorio,
id est, illis factus sum similis, quibus nul-
lus succurrit, quos Deus non protegit, nec
adjuvat homo. Talibus Christus factus est
similis : Primo, secundum exteriorem ap-
parentiam, quoniam Deus permisit eum
ab impiis cruciari, ac si ad ipsum non
pertinuisset. Propter quod Christus dixit
Judæis : Hæc est hora vestra et potestas Luc. XXII, 53.
tenebrarum. Tunc nempe Filius hominis
(sicut ipse prædixit) traditus est in ma- Matth. XXVI, 45; XVII, 12.
nus peccatorum, feceruntque in eum quæ-
cumque voluerunt. Secundo, factus dici-
tur Christus sicut homo sine adjutorio,
secundum Judæorum reputationem, qui
putabant Deum non esse auxiliatorem ip-
sius, dicentes : Si rex Israel est, descendat Ibid. XXVII, 42, 43.
nunc de cruce, et credimus ei. Confidit in
Deo; liberet eum nunc, si vult. Et iterum :

Digitized by Google

Matth. xxvii, 42. Alios salvos fecit, se ipsum non potest sal- A
vum facere. Tertio, propter solitæ consolationis subtractionem, qua inferior pars animæ Christi impleri, vel aliquid participare solebat a plenitudine beatitudinis superioris partis animæ suæ : et ideo ait,
Marc. xv, 34. Eloi, Eloi, lamma sabacthani? Secundum veritatem tamen, absolute loquendo, nunquam erat Christus homo sine adjutorio
Is. l, 7. Dei, sicut per Isaiam testatur : Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum con-
Jer. xx, 11. fusus. Per Jeremiam quoque : Dominus mecum est tanquam bellator fortis. Ita- B
que, Factus sum sicut homo sine adjutorio
6 ego Christus, qui solus sum *inter mortuos liber,* id est, inter mortales culpa carens, et liberatore non indigens : qui necessitatem moriendi non habui, neque in morte detineri prævalui ; sed de claustris gehennæ ac fossa sepulturæ propria potestate egressus sum. Merito dicitur Christus inter mortuos (morte peccati seu morte natura-
Joann. xiv, 30. li) liber, qui de se ipso loquitur : Venit ad me princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. De ceteris vero Aposto- C
Rom. iii, 23. lus asserit : Omnes peccaverunt, et egent
Ibid. xi, 32; Galat. iii, 22. gloria Dei. Rursusque : Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereretur.

Reputatus insuper a Judæis sum sic periisse, (5) *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris,* id est ex vulnerum inflictione occisi, somno mortis in tumulis quiescentes, *quorum non es memor amplius :* qui in peccatis mortalibus obierunt, et ideo sempiternæ oblivioni traduntur, quantum ad perceptionem misericordiæ Dei : ideo additur, *et ipsi de manu tua repulsi sunt,* D
id est, tua protectione atque salute omnino privati sunt. Talibus sceleratis putabant Judæi Christum consimilem. Unde
Matth. xxvii, 63. Pilatum affati sunt : Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens. Jam ergo opinabantur eum cum fal-
7 lacibus condemnatum. (6) *Posuerunt me in lacu inferiori,* id est, cum his deputaverunt me, qui ad infima ac pœnalissima loca inferni projiciuntur. Quemadmodum enim maxima scelera Christo adhuc viventi adscripserunt, dicendo, Blasphema- Matth. xxvi, 65.
vit, etc. ; sic maxima tormenta mortuo inesse arbitrabantur. *In tenebrosis et in umbra mortis.* Infernus enim, locus tenebrosus est et umbra mortis, juxta illud :
Dimitte me, antequam vadam ad terram Job x, 22.
tenebrosam et opertam mortis caligine : terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

(7) *Super me confirmatus est furor tuus :* 8
id est, rigorem justitiæ tuæ, quem demonstrasses in cunctis hominibus, nisi ego pro eis satisfecissem, demonstrasti in me, non
parcendo proprio Filio tuo, sed morte ama- Rom. viii, 32.
rissima atque turpissima me occidi permittendo : imo pro universis hominibus me tradendo, quemadmodum per Isaiam
protestatus es, Propter scelus populi mei Is. liii, 8.
percussi eum. *Et omnes fluctus tuos,* id est omnia genera tormentorum, *induxisti,* id est, induci permisisti, *super me.* Passio enim Christi generalissima fuit, quia omnes cruciatus generis humani pertulit, quantum ad genus. In omnibus enim viribus animæ et membris corporis passus est, scilicet captus, vinctus, colaphizatus, consputus, contristatus, ab omnibus derelictus, contemptus, derisus : et sic omnia genera pœnarum, quæ infligi debuerant generi humano pro peccatis, Deus Pater Christo induxit quodammodo. Unde in Isa-
ia dicitur : Disciplina pacis nostræ super Ibid. 5.
eum, cujus livore sanati sumus.

(8) *Longe fecisti notos meos a me,* id est, 9
discipulos meos a me fugere permisisti timore Judæorum : quemadmodum apud
Matthæum legitur, Tunc discipuli omnes, Matth. xxvi, 56.
relicto eo, fugerunt. Vel, Notos meos, id est eos qui me noverunt, et opera mea atque doctrinam approbaverunt, quando prædicabam atque miracula coram eis fa-
ciebam : de quibus scriptum est, Omnis Luc. xviii, 43.
plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Hos tempore passionis meæ permisisti averti a me. Multi enim Judæorum qui sæpe Christum et ejus opera laudaverunt, a principibus sacerdotum seducti, in die Parasce-

Digitized by Google

ves Christum occidi petierunt : de quibus A
Matth. xxvii, 25. dicitur apud Matthæum : Respondens universus populus, dixit, Sanguis ejus super nos et super filios nostros. De quibus subjungitur : *posuerunt me abominationem sibi,* id est, me contempserunt, et tanquam vilem æstimaverunt : sicut superius
Ps. xxi, 8. dictum est, Omnes videntes me, deriserunt me. Unde in Luca scriptum est : De-
Luc. xxiii, 35. ridebant eum principes, dicentes : Alios salvos fecit, se ipsum salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.

(9) *Traditus sum et non egrediebar.* Chri- B
stus a Deo Patre traditus legitur, juxta illud
Rom. viii, 32. Apostoli : Proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum. Christus quoque se ipsum tradidit in mortem,
Is. liii, 12. sicut per Isaiam dictum est : Tradidit in mortem animam suam. Propter quod in
Joann. x, 18. Evangelio dixit : Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. Traditus quoque est Christus a Juda proditore. *Et non egrediebar* a voluntate paterna, sed Patri usque ad mortem obediens fui, dicendo :
Matth. xxvi, 42. Fiat voluntas tua. Vel, Non egrediebar fu- C
giendo Judæos, sed eis impavide obviavi
Joann. xviii, 4, 7. ac dixi, Quem quæritis ? Vel, Non egrediebar, id est, propter passionis meæ horrorem et crucis abjectionem, foris non cognoscebar qualis interius fui, quoniam sub carnis fragilitate abscondebatur divinitas.
Is. liii, 3. Propter quod ab Isaia scribitur : Quasi absconditus vultus ejus ; unde nec reputavi-
10 mus eum. *Oculi mei* corporales *languerunt præ inopia* sanitatis. Nam ex velatione et percussionibus Judæorum, ex abundantia etiam lacrimarum, et maxime ex interiori D
tristitia animæ Christi, oculi ejus exteriores infirmabantur : quoniam dolor interior solet præcipue in oculis apparere. Vel, Oculi mei, id est oculi corporis mei mystici, puta Apostoli, qui inter ceteros cœlesti visione et luce præfulgent, languerunt præ inopia fidei atque constantiæ : nam et
Matth. xxvi, 72, 74. princeps eorum me cum juramento nega-
Zach. xiii, 7. vit. De eis etenim dictum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

(10) *Clamavi ad te, Domine :* sicut in hujus psalmi exordio patuit ; *tota die,* id est cunctis diebus vitæ meæ, *expandi ad te manus meas,* id est, ad te direxi, et ad tui nominis honorem ordinavi opera mea, ubique et semper te honorando. Vel : Tota die, id est pro magna parte diei Parasceves,
expandi ad te manus meas corporales in Is. lxv, 2.
cruce, quatenus omnes electos tibi colligerem atque amplecterer.

Deinde Christus argumentando ostendit, quod ex decore divinæ justitiæ decuit se exaudiri pro se ipso et corpore suo mystico, quatenus ipse suscitaretur in corpore, et fideles per gratiam suscitarentur in anima. Decet namque ut Deus hanc admirabilem gratiam aliquibus tribuat : sed non tribuit eam defunctis : ergo sibi ipsi, scilicet Christo et vivis danda est. Ait ergo :
(11) *Numquid mortuis* corpore et anima 11
facies mirabilia, resuscitando eos ad pristinam vitam et gratiæ statum ? quasi di-
cat, Non : juxta illud beati Job, Homo Job xiv, 12.
quum dormierit, non resurget ; et denuo,
Semitam per quam non revertar, ambu- Ibid. xvi, 23.
lo. Quamvis enim quidam defuncti, etiam impii, sint ex speciali gratia resuscitati, tamen de lege communi mortuus non resurgit. *Aut medici suscitabunt* mortuos, *et confitebuntur tibi* mortui suscitati ab eis, tua præconia et sua peccata ? Non utique, quoniam hoc naturalem artem et potesta-
tem transcendit. (12) *Numquid narrabit* 12
aliquis in sepulcro misericordiam tuam ? quasi dicat, Non : quia in monumento non jacet nisi corpus exanime. Et, Numquid narrabit aliquis *et veritatem tuam in perditione* damnationis æternæ ? Nequaquam : quoniam in inferno veritas tua non enar-
ratur, juxta illud, Nec sapientia nec scientia Eccle. ix, 10.
erunt apud inferos. (13) *Numquid cogno-* 13
scentur in tenebris, id est in his qui fide et lumine gratiæ carent, *mirabilia tua ?* Non utique. *Et* numquid cognoscetur *justitia tua in terra oblivionis,* id est in his qui obstinantur in malo, quorum pietas tua non recordatur, misericordiam impendendo ? quasi dicat, Nullatenus : secundum quod
apud alium Prophetam habetur, Non mor- Baruch ii, 17.

Digitized by Google

tui qui sunt in inferno, quorum spiritus
acceptus est a visceribus eorum, dabunt
honorem tibi Domino. Hi ergo exclusi sunt
a gratia Dei, quatenus ceteri ostendantur
exaudiendi.

Augustinus et alii litteram istam expo-
nunt alio modo. Quoniam enim opera et
merita Christi non omnibus, sed solis præ-
destinatis ad veram salutem proficiunt,
ideo dicitur : *Numquid mortuis* intus in
anima morte peccati, *facies mirabilia* ad
utilitatem ipsorum ? quasi dicat, Non : quo-
niam tales indurati in culpa, ex adspectu
mirabilium Dei non moventur ad emenda-
tionem. Nam ipsis per Jeremiam dicitur :
Jer. XIII, 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, et
pardus varietates suas, et vos poteritis be-
nefacere, quum didiceritis malum. *Aut
medici* spirituales, id est prædicatores ver-
bi Dei, qui animarum languoribus meden-
tur, *suscitabunt* mortuos jam præfatos, *et
confitebuntur tibi ?* Non utique : quoniam
nisi Deus intus operetur per gratiam, fru-
stra laborat prædicator per linguam. *Num-
quid narrabit aliquis in sepulcro* malæ
consuetudinis, seu corpore vitioso, quod
est animæ ex peccato jam mortuæ monu-
mentum, *misericordiam tuam,* laudando
beneficia pietatis divinæ, et reparationem
naturæ humanæ, *et veritatem tuam in per-
ditione,* id est in vita desperata ac perdita?
Eccli. XV, 9. Non : quia non est speciosa laus in ore
peccatoris.

14 (14) *Et ego ad te, Domine, clamavi.* Hæc
atque sequentia exponunt doctores de cor-
pore Christi mystico, quod est Ecclesia ;
sed enitendum videtur, ut totus psalmus
de Domino Salvatore elucidetur. Christus
igitur ait : Ego ad te, Domine Pater, cla-
mavi : quemadmodum ad Hebræos inducit
Hebr. V, 7. Apostolus : Christus cum clamore valido et
lacrimis preces offerens, exauditus est pro
sua reverentia. *Et mane,* id est cito et in
splendore gratiæ tuæ, *oratio mea præve-
niet te,* id est, orationem meam ad te diri-
gam antequam alia agam. Vel, Præveniet
Ibid. X, 27, 31. te, id est ultionem tuæ justitiæ atque hor-
rendum tuum judicium, ita quod in ea

A oratione te mitigabo, ne genus humanum
penitus perdas ac damnes.

(15) *Ut quid, Domine, repellis orationem* 15
meam ? Hoc de Christo sumendum est,
quemadmodum illud quod dixit superius :
Deus meus, clamabo per diem, et non ex- *Ps.* XX
audies. Dicitur enim oratio Christi non
exaudita seu repulsa : non illa quæ ex de-
liberata ejus ratione ac rationali volunta-
te processit : de illa quippe ait, Pater, ego *Joann.*
sciebam quoniam semper me audis ; sed XI, 41, 42.
illa quam secundum naturalem affectum
B seu sensitivum appetitum effudit, dicen-
do : Pater, si fieri potest, transeat a me ca- *Matth.*
lix iste. *Avertis faciem tuam a me ?* id est, XXVI, 39.
cur, o Pater, consolationis tuæ præsentiam
et solitæ pietatis adspectum subtrahis na-
turæ meæ passibili in cruce vexatæ, ita ut
clamare compulsus sim : Deus, Deus meus, *Ps.* XXI.
respice in me, quare me dereliquisti ? Nun-
quam tamen facies Dei, quæ est ipsemet
Deus benedictus, in cujus visione beatitudo
consistit, ab anima Christi aversa erat, sed
indesinenter eam adspexit visione beata,
C etiam tempore passionis.

(16) *Pauper sum ego,* et totius pauper- 16
tatis exemplar : qui non habui ubi caput *Luc.* IX, 58.
reclinarem, et de eleemosynis vixi devota- *Ibid.* VIII,
rum feminarum ; *et in laboribus a juven-* 2, 3.
tute mea : Christus namque nec intus, nec
foris exstitit otiosus, sed orando, jejunan-
do, Joseph et Mariæ serviendo, deinde præ- *Ibid.* II, 51.
dicando, discurrendo, esuriendo, sitiendo,
patiendo ac moriendo, laboravit. Propter
quod protestatur : Servire me fecisti in pec- *Is.* XLIII, 24.
catis tuis ; præbuisti mihi laborem in ini-
D quitatibus tuis. Unde scriptum est : Pro eo *Ibid.* LIII,
quod laboravit anima ejus, videbit et satu- 11.
rabitur. Et alibi : Jesus fatigatus ex itine- *Joann.* IV,
re. *Exaltatus autem, humiliatus sum.* Nam 6.
sicut Evangelista affirmat, quum voluis-
sent Judæi Christum regem facere, fugit et *Ibid.* VI, 15.
declinavit a turba ; quum etiam laudaretur
a populo conclamante, Omnia bene fecit, *Marc.* VII,
et surdos fecit audire, et mutos loqui ; 37.
itemque, Nunquam sic apparuit in Israel : *Matth.* IX,
nihil sibi ipsi attribuit, sed totum ad Pa- 33.
tris retulit gloriam. Dum quoque exaltatus

Digitized by Google

fuisset a Judæis in die Palmarum, clamantibus, Hosanna filio David ! benedictus qui venit in nomine Domini ; paulo post ab eisdem humiliatus fuit, dicentibus, Tolle, tolle, crucifige eum. *Et conturbatus,* non inordinata passione, sed vehementi affectu impletus, mortem naturaliter metuendo, seu peccatoribus condolendo. Unde legitur : Jesus infremuit spiritu, et turbavit se ipsum.

(*Matth.* XXI, 9. *Joann.* XIX, 15. *Ibid.* XI, 33.)

17 (17) *In me transierunt iræ tuæ,* id est, vindictæ tuæ justitiæ, mihi inflictæ sunt pro peccatis hominum quæ super me cepi, et pro quibus debitas pœnas exsolvi : sicut scriptum est, Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris; *et terrores tui,* id est terribiles pœnæ quas me pati voluisti, *conturbaverunt me,* id est, vehementer animam meam affecerunt, ita ut dicerem : Nunc anima mea turbata est. Propter quod scribitur : Cœpit Jesus pavere et tædere.
18 (18) *Circumdederunt me* iræ et pœnæ prædictæ, seu persecutores Judæi, *sicut aqua,* id est abundanter et copiose, *tota die* Parasceves ; *circumdederunt me simul,* in tantum ut a planta pedis usque ad verticem capitis, non esset in me sanitas. Unde in figura Christi sanctus Job ait : Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit dentibus suis. Concidit me vulnere super vulnus; irruit in me quasi gigas.
(19) *Elongasti a me amicum et proximum,* id est, discipulos meos, qui erant mei amici et proximi, a me discedere permisisti, *et notos meos* elongasti *a miseria* mea, ita quod mihi non compatiebantur : eo modo quo dictum est supra, Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : quod non de discipulis, sed de ingratis Judæis Dominus ait. De quibus alibi loquitur : Recesserunt a me; et ego erudivi eos, et in me cogitaverunt malitiam. Translatio Hieronymi sic habet : Et notos meos abstulisti, ita videlicet, quod mihi non possunt auxilium ferre : quemadmodum scriptum est, Circumspexi, et non erat auxiliator; Job quoque, Noti mei quasi alieni recesserunt a me. Et hoc est quod Christus dixit discipulis : Venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis. 19

(*Thren.* IV, 20. *Joann.* XII, 27. *Marc.* XIV, 33. *Is.* I, 6. *Job* XVI, 10, 15. *Ps.* LXVIII, 21. *Osee* VII, 14, 15. *Is.* LXIII, 5. *Job* XIX, 13. *Joann.* XVI, 32.)

ARTICULUS LXIV

DECLARATIO MORALIS EJUSDEM PSALMI OCTOGESIMI SEPTIMI.

QUUM dicat Apostolus, Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali, debemus Caput nostrum in passionibus ejus sectari, quatenus conglorificemur eidem. Unde dicit Apostolus : Fidelis sermo : Si commortui sumus, et convivemus ; si sustinemus, et conregnabimus. Hinc igitur mirum non est, si psalmi qui de Christi passione ad litteram loquuntur, de membris ipsius spiritualiter explanentur.

(*II Cor.* IV, 10, 11. *II Tim.* II, 11, 12.)

Ecclesia ergo seu quilibet Christianus tribulationes expertus, variisque adversitatibus et tentationibus circumvallatus, proclamet hunc psalmum, dicendo : *Domine,* omnium gubernator, *Deus salutis meæ,* id est fons, origo et causa totius beatitudinis meæ, a quo tota salus mea dependet, sine cujus misericordia incessabiliter pereo, graviter pecco, in æternum condemnor ; Deus salutis meæ, in via per fidem et gratiam ; Deus quoque salutis meæ, in patria per speciem et gloriæ lumen ; *in die clamavi et nocte,* id est certis et congruis horis diei ac noctis, *coram te* omnia 2

Digitized by Google

I Thess. v, 17. conspiciente. Oportet enim sine intermis- A
4 sione orare. *Quia repleta est malis* pœnæ
et culpæ *anima mea,* videlicet multis af-
flictionibus, variis vitiis, passionibusque
diversis, quæ sunt vulnera animæ. Unde
Eccle. II, 23. in Ecclesiaste habetur : Cuncti dies homi-
nis doloribus et ærumnis pleni sunt, nec
per noctem mente requiescit. Hoc de malis
pœnalibus. De malis vero culpæ alibi scri-
Jacob. III, 2. ptum est : In multis offendimus omnes.
Et vita mea inferno appropinquavit. Ani-
ma namque peccando tendit ad inferos; et
quoties peccat, toties inferno propinquior B
fit. Peccatum vero mortale, est porta in-
ferni; veniale autem peccatum, est quod-
dam præambulum et dispositio quædam
ad peccatum mortale et pœnam gehennæ.
Qui autem mortaliter peccat, statim mere-
tur damnari, quamvis Deus misericorditer
II Petr. III, 9. præstoletur, sicut Petrus dicit : Patien-
ter agit Dominus propter vos, nolens ali-
quos perire, sed omnes ad pœnitentiam
reverti.

5 *Æstimatus sum cum descendentibus in*
lacum. Hoc omnibus sanctis martyribus C
convenit, quos tyranni et infideles tan-
quam sacrilegos occiderunt, in tantum ut
Joann. XVI, 2. arbitrarentur obsequium se præstare Deo,
illos occidendo. Justi quoque qui in justi-
tia moriuntur, et a perversis injusti repu-
tantur, æstimantur cum descendentibus in
lacum. *Factus sum sicut homo sine adju-*
torio. Hoc convenit his, quibus in Evange-
Luc. XXI, 17. lio ait Salvator : Odio eritis omnibus ho-
6 minibus propter me. *Inter mortuos liber.*
Solus populus christianus inter ceteros
homines veraciter liber est. Nam Christi D
servitus, summa libertas est; reliqui vero
universi, servi sunt iniquitatis ac dæmo-
Rom. VIII, 15. nis. Unde ait Apostolus : Non accepistis
spiritum servitutis iterum in timore, sed
accepistis spiritum adoptionis filiorum, in
quo clamamus, Abba (Pater). Et ad Gala-
Galat. IV, 31. tas : Non sumus filii ancillæ, sed liberæ :
qua libertate Christus nos liberavit. Sic
ergo ab infidelibus et servis peccati, qui
spiritualiter mortui sunt, reputatur popu-
lus christianus, seu quicumque fidelis ac
justus. Reputatur etiam, *sicut vulnerati*
dormientes in sepulcris, etc.

Super me confirmatus est furor tuus, id 8
est rigorosus effectus justitiæ tuæ. Nam
quid intelligendum sit per furorem Dei,
subjungitur : *Et omnes fluctus tuos,* id est
omnia genera tribulationum sive pœna-
rum, quæ pro peccatis infliguntur, *indu-*
xisti super me. Hoc Ecclesiæ Christi atque
fidelibus convenit, quoniam Deus in hac
vita justos multipliciter et districte casti-
gat, quemadmodum in libro Sapientiæ scri-
ptum est : Tanquam aurum in fornace Sap. III, 6.
probavit electos Dominus, et quasi holo-
causti hostiam accepit eos. Et Judith : Om- Judith VIII, 23.
nes, inquit, qui placuerunt Deo, per mul-
tas tribulationes transierunt fideles. Et
Christus discipulis ait : In mundo pres- Joann. XVI, 33.
suram habebitis ; sed confidite, ego vici
mundum. Hæc autem Deus fecit electis,
ut venialia eorum expurgentur, et ipsi
ad gratiam ampliorem in præsenti dispo-
nantur, aliis quoque in exemplum propo-
nantur, et in futuro gloriam ampliorem
consequantur. Hunc furorem super se con-
firmatum expertus erat Job, qui dixit : Ira- Job XIX, 11.
tus est contra me furor ejus, et sic me ha-
buit quasi hostem suum ; Jeremias etiam,
qui profitetur : A facie manus tuæ solus Jer. XV, 17.
sedebam, quoniam comminatione replesti
me. *Longe fecisti notos meos a me; po-* 9
suerunt me abominationem sibi. Hoc est
quod Christus in Evangelio suis electis lo-
cutus est : Trademini a parentibus et fra- Luc. XXI, 16.
tribus et amicis et propinquis. Denique
Christus venit separare patrem a filiis, fra- Matth. X, 35.
trem a sororibus, consulendo nobis ut re-
linquamus omnes propinquos, uxorem at- Ibid. XIX, 29.
que divitias. Sæpe etiam contigit ut noti
a Christianis aufugerent, eosque abomi-
narentur propter vehementissimas perse-
cutiones, adversitates et pœnas sibi il-
latas, sicut et sanctus Job sibi accidisse Job XIX, 13, 17, 19.
fatetur.

Traditus sum, vel dæmoni ad tentan-
dum, vel tyranno ad occidendum, vel ho-
mini pravo ad persequendum; *et non egre-*
diebar, id est, has pœnas non fugi, sed

Digitized by Google

omnia æquanimiter passus sum, sciens A
Matth. v, 12. quoniam copiosa est merces mea in cœlo.
10 *Oculi mei* corporales *languerunt præ inopia* naturalis virtutis, eo quod interior dolor in oculis corporis magis redundet. Unde
Job xvi, 17. a beato Job dicitur : Facies mea intumuit a fletu, et oculi mei caligaverunt. Vel, Oculi mei interiores et intellectuales, languerunt præ inopia divinæ illuminationis, et præ abundantia propriæ cæcitatis. *Tota die*, id est horis competentibus totius diei, *expandi ad te*, Domine, *manus meas*, id est desideria mea, seu opera aut manus cor- B
Thren. iii, 41. poreas : sicut scribitur in Threnis, Levemus corda nostra cum manibus ad Domi-
I Tim ii, 8. num in cœlos. Et Apostolus ait : Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Plurimum equidem confert ad excitandum mentis fervorem ac devotionem internam, manus corporis in altum erigere, quatenus spiritus dirigatur ad proprium Creatorem, in cœlestibus demorantem.
11 *Numquid mortuis facies mirabilia?* etc. Hunc versum cum duobus sequentibus di- C
cere potest Ecclesia seu quicumque fidelis, ad ostendendum quam rationabile sit exaudiri a Domino, sicut in præcedenti expositione a Christo inducti sunt : sensus enim est idem.
14 *Et mane*, id est in principio infusionis gratiæ tuæ ; vel, Mane, id est in principio lucis solaris ; *oratio mea*, tibi porrigenda, *præveniet te*, id est, tibi offeretur ante-
Matth. vi, 33. quam alia operer : juxta illud, Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus. Vel, Præveniet te, id est tuum judicium, ita D
II Cor. vi, 2. quod nunc, quando est tempus acceptabile et dies salutis, conabor te mitigare et tibi
15 placere. *Ut quid, Domine, repellis orationem meam*, non statim eam exaudiendo, seu diutius differendo? Videtur namque devoto, quod oratio sua repellitur, dum pro suo voto non exauditur. Propter quod
Job xix, 7. Job dixit : Ecce clamabo vim patiens, et nemo exaudiet ; vociferabor, et non est qui
Habac. i, 2. judicet. Et Habacuc : Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? Interdum quoque oratio omnino repellitur, quia non in nomine Jesu fit, scilicet quum id non postulatur, quod expedit ad salutem. Nam et Paulus ter deprecatus est Dominum, et II Cor. xii, 8, 9.
exauditus non fuit. Quandoque etiam oratio in nomine Jesu oblata, ad tempus repellitur seu differtur, quatenus devotius continuetur, et res optata ardentius appetatur, sicque copiosius obtineatur. Certissime tamen tenere debemus, quod oratio in nomine Jesu formata, si continuetur, et pro ipso orante fiat, semper acceptatur. *Avertis faciem tuam a me*, gratiam suspendendo, meque tribulationibus exponendo, nec statim consolando. Ista aversio non est aversio simpliciter dicta, sed similis est aversioni qua mater a parvulo filio suo faciem suam abscondit, tanquam offensa esset, quatenus filius eam cum lacrimis repetat, affectuosiusque adspiciat.

Pauper sum ego, vel rebus sæculi, vel 16
merito et gratia, vel affectu, omnia terrena arbitrando ut stercora ; *et in laboribus* Philipp. iii, 8.
a juventute mea, id est a principio quo cœperunt esse electi in mundo. Multi namque sunt labores sanctorum, videlicet exercitia pœnitentiæ, vigiliæ, abstinentiæ, orationes, opera exteriora, afflictiones et pœnæ. Propter quod ait Job : Homo nasci- Job v, 7.
tur ad laborem, et avis ad volatum. Ideoque de reprobis dictum est supra : In labore ho- Ps. lxxii, 5.
minum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Et secundum Apostolum, Nullus coronatur nisi qui legitime certave- II Tim. ii, 5.
rit : quod sine magno labore fieri nequit. *Exaltatus autem, humiliatus sum*. Nam dum boni laudantur et sublimantur ab aliis, in propriis cordibus coram Deo humiliantur : quia non sibi, sed Domino omnia bona attribuunt : et hoc est signum boni virtuosique viri. Propter quod Salomon ait : Quomodo probatur in conflato- Prov. xxvii, 21.
rio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. Vel : Exaltatus per prospera, humiliatus sum protinus per adversa : quia non permanet homo diu Job xiv, 2.
in eodem statu, sed nunc prospera, nunc adversa ei contingunt. Idcirco in Ecclesia-

Digitized by Google

Eccli. xi, 27. stico scribitur : In die bonorum ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum. Vel : Exaltatus superbe et inobedienter vivendo, humiliatus sum veraciter confitendo, *et conturbatus* propter enormitatem peccatorum meorum, seu asperitatem pœnarum et persecutionum.

17 *In me transierunt iræ tuæ,* id est, effe-
ctus tuæ justitiæ seu cogitationes pœnosæ
mihi inflictæ sunt : sicut in libro Job ha-
Job vi, 4. betur : Sagittæ Domini in me sunt, quarum
indignatio ebibit spiritum meum, et terro-
res Domini militant contra me. Ideo subdi-
tur : *et terrores tui conturbaverunt me,* id
est, formidines de effectibus tuæ justitiæ,
scilicet de futuro judicio, de pœnis infer-
ni, de expulsione a gloria conceptæ, sol-
licitum me fecerunt, pœnitentem et an-
Ibid. xxiii, 15. xium : juxta illud, A facie Dei turbatus
sum, et considerans eum, timore sollici-
18 tor. *Circumdederunt me* afflictiones prædi-
ctæ, *sicut aqua tota die,* imo toto tempore
Ibid. vii, 1. vitæ meæ : quia militia est vita hominis
super terram. Et secundum Augustinum,
perseverandum est usque in finem, quia
tentatio perseverat usque in finem. *Circumdederunt me simul.* Multoties namque electi simul et semel a mundo, carne atque diabolo impetuntur ac fatigantur. Cetera ex dictis in præcedenti expositione elucescunt.

Ecce psalmum mysterialem, doctrinalem, et vere devotum audivimus : in quo decet nos Christi passionem intente recolere, eique intime condolere, et ejus vestigia digne sectari, quatenus illud beati Apostoli dicere singuli valeamus : De cetero nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. (Galat. vi, 17.) Illud quoque Sponsæ : Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. (Cant. i, 12.) Et hanc arbitremur summam esse nostram felicitatem dispositive, et in præsenti perfectionem et gratiam, Christi passionibus conformari, ejus abjectiones imitari, ejusque caritati utcumque assimilari. Propterea enim hortatur Apostolus : Estote imitatores Dei sicut filii carissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. (Ephes. v, 1, 2.) Et altissimus ille apostolici ordinis vertex, Communicantes, inquit, Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis; (I Petr. iv, 13.) rursusque, Si exprobramini, inquit, in nomine Christi, beati eritis. (Ibid. 14.) Quid enim gloriosius Christiano, quam esse consimilem Christo?

PRECATIO.

Domine, Deus salutis nostræ, nostri pie miserere; et repletam malis animam nostram, et inferno peccatis appropinquantem vitam nostram, abundantia tuæ propitiationis revoca, et ab omni miseria nunc et semper nos elonga : ut misericordiæ tuæ prærogativa, laudum tibi præconia persolvamus in sæcula.

ARTICULUS LXV

ELUCIDATIO PSALMI OCTOGESIMI OCTAVI : MISERICORDIAS DOMINI.

1 Declarandi nunc psalmi titulus est : *In-*
* Ezrahitæ *tellectus Ethan Israelitæ* * *:* id est, in psalmo præsenti continetur, quid homo robustus per gratiam, Deumque contemplans per fidem, de Christo intelligere debet. Ethan namque interpretatur robustus. Secundum omnes autem expositores, psalmus hic tractat de stabilitate perpetuitateque regni David : quæ in nullo completa est, nisi in Christo. Propterea psalmus iste ad

Digitized by Google

litteram de Christo pertractat : et quoniam A stabilitio ista per gratiam Dei efficitur, ideo sanctus Propheta a fonte omnium gratiarum, videlicet a divina misericordia, orsus est :

2 (1) MISERICORDIAS, inquiens, *Domini in æternum cantabo.* Dulcissimum plane exordium, et omni mundana, carnali et vana voluptate vehementer suavius. Non ait, Misericordiam Domini, sed, Misericordias : quoniam secundum multitudinem miseriarum nostrarum, multiplicatæ B sunt super nos misericordiæ Domini. Misericordia autem Dei interdum vocatur ipsa pietas divinæ naturæ, quæ naturaliter clemens est : et ista misericordia non est nisi una, sicut divina essentia. Quandoque vero misericordia Dei nominatur effectus pietatis divinæ, sicut Raphael ait : *Tob.* XII, 6. Benedicite Deum cœli, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Et utroque modo accipi potest hoc loco misericordia Domini ; sed si primo modo accipiatur, tunc una ac simplex misericordia Dei pluraliter explica- C tur, propter multiplices suos effectus. Deus enim mille modis novit suis misericorditer auxiliari. Eritque sensus : Misericordias Domini, id est ipsum Deum naturaliter misericordem, seu pietatem divinam multipliciter miserentem, in æternum cantabo, id est, indesinenter laudabo, nunc inchoative, et in futuro completive. Quemadmodum namque, secundum Apostolum, *Cor.* XIII, Caritas nunquam excidit, quia nunc incipit et in futuro perficitur ; sic actus caritatis, qui sunt, Deum diligere, contemplari, ad- D mirari, laudare, ipso frui, in ipso lætari, nunquam deficiunt, sed in præsenti habent exordium, et in patria complementum. Propter quod de Maria Magdalene, his occupa- *Luc.* X, 42. ta, dixit Salvator : Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Si vero misericordiæ Domini jam dicantur effectus seu opera misericordissimi Creatoris, sensus erit : Misericordias Domini, id est dona gratiæ seu beneficia Dei, et multiplicem suæ bonitatis effectum, tam mihi quam toti generi humano impensum, in æternum cantabo : quemadmodum in Isaia dicitur : Miserationum Domini recor- *Is.* LXIII, 7. dabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. Recolat hic unusquisque, ut valet, misericordias Domini, id est beneficia ejus generalia et specialia. Generalia quippe beneficia Dei sunt, creatio, justificatio, et glorificatio ; specialia vero beneficia Dei sunt, quæ unicuique singulariter data sunt. Sed utraque vere omnem rationem, linguam numerumque transcendunt. Quis enim omnia beneficia Christi concipiat, eloquatur, aut numeret ? Propter nos factus est homo, conversatus in mundo, suspensus in ligno. *Baruch* III, 38. Nobis dedit se ipsum in Sacramento, promisit pro præmio, in cordibus nostris vult habitare, deliciari, quiescere.

(2) *In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Propheta auctor psalmi præsentis, sicut prædixit, effecit. Prædixit namque se annuntiaturum Dei veritatem a generatione in generationem, id est a qualibet generatione in quamlibet generationem succedentem, quoniam psalmus ejus usque in finem mundi cantabitur. Solet autem Scriptura per generationem et generationem, designare perpetuam durationem, quemadmodum ait Maria : Et misericordia *Luc.* I, 50. ejus a progenie in progenies. Quum ergo nos brevi vivamus tempore, et paulo post *Job* XIV, 1. moriamur, scrutandum est quomodo quilibet nostrum in persona propria hæc dicere queat. Certum est enim, quia in persona Ecclesiæ dici a quolibet possint. Et respondendum, quod quilibet nostrum hæc dicere potest, secundum duplicem sensum. Primo, nam qui bene et exemplariter operatur, imitatores suæ bonæ conversationis relinquit, et ita per suos sequaces veritatem divinam incessanter annuntiat. Secundo exponitur sic : A generatione viæ seu viatorum, in generationem Sanctorum in patria, annuntiabo veritatem tuam : ita quod in generatione sanctorum viatorum

Digitized by Google

hanc annuntiationem incipiam, in gene- A
ratione vero beatorum comprehensorum
eam continuabo atque perficiam. Per veritatem autem Dei, hoc loco accipi potest
justitia ejus : quæ ideo annuntiatur ab eo
qui misericordiam Domini cantat, quia in
omni opere Dei misericordia et justitia
commiscentur. Potest quoque per veritatem intelligi promissionum divinarum impletio, qua Deus hominibus per Christum
largitus est quod se per illum præstaturum spopondit. Sicque accipitur quum di-
Joann. I, 17. citur apud Joannem, Gratia et veritas per
Jesum Christum facta est.

Sic ergo Propheta in hoc versu mutans
personam, ait ad Dominum : In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo, revolvendo stabiliter in ore meo verba divina, et non solum
transitorie atque celeriter ea proferendo
ex ore. Propterea autem veritatem tuam
3 annuntiabo, (3) *Quoniam dixisti,* id est,
Hebr. I, 1, 2. intra te decrevisti, et multifarie multisque
modis locutus es per angelos, per Prophetas, per Filium tuum incarnatum, atque C
Apostolos, istud scilicet : *In æternum misericordia ædificabitur in cœlis :* id est,
per effectum misericordiæ, ruinæ cœlorum
Ps. L, 20. reparabuntur, et muri cœlestis Jerusalem
ex vivis lapidibus construentur, dum per
Christi incarnationem ac passionem, homines ad sedes apostatarum angelorum
transferuntur. Unde superius dictum est,
Ps. XXXV, 6. Domine, in cœlo misericordia tua; et, Ma-
Ps. LVI, 11. gnificata est usque ad cœlos misericordia
tua. Vel sic : Quoniam dixisti per te ipsum
et sanctos Prophetas : In æternum miseri- D
cordia ædificabitur in cœlis, id est in Apostolis seu per Apostolos, quia per eos fabricata est Ecclesia catholica, operante per
eos misericordia tua. Dicitur namque misericordia Dei in æternum ædificari, dum
ejus effectus æternaliter perseverat. Ecclesia vero per misericordiam Dei constructa,
usque in finem sæculi permanebit. *Præparabitur veritas tua in eis :* id est, impletio
promissionum tuarum et Prophetarum, per
Apostolos disponetur, ut per eos ad homines universos perveniat, quatenus per gratiam illis primo concessam ceteri convertantur : quemadmodum ab Ecclesiastico
dictum est, Ut Prophetæ tui fideles inve- Eccli. XXXVI, 18.
niantur. Vel sic : Præparabitur veritas tua
in eis, id est in cœlestibus civibus seu
angelis sanctis : quoniam ipsi primitus de
divinis mysteriis illustrantur, et ita per
eos veritas divinæ illuminationis ad homines sanctos deducitur. Ecclesiastica namque hierarchia, ab hierarchia angelica purgatur, illuminatur et perficitur.

B Dixisti quoque, o Domine : (4) *Disposui* 4
testamentum electis meis, id est, vetus Testamentum seu legem Mosaicam dedi filiis Israel. Quoniam enim lex disponebat
ad Christum, juxta illud Apostoli, Lex pæ- Galat. III,
dagogus noster fuit in Christo ; idcirco 24.
data non est nisi populo illi ex quo Christus incarnari elegit, videlicet filiis Israel.
Juravi David filio Jesse *servo meo : Usque* 5
in æternum præparabo semen tuum : id
est, propagatio filiorum tuorum, usque ad
Christum ex eis nasciturum pertinget, et
in ipso Christo perpetuabitur. Hoc in Mat- Matth. I, 1-
thæo verum esse probatur, ubi genealogia 5.
David usque ad Christum deducitur. (5) *Et
ædificabo in generationem et generationem,* id est, per omnem progeniem firmabo
et conservabo, *sedem tuam,* id est regiam
potestatem. Primo libro Paralipomenon et
alibi Deus promisit regi David, quod non I Par. XVII,
deficeret vir de semine ejus, sedens in 11-14.
throno ipsius, ita dumtaxat, si custodirent filii ejus præcepta divina; sed quia
frequenter illa transgressi sunt, ad ido- IV Reg.
lolatriam declinantes, propterea tempore XVII, 19, 20.
Sedeciæ regnum David interruptionem sus- Ibid. XXV.
tinuit, quemadmodum quarto Regum describitur. Quamvis tamen sedes seu regnum David ad tempus cessaverit, nihilo
minus in Christo reparatum est, firmatum
ac perpetuatum, prout Archangelus ait ad
Virginem : Ecce concipies in utero et pa- Luc. I, 31-
ries filium, et vocabis nomen ejus Jesum : 33.
hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem
David patris ejus, et regnabit in domo

Digitized by Google

Jacob in æternum, et regni ejus non erit A
finis. Quod etiam in Isaia clarissime scri-
Is. ix, 7. ptum est : Super solium David et super
regnum ejus sedebit, ut confirmet illud in
judicio et justitia, amodo et usque in sem-
piternum. Ecce quanta concordia evange-
licæ narrationis cum sermone prophetico.

Vel sic, et magis secundum doctores
catholicos : *Disposui,* id est, ordinate dedi
atque proposui, *testamentum* novum, id
est evangelicam legem, ubi æterna heredi-
tas est promissa : quod etiam testamentum
in morte Christi confirmatum est ; *electis* B
meis, id est re et nomine Christianis : de
II Tim. ii, 19. quibus ait Apostolus : Firmum fundamen-
tum Dei stat, habens signaculum hoc, Co-
gnovit Dominus qui sunt ejus. Petrus quo-
I Petr. ii, 9. que : Vos autem genus electum, regale
sacerdotium, gens sancta. De hoc testa-
mento et dispositione ipsius Paulus testa-
Hebr. ix, 15. tur : Novi testamenti mediator est Jesus,
ut morte intercedente in redemptionem
earum prævaricationum quæ erant sub
priori testamento, repromissionem acci-
piant qui vocati sunt æternæ hereditatis. C
Juravi, id est, certitudinaliter firmiter-
que promisi, *David servo meo,* id est Chri-
sto, qui ut homo minor est me, et servus
meus : *Usque in æternum,* id est usque in
finem sæculi, imo usque in vitam æter-
nam, *præparabo semen tuum,* id est, per
fidem et gratiam formabo et disponam
Christianos et fideles. De quo semine apud
Is. liii, 10. Isaiam dictum est : Si posuerit (scilicet
Christus) animam suam pro peccato, vide-
bit semen longævum. Frequenter in divi-
nis Scripturis per David intelligitur Chri- D
Jer. xxx, 8, 9. stus. Unde Dominus per Jeremiam ait : Non
dominabuntur Jacob amplius alieni, sed
servient Domino Deo suo, et David regi
suo, quem suscitabo eis, id est Messiæ, ut
omnes exponunt. Non enim suscitavit nec
suscitabit Deus defunctum illum David fi-
lium Isai, ad regnandum in hoc mundo.
Osee iii, 5. Hinc quoque in Osee scriptum est : Post
hæc revertentur filii Israel, et quærent Do-
minum Deum suum, et David regem suum.
Sed ubi juravit Deus Christo, quod in æter-
num præpararet semen ipsius? Ecce ad
Abraham dicitur : Per memetipsum jura- Gen. xxii, 16-18.
vi, dicit Dominus : quia non pepercisti fi-
lio tuo unigenito propter me, benedicam
te ; et in semine tuo benedicentur omnes
gentes terræ. Quid autem per semen hoc
intelligere debeamus, Apostolus exponit,
ad Galatas dicens : Non dicit, In semini- Galat. iii, 16.
bus, quasi in multis ; sed quasi in uno,
Et semini tuo, quod est Christus. Daniel
etiam dicit : Omnes populi, tribus et lin- Dan. vii, 14.
guæ servient ei. *Et ædificabo,* id est stabi-
liam, *in generationem et generationem,* id
est in æternum, *sedem tuam,* id est judi-
ciariam tuam potestatem et regiam digni-
tatem. Unde in Daniele scribitur : Dedit ei Ibidem.
potestatem et honorem et regnum. Qualis
vero sit ista potestas et regnum, subjungi-
tur : Potestas ejus, potestas æterna, quæ Ibidem.
non auferetur, et regnum quod non cor-
rumpetur. Vel : Ædificabo per caritatem
et dona Sancti Spiritus, sedem tuam, id
est corda fidelium sive Ecclesiam, in qui-
bus tu, Christe, per gratiam habitas. Ani-
ma equidem justi, sedes est sapientiæ ; et Sap. vii, 27.
in Ecclesia residet Christus, quemadmo-
dum scriptum est : Ipse sedebit et domi- Zach. vi, 13.
nabitur super solio suo. Vel : Ædificabo
sedem tuam, non manu factam, sed thro-
num cœlestem, ut sedeas in cœlo ad dexte-
ram meam in sede, de qua tu, Christe, lo-
cutus es : Ego vici, et sedi cum Patre meo Apoc. iii, 21.
in throno ejus.

(6) *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Do-* 6
mine : etenim veritatem tuam in ecclesia
sanctorum. Hæc de angelis sanctis et cun-
ctis cœli civibus exponi possunt, qui uti-
que confitentur indesinenter confessione
incessabilis laudis mirabilia opera Dei et
veritatem ipsius, in Ecclesia triumphanti
Sanctorum seu Beatorum in patria, sicut
de talibus in Apocalypsi dicitur, Magna et Ibid. xv, 3.
mirabilia sunt opera tua, Domine Deus
omnipotens, justæ et veræ sunt viæ tuæ,
Rex sanctorum * : imo secundum divinum * sæculorum
et magnum Dionysium, angeli superiores
illustrant et docent angelos inferiores de
quibusdam mirabilibus Dei effectibus et

veritatibus divinorum effectuum. Denique A cœli isti confitentur etiam mirabilia Dei et veritatem ipsius, in Ecclesia militanti sanctorum viatorum, quorum mentes illuminant de admirandis Dei operibus et sacris Scripturis. Propter quod angelus
Matth. I, 20, 21. scribitur docuisse Joseph de mirabili conceptione Christi; et legitur angelus Apo-
Act. V, 19, 20. stolos eduxisse de carcere, eisque dixisse: Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba hæc. Nihilo minus per cœlos hoc loco convenientius intelliguntur sancti Apostoli, aliique apostolici viri, ange- B licam atque cœlestem conversationem in terra habentes; eritque sensus:

Confitebuntur, id est, secure protestabuntur, docebunt et prædicabunt atque laudabunt, *cœli,* id est Apostoli atque eis consimiles, *mirabilia tua, Domine,* id est miracula tua, o Christe, et omnia quæ de tuis mysteriis sunt conscripta; *etenim,* id est, etiam confitebuntur et prædicabunt, *veritatem tuam,* id est justitiam atque evangelicam legem, omni veritate plenissimam, *in ecclesia sanctorum,* id est congregatio- C nibus fidelium electorum. Istud in Actibus Apostolorum clare docetur impletum, ubi
Ibid. IV, 13. inter cetera scriptum est: Videntes principes sacerdotum, Petri et Joannis constantiam, mirabantur. Quorum constantia
Ibid. V, 29; IV, 20. patuit quando dicebant: Obedire oportet Deo magis quam hominibus; non enim possumus, quæ audivimus et vidimus, non loqui. Nonne mirabilia Dei et Christi ejus, hoc modo confessi sunt sancti Apostoli, dum Petrus voce omnium dixit Judæis:
Ibid. II, 22, 23. Jesum Nazarenum, virum approbatum in D vobis a Deo virtutibus et prodigiis et signis, interemistis?

7 Ideo autem ista egerunt Apostoli, (7) *Quoniam quis:* tanquam dicat, Nullus; *in nubibus,* id est in sublimibus creaturis, quales sunt Apostoli et Prophetæ, *æquabitur Domino,* Deo trino, uni et benedicto, seu Filio Dei Jesu Christo? de quo Petrus
Ibid. X, 36. ait, Hic est omnium Dominus. Quamvis enim creatura possit Deo assimilari, non tamen valet ei æquari, sed in infinitum distat ab eo. Propter quod dicitur: Cui Is. XL, 25. adæquastis me? dicit Sanctus. Dicuntur vero Prophetæ et Apostoli nubes, sicut de Apostolis ait Isaias: Qui sunt isti, qui ut Ibid. LX, 8. nubes volant? Primo, quoniam sicut nubes primo illustrantur a sole, deinde terram illuminant; sic Prophetæ atque Apostoli prius copiosiusque a Sole justitiæ Christo Domino sunt edocti, deinde homines illustraverunt. Unde dicit eis Salvator: Vos es- Matth. V, 14. tis lux mundi. Secundo, quoniam sicut nubes terram pluendo irrigant et fecundant, sic Apostoli et Prophetæ corda hominum pluvia salutaris doctrinæ et verbo gratiæ perfuderunt, impleverunt, et a damnabili ariditate et sterilitate liberaverunt. Ideo dictum est eis: Vos estis sal terræ. Ter- Ibid. 13. tio, propter altitudinem contemplationis, elevationem desideriorum sublimitatemque vitæ. — Possunt quoque per nubes (secundum Dionysium capitulo quintodecimo Cœlestis hierarchiæ) intelligi angeli sancti. De quibus subjungitur: *similis erit Domino* in filiis Dei?* tanquam dicat, Ne- * Deo que in angelis invenitur aliquis Deo æqualis. Omnes enim (secundum Apostolum) Hebr. I, 14. sunt administratorii spiritus. Convenienter vero per filios Dei accipiuntur etiam angeli, quia de eis Dominus apud Job sciscitatur: Ubi eras quum me laudarent as- Job XXXVIII, 4, 7. tra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? De quibus etiam narratur: Quadam die Ibid. I, 6; II, 1. quum venissent filii Dei, et adsisterent coram Domino, adfuit inter eos et Satan.

(8) *Deus qui glorificatur,* id est, glorio- 8
sus esse asseritur, honoratur et exaltatur, *in consilio sanctorum,* id est in diligenti perscrutatione omnium electorum, in cœlo et terra versantium: quorum unum parque consilium est, ut Deum præ cunctis glorificent corde, ore ac opere; *magnus,* imo immensus, atque in omni nobilitate simpliciter interminabiliterque perfectus, *et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt,* id est venerandus seu metuendus præ cunctis Beatis et Sanctis ei adsistentibus, et ad eum ex omni parte accedentibus. Dicuntur autem electi esse in circuitu

Digitized by Google

Dei, non quod eum intra se claudant ac A
finiant, quum ipse illocalis incircumscri-
ptibilisque consistat; sed quoniam sic ad
eum undique confluunt, ei deserviunt et
adsistunt, ac si intra se seu in medio sui
eum includerent. Vel, quoniam ipse Deus
gloriosus et sanctus omnia penetrat, cun-
ctisque intimus est, et magis vicinus quam
aliquid sibimetipsi, seu ipsa essentialia rei
principia toti principiato; propterea di-
cuntur esse in circuitu ejus. Verius ta-
men ipse est in circuitu eorum, sicut infe-
Ps. cxxiv, 2. rius dicitur : Dominus in circuitu populi B
Act. xvii, 27, 28. sui. Unde in Actibus Paulus testatur : Non
longe est ab unoquoque nostrum : in ipso
enim vivimus, movemur et sumus, sicut
et quidam poetarum vestrorum dixerunt,
etc. Secundum Thomam, Aratus poeta hoc
dixit.

9 (9) *Domine, Deus virtutum, quis similis*
* tibi *tui*?* Nullus utique, loquendo de similitu-
dine naturali et perfecta. Finiti enim et
infiniti nulla exstat proportio : quoniam
quotiescumque finitum finito addatur, nun-
quam exinde infinitum efficitur. Ideoque C
ad insinuandam infinitam Dei excellen-
tiam super omnia, scriptum est apud Isa-
Is. xl, 12. iam : Quis mensus est pugillo aquas, et
cœlos palma ponderavit? Quis appendit
tribus digitis molem terræ, et libravit in
pondere montes, et colles in statera? Unde
Sap. xi, 23. alio in loco dictum est : Tanquam momen-
tum stateræ sic ante te est orbis terræ, et
tanquam gutta roris antelucani, quæ de-
scendit in terram. *Potens es, Domine,* per
essentiam, quoniam idem est tibi esse et
posse; et sicut tuum esse est infinitum, sic D
tua potentia est immensa, cui omnia ex-
Ibid. xii, 18. stant facilia : prout ait Scriptura, Subest
tibi, quum volueris, posse. Differt autem
potentia Dei ab aliorum potentia : Primo,
quoniam Deus ex se ipso seu propria poten-
tia potens est, sicut de eo superius dictum
Ps. lxv, 7. est : Qui dominatur in virtute sua in æter-
num. Secundo, quoniam Deus universali-
Sap. xi, 24. ter potens est, juxta illud : Misereris om-
nium, quoniam omnia potes. Tertio, quia
potentia Dei est penitus infinita, nec pos-
sunt tanta tamve sublimia a Deo produci,
quin possint in infinitum plura atque ma-
jora ab eo creari seu effici, juxta illud :
Numquid manus Domini invalida est? Et *Num.* xi, 23.
alibi : Deus sempiternus Dominus, qui cre- *Is.* xl, 28.
avit terminos terræ, non deficiet. Potens
vero esse Deus designatur, dum dicitur in
libro Job : Deus potentes non abjicit, quum *Job* xxxvi, 5.
et ipse sit potens.

Et veritas tua divina et increata, resul-
tat, splendet atque apparet *in circuitu tuo,*
id est in omnibus creaturis seu tibi adsi-
stentibus, in quorum tu medio es. Quem-
admodum enim divina potentia in rerum
creatione relucet, sic sapientia seu veritas
Dei in earum ordinibus lucet. Propter quod
scriptum est : A magnitudine speciei crea- *Sap.* xiii, 5.
turæ, poterit Creator cognoscibiliter vide-
ri; et iterum : Gloria Dei plenum est opus *Eccli.* xlii,
ejus. Vel, Veritas tua, id est vera illumi- 16.
natio tua, sacra doctrina et sapientialis
ordinatio, est in circuitu tuo, id est in
corde seu intellectu eorum, de quibus jam
dictum est : Magnus et terribilis super
omnes qui in circuitu ejus sunt. Nostra
quippe veritas et scientia a rebus causan-
tur : sed veritas et scientia Dei, causa est
rerum; et uti ab uno vultu diversæ resul-
tant imagines in pluribus speculis, ita qui-
dem ab una ac summa veritate multæ cau-
santur veritates in rebus creatis. Propterea
de hac veritate seu sapientia creata, in Ec-
clesiastico habetur : Deus creavit illam in *Ibid.* i, 9, 10.
Spiritu Sancto, et effudit illam super om-
nia opera sua et super omnem carnem, et
præbet eam diligentibus se.

(10) *Tu dominaris potestati maris :* id 10
est, ipsum mare et omnis naturalis cur-
sus, ordo et virtus ipsius, tibi subjecta
sunt. Hoc patuit in divisione maris Rubri. *Exod.* xiv.
Unde de Christo vero et altissimo Deo scri-
ptum est : Ventus et mare obediunt ei. Job *Matth.* viii,
quoque ait : In fortitudine illius repente 27.
maria congregata sunt. Per obedientialem *Job* xxvi, 12.
namque potentiam omnibus concreatam,
universa Creatori suo obediunt. *Motum au-*
tem fluctuum ejus tu mitigas : id est, im-
petuosos fluctus abyssi quiescere facis, se-

Digitized by Google

das, atque confringis, quemadmodum ad
Job XXXVIII, 10, 11. sanctum Job testatus es : Circumdedi mare
terminis meis, et posui vectes et ostia, et
dixi : Usque huc venies, et non procedes
amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Hinc quoque de Christo induci-
Marc. IV, 39. tur : Comminatus est vento, et dixit mari :
Tace et obmutesce. Et facta est tranquillitas magna. — Moraliter exponitur sic : *Tu dominaris potestati maris,* id est potentibus sæculi et principi hujus mundi, videlicet tyrannis et dæmonibus, ne quantum
velint, in tuos desæviant : ideo sequitur,
motum autem fluctuum ejus, id est impetus tentationum diaboli, persecutionumque mundi, *tu mitigas :* quia secundum
I *Cor.* X, 13. Apostolum, non permittis nôs tentari supra id quod possumus, sed facis cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.
II *Petr.* II, 9. Unde Petrus ait : Novit Dominus pios de
tribulatione eripere. Nonne motum fluctuum horum mitigat Deus, de quo asserit
II *Cor.* I, 3, 4. Paulus, Benedictus Deus, qui consolatur
nos in omni tribulatione nostra ?

11 (11) *Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum :* id est, quemcumque elatum,
Is. XIV, 10. et præcipue primum illum apostatam an-
Job XLI, 25. gelum, qui est pater super omnes filios
superbiæ, dejecisti et oppressisti, sicut dejicitur vulneratus : quemadmodum scri-
Jacob. IV, 6. ptum est, Deus superbis resistit ; et rur-
Luc. XIV, 11. sus, Qui se exaltat, humiliabitur. Ideo ait
Ibid. X, 18. Salvator : Videbam Satanam sicut fulgur
de cœlo cadentem. De cujus humiliatione
Is. XIV, 12. seu casu scriptum est : Quomodo cecidisti
de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? Un-
Job XXVI, 12. de et alibi habetur : Prudentia Dei percussit superbum. *In brachio virtutis tuæ,* id
est in excelsa et propria tua potestate, *dispersisti inimicos tuos,* dæmones, hominesque injustos. Hos namque Deus dispergit
ab unitate quæ ipse est, et ita convertuntur ad multa caduca et vana, amittentes
jam esse gratiæ, et in futuro esse gloriæ.
Ibid. IV, 8, 9. Idcirco in libro Job asseritur : Vidi impios
Domino flante perisse.

12 (12) *Tui sunt cœli, et tua est terra,* id est
omnia superiora et inferiora; *orbem terræ et plenitudinem ejus,* id est universa in eo
contenta, *tu fundasti,* id est, stabiliter collocasti : juxta illud, Dominus sapientia fun- *Prov.* III, 19.
davit terram, stabilivit cœlos prudentia.
Aquilonem, id est partem terræ aquilona- 13
rem austro oppositam, seu ventum Aquilo
dictum, *et mare* magnum, Oceanum terram cingentem, *tu creasti.* Unde in libro
Job scriptum est, Qui extendit aquilonem *Job* XXVI, 7.
super vacuum ; et in Apocalypsi : Timete *Apoc.* XIV, 7.
Dominum, et date illi claritatem, et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et
fontes aquarum. Propter quod sanctus Job
ait : Quis ignorat quod manus Domini fe- *Job* XII, 9.
cit hæc omnia ? — Vel : *Tui sunt cœli,*
id est angelicæ mentes, seu sancti prædicatores cœliformiter conversantes, *et tua est terra,* id est homines terreni, quantum
ad id quod sunt : sunt enim tui per naturam. *Orbem terræ,* id est universalem Ecclesiam, per totum mundum diffusam, *et plenitudinem ejus,* id est spirituales ejus
divitias, scilicet munera gratiarum, sacramenta, virtutes, et cetera spiritualia bona,
tu fundasti, quoniam sine te conservari
non possunt, sicut nec haberi valent nisi
a te. *Aquilonem,* id est diabolum, aquiloni, id est peccatoribus propter caritatis
carentiam frigidis, dominantem : qui dixit, Sedebo in monte testamenti, in late- *Is.* XIV, 13.
ribus aquilonis ; *et mare,* id est homines
ad instar maris instabiles, impetuosos,
amaros, *tu creasti,* dando eis esse naturæ,
et naturales proprietates, perfectiones ac
vires : non tamen in malitia conditi sunt.

(13) *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt :* id est, hi duo montes erunt fidelibus occasio atque materia exsultandi in
Deo, propter beneficia Dei in eis ostensa.
Thabor enim est mons in Terra sancta, in
quo denuntiata fuit victoria Barac de Sisa- *Judic.* IV, 6, 7.
ra et ejus exercitu. Hermon vero est mons
prope Jordanem, quem transierunt Hebræi *Josue* III, 17.
arido pede. Sicque montes hi, propter miraculosa opera Dei in eis ostensa, præbuerunt Judæis occasionem lætandi in Deo. Et
maxime præbent Christianis materiam exsultandi, quia in monte Thabor transfi- *Marc.* IX, 1.

guratus est Christus : quem montem Pe- A
II Petr. I, 18. trus sanctum appellat, Hanc (inquit) vocem audivimus, quum essemus cum ipso in monte sancto. In Jordane vero, juxta quem
Matth. III, 13-17. Hermon mons situs est, baptizatus est Jesus. Spiritualiter vero per Thabor, quod interpretatur lumen veniens, designantur Judæi, quibus primo data est lex et gratia Dei infusa. Per Hermon autem, quod interpretatur anathema, significantur gentiles, qui tempore suæ perfidiæ erant anathema Deo, et quasi anathematizati ab eo, propter idololatriæ crimen. Est itaque sensus : B
Thabor et Hermon, id est Judæi et gentiles ad vitam electi, non in se aut propriis viribus, sed in nomine tuo exsultabunt.

14 *Tuum brachium,* id est tua fortitudo, est
Gen. XVIII, 14. *cum potentia,* ita ut nihil ei sit difficile. (14) *Firmetur manus tua,* id est, virtus tua prævaleat hostibus veritatis, eos dejiciendo, *et exaltetur dextera tua.* Advertendum quod manus Dei, quæ est virtus ejus operativa, interdum accipitur in bono, sicut
Job V, 18. quum dicitur, Manus ejus sanabunt; interdum vero in malo, ut quum ait Apostolus, C
Hebr. X, 31. Horrendum est incidere in manus Dei vi-
Job XIII, 21. ventis ; et Job, Manum tuam longe fac a me. Dum itaque manus Dei in bono accipitur, tunc dextera ejus respicit bona æterna, sinistra vero temporalia bona, secun-
Prov. III, 16. dum quod in Proverbiis legitur : Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria. Dum vero manus Dei in malo accipitur, scilicet prout concernit malum pœnæ, tunc per sinistram Dei, intelligenda est minor punitio ; per dexteram vero, quæ durius percutit, punitio major. D
Ps. XX, 9. Unde superius dictum est : Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis ; dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. Similiter modo quum dicitur, Firmetur manus tua : per manum, accipitur virtus Dei levius puniens ; per dexteram vero, eadem virtus gravius puniens : quam petit exaltari, per depressionem et dejectionem omnimodam hostium pessimorum. Posset tamen hic versus exponi in bono, hoc modo : Firmetur manus tua, id est, virtus tua firmiter auxilietur famulis tuis, eosque prævalere hostibus faciat ; et exaltetur dextera tua, id est, benignitas tua sublimetur, liberaliter communicando dona gratiæ et virtutum.

Justitia et judicium præparatio sedis 15
tuæ : id est, per justitiam atque judicium tu ipse paratus ac dignus es judicare ; et sedes tua, id est judiciaria tua potestas, per justitiam atque judicium paratur, aptatur, et idonea redditur ad judicandum. Per justitiam namque, unicuique quod suum est tribuentem, et judicium quod est actus justitiæ, fit judex dignus ad judicandum. Vel sic : Justitia et judicium præparatio sedis tuæ, id est, per justam conversationem, et rectum judicium sui ipsius, fit quilibet dignus ut in eo quasi in throno ac thalamo Dominus sedeat, demoretur, et conquiescat. Ideo namque homini tali ait
Salvator : Ad eum veniemus, et mansio- Joann. XIV, 23.
nem apud eum faciemus.

(15) *Misericordia,* per quam culpam deles et gratiam influis, *et veritas,* qua sicut promisisti agis : in omni enim opere tuo misericordia veritasque concurrunt ; *præcedent faciem tuam,* id est spiritualem tuam præsentiam, qua quotidie tuis electis per contemplationem appares : secundum
illud Apostoli, Nos autem revelata facie II Cor. III, 18.
gloriam Domini speculantes. Non enim adest alicui Deus per contemplationem sinceram, nisi primo per misericordiam suam peccata dimittat, gratiamque concedat : et tunc, sicut promisit, se ipsum per fidem formatam ostendit. Vel : Misericordia et veritas istæ præcedent faciem tuam, id est adventum tuum seu repræsentationem vultus tui, qua apparebis in finali judicio. Tunc quippe erit tempus justitiæ et judicii ; interim vero est tempus misericordiæ et veritatis.

Beatus populus, nunc in spe, *qui scit,* 16
per gustum seu experientiam, *jubilationem,* id est ineffabilem mentis exhilarationem in Deo. Jubilatio nempe seu jubilus, est quædam excessiva atque insolita mentis in Deo jucunditas, adeo æstuans et erum-

Digitized by Google

pens ac vehemens, ut nec plene possit A
exprimi, neque totaliter occultari. Hæc ju-
bilatio ex contemplatione causatur, et in-
terdum procedit ex contemplatione divinæ
bonitatis in se, cujus beatitudini congau-
demus; interdum vero ex contemplatione
beneficiorum divinorum. Et vere modo
beatus in spe, qui in horum consideratio-
ne tam vehementer lætatur. Est namque
talis lætitia, certum, dulce ac ingens præ-
ambulum felicitatis futuræ. Sic jubilans
Deo, se ipsum non capit præ gaudio; stil-
lant per oculos lacrimæ dulces, miratur- B
que animus quod Deus tantam gratiam
sibi præstare dignatur.

(16) *Domine, in lumine vultus tui* natu-
rali et supernaturali *ambulabunt* de bono
Ps. LXXXIII, 8. in melius, de virtute in virtutem, de via
in patriam, de consideratione ad opera bo-
na, fideles. Est enim in nobis naturale lu-
men, ab intellectu seu vultu divino animæ
nostræ impressum, quo inter bonum et
malum, verum ac falsum discernit: de quo
Ps. IV, 7. dictum est supra, Signatum est super nos
lumen vultus tui, Domine. In isto ambula- C
mus, dum rationis judicium sequimur. Sed
quoniam homo ad supernaturalem beati-
tudinem ordinatur, quæ est visio Dei per
speciem; ideo naturale lumen ad meri-
toriam vitam non sufficit, sed indiget ho-
mo lumine supernaturali, scilicet fide et
donis Spiritus Sancti: et ita electi ambu-
lant in lumine naturali, informato ac con-
fortato lumine supernaturali, omnia opera
sua ordinando ad Dei honorem ac vitam
Joann. XII, 35. æternam. Unde Salvator: Ambulate dum
lucem habetis, ut non vos tenebræ com- D
prehendant. Non in hoc lumine, sed in sen-
sualitatis errore et ignorantia vitiorum
ambulant peccatores: de quorum via scri-
ptum est, Via impiorum erit quasi lubri- *Jer.* XXIII, 12.
cum in tenebris, impellentur et corruent.
Et in nomine tuo, id est in te ipso, *exsul-* 17
tabunt tota die, qua in corde eorum lux
gratiæ diem spiritualem producit; vel, Tota
die, id est assidue, prout præsenti vitæ
possibile est; *et in virtute* tua*, id est per **justitia*
adjutorium gratiæ tuæ, non in naturali et
propria potestate, *exaltabuntur*, mundum,
carnem, dæmonemque vincendo, et ad re-
gna cœlestia pertingendo.

(17) *Quoniam gloria virtutis eorum*, id 18
est objectum, causa et terminus gloriatio-
nis, qua de sua perfectione ac bonis ope-
ribus gloriantur, *tu es*: quoniam non in
se, sed in te gaudent, omnia tibi adscri-
bendo: sicut dicit Apostolus, Qui gloriatur, I *Cor.* I, 31.
in Domino glorietur. Propter quod Isaias
asserit: Erit Dominus exercituum corona *Is.* XXVIII, 5.
gloriæ et sertum exsultationis residuo po-
puli sui. *Et in beneplacito tuo*, id est pia
voluntate tua, seu per effectum voluntatis
tuæ, qua tibi in nobis complacuit, scilicet
per gratiam tuam, *exaltabitur cornu no-
strum*, id est fortitudo et dignitas nostra,
qua dicimur genus electum, regale sacer- I *Petr.* II, 9.
dotium, gens sancta: quia per gratiam
tuam fortitudo nostra perseverat, proficit,
et coronatur. Cujus ratio est, (18) *Quia Do-* 19
mini est assumptio nostra, id est, a Deo
misericorditer assumpti sumus: qui nos
in suam protectionem gratiamque susce-
pit, ne ab hostibus devoremur; *et*, pro id
est, ista assumptio est *sancti Israel regis
nostri*, id est Dei sicut auctoris: qui est
Sanctus Sanctorum, et sanctificator Israelis
et rex noster. Vel: Domini, id est Filii Dei,
est assumptio nostra, quoniam ipse in sua
incarnatione sanctissima nostram naturam
assumpsit.

Digitized by Google

ARTICULUS LXVI

PROSECUTIO EXPOSITIONIS EJUSDEM PSALMI OCTOGESIMI OCTAVI.

20 (19) TUNC *locutus es in visione sanctis*
tuis, etc. Hanc partem psalmi hu-
jus, usque ibi, Tu vero repulisti et de-
spexisti, quidam ad litteram exponunt de
David, quidam vero de Christo. Utraque
autem expositio tangenda est : sed prima
cursorie pertranseunda, quoniam minus
fructuosa ; secundæ vero diligentius im-
morandum. Denique in natalitiis confesso-
rum pontificum cantat Ecclesia aliquos
versus hujus psalmi sequentes.

Alloquens ergo Propheta Dominum, ait :
Tunc, id est, dum ista mihi divinitus sunt
ostensa et inspirata, *locutus es* locutione
interiori, scilicet *in visione* prophetali,
sanctis tuis Prophetis, de unctione David,
successione et processu regni ipsius Da-
I Reg. xvi, vid. Isti sancti fuerunt, Samuel, Nathan,
1, 3, 12; II Reg. vii, 12- et Gad. *Et dixisti* per eos : *Posui adjuto-*
17; I Reg. *rium* meum *in potente,* id est in David
xiii, 5; II Reg. xxiv. manuforti, qui (sicut legitur) adhuc adole-
I Reg. xvii, scens exsistens, leonem et ursum occidit :
34-36. et sic David, mediante adjutorio meo, re-
gnum et populum suum defendit ; *et ex-*
altavi electum, videlicet David, *de plebe*
mea, id est, præ ceteris elegi eum ad re-
II Reg. vi, gnum : quod etiam David secundo Regum
21; I Par. xxviii, 4-7. et primo Paralipomenon protestatur. (20) *In-*
21 *veni David servum meum,* id est, conside-
ravi quod David est servus meus fidelis et
verus : idcirco *oleo sancto meo unxi eum*
in regem per Samuelem. Ter quippe un-
I Reg. xvi, ctus est David : primo, in domo patris a
11-13. Samuele, quando puer erat, et oves patris
II Reg. ii, 4. sui pascebat; secundo, post mortem Saulis
Ibid. v, 3. in Hebron, super solam tribum Juda ; ter-
tio, super totum regnum Israel.

22 (21) *Manus enim mea,* id est potestas
mea, *auxiliabitur ei* contra adversa ; *et*
brachium meum, id est fortitudo mea, *con-*
A *fortabit eum* in regno et prosperis. (22) *Ni-* 23
hil proficiet inimicus invisibilis, scilicet
dæmon, *in eo* finaliter. Nam quamvis eum
aliquoties ad magnam ruinam induxit, non II Reg. xi.
tamen finaliter eum decipere potuit ; sed
omnia etiam mala cooperata sunt ei in Rom. viii,
bonum, quia post culpam cautior humi- 28.
liorque surrexit. Vel, Nihil proficiet inimi-
cus visibilis, scilicet Saul, in eo, quia non I Reg. xviii,
potuit eum occidere. *Et filius iniquitatis* xix, etc., passim.
non apponet nocere ei : id est, Achitophel,
Doeg, Absalon, Seba filius Bochri, seu alius
B quivis injustus adversarius David, non ite-
rabit frequenter persecutionem suam in
David : quoniam redimam eum, et ini-
micos ejus cessare faciam a persecutione
ipsius, eos occidendo, sicut occisus est II Reg.
Absalon et Seba, vel ad pœnitentiam eos xviii, 14; xx, 22.
convertendo, sicut pœnituit Semei. (23) *Et* Ibid. xix, 18-20.
concidam a facie ipsius, id est, a conspe- 24
ctu ejus scindam, destruam et repellam,
inimicos ejus, Philistæos, Amalecitas, Am-
monitas ; *et odientes eum in fugam con-*
vertam. Hoc secundo Regum frequenter
C accidisse narratur.

(24) *Et veritas mea,* qua promissa adim- 25
pleo, *et misericordia mea,* qua peccata di-
mitto, *cum ipso ; et in nomine meo,* id est
in mea virtute, *exaltabitur cornu,* id est
regia dignitas *ejus.* (25) *Et ponam in mari* 26
manum ejus, id est fortitudinem ejus. Da-
vid enim sibi subjecit Palæstinos, quorum
terra sita est super mare Mediterraneum.
Et in fluminibus dexteram ejus, id est,
magnam potestatem ipsius ponam in Syria
in medio fluminum situata. Propter quod
D dicta est Mesopotamia Syriæ, a *meso,* quod
est medium, et *potamos,* fluvius : quia in
medio fluminum hinc inde currentium ja-
cet. Secundo autem Regum legitur David Ibid. viii.

Digitized by Google

Syriam debellasse, eratque Syria serviens A
ei sub tributo.
27 (26) *Ipse invocabit me : Pater meus es*
tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.
Sæpe in hoc libro vocat David in sua ora-
tione Dominum universorum, Deum suum,
et susceptorem suæ salutis. Nec mirum si
Deum in sua prece patrem vocavit Pro-
pheta tam sanctus, quum etiam præsum-
Job xxxiv, ptuosus ille Eliu dixerit Deo : Pater mi, ne
36. 28 desinas ab homine iniquitatis. (27) *Et ego*
primogenitum ponam illum, id est ceteris
honorabiliorem et excellentiorem : sicut B
primogenitus honorabilior esse solet ; *ex-*
celsum præ regibus terræ, scilicet, terræ
Judææ : quia non exstitit similis ei in il-
III Reg. iii, 12. la, omnibus consideratis, quamvis Salo-
mon quantum ad aliquid eum excesserit.
Vel, Præ regibus terræ regno suo vicinæ,
29 quam sibi subjecit. (28) *In æternum servabo*
illi misericordiam meam : quia finaliter
derelictus non est, quamvis ad tempus
II Reg. xi. permissus sit incidere mala culpæ et pœ-
næ ; *et testamentum meum,* id est pro-
Ibid. vii, 12-16. missio quam ipsi feci de successione re- C
gum, *fidele ipsi,* id est, fideliter in ipso
30 implebitur. Ideo additur : (29) *Et ponam*
in sæculum sæculi semen ejus, id est, fi-
lios ejus non permittam deficere, sed us-
que ad Christum generatio ejus deducetur,
atque in ipso perpetuabitur ; *et thronum*
ejus, id est sceptrum seu regiam potesta-
tem ipsius, ponam et continuabo, *sicut*
continuantur *dies cœli,* id est dies a motu
solis causati : quia in Christo regnum Da-
vid perpetuatur.

Porro ne quis putet hæc promissa fru- D
stranda propter peccata posteritatis Da-
vid, propterea de pia correctione filiorum
31 David, Dominus subdit : (30) *Si autem de-*
reliquerint filii ejus, videlicet reges ab
eo nati, *legem meam :* sicut et multi eo-
III Reg. xiv, 22; IV Reg. xvi, 2-4; xxi, 20-22; xxiv, 19. rum fecerunt, videlicet Roboam, Achaz,
Amon, Sedecias ; *et in judiciis meis,* id
est in præceptis quæ ego justa et obser-
32 vanda judico, *non ambulaverint ;* (31) *Si*
justitias meas, id est justas leges et cæri-
monias a me traditas, *profanaverint,* id
est, transgressi fuerint, et quasi pollutas
duxerint, *et mandata mea non custodie-*
rint : (32) *Visitabo in virga* paternæ corre- 33
ctionis *iniquitates eorum,* eos temporaliter
castigando, si pœnitere voluerint : ut patet II Par. xxxiii, 11, 12; xxvi, 16-21.
in Manasse et Ozia ; *et in verberibus* æter-
næ damnationis visitabo *peccata eorum,* si
pœnitere neglexerint : ut patet in Achaz. Ibid. xxviii.
(33) *Misericordiam autem meam,* id est 34
effectum pietatis meæ, videlicet perpetua-
tionem regni, *non dispergam ab eo :* quia
prædicti reges, quamvis iniqui, habuerunt
successores regnantes usque ad Sedeciam,
et ex tunc fuerunt filii David usque ad
Christum. *Neque nocebo in veritate mea.*
Ecce juramentum Dei : id est, Tam veraci-
ter non inferam perpetuum nocumentum
ipsi David, quam veraciter verus sum.
(34) *Neque profanabo testamentum meum,* 35
id est, promissum meum non violabo ; *et*
quæ procedunt de labiis meis, id est verba
oris mei, *non faciam irrita,* id est sine
effectu.

(35) *Semel juravi in sancto meo,* id est 36
me ipso essentialiter sancto et Sancto San-
ctorum, prout alibi jurasse me dico : Per Gen. xxii, 16.
memetipsum (inquiens) juravi ; *si,* pro
non, *David mentiar :* implebo namque
quæ dixi. Nam *Semen ejus in æternum* 37
manebit : quia in Christo filio David per-
petuatur. (36) *Et thronus ejus sicut sol in* 38
conspectu meo, et sicut luna perfecta in
æternum : id est, sicut sol et luna nun-
quam deficiunt in natura, sic nec thronus
David deficiet : quoniam Christus filius
ejus regnat in Ecclesia militanti per fidem
usque in finem sæculi ; in Ecclesia vero
triumphanti regnat per gloriam sine fine.
Et hujus rei est *testis in cœlo fidelis,* sci-
licet Deus benedictus et sanctus, qui ho-
rum est causa ac testis : qui ait per Je-
remiam, Ego sum judex et testis. Deus Jer. xxix, 23.
namque ista alibi locutus est, dicens : Si Ibid. xxxiii, 20, 21.
irritum fieri potest pactum meum cum
die, et pactum meum cum nocte, ut non
sit dies et nox in tempore suo, et pactum
meum irritum esse poterit cum David ser-
vo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet

Digitized by Google

Jer. xxxiii, 25, 26. in throno ejus. Rursusque : Si leges cœlo
et terræ non posui, equidem et semen ser-
vi mei David projiciam, ut non assumam
ex eo principes.

Verumtamen, quoniam regnum David
longam et magnam interruptionem susti-
nuit, videlicet a tempore Sedeciæ usque
ad Christum, vel circiter ; ideo de hac
dejectione regni David, et de mora seu di-
latione adventus Christi, in quo recupe-
randum et perpetuandum fuerat regnum
39 David, Propheta conqueritur : (37) *Tu vero*
repulisti David a regno, *et despexisti* eum,
id est posteritatem ipsius : quod maxime
factum est tempore captivitatis Babyloni-
cæ, quia ex tunc nullus ex Judæis regnavit
usque ad Joannem Hyrcanum. *Distulisti*
Christum tuum, id est, diu moratus es mit-
40 tere regem Messiam in mundum. (38) *Aver-*
* Evertisti *tisti* * *testamentum servi tui,* id est, pro-
missionem factam regi David interrupisti
propter peccata filiorum suorum ; *profa-*
nasti in terra sanctuarium ejus : id est,
I Par. xxii, 14. IV Reg. xxv, 9-17. templum ejus in Jerusalem, cujus impen-
sas atque materiam David paravit, per-
misisti a Chaldæis profanari ; et per eos
41 (39) *Destruxisti* permissive *omnes sepes*
Ibid. 10. *ejus,* id est munimenta seu muros Jerusa-
lem, aliarumque urbium Juda ; *posuisti*
firmamentum ejus formidinem : id est,
fortiores viros et urbes regni David, in
tantum vastari ac destrui permisisti, ut
omnes hoc videntes exhorrescerent, et ipsi
filii David ac populi regni ejus metuerent.
Hoc et Jeremias sæpe prædixit futurum
tempore captivitatis Babylonicæ, dicente
Jer. xviii, 16; xix, 8; xxv, 9, 18. Deo per ipsum : Ponam vos in maledictio-
nem et sibilum et stuporem omnibus re-
gnis terræ.

42 (40) *Diripuerunt eum omnes transeuntes*
viam, id est Samaritani et reliqui per Ju-
dæam euntes, et populum Judæorum occi-
dentes ; *factus est opprobrium vicinis suis,*
videlicet Idumæis, Ammonitis, Moabitis,
Philistæis, qui omnes populum Judæorum
irriserunt, et de ejus calamitate lætati
43 sunt. (41) *Exaltasti dexteram deprimen-*
tium eum, id est, manum hostium suorum
prævalere permisisti adversus eum ; *læ-*
tificasti permissive *omnes inimicos ejus*
prænominatos. (42) *Avertisti adjutorium* 44
gladii ejus : id est, arma bellica ei non
profuerunt, et viri bellatores ab eo reces-
serunt. Unde scriptum est, quod viri bel- IV Reg. xxv, 5.
latores a Sedecia fugerunt. *Et non es au-*
xiliatus ei in bello, quo impugnavit eum
Nabuchodonosor cum suo exercitu. (43) *De-* 45
struxisti eum, scilicet populum et regem
Judæorum, *ab emundatione,* id est a pu-
rificationibus templi : quas non habue-
runt, templo destructo et ipsis in Baby-
lonem translatis ; *et sedem ejus,* id est
regiam majestatem *in terra* * *collisisti,* id * terram
est, ad nihilum deduxisti, sicut colliditur
vas fictile. (44) *Minorasti dies temporis* 46
ejus : id est, populum Judæorum pro ma-
gna parte in sua juventute peremisti ; et
omnium pene mors accelerata fuit per
gladium, famem aut pestem, juxta vati- Jer. xi, 22.
cinia Jeremiæ. *Perfudisti eum confusi-*
one, id est, contemptu et irrisione eum
replesti.

Quidam ea quæ de oppressione et de-
jectione regni et populi Judæorum, sub
appellatione David inducta sunt, atque ex-
posita de captivitate et persecutione illis a
Chaldæis illata, exponunt de vastatione et
dejectione Judæorum per Romanos infli-
cta. Et quamvis littera ad hoc facillime
possit applicari, convenientior tamen vi-
detur expositio præinducta : quoniam in
exordio descriptionis hujus vastationis,
Propheta conqueritur de mora seu dilatio-
ne adventus Christi, dicendo : Tu vero re-
pulisti et despexisti ; distulisti Christum
tuum. Idcirco prosecutio hujus querelæ,
accipienda apparet de afflictione regni
Judæorum præcedente Christi adventum.

Consequenter orat Propheta pro repa-
ratione regni David : (45) *Usquequo, Do-* 47
mine, avertis populum tuum a te, et mi-
sericordiam tuam ab eis, *in finem,* id est
tam diu, videlicet septuaginta annis ? Nun-
quam enim tam diu repulsi erant Judæi a
Deo, et ab hostibus suis oppressi, a tem-
pore quo egressi erant Ægyptum, sicut in

Digitized by Google

captivitate Babylonica : excepta hac finali A
repulsione eorum, de qua Dominus per
Amos II, 6. Amos prophetam ait : Super tribus scelleribus Israel, et super quatuor non convertam eos. *Exardescet sicut ignis ira tua?* id est, usquequo ultio tuæ justitiæ ita desævit in nos, penitus nos consumendo, sicut consumit stipulam ignis?

Deinde loquens in persona totius populi, et quamdam persuasionem allegans ad provocandum misericordiam Dei, subjungit :
48 (46) *Memorare quæ mea substantia,* id est, considera quam fragilis, labilis, B
et imperfecta sit natura humana. Propter
IV Esdr. VIII, 34. quod in Esdra scriptum est : Quid est genus corruptibile, ut ita amarus sis de eo?
Gen. VIII, 21. In Genesi quoque : Sensus et cogitatio hominis, prona sunt in malum ab adolescentia sua. Propterea minoratur, et magis propitiabile est peccatum hominis. Et merito, Domine, recordari debes hujus : *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* Non utique. Vanum est namque et inaniter constitutum, quod ad nullum finem debitum ordinatur. Deus autem C
quum sit summe bonus, potens ac sapiens, universa propter aliquem finem molitus est. Unde, secundum Philosophum, Deus et natura nil agunt frustra. Et Scriptura
Sap. XII, 18. ait : Tu, dominator Domine, cum tranquillitate judicas, et cum magna reveren-
Ibid. 15. tia disponis nos ; et iterum, Quum sis justus, omnia juste disponis. Deus enim omnia regit, quemadmodum scriptum est :
Job XXXIV, 13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabrica-
Ibid. XXVIII, 3. tus est? Unde denuo sanctus Job, Univer- D
sorum, inquit, finem ipse considerat; item-
Ibid. 24. que, Ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. Pro-
Sap. XI, 21. pter quod alibi dicitur : Omnia in mensura et numero et pondere constituisti.

Quoniam itaque, Domine, non vane, sed propter certum finem, videlicet supernaturalem et sempiternam beatitudinem, hominem constituisti, quem finem homo sine gratia et magna misericordia tua nequit sortiri ; idcirco decet te misereri, meque precantem benigne audire, quoniam aliter salvari seu finem hunc adipisci nequimus. Verumtamen qui hunc finem non consequuntur, sed æternaliter condemnantur, vane constituti non sunt, quoniam Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvari, secundum Damascenum. Propter quod ait Salvator : Non est voluntas ante Matth. XVIII, 14.
Patrem ut pereat unus ex pusillis istis. Et
Apostolus dicit : Deus omnes homines vult I Tim. II, 4.
salvari, et ad agnitionem veritatis venire.
Ideoque Ezechiel dicit : Revertimini et vivite, dicit Dominus, quia nolo mortem pec- Ezech. XVIII, 32, 23.
catoris, sed ut convertatur et vivat. Impii ergo ad vitam æternam, seu ultimum finem qui Deus est, creati sunt : quod etiam Salomon profitetur, Universa, inquiens, Prov. XVI, 4.
propter se ipsum operatus est Dominus.
Quamvis autem injusti hoc fine priventur, non tamen inaniter conditi sunt, quia ipsorum damnatio auget gloriam electorum, commendat divinam justitiam, et cedit ad gloriam Dei. Unde Apostolus dicit : In magna domo non solum sunt vasa II Tim. II, 20.
argentea et aurea, sed et lignea et fictilia.

Fragilitas autem nostræ substantiæ declaratur, dum subditur : (47) *Quis est ho-* 49
mo qui vivet, et non videbit mortem? tanquam dicat, Nullus est homo in mundo isto conversans, qui non moriatur. Omnes enim moriuntur, tam naturali necessitate conditionis, quam merito originalis culpæ : præter Christum, secundum doctores, qui mortuus est spontanea voluntate. Christus enim homo non solum potuit non mori propter unionem cum Verbo, sed etiam propter beatitudinem animæ suæ : quæ tanta erat, quod redundantia ejus tam copiosa fuisset in corpus Christi et vires inferiores, nisi divina dispensatione fuisset suspensa, quod Christi corpus fuisset impassibile, et Christus homo totaliter immortalis, secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum. Et quis homo vivens *eruet animam suam de manu inferi,* id est de damnatione inferni, naturali virtute et sine adjutorio Christi? quasi dicat, Nullus præter Christum : Primo, quoniam ante ejus

Digitized by Google

adventum omnes quantumcumque sancti,
ad inferos descenderunt. Ad quos tandem
Christus sponte descendit, ut eos erueret,
Osee XIII, 14. sicut per Osee ait : De manu mortis libe-
rabo eos, de morte redimam eos. Ero mors
tua, o mors; morsus tuus ero, inferne. Se-
cundo, quoniam nullus adultus vitare po-
test peccatum mortale sine gratia Dei, præ-
sertim quum sine fide et gratia nesciat ad
quem finem opera sua dirigere debeat.

Quum ergo sit ita, orat Propheta pro
50 gratia Dei et Christi adventu. (48) *Ubi sunt
misericordiæ tuæ antiquæ,* o *Domine,* id
est effectus pietatis tuæ a principio mundi
electis impensi atque promissi, illi præci-
pue, quibus promisisti te Christum esse
missurum? tanquam dicat : Tu qui ex an-
tiquo misericordiam tuam ostendisti, nunc
eam declara. *Sicut jurasti David in veri-
tate tua,* id est in te ipso, qui es summa
atque incommutabilis veritas : qui promi-
sisti David, quod de semine ejus Christus
nasciturus esset.

51 (49) *Memor esto, Domine, opprobrii ser-
vorum tuorum,* id est, perpende quantas
adversitates populus tuus perpessus est ab
hostibus suis, a quibus indiget liberari per
Christum : opprobrii, inquam, *quod con-
tinui in sinu meo,* id est, in medio cordis
mei æquanimiter passus sum; et oppro-
brii *multarum gentium,* id est a diversis
nationibus populo tuo inflicti. Loquitur
autem Propheta in persona populi tribula-
ti. Tale quoque opprobrium orat Jeremias
Jer. XIV, 21. auferri fidelibus : Ne nos, inquit, des in
opprobrium propter nomen tuum, neque
facias nobis contumeliam. (50) *Quod* op- 52
probrium *exprobraverunt,* id est, expro-
brando intulerunt populo tuo, *inimici tui,*
perversi et infideles; *quod exprobraverunt
commutationem Christi tui,* id est, quod
exprobrando fidelibus tuis objecerunt com-
mutationem Christi tui, id est novam do-
ctrinam, conversationem mirabilem, et pas-
sionem ignominiosam ipsius. Judæi enim
perversi, primitivæ Ecclesiæ imposuerunt
quod Christus doctrinam Prophetis contra- Marc. VII, 5.
riam docuisset, atque cum publicanis et Matth. IX, 11.
peccatoribus manducasset. Unde dixerunt
de Stephano : Nos audivimus eum dicen- Act. VI, 14.
tem, quia Jesus Nazarenus destruet locum
hunc, et immutabit traditiones quas tra-
didit nobis Moyses. Pagani vero Christianis
opposuerunt quod in hominem crederent
crucifixum, inter latrones suspensum. In
translatione Hieronymi sic habetur : Quod
exprobraverunt vestigia Christi tui. Prin-
cipes namque Judæorum cum suis fau-
toribus dicta et opera Christi vituperave-
runt, et propter imitationem vestigiorum
Christi, Ecclesiam primitivam afflixerunt :
quam postea tyranni et falsi fratres atque
hæretici graviter persequebantur.

Sed quoniam Christus hanc commuta-
tionem pro nobis accepit, et Deus gratiam
patientiæ nobis largitus est, ideo (51) *Be-* 53
nedictus Dominus in æternum, id est, ab
omnibus sine fine laudetur, et benedictus
esse sciatur, ac honoretur. *Fiat, fiat,* id
est, ita agatur, ita agatur. Quod iteratur,
ad insinuandum ardentis desiderii zelum,
et provocandum aliorum affectum.

ARTICULUS LXVII

EXPLANATIO EORUMDEM VERBORUM DE CHRISTO ET MEMBRIS EJUS.

20 TUNC *locutus es in visione sanctis tuis.*
Tunc, inquit, quando jam prædicta mi-
hi cœlitus revelasti, locutus es in visione
sanctis tuis Prophetis, quibus secreta tua,
velut familiaribus et amicis revelare con-
suevisti : quemadmodum Amos dicit, Non Amos III, 7.
faciet Dominus verbum, nisi revelaverit
secretum suum ad servos suos Prophetas.

Digitized by Google

His locutus es in visione, non solum ima- A
ginaria, sed etiam intellectuali : quia in-
Dan. x, 1. telligentia est opus in visione, ut dictum
est Danielis decimo. Interdum quidem in
Job xxxiii, 15, 16. somno, juxta illud : Per somnium in visi-
one nocturna aperit Deus aures virorum.
Dan. x, 4 et seq. Interdum autem in vigilia, ut patet de Da-
niele : et ita sunt ostensa Moysi divina
Exod. xxxiii, 11. mysteria, cum quo loquebatur Dominus
(id est angelus Domini) facie ad faciem,
sicut loqui solet homo ad amicum suum.
Et dixisti, in cordibus Prophetarum per
inspirationem internam. Quæ tamen locu- B
tio fit ministerio angelorum, secundum
quod Zacharias de se ipso protestatur :
Zach. ii, 3, 4. Ecce angelus qui loquebatur in me, egre-
diebatur, et alius angelus egrediebatur in
occursum ejus, et dixit ad eum : Curre et
loquere ad puerum istum. Vel, Dixisti ma-
Luc. i, 70. nifeste ad aliquos per os sanctorum, qui
a sæculo sunt, Prophetarum tuorum. *Po-
sui adjutorium* meum, scilicet humani ge-
neris redemptionem, *in potente*, id est in
I Cor. i, 24. Christo, qui est virtus et sapientia Patris :
Hebr. i, 3. qui (secundum Apostolum) portat omnia C
verbo virtutis suæ, purgationem peccato-
rum faciens. *Et exaltavi electum*, id est
Christum, qui secundum naturam assum-
ptam appellatur electus et præelectus, sic-
Cant. v, 10. ut de eo in Canticis Sponsa fatetur : Dile-
ctus meus candidus et rubicundus, electus
ex millibus. Unde, secundum Apostolum,
Rom. i, 4. Prædestinatus est Filius Dei in virtute,
secundum spiritum sanctificationis. *De
plebe mea*, id est ex populo Judæorum,
ex quibus Christus; vel, De plebe mea,
quia præ universis hominibus exaltatus D
est Christus.

21 *Inveni David*, id est Christum manu-
fortem et adspectu desiderabilem, *servum
meum :* quia ut homo, minor est Deo et
servus ipsius, sicut de eo Dominus per
Is. xlii, 1. Isaiam ait : Ecce servus meus, suscipiam
eum. Denique apud Ezechielem, Christus
Ezech. xxxiv, 22, 23. et David et servus Dei vocatur : Salvabo
gregem meum, ait Dominus, et suscitabo
super eum pastorem unum, qui pascat
eum, David servum meum. *Oleo sancto
meo*, id est unctione Spiritus Sancti, ple-
nitudine gratiarum, et omnibus donis Spi-
ritus Sancti, *unxi eum :* sicut superius
præhabitum est, Unxit te Deus, Deus tuus, Ps. xliv, 8.
oleo exsultationis *. Propter quod alio loco * lætitiæ
asserit Christus : Spiritus Domini super Is. lxi, 1.
me, eo quod unxerit me. Et Evangelista :
Non ad mensuram, inquit, dat Deus spiri- Joann. iii, 34.
tum, scilicet Christo homini. Tota namque
capacitas naturæ creatæ in Christo, imple-
ta est gratia Dei.

Manus enim mea, id est divinitas mea 22
ei unita, *auxiliabitur ei* in omnibus. Hu-
manitas enim Christi erat instrumentum
animatum, conjunctum et proprium divi-
næ virtutis sibi unitæ et operantis per
eam, secundum Damascenum : sicut et
corpus nostrum est animæ nostræ instru-
mentum conjunctum, animatum ac pro-
prium. Unde Christus apud Isaiam ait :
Dominus Deus auxiliator meus; et in Evan- Is. l, 7.
gelio, Non possum ego a me ipso facere Joann. v, 30.
quidquam. *Et brachium meum conforta-
bit eum*. Quemadmodum digitus Dei est
Spiritus Sanctus, quia per eum omnem
veritatem nobis ostendit, juxta illud, Quum Ibid. xvi, 13.
venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos
omnem veritatem; sic brachium Dei est
unigenitus Filius ejus, quia per eum omnia
operatur. De quo brachio in Isaia scriptum
est : Paravit Dominus brachium sanctum Is. lii, 10.
suum in oculis omnium gentium. Et alio
in loco : Fecit potentiam in brachio suo. Luc. i, 51.
Est igitur sensus : Brachium meum, id est
Verbum seu Filius meus, confortabit eum,
scilicet Christum secundum quod homo
est, assumendo ejus humanitatem ad sui
ipsius personalem unionem, et confirman-
do eam in bono per beatificam fruitio-
nem, cooperandoque ei per gratiam singu-
larem.

Nihil proficiet inimicus in eo, puta dia- 23
bolus : quia tentator victus atque confu-
sus recessit a Christo, dicente ad illum,
Vade retro, Satana. *Et filius iniquitatis*, Matth. iv, 10.
id est Judas, quem Christus in Evangelio Joann. vi, 71, 72; xvii, 12.
diabolum et filium perditionis appellat ;
vel, Filius iniquitatis, id est plebs Hebræ-

Digitized by Google

Joann. VIII, 44. orum : quibus Christus ait, Vos ex patre A
diabolo estis; *non apponet nocere ei*, id
est, non iterabit nocumentum suum in
Christo. Quamvis enim ante resurrectio-
nem eum occiderant, postmodum tamen
non apposuerunt ei nocere per effectum,
quia nec corpus ejus tenere poterant in
sepulcro, nec resurgentis gloriam impedi-
Rom. VI, 9. re. Nempe et Christus resurgens ex mor-
tuis, jam non moritur. Vel, Non apponet
nocere ei in anima, quoniam spirituale
nocumentum Christo non intulerunt : et
hoc ipsum nocumentum quod corpori ejus B
inflixerunt, cessit ad gloriam Christi, to-
tiusque sæculi. Unde per Isaiam loquitur :
Is. L, 8, 9. Quis contradicet mihi? Stemus simul. Quis
est adversarius meus? Accedat ad me. Ec-
ce omnes quasi vestimentum conteren-
24 tur. *Et concidam a facie ipsius inimicos
ejus*, puta Judæos, qui propter Christi oc-
cisionem ab exercitu Romanorum truci-
dati sunt, venundati, atque per mundum
Osee IX, 17. dispersi, quemadmodum scriptum est : Ab-
jiciet eos Dominus Deus meus, quia non
audierunt vocem ejus; et erunt vagi in na- C
tionibus. *Et odientes eum in fugam con-
vertam* : quia et prædicti Judæi fugerunt
a facie Romanorum in Jerusalem, sed non
effugerunt. Dæmones quoque frequenter
a Christo et ejus ministris fugerunt. Et
tandem in die judicii omnes adversarii
Salvatoris fugere desiderabunt, secundum
Apoc. VI, 15, 16. illud : Reges terræ, principes et tribuni,
divites et fortes absconderunt se in spe-
luncis et petris montium, dicentes monti-
bus et petris : Cadite super nos, et abscon-
dite nos a facie sedentis super thronum. D
25 *Et veritas mea et misericordia mea
cum ipso*. Christus enim veritate plenus
Joann. I, 14. fuit, sicut scriptum est : Vidimus gloriam
ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, ple-
num gratiæ et veritatis. Erat enim veritas
Dei cum Christo, quoniam omnia quæ de
Christo per Prophetas prædixit, in ipso
implevit. Et de Christo filii falsitatis vera-
Matth. XXII, 16. citer loquebantur : Magister, scimus quia
verax es, et viam Dei in veritate doces, et
non est tibi cura de aliquo. Est quoque ve-
ritas Dei cum Christo, sicut cum omnium
justo et infallibili judice. Sed et miseri-
cordia Dei erat cum Christo : quoniam per
solam misericordiam Dei, natura ejus hu-
mana a Verbo Dei assumpta est, et ab omni
culpa præservata, omniumque divinorum
charismatum gratia adimpleta; et miseri-
cordiam sibi impensam, Christus paratus
est nobis communicare. *Et in nomine meo
exaltabitur cornu ejus*, id est regia digni-
tas, ita ut omnes populi, tribus ac linguæ Dan. VII, 14.
ei ministrent. Unde de Christo Pater seu
Trinitas per Isaiam ait : Ecce intelliget Is. LII, 13.
servus meus, et exaltabitur, et elevabitur,
et sublimis erit valde. *Et ponam in mari* 26
manum ejus, id est, in terris et populis
circa mare morantibus dominabitur Chri-
stus. Hoc modo videmus impletum in
Cypro, Portugallia, et aliis regnis. *Et in
fluminibus dexteram ejus* : id est, fortitu-
dinem Christi ponam in insulis, ita quod
populi habitantes in insulis, Christo obe-
dient. Unde apud Isaiam Dominus ait :
Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gen- Ibid. LXVI, 19.
tes in mare, in Africam et Lydiam. Alibi
quoque habetur : Ponent Domino gloriam, Ibid. XLII, 12.
et laudem ejus in insulis nuntiabunt.
Ipse invocabit me : Pater meus es tu, 27
Deus meus, et susceptor salutis meæ. Nam
Christus dixit : Pater, ignosce illis; et, Pa- Luc. XXIII, 34, 46.
ter, in manus tuas commendo spiritum
meum. Ecce quoties invocavit Christus
Deum, nominans eum Patrem? Vocavit
eum etiam Deum suum, dicendo : Deus Matth. XXVII, 46; Ps. XXI, 2.
meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
Sed et susceptorem suæ salutis (id est,
quod eum suscepit ad salutem) vocavit
eum, dicendo : Omnia mea abs te sunt. Joann. XVII, 7.
Et ego primogenitum ponam illum. Chri- 28
stus ut Deus, est Unigenitus Dei; ut homo
autem, est primogenitus prædestinatione
et dignitate, non tempore. Unde Apostolus
ait : Quos præscivit, et prædestinavit con- Rom. VIII, 29.
formes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse
primogenitus in multis fratribus; et rur-
sus : Qui est imago Dei invisibilis, primo- Coloss. I, 15.
genitus omnis creaturæ. Dicitur quoque
Christus primogenitus, quoniam ante om-

Digitized by Google

nia creata est genitus. Posuit itaque Deus A
Christum primogenitum, faciendo eum om-
nibus electis excellentiorem, et caput Ec-
clesiæ. *Excelsum præ regibus terræ* ponam
Apoc. xix, 16. illum : quoniam ipse est rex regum, et
Ibid. i, 5. Dominus dominantium, et princeps re-
gum terræ. Idcirco supra de eo dictum
Ps. lxxi, 11. est : Et adorabunt eum omnes reges ter-
29 ræ. *In æternum servabo illi misericordiam*
meam, id est, quidquid misericorditer suæ
humanitati donavi, conservabo sine ces-
satione in ea ; *et testamentum meum fi-*
dele ipsi, id est, promissionem sibi a me B
factam, fideliter adimplebo : sicut et ip-
Luc. xxiv, 44. se ait, Necesse est impleri omnia quæ
scripta sunt in lege Moysis et Prophetis
30 et Psalmis de me. *Et ponam in sæculum*
sæculi semen ejus, id est, populum chri-
Joann. iii, 5. stianum ex aqua et Spiritu Sancto in Chri-
sto renatum, usque in finem sæculi con-
tinuabo. Ecclesia enim in finem mundi
persistet, præsertim quum Christus ei pro-
Matth. xxviii, 20. miserit : Ecce ego vobiscum sum omnibus
diebus usque ad consummationem sæculi.
De hujus seminis Christi perpetuatione C
Is. liii, 10. scriptum est : Si posuerit in mortem ani-
mam suam, videbit semen longævum. Po-
nam *et thronum ejus,* id est sedem et pote-
statem ejus regalem, *sicut dies cœli,* ita
Luc. i, 32, 33. quod nunquam cessabit ; et regnabit in
domo Jacob in æternum, et regni ejus non
erit finis.
31 *Si autem dereliquerint filii ejus* per fi-
dem et gratiam baptismalem, videlicet
Christiani, *legem meam* evangelicam, eam
non observando : prout de quibusdam in
Osee iv, 10. Osee habetur, Dereliquerunt Dominum in D
33 non custodiendo ; *visitabo in virga ini-*
quitates eorum, paternaliter eos corripien-
do, non penitus exterminando : quoniam
Apoc. iii, 19. ego quos amo, arguo et castigo. *Misericor-*
34 *diam autem meam non dispergam ab eo,*
id est, gratiam meam non penitus auferam
a populo christiano. Et in isto notatur ma-
gnitudo misericordiæ Dei tempore evange-
licæ legis, quod ideo dicitur tempus gra-
Zach. xii, 8. tiæ. Unde scriptum est : Erit, qui offenderit
ex eis in die illa, quasi David : cui utique
Deus maximam misericordiam fecit. *Ne-* 35
que profanabo testamentum meum, id est
promissionem meam, Christo et semini
ejus factam. *Semel juravi in sancto meo,* 36
id est in me ipso ; *si David mentiar,* id
est, Christo non mentiar : *Semen ejus,* id 37
est populus christianus, *in æternum ma-*
nebit, nunc in via per fidem et gratiam,
deinde in patria per fruitionem et gloriam.
Tu vero repulisti et despexisti. Hæc et 39
sequentia exponunt doctores catholici de
regni et populi David dejectione, sicut in
præcedenti expositione patuit. Quæ tamen
aliquo modo de statu Ecclesiæ accipi pos-
sunt, quoniam populus christianus sæpe
similia passus est a paganis atque hæreti-
cis, qualia sustinuerunt Judæi a Chaldæis
et aliis gentibus : possetque littera appli-
cari ad hoc.
Postremo, quædam in hoc psalmo con-
tenta, de confessoribus pontificibus cantat
Ecclesia, scilicet : *Posui adjutorium in* 20
potente : posuit namque Deus auxilium
gratiæ suæ in illis. *Et exaltavi electum de*
plebe mea : id est, quemlibet sanctum epi-
scopum sublimavi ad statum, gradum ac
ordinem episcopalem. Nemo enim assumit *Hebr.* v, 4.
sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tan-
quam Aaron. *Inveni David servum meum,* 21
id est quemlibet sanctum confessorem an-
tistitem, contra mundum, carnem ac dæ-
monem fortiter dimicantem ; *oleo sancto*
meo unxi eum : quia pontifices oleo san-
cto unguntur ; et sancti episcopi spiritua-
liter ungebantur ex infusione gratiarum
Spiritus Sancti, cujus unctio docuit eos.
Quomodo autem cetera quæ cantantur eis
conveniant, ex præinductis clarissime li-
quet.
Ecce psalmum verbis et sensibus ma-
gnum, mysteriis plenum, omni laude di-
gnum audivimus : in quo primo omnium
misericordia Dei suavissime commendatur,
ejus promissa tanguntur, ipsa summa Di-
vinitas pulcherrime præconizatur, Christus
secundum utramque naturam mirabiliter
describitur, ejus mysteria copiose tradun-
tur ; tandem humanæ naturæ commemo-

Digitized by Google

ratur fragilitas, divinæ majestatis implo-
ratur benignitas ; atque finaliter Deus
jucundo laudatur versiculo, quo dicitur :
Benedictus Dominus in æternum. Fiat, fiat.
Elaboremus igitur cum devotione condigna
et sancta hilaritate ac puritate præcipua,
tantum psalmum depromere, quatenus no-
16 bis conveniat quod in eo cantatur, *Beatus*
populus qui scit jubilationem ; et, *Domi-*
17 *ne, in lumine vultus tui ambulabunt, et in*
nomine tuo exsultabunt tota die, etc. Omni-
no equidem decet nos in laudibus Dei cre-
A atoris et salvatoris nostri cordialiter exsultare et summe lætari, tanquam in summo bono, omnium bonorum nostrorum scaturiente et supermisericordissimo fonte.

PRECATIO.

Deus, gloria virtutis Sanctorum, da nobis semper in lumine vultus tui ambulare, et in nomine tuo exsultare : ut misericordia tua faciem nostram præeunte, perfecto cursu justitiæ ad te valeamus pervenire.

ARTICULUS LXVIII

ELUCIDATIO PSALMI OCTOGESIMI NONI : DOMINE, REFUGIUM FACTUS ES NOBIS.

Exponendi nunc psalmi titulus talis est :
1 *Oratio Moysis, hominis Dei.* Secundum
Hebræos atque Hieronymum, Moyses est auctor psalmi præsentis. Secundum Augustinum vero et eum sequentes, David eum composuit, sed intitulatur a Moyse, quia in eo quædam tanguntur ad vetus Testamentum spectantia, et quædam ad novum pertinent Testamentum : sicque congruenter intitulatur a Moyse, qui erat veteris Testamenti legislator, et novi Testamenti propheta. Auctor itaque psalmi præsentis, quicumque sit ille, rogaturus Deum pro beneficiis acquirendis, primo gratias agit de beneficiis jam concessis : quoniam ad impetranda dona futura optimus modus est, gratum exsistere de donis præteritis
Matth. xxv, 29. seu receptis. Habenti enim, id est grato, dabitur; ei autem qui non habet, id est ingrato, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

Itaque ait : (1) *Domine, refugium factus es nobis :* id est, per beneficia tua nobis collata, dedisti nobis fiduciam plena fide confugiendi ad te in omni necessitate
Gen. I, 1, 16. et casu. Ab initio enim fecisti cœlum et
B omnia sidera, solem ac lunam, in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt, Deut. IV, 19.
ut dicitur in Deuteronomio. Deinde fecisti hominem ad imaginem et similitudinem Gen. I, 27, 28.
tuam, fecistique eum dominari piscibus maris et bestiis terræ. Habuistique ab exordio specialem providentiam generis humani, in tantum ut dicat Apostolus : Numquid cura est Deo de bobus ? I Cor. IX, 9.
Propter hæc atque similia, refugium factus es nobis *a generatione in generationem,* id est indesinenter per omnium generationum successionem.
C Verumtamen modo, o Domine, multo amplius refugium factus es nobis, per beneficium tuæ benedictissimæ incarnationis, per meritum tuæ sanctissimæ conversationis et effusionem tui pretiosissimi sanguinis, per missionem Spiritus Sancti, per Sacramentum corporis et sanguinis tui. Idcirco tu dicis : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; Matth. XI, 28.
et iterum : Qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Apoc. XXII, 17.
Dicitur autem Deus factus refugium nostrum, non per
D aliquam mutationem seu novitatem ipsius, sed per novam conversionem nostræ mentis ad ipsum : sicut columna fixa stans,

fit mihi dextera et sinistra sine sui mutatione, secundum quod ego me diversimode ad eam habeo.

2 (2) *Priusquam montes fierent, et formaretur terra et orbis,* id est totus mundus, scilicet ante omnem creaturam seu totum universum, *a sæculo et in sæculum,* id est æternaliter, *tu es Deus :* non quod ante mundi creationem fuerint sæculum et sæculum, sed quia tunc erat ipsa æternitas, omnium sæculorum durationem immobiliter continens. Possunt autem per montes intelligi angeli Dei, vel partes terræ sublimes. Ante omnia ista est Deus, quia creator eorum : creator autem creaturam præcedit natura, dignitate ac tempore. Unde
Is. XLIV, 24. per Isaiam ait : Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Convenienter quoque dicit, Tu es Deus, et non, Eras : quia in Deo semper est stabile atque invariabile esse : in quo nec præteritum est neque futurum, sed æterna præsentia, ac præsens ac pura æternitas, quæ est interminabilis vitæ tota simul perfecta possessio. Et hoc modo loquendi utitur Christus:
Joann. VIII, 58. Antequam, inquiens, Abraham fieret, ego sum.

3 (3) *Ne avertas hominem,* id est, ne averti permittas hominem a te ipso summo bono, et a bonis spiritualibus atque virtutibus, *in humilitatem,* id est in vilitatem, ita ut convertatur ad bona temporalia et caduca, et concupiscentias carnis. Hoc age, quia *et dixisti, Convertimini, filii hominum :* id est, per angelos et homines sanctos exhortatus es homines ad pœnitentiam. Da ergo implere quod mones.

Idcirco autem hortatus es hominem ad
4 conversionem salubrem, (4) *Quoniam mille anni ante oculos tuos,* id est, quia quælibet duratio temporalis, seu longitudo vitæ humanæ, quantumcumque sit longa, reputatur a te, et brevis est coram te, seu comparatione tuæ æternitatis, *tanquam dies hesterna quæ præteriit,* id est, nullius momenti est, et velut nihil exsistit : quia finiti ad infinitum non invenitur proportio. Quemadmodum itaque, secundum Isaiam, Omnes gentes quasi non sint, *Is.* XL, 17. sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei (propter quod dictum est supra, Et substantia mea tanquam nihilum ante te) ; sic omnis duratio vitæ *Ps* XXXVIII, 6. præsentis, sic est tanquam nihil sit, comparatione durationis vitæ futuræ seu felicitatis æternæ. Propterea admonet Deus ut despiciamus præsentia, transitoria et terrena, inquirentes bona futura, æterna atque cœlestia. Propter quod ait Apostolus : Non habemus hic manentem civitatem, sed *Hebr.* XIII, 14. futuram inquirimus ; et iterum, Festinemus ingredi in illam requiem. *Ibid.* IV, 11. Hinc quoque Salomon loquitur : Si multis annis *Eccle.* XI, 8. vixerit homo, et in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum : qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita. Huic autem versiculo consonat quod scriptum est : Unus dies apud Dominum tanquam *II Petr.* III, 8. mille anni, et mille anni sicut unus dies.

(5) *Et custodia in nocte.* Istud sensum versus præcedentis concernit, ut sit sensus : Mille anni ante oculos tuos sunt tanquam dies hesterna quæ præteriit, et custodia in nocte, id est tanquam custodia noctis, quæ est brevior die, quoniam continet tres horas. Ac si dicat : Non solum duratio vitæ humanæ comparatur diei præteritæ, quæ viginti quatuor horas habet, sed etiam custodiæ noctis continenti tres horas. Et convenienter adjungit similitudinem de custodia noctis continente tres horas, quoniam tantum distat ac deficit duratio vitæ hominum post diluvium a duratione vitæ eorum qui ante diluvium erant, quantum integra dies custodiam noctis excedit : idcirco deberent homines nunc præcipue hanc vitam parvi pendere, et futuram inquirere. Sumitur vero jam custodia pro vigilia : quoniam nox in quatuor vigilias dividitur, quibus antiquitus fiebant excubiæ pro custodia exercitus, a militibus sibi invicem succedentibus per quatuor vices, secundum quatuor vigilias noctis. Aptissime insuper comparat vitam

Digitized by Google

humanam custodiæ noctis, in qua omnia A
sub obscuritate ac trepidatione geruntur :
quoniam tota vita nostra in ignorantia est,
et periculosissima nimis.
5 *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni
erunt :* id est, anni seu tempora vitæ hominum,
erunt de numero horum quæ pro
nihilo computantur, propter nimiam brevitatem
vitæ ipsorum. Propter quod Jaco-
Jacob. IV, 15. bus ait : Quæ enim est vita vestra? Vapor
est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.
Et istud consequenter ostendi-
6 tur clarius. (6) *Mane sicut herba transeat:* B
id est, prima ætas seu pueritia hominis
tam cito percurrat, mutetur, et defluat,
sicut herba quæ celeriter decidit; *mane*
prædictum *floreat :* quia in principio sui
temporis est homo quasi in flore, et similis
fœno virenti; *et transeat,* non diu in
eodem statu manendo: quemadmodum Job
Job XIV, 1, 2. dicit, Homo quasi flos egreditur et conteritur,
et fugit velut umbra, et nunquam
in eodem statu permanet; *vespere,* id est
senectus seu ultima hominis ætas, *deci-
dat* a pristina fortitudine, *induret,* id est, C
siccetur propter consumptionem humidi
radicalis, *et arescat,* propter defectum naturalis
caloris, non valentis reparare deperditum.
Unde senes naturaliter sunt sicci
ac frigidi.
Cur autem ista nobis contingant, sub-
7 jungitur : (7) *Quia defecimus* a primordiali
institutione conditionis humanæ, et solita
duratione ætatis paternæ, seu patrum
nostrorum qui præcesserunt diluvium, et
diu vixerunt, videlicet circa nongentos an-
Gen. V, 5 *et seq.* nos, sicut in Genesi legitur; *in ira tua,* id D
est in ultione tua seu propter vindictam
tuæ justitiæ : nam propter originale peccatum
venimus in hunc statum mortalitatis
et vallem lacrimarum, qui alias nati
essemus in originali justitia, collocati in
paradiso terrestri, fuissemusque immortales
per obedientiam facti. Vel ira ista intelligi
potest diluvium, quod Deus mundo
impiorum induxit, atque ex tunc minorati
et abbreviati nimis sunt dies nostri, et debilitata
humana complexio. Propter quod

Dominus ait : Non permanebit spiritus me- *Gen.* VI, 3.
us in homine in æternum, quia caro est;
eruntque dies vitæ illius, centum viginti
annorum. *Et in furore tuo,* id est in multiplici
pœna, quam nobis propter originale
peccatum et per diluvium induxisti,
turbati sumus, id est vehementer afflicti,
instabiles facti, formidolosi, atque miseriis
pleni. In magna namque mentis tranquillitate
creati eramus, quoniam per originalem
justitiam subjecta erat in homine
caro spiritui, sensualitas rationi, et ratio
Deo. Sed homine prævaricante, inflictæ
sunt nobis pœnæ diversæ gravesque : quia
in carne secutæ sunt infirmitates, passibilitates,
et mors; in sensualitate autem, timor,
dolor, tristitia; in mente vero, ignorantia,
instabilitas, et difficultas ad bene
agendum : venitque super nos quod dictum
est protoplasto nostro parenti : Ma- *Ibid.* III, 17, 19.
ledicta terra in opere tuo. In sudore vultus
tui vesceris pane tuo, donec revertaris in
terram de qua sumptus es : quia pulvis
es, et in pulverem reverteris.
(8) *Posuisti iniquitates nostras in con-* 8
spectu tuo, id est, eas non indulsisti, sed
considerasti, quatenus justam pœnam pro
eis infligeres, quemadmodum per Amos
dixisti : Cognovi multa scelera vestra, et *Amos* V, 12.
fortia peccata vestra; et alibi, Adinventi- *Osee* VII, 2.
ones eorum coram facie mea factæ sunt.
Posuisti et *sæculum nostrum,* id est opera
temporis nostri quo vivimus, *in illuminatione
vultus tui,* id est in lucida inspectione
intellectus tui, quatenus unicuique
tribuas quod meretur : secundum illud Je-
remiæ, Fortissime, cujus oculi aperti sunt *Jer.* XXXII, 18, 19.
super omnes filios Adam, ut reddas unicuique
secundum vias suas. Et Ecclesiasticus,
Oculi, inquit, Domini multo plus lucidiores *Eccli.* XXIII, 28.
sunt super solem, circumspicientes omnes
vias hominum.
(9) *Quoniam omnes dies nostri,* id est 9
duratio seu operatio vitæ nostræ, *defecerunt,*
id est, abbreviati sunt velociterque
consumpti : sicut Job dicit : Dies mei velo- *Job* IX, 25, 26.
ciores fuerunt cursore; transierunt quasi
naves poma portantes. Et scriptum est :

Digitized by Google

I *Par.* XXIX, 15. Dies nostri quasi umbra super terram, et A
nulla est mora. *Et in ira tua defecimus :*
sicut jam dictum est atque expositum.
(10) *Anni nostri sicut aranea meditabun-*
tur. Huic simile est quod dictum est ante,
Ps. XXXVIII, 12. Et tabescere fecisti sicut araneam animam
ejus. Est itaque sensus : Anni nostri, id
est tempora vitæ nostræ, vel nos ipsi in
hoc tempore brevi viventes, meditabuntur
sicut aranea, id est, similes esse judica-
buntur araneæ : quoniam, sicut aranea se-
metipsam eviscerat et fatigat, telas for-
mando quatenus muscas capiat, cito tamen B
opus ejus destruitur, modico scilicet vento
flante, et labor ejus cassatur, ipsaque per-
it : sic homines multipliciter occupantur
temporalia congregando, honorem et glori-
am sæculi hujus quærendo, et alios oppri-
mendo; et tamen ipsi celeriter moriuntur,
labores eorum inutiles efficiuntur, imo
incessabiliter tendunt ad casum, quemad-
Job XIII, 28. modum sanctus Job asserit : Quasi putredo
consumendus sum, et quasi vestimentum
quod comeditur a tinea. Unde et alibi di-
II *Reg.* XIV, 14. citur : Omnes morimur, et quasi aquæ di- C
labimur in terram, quæ non revertuntur.
10 *Dies annorum nostrorum,* secundum com-
munem cursum, sunt *in ipsis* hominibus
septuaginta anni : quibus homo vivere
potest in fortitudine competenti. (11) *Si*
autem in potentatibus, id est fortibus et
bene complexionatis hominibus, invenian-
tur *octoginta anni, et amplius eorum,* id
est tempus ulterius ætatis, erit *labor et*
dolor : quoniam senex plenus est querelis,
et ipsa senectus est velut labor continuus.
Istud de communi cursu et lege intelligen- D
dum est. Nam et multi ante septuaginta
annos ærumnosam ac languidam senectu-
tem incurrunt; aliqui vero post octoginta
annos satis robuste atque hilariter vivunt.

Sanctus Thomas allegat hos duos versi-
culos, ad ostendendum quod vita homi-
num ante diluvium tam prolixa fuit potius
ex divina virtute, seu miraculose, quam ex
causa naturali; adducitque ad hoc, illud
Ibid. XIX, 32. quod de Berzellai scriptum est : Erat au-
tem Berzellai Galaadites senex valde, id
est octogenarius. Et confirmatur idem per
hoc, quod de David inducitur : Rex David III *Reg.* I, 1.
senuerat, habebatque ætatis plurimos an-
nos : et tamen David septuagenarius obiit.
Asserit quoque Thomas, David hos versus
de tempore suo scripsisse. Et ita secun-
dum Thomam, David est auctor psalmi
præsentis : ex quo sequi videtur, quod
Thomas senserit omnes psalmos a David
conscriptos.

Hanc autem vitæ abbreviationem et tem-
poralem pœnam nobis induxisti, (12) *Quo-*
niam supervenit mansuetudo, id est, quia
judicio tuo clementiam addidisti, per quam
rigorem tuæ justitiæ temperasti. Meruе-
runt namque homines penitus destrui ac
damnari : sed pro totali destructione in-
ducta est decurtatio vitæ; pro damnatione
vero perpetua, temporalis afflictio. *Et cor-*
ripiemur per has tuas castigationes man-
suete inflictas, cavendo de cetero a pecca-
tis, ne graviora patiamur flagella.

(13) *Quis novit,* sine tua speciali illu- 11
stratione, *potestatem iræ tuæ,* id est vir-
tutem justitiæ tuæ, et ultionum tuarum
rigorem ? *et* quis novit *præ timore tuo,* id
est præ metuendo tuo judicio, seu præ
timore proprii cordis de tua majestate
concepto, *iram tuam dinumerare,* id est 12
omnes pœnas, peccatoribus a tua justitia
præparatas, mensurare aut explicare? qua-
si dicat, Nemo. Incomprehensibilia nam- *Rom.* XI, 33.
que sunt opera divinæ justitiæ, quibus in
peccatoribus operatur. Quorumdam enim I *Tim.* V, 24.
pœna nunc incipit, et in futuro continua-
tur; aliorum nunc inchoatur, et in futuro
sæculo desinit; aliorum pœna modo dif-
fertur, quatenus in æternum continuetur.
Quis autem ista discernere valet, et cur
singula singulis accidant considerare, nisi
quem Deus supernaturaliter mirabiliter-
que docuerit ? Elucescit ex his, quia sancti
homines nonnunquam, præ nimio timore *Job* VI, 4.
majestatis divinæ, deficiunt a contempla-
tione divinæ justitiæ. Nam et timor vehe-
mens actum rationis locutionemque impe-
dit. Propter quod in libro Job habetur : *Ibid.* IX, 34, 35.
Pavor ejus non me terreat; neque enim

Digitized by Google

possum metuens respondere. Verumtamen A moderata afflictio timoris sive tristitiæ, confert interdum ad veritatis notitiam adipiscendam, in quantum dissolutionem et excessivam libertatem et hilaritatem ex-
Is. xxvi, 16. cludit. Unde Isaias inducit : Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

Insuper pro illuminatione divina orat, dicendo : (14) *Dexteram tuam,* id est potestatem divinam et ejus correctionem terribilem, *sic notam fac* nobis jam per fidei contemplationem sinceram, a Spiritu Sancto infusam, quatenus eam veneremur, et ejus iram seu pœnam formidemus, dicen-
Apoc. xv, 3, 4. tes ex animo illud Apocalypsis : Justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, et magnificabit nomen tuum? Fac quoque nos homines *et eruditos corde in sapientia* legis divinæ : quoniam,
Eccli. i, 1. Omnis sapientia a Domino Deo est; et,
Ps. xciii, 12. Beatus homo quem tu erudieris, Domine.
13 (15) *Convertere, Domine,* sine tui mutatione, convertendo me ad te, et clementer respiciendo in me, *usquequo,* id est, non cessando ab hac conversione, donec ad ultimum finem pertingam. Vel, Aliquantulum, ut alia translatio habet, id est modicum : quoniam quantumcumque parum de gratia tua præstiteris mihi, ego illud pro magno habebo. Vel, Aliquantulum, id est, tribulationes meas mitiga atque diminue; non penitus tolle, quoniam tribulatio necessaria est electis. *Et deprecabilis esto super servos tuos,* non differendo nec indignando propter eorum peccata, sed cito ac dulciter succurrendo secundum misericordiam tuam. Versiculus iste efficacissimam, affectuosissimam ac devotissimam continet precem : quem tanto ardentius quanto frequentius dicere, corde attento et affectu vim verborum gustante, debemus.

14 (16) *Repleti sumus mane,* id est cito, *misericordia tua :* quia quam cito corde sincero te invocamus, plus quam meremur recipimus. Vel, Mane, id est in spirituali aurora seu spiritualis diei principio : quando videlicet Sol justitiæ Christus Dominus lucem gratiæ imprimit mentibus nostris. Vel, Mane, id est hora resurrectionis dominicæ, et hora missionis Spiritus Sancti :
quia et Christus mane surrexit, et Spiritus *Marc.* xvi, 9; *Act.* ii, 3, 4, 15.
Sanctus in die Pentecostes mane super discipulos visibiliter venit : tuncque repleti sumus misericordia Dei, quoniam Christus
(secundum Apostolum) resurrexit propter *Rom.* iv, 25.
justificationem nostram; et illa Paracleti missio, erat totius mundi illustratio. *Et exsultavimus,* id est, signa lætitiæ foris B ostendimus, *et delectati sumus* interius. Vel, Exsultavimus secundum intellectualem appetitum, et delectati sumus secundum appetitum sensitivum per redundantiam intellectualis exsultationis in ipsum, sicut
superius dictum est : Cor meum et caro *Ps.* lxxxiii, 3.
mea exsultaverunt in Deum vivum, id est appetitus superior atque inferior. *In omnibus diebus nostris,* id est certis horis omnium dierum quibus in gratia viximus :
eo modo quo ait Apostolus, Semper gau- *I Thess.* v, 16, 18. *Ephes.* v, 19.
dete; et, In omnibus gratias agite; et, Can- C tate et psallite Domino in cordibus vestris semper. Homines namque virtuosi non solum gaudent in prosperis, sed etiam in adversis, quemadmodum Christus hortatur : Gaudete in illa hora et exsultate.

(17) *Lætati sumus pro diebus quibus nos* 15
humiliasti, id est, humiliari, tentari et opprimi permisisti, scilicet pro *annis quibus vidimus,* id est experti sumus, *mala* pœnæ. Magna quippe est ratio exsultandi in Deo, sustinuisse patienter adversa et aspera : quoniam hoc est signum præde- D stinationis æternæ, eo quod Scriptura di-
cat, Beatus vir qui suffert tentationem; et, *Jacob.* i, 12.
Beatus homo qui corripitur a Domino; et, *Job* v, 17.
Beati qui persecutionem patiuntur propter *Matth.* v, 10.
justitiam; et, Ego quos amo, arguo et ca- *Apoc.* iii, 19.
stigo. Quidam hos versus exponunt de Ecclesia triumphanti, exponendo præteritum pro futuro, et per Mane, intelligentes horam resurrectionis futuræ : nec dubium est, quin hoc modo versiculi isti plenius competant Beatis in patria, quam electis in via. In Beatis namque est misericordia

Digitized by Google

consummata, incessabilisque lætitia, at- A
que jucunda præteritarum tribulationum
memoria.
16 (18) *Respice* oculo pietatis paternæ *in
servos tuos et in opera tua,* id est in ser-
vos tuos qui sunt opera manuum tuarum.
Vel, In opera tua, id est operationes tuas,
per quas gratiam facis in eis : quemadmo-
Is. xxvi, 12. dum in Isaia habetur, Omnia opera nostra
operatus es in nobis. Apostolus quoque :
Philipp. ii, 13. Deus, inquit, est qui operatur in vobis et
velle et perficere pro bona voluntate. Hæc
opera sunt tua et nostra. Tua sunt, quia a B
te principaliter procedentia ; et nostra,
quia per nos facta. Respice, conservando
perficiendoque ea in vitam æternam ; *et
dirige,* gratia duce, in vitam æternam, *fi-
lios eorum,* videlicet servorum tuorum. Ut
17 autem hoc fiat, oro : (19) *Et sit splendor
Domini Dei nostri super nos,* id est, gra-
tia tua semper cordibus nostris effulgeat :
Eccli. xxxvi, 1. sicut Ecclesiasticus dicit, Miserere nostri,
Deus omnium, et respice nos, et ostende
nobis lucem miserationum tuarum. *Et ope-
ra manuum nostrarum,* id est operationes C
nostras interiores et exteriores, quæ a vi-
ribus operativis causantur, quæ nomine
manuum designantur, *dirige super nos,* id
est in finem supernaturalem, in vitam
æternam, ad tui ipsius honorem et glori-
am : quatenus non hominibus, sed tibi in
omnibus complacere optemus, et præmium
supercœleste pro nostro labore adipisci
curemus et intendamus. *Et opus manu-
um nostrarum dirige.* Postquam pluraliter
supplicavit opera sua dirigi, quid necesse
jam est singulariter exorare ut opus diri-
gatur, nisi quod actum caritatis præsertim
et summe dirigi cupit? quoniam actu cari-
tatis manente, ceterarum virtutum perma-
nent opera ; actu autem caritatis cessante,
omnia opera meritoria cessant, quoniam
sine actu caritatis, nullius actus virtutis
meretur vitam æternam.

Ecce inclytum psalmum audivimus : cu-
jus primus versiculus, est versus magnæ
fiduciæ atque caritatis præcipuæ. Debe-
mus namque ad Dominum Deum nostrum
cum omni fiducia ac dilectione confugere,
sicut ad patrem et salvatorem. Unde Sal-
vator ait : Si vos quum sitis mali, nostis Luc. xi, 13.
bona data dare filiis vestris : quanto ma-
gis Pater vester cœlestis dabit spiritum
bonum petentibus se ? Studeamus ergo ex
documentis psalmi præsentis, vitæ nostræ
brevitatem pensare, æternæ felicitatis in-
deficientes dies appetere, ab omni sæcu-
lari amore atque carnali affectu, vana sol-
licitudine et inquieta perturbatione corda
nostra purgare : quatenus splendoris gra-
tiæ Dei semper capaciores reddamur, mox-
que finito hujus exsilii incolatu, ad lumen
gloriæ intromittamur.

PRECATIO.

Sis, Domine, nostrum ubique refugium,
qui es Deus a sæculo et usque in sæcu-
lum ; respice clementer in nos servos tuos,
et sit splendor divinitatis tuæ super nos :
ut opera nostra a te semper dirigantur, et
cœpta per te finiantur.

ARTICULUS LXIX

EXPOSITIO PSALMI NONAGESIMI : QUI HABITAT IN ADJUTORIO ALTISSIMI.

Adscribitur psalmo jam pertractando D
1 hic titulus : *Laus cantici, ipsi David :* id
est, in psalmo hoc continetur laus spiritu-
alis jucunditatis, conveniens ipsi David, et
cuilibet fideli per David significato. Agit
enim hic psalmus de tentationibus variis
generis humani : quarum victor in hoc
psalmo laudatur, et de æterna jucunditate

Digitized by Google

per promissionem Dei certus efficitur. Re- A
fert autem Nicolaus de Lyra, quod psal-
mus iste cum psalmis sequentibus usque
Ps. c, 1. ad psalmum centesimum, qui incipit, Mi-
sericordiam et judicium, etc., in Hebræo
titulo caret, et quod titulus iste ab aliquo
expositore secundum propriam volunta-
tem appositus sit. Asserit quoque, quod
psalmus iste cum sequentibus usque ad
psalmum centesimum, a Moyse factus sit,
secundum Hebræos. Hæc autem doctoribus
catholicis dissonant. Credendum est nam-
que, titulos psalmorum ab aliquo Sancto B
ex divina inspiratione formatos : sed et
sancti doctores pene omnes, allegando ver-
ba horum psalmorum, frequenter sanctum
David commemorant tanquam auctorem
eorum.

AIT ergo : (1) *Qui habitat in adjutorio*
Altissimi, id est homo mentem su-
am in Deo stabiliens, innitendo auxilio
gratiæ ejus, quemadmodum Isaias dicit :
Is. l, 10. Quis ambulat in tenebris, et non est lumen
ei ? Speret in nomine Domini, et innitatur C
Prov. iii, 5. super Deum suum. Et Salomon : Habe fi-
duciam in Domino ex toto corde tuo, et ne
innitaris prudentiæ tuæ. Hic talis *in pro-*
tectione Dei cœli commorabitur, id est, a
Deo stabiliter protegetur. Sicut enim in
adjutorio Dei habitat sperans ab eo adju-
vari ; sic in protectione Dei cœli commo-
rabitur effectum spei adipiscendo, quoni-
Ps. xvii, 31. am Deus protector est omnium sperantium
Eccli. ii, 11. in se, juxta illud : Respicite, filii, nationes
hominum, et scitote quia nullus speravit
in Domino et confusus est. Ad hoc itaque D
quod mereamur a Deo cœlorum defendi,
non sufficit transitorie seu instabiliter ejus
subventioni inniti ; sed debemus in adju-
torio Altissimi habitare, id est fixo animo
permanere, pensantes nos ejus ope inces-
sabiliter indigere, quemadmodum ait Fi-
Joann. xv, 5. lius Dei : Sine me nihil potestis facere.
Nequaquam enim permittimur in nobis-
metipsis seu propriis meritis viribusque
I Cor. xv, 10. confidere, si verum esse fatemur quod
ait divinus Apostolus, Gratia Dei sum id

quod sum ; et rursus, Non sumus suffi- II Cor. iii, 5.
cientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex
nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.
Idcirco Christus, Qui manet, inquit, in me, Joann. xv, 5.
et ego in eo, hic fert fructum multum.
Sciendum vero est, quod quidam sunt ho-
mines in Deo non sperantes, alii sunt de
Deo desperantes, alii autem sunt in Deo
frustra sperantes. Qui enim confidunt in
vanitatibus suis, in propriis viribus, meri-
tis seu divitiis, non in Deo, sed in se ipsis
sperant. Qui autem sine operibus in Deo
sperat, inaniter sperat. Habitemus igitur
semper, quantumcumque profecerimus, in
adjutorio Altissimi, omnem profectum et
perfectionem nostram suæ misericordissi-
mæ bonitati, devotione plenissima adscri-
bentes, atque cum Isaia dicentes, A facie Is. xxvi, 17, 18.
tua, Domine, concepimus, et quasi partu-
rivimus et peperimus spiritum ; et ite-
rum, Tantum in te recordemur nominis Ibid. 13.
tui. Ad hoc namque inducit nos Deus aper-
tissime per Osee, dicens : Perditio tua, Is- Osee xiii, 9.
rael, ex te ; in me tantummodo auxilium
tuum.

(2) *Dicet Domino* homo taliter in adju- 2
torio Dei habitans : *Susceptor meus es tu,*
id est orationum mearum pius auditor,
meæ infirmitatis clemens curator, mei
pœnitentis atque ad te redeuntis clemen-
tissimis brachiis misericordiæ amplexa-
tor, *et refugium meum,* quoniam ad te in
omni periculo, necessitate et indigentia
secure confugio, sicut ad patrem ac sal-
vatorem. *Deus meus.* Omnium quidem ge-
neraliter Deus es, tanquam omnium condi-
tor et provisor, sed specialiter Deus meus :
primo, ex parte tui, propter specialem
pietatem et gratiam quam mihi impen-
dis ; secundo, ex parte mei, propter spe-
cialem dilectionem et cultum quibus tibi
adhæreo, teque honoro, et summe ac unice
colo. *Sperabo in eum :* non in homine pu-
ro, quoniam maledictus vir qui confidit in Jer. xvii, 5.
homine ; nec in aliqua pura creatura : sed
in te, sperans per opem et gratiam tuam
omne malum evadere, omne bonum ac-
quirere. Scriptum est namque : Benedi- Ibid. 7.

Digitized by Google

ctus vir qui confidit in Domino, et erit
Dominus fiducia ejus.
3 Sperabo autem in eum, (3) *Quoniam ipse* per gratiam *liberabit me de laqueo,* id
est a deceptione atque pestifera infectione, *venantium,* id est iniquorum, ad peccata quibus anima captivatur ac moritur,
inducentium. Venatores namque hic ap-
* curant pellantur, qui currunt* et satagunt fallere
animas, easque a Deo avertere, ac per hoc
privare gratia in præsenti, et gloria in futuro. Hi vero venatores, non solum sunt
dæmones, sed eorum quoque imitatores,
homines reprobi : de quibus scriptum est,
Sap. II, 24, 25. Invidia diaboli, mors introivit in orbem
terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt
Mich. VII, 2. ex parte illius. Unde legitur : Vir fratrem
suum venatur ad mortem. Laqueus vero nunc dicitur id, quo anima dæmonum
servituti subjicitur, ab hostibus suæ salutis capitur, vinculisque æternæ mortis
ligatur. Hoc autem nihil aliud est, nisi
mortale peccatum. Propter quod Apostolus laqueum istum interdum singulariter
I *Tim.* VI, 9. exprimit, nominans eum avaritiam : Qui,
inquit, volunt divites fieri, incidunt in
tentationem et laqueum diaboli. Interdum
vero exprimit eum pluraliter, intelligendo
quæcumque peccata mortalia nomine la-
II *Tim.* II, 25, 26. queorum, sicut quum ait : Det illis Deus
pœnitentiam, ut resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Unde de his laqueis, quibus anima miserabiliter irretitur et spiritualiter
Marc. IV, 19. moritur, in Evangelio asseritur : Ærumnæ
sæculi et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ, introeuntes in cor,
suffocant verbum ; et sine fructu efficitur.
Quid ergo est, Ipse liberabit me de laqueo
venantium, nisi, Ipse per misericordiam
suam eripiet me, atque salvabit ab insidiis
hostium visibilium et invisibilium ? juxta
Job XXII, 25. illud : Erit Omnipotens contra hostes tuos.

Liberabit insuper me *et a verbo aspero,*
id est ab omni sermone nocivo contra me
dicto, ita ut non fiam impatiens, dum alii
Ibid. XII, 4. me irrident, calumniantur, vituperant. Deridetur enim justi simplicitas, et vitam
A justorum perversi sermonibus impiis lacerant. Sed gratia Dei juvante non conturbamur in his, imo lætamur, pensantes quod
ait Salvator : Beati eritis quum maledixe- *Matth.* V, 11.
rint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum
vos, mentientes, propter me. Gloriari namque debemus, dum insurgit in nos imprudentium contumeliosa loquacitas, quoniam
conformamur aliqualiter Domino nostro
Jesu Christo, qui ait : Opprobria expro- *Ps.* LXVIII, 10.
brantium tibi, ceciderunt super me ; et,
B Omnes videntes me, deriserunt me. Cui *Ps.* XXI, 8.
frequenter dixerunt Judæi : Dæmonium ha- *Joann.* X, 20; *Matth.* XI, 19; IX, 34.
bet et insanit ; homo vorax, amicus peccatorum ; et, In principe dæmoniorum dæmonia ejicit. Vel, A verbo aspero, id est a
sententia judicis, qui dicet in die judicii
impiis verbum illud asperrimum : Ite, ma- *Matth.* XXV, 41.
ledicti, in ignem æternum.

(4) *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Per 4
scapulas Dei, intelligit potestatem divinam
electos protegentem. Est igitur sensus :
Scapulis suis, id est potestate sua benigna,
C obumbrabit tibi, id est, ab æstu tentationis
et igne persecutionis refrigerabit alleviabitque te : sicut infra dicitur, Obumbrasti *Ps.* CXXXIX, 8.
super caput meum in die belli. Unde Apostolus dicit : Sicut abundant passiones II *Cor.* I, 5.
Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. *Et sub pennis ejus,*
id est sub alis ipsius, videlicet sub extensione misericordiæ atque potentiæ Dei,
sperabis quod per misericordiam atque
potentiam Dei salvaberis.

(5) *Scuto* spirituali in anima *circumdabit,* id est, undique muniet, *te veritas ejus,* 5
D id est sacræ Scripturæ cognitio, seu illustratio Spiritus Sancti. Unde ait Salvator :
Si vos manseritis in sermone meo, vere *Joann.* VIII, 31, 32.
discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Et Apostolus :
Omnis, inquit, Scriptura divinitus inspi- II *Tim.* III, 16, 17.
rata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in
justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Quemadmodum
enim scuto materiali defenditur corpus a

Digitized by Google

læsionibus hostis, sic per considerationem sacræ Scripturæ, et commemorationem divinæ doctrinæ, protegitur anima ab impugnationibus tentatoris, rejicitque a suo consensu quidquid divinæ legi conspicit Sap. XVI, 26. dissonare. Propterea Sapiens dicit : Sermo tuus, Domine, eos qui in te credunt, conservat. Qui enim in omne quod agit vel deserit, sacræ Scripturæ testimonium adhibet, inexpugnabili scuto innititur, nec potest errare.

Non timebis a timore nocturno, id est, non formidabis incurrere noctis timorem, neque pavebis ab his quæ solent nocturnis temporibus timorem incutere. Multi enim imbecilles et modicæ spei timent, die adhuc durante, quod in nocte perterrebuntur. Et quidam paululum animo fortiores, hoc non timent; tamen in ipsa nocte de facili perterrentur, ex aliquo strepitu seu imaginatione aut somnio. Hic timor, magnæ imperfectionis indicium est; liberatque ab eo veritas sacræ Scripturæ Prov. III, 25. seu illuminationis supernæ, quæ ait : Ne paveas repentino terrore. Unde Salomon Ibid. XXVIII, 1. dicit : Fugit impius, nemine persequente; justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. Denique contra hunc stultum timorem, quo timemus de nocte propter absentiam hominum, seu propter somniorum aut phantasiarum occursum, quasi Deus et sancti angeli non essent nobiscum de nocte sicut in die, aut quasi dæmon aliquid posset in nos nisi permissus a Deo, Eccli. XXXIV, 16. Ibid. 2, 3. scriptum est : Qui timet Deum, nihil trepidabit ; et iterum : Quasi qui apprehendit umbram et persequitur ventum, secundum hoc visio somniorum. Qui ista verba æternæ Veritatis perpendit, hoc carebit nocturno timore, quemadmodum Sapientia Prov. I, 33. profitetur : Qui me audierit, absque terrore quiescet. Quod si imaginationes rerum timorem incutientium oriuntur in nobis, videlicet commemorationes jam defunctorum, etc., multum prodest statim in corde describere imaginem Christi in cruce pendentis, et ea quæ ipse pro nobis perpessus est.

Non timebis etiam (6) *A sagitta volante* 6
in die, id est ab aspera adversitate quæ manifeste infertur, sicut est contumelia, deprædatio, et quæcumque manifesta afflictio : imo adversitas talis tanquam donum Dei recipitur, et jucunde suffertur, juxta illud Apostoli : Vobis datum est a Philipp. I, 29. Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo. Et ad Hebræos : Hebr. X, 34. Rapinam, inquit, bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Nec timebis *a negotio,* id est dæmonio, *perambulante in tenebris,* id est, qui nocturnis temporibus permittitur inquietare homines; neque formidabis *ab incursu et dæmonio meridiano,* id est dæmone qui in die permittitur desævire.

A quatuor ergo tentationibus liberatur, qui in adjutorio Altissimi habitat, scilicet a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, et ab incursu et dæmonio meridiano : et ita nullam tentationem, quantumcumque gravem seu undecumque illatam, veretur, dicens Philipp. IV, 13. cum Apostolo, Omnia possum in eo qui me confortat; et illud Jeremiæ, Jer. XVI, 19. Domine, fortitudo mea, et refugium meum, et robur meum in die tribulationis meæ. Unde superius dictum est : Ps. XXVI, 1. Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? etc. Propter quod Petrus protestatur : I Petr. III, 13. Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Nempe, Rom. VIII, 31. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Igitur nec dæmonem perambulantem in tenebris, nec dæmonium meridianum timebis.

(7) *Cadent a latere tuo* sinistro *mille* ex 7
dæmonibus, *et decem millia* dæmoniorum cadent *a dextris tuis :* quia quicumque seu quotcumque ad te tentandum accesserint, divina virtute superabuntur ac fugient, quemadmodum dicit Apostolus : Ibid. XVI, 20. Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Ideo Eliseus locutus est : IV Reg. VI, 16. Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Per latus autem sinistrum, a quo mille cadere perhibentur, intelligendus est status animæ in adversis; per

Digitized by Google

dexteram vero, status ejus in prosperis. Dicit ergo, quod mille casuri sint a latere tuo sinistro, quoniam nulla adversitas te dejiciet, si in adjutorio Altissimi habites : imo quantumcumque fuerit spiritus tuus afflictus, nec murmurabit, nec a Deo recedet, neque pusillanimitate victus, tentatori succumbet. Cadent quoque decem millia a dextris tuis, quoniam nulla prosperitas te extollet ; et quantumcumque prospere succedat, nunquam in te ipso gaudebis, nec aliquid boni tibi adscribes, nec tentatori blandienti consenties. Sed cur a sinistro latere asserit mille casuros, atque a dextris decem millia? Primo sciendum, quod hic ponitur numerus determinatus pro numero indeterminato, quemadmodum Daniel inquit : Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. Et in Apocalypsi : Erat numerus angelorum millia millium, dicentium : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem. Est igitur sensus, quod a lateribus tuis cadet multitudo dæmoniorum, quantumcumque fuerit numerosa seu multa. Nam ut in Scriptura habetur, non est Domino difficile salvare vel in multis, vel in paucis; suntque plures ac fortiores pro nobis, videlicet angeli sancti, quam contra nos angeli mali. Verumtamen dicuntur plures casuri a dextris quam a sinistris, quoniam plures homines seducuntur per blandimenta atque illecebras prosperitatis, quam per molestias adversitatis. Delectationem namque omnes naturaliter vehementerque appetunt.

Dan. VII, 10. — *Apoc.* V, 11, 12. — I *Reg.* XIV, 6.

Ad te autem non appropinquabit tentatio dæmonum per consensum, seu multitudo dæmonum a te victa per opem gratiæ Dei. Dæmones namque victi, cessant a tentatione et fugiunt, quemadmodum scriptum est : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Et asserunt aliqui, quod dæmon semel victus ab aliquo, nunquam redeat ad tentandum eumdem. Alii dicunt, quod nunquam redeat ad tentandum eumdem de illo peccato, quo semel ab eo exstitit victus. Sed probabilius reor, quod et S. Thomæ amplius placet, videlicet quod quamvis dæmones victi ad tempus recedant, et a tentatione desistant, redeunt tamen vicissim ad tentandum eumdem de quocumque peccato. Et ad hujus confirmationem, allegat Thomas quod de Christo apud Lucam scriptum est : Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus.

Jacob. IV, 7. — *Luc.* IV, 13.

8 (8) *Verumtamen oculis tuis* interioribus *considerabis,* hanc victoriam tuam tibi divinitus præstitam, ne Deo ingratus exsistas : et ad hanc considerationem requiritur Spiritus Sancti infusio, juxta illud Apostoli : Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *Et retributionem peccatorum videbis :* id est, justam pœnam reproborum pensabis et cernes, nunc quidem per fidei speculationem, recolendo districtionem futuri judicii, pœnasque inferni ; in sæculo autem futuro ac finali judicio eam videbis per certissimam manifestationem. Et ut eam evadere queas, dices Deo :

I *Cor.* II, 12.

9 (9) *Quoniam tu es, Domine, spes mea,* id est objectum, causa et terminus spei meæ ; vel, Spes mea, id est bonum a me principaliter finaliterque speratum, quia non aliud bonum desidero, nec aliud præmium quæro, nec alium finem exspecto, nisi te ipsum. *Altissimum posuisti refugium tuum :* id est, in te ipso collocasti terminum nostri refugii, scilicet ut non quiescamus nec stemus citra seu infra te, sed mentem erigamus in tuæ bonitatis contemplationem, sicque ad tui ipsius ineffabilem et superaltissimam confugiamus clementiam.
10 (10) *Non accedet ad te malum,* id est, peccator non admittetur ad societatem et gloriam tuam. Vel, Malum, id est peccatum, non accedet ad te per approbationem, quia non complacet tibi, sicut prædictum est : Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,* id est triumphanti Ecclesiæ, seu cœlo empyreo : quia in patria nulla invenitur tristitia, afflictio

Ps. V, 5.

Digitized by Google

Is. LI, 3. aut miseria, sed gaudium et lætitia, gratiarum actio et vox laudis.

Vel sic : Homo justus dicet : *Quoniam tu es, Domine, spes mea ;* et si hoc Deo veraciter dixeris, o homo, quicumque es ille, tunc utique *altissimum posuisti refugium tuum,* id est, in Christo universorum conditore, non in rebus creatis et vilibus, statuisti tibi locum refugii. Idcirco *non accedet ad te malum* pœnæ vel culpæ in sæculo illo, ubi spei tuæ mercedem recipies ; *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,* id est corpori tuo, quod in futura resurrectione resumes, quoniam corpus impassibile, clarum, agile atque subtile habebis. (I *Cor.* XV, 53.) Oportet namque (secundum Apostolum) mortale hoc induere immortalitatem. Unde apud Isaiam Dominus ait : (*Is.* XXXII, 17, 18.) Erit securitas usque in sempiternum ; et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta. Vel : Non accedet ad te malum culpæ mortalis in præsenti per consensum, quoniam sperantem in se Dominus a ruina præservat, secundum quod in secunda (II *Petr.* I, 10.) Petri Canonica habetur : Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ; sic enim facientes, non peccabitis aliquando. Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, id est corpori tuo, in detrimentum et nocumentum ipsius : imo tale flagellum potius reputandum est dulce ac prosperum purgamentum et maximum meritum, quam durum tormentum aut aliquod nocumentum : (*Rom.* VIII, 18.) quia, ut ait Apostolus, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et (II *Cor.* IV, 17.) iterum ait : Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

11 (11) *Quoniam angelis suis mandavit de te,* (*Hebr.* I, 14.) *ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Omnes namque (secundum Apostolum) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Quod enim angeli deputantur ad custodiam hominum, Christus apud Matthæum insinuat : Angeli, inquit, eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. (*Matth.* XVIII, 10.) Ubi Hieronymus dicit : Magna est dignitas animarum, ut unaquæque a nativitatis exordio habeat angelum sanctum, ad sui custodiam deputatum. Sed quum singulis hominibus singuli præsint angeli, cur non ait, Angelo suo mandavit de te, vel, Angelis suis mandavit de vobis ? Et respondendum, quod quamvis quilibet homo, in quantum est singularis persona, specialem habeat angelum, tamen sicut unum eumdemque hominem plures tentant diaboli, sic eidem homini adesse atque succurrere possunt angeli plures. Custodiunt autem nos angeli quantum in ipsis est, in omnibus viis, id est operibus nostris. In bonis enim actibus nos custodiunt, ne cessemus a bono, sed semper perseveremus in finem. In malis quoque actibus nos custodiunt, ne statim a dæmone rapiamur, et ne in vitiis persistamus. Custodiunt etiam nos a tentationibus dæmonum, ne quantum desiderant, nos molestent, et a multis periculis mentis et corporis. Unde, secundum Thomam, infantes in utero matrum suarum, angelum specialem pro custodia sortiuntur, quia infanti in utero accidere possunt aliqua nocumenta.

(12) *In manibus suis,* id est in sua potestate et sapientia, *portabunt,* id est, 12
dirigent, *te* de via hujus exsilii ad patriam electorum. Adjuvant enim sua virtute nostram infirmitatem, et sua sapientia tenebras cordis nostri illustrant : sicque gradiuntur nobiscum, portantes nos secum, cooperando nobis in omni bono opere. Portabunt igitur te, *ne forte offendas ad lapidem pedem tuum,* id est, ne aliquid tibi in via obsistat, sed pede inoffenso et calle securo tendas ad patriam. Vel, Ne offendas ad lapidem pedem tuum, id est, ne Christum qui est lapis angularis, peccando offendas. (*Is.* XXVIII, 16; *Act.* IV, 11; I *Petr.* II, 6.) Vel, Ne offendas ad lapidem, id est ad culpam mortalem, ab ingressu patriæ prohibentem, quemadmodum lapis obstruit viam, prohibetque ingressum ; pe-

Digitized by Google

dem tuum, id est affectum tuum, seu operis tui gressum, serviendo ac inhærendo creaturæ potius quam Creatori.

Matth. IV, 6. Hos duos versiculos proposuit Christo diabolus, quasi de Christo prædictos; sed *Joann.* VIII, 44. quum ipse sit mendax, et quum mendacium loquitur, ex proprio loquitur, ideo mendaciter allegavit. Non enim de Christo dicta sunt ista, secundum Hieronymum, sed de membris ejus : quoniam Christus angelorum custodia nullatenus eguit, quip- *Matth.* IV, 11. pe qui errare non potuit; ministraverunt tamen ei angeli, non propter necessitatem, B sed propter reverentiam atque decentiam.

13 (13) *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Huic simile est quod Christus ait discipu- *Luc.* x, 19. lis : Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit. Quæ licet ad litteram accipi possint de irrationalibus venenosisque brutis, quæ multi Sanctorum, præsertim in nova lege, sine læsione calcaverunt, sicut eorum venena sine nocumento biberunt, juxta il- C lud Christi apud Marcum, *Marc.* XVI, 18. Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit (quod etiam partim contigit filiis Israel ex Ægypto gradientibus per eremum vastam atque horribilem, et venenosis animalibus plenam, quæ nocumentum non intulerunt filiis Israel, quemadmodum Moyses scripsit : *Deut.* VIII, 15. Dominus ductor tuus fuit in solitudine magna et terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas) : convenientius tamen per animalia ista accipimus dæmones, horum animalium proprietatem D habentes, vel eumdem dæmonem diversis his proprietatibus vel potius malitiis informatum, seu ipsa vitia taliter nocentia, qualiter nocent animalia ista.

Dæmon itaque dicitur aspis, in quantum cordi virus invidiæ ingerit, et occultæ tentationis veneno animam inficit et occidit. Sicque per aspidem intelligi potest invidia, quæ suo veneno caritatem Dei et proximi, omniumque virtutum virorem intoxicat, et penitus demolitur ac destruit :

A quoniam sicut ait Joannes, *I Joann.* III, 14. Qui non diligit, manet in morte; et iterum, *Ibid.* 15. Qui odit fratrem suum, homicida est. Dæmon quoque dicitur basiliscus, dum sola fraudulenta suggestione animam tentat atque interficit, proponendo ei mala sub specie boni, utpote in angelum lucis se transfigurans, *II Cor.* XI, 14. secundum Apostolum. Basiliscus namque solo visu interficit, non quoslibet, sed eos (ut fertur) a quibus ipse primitus non videtur. Nam si homo illum prius conspiciat, non sibi nocet oculus venenosissimi basilisci : imo (ut legitur) si quis speculum basilisco objiciat, repercutitur venenum, rediens ad eum unde manavit, et proprium interimit effusorem, scilicet ipsum basiliscum. Sic plane iste diabolus, qui per basiliscum significatur, et in angelum lucis transformatur, non videntem interimit; si vero adspiciat homo primitus dæmonem istum, ejus versutiam perpendendo, non læditur, sed redit malignitas dæmonis in caput ipsius. Sicque per basiliscum vana gloria designatur, quæ incautos et mentaliter cæcos prosternit, videnti vero et spiritualiter illustrato nocere non valet. Dicitur etiam dæmon leo, dum contumaciter, violenter ac impetuose hominem, maxime innocentem, persequitur. Propter quod princeps Apostolorum admonet : *I Petr.* V, 8, 9. Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. Unde per leonem significatur ferocia animi, seu omne peccatum ad violentiam pertinens. Dicitur autem diabolus draco, quum per suarum pestiferarum immissionum abundantiam, hominem prorsus absorbet, sicut de eo scriptum est : *Job* XL, 18. Absorbebit fluvium, et non mirabitur. Itaque per draconem obstinatio designatur.

Possent quoque per bruta ista intelligi homines impii, propter similitudinem imitationis in malo. Nam perversis incredulisque Judæis ait Joannes Baptista : *Matth.* III, 7; *Luc.* III, 7. Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Pharaoni quoque per

Digitized by Google

Ezech. xxix, 3. Ezechielem dicitur : Audi, Pharao, draco A
magne.

Si ergo in Deo plena mente confidis, super omnes has aspides et basiliscos ambulabis, omnesque istos leones et dracones calcabis : quoniam in omni tentatione, persecutione, et vitiorum impulsu, a peccato immunis exsistes, juxta illud Aposto-
Rom. viii, 37. li : In omnibus his superamus, propter eum qui dilexit nos.

Deinde sequitur benignissima consolatio Dei promittentis speranti in se multiplicem gratiam in præsenti, plenamque in B
14 futuro beatitudinem. (14) *Quoniam in me speravit,* non spe cassa et vacua, sed operosa atque formata, agens quod sibi possibile fuit, nec tamen viribus suis aliquid tribuens, nec propriæ perfectioni confidens, sed in me principaliter sperans, *liberabo eum,* jam a vitiis, et in futura resurrectione ab omni pœnalitate ac imper-
Philipp. iii, 21. fectione mentis et corporis, quando reformabo corpus humilitatis suæ, configuratum corpori claritatis meæ; *protegam eum* in omni periculo, *quoniam cognovit nomen* C *meum,* id est, quoniam scivit et fide ac opere recognovit me esse misericordem in ignoscendo, fidelem in adjuvando, veracem in promittendo. Est autem quædam cognitio Dei, quæ vocatur informis, id est sine decore et ornamento, quoniam non est caritati et bonæ conversationi conjuncta : de qua cognitione dicit Apostolus,
Tit. i, 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem
Rom. i, 21. negant; et ad Romanos, Quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Alia appellatur D cognitio Dei formata, id est dilectioni uni-
I Joann. ii, 4. ta : de qua alio loco scriptum est, Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non servat, mendax est. Nunc igitur loquitur Propheta de cognitione Dei formata : quæ utique divinam protectionem meretur, quum sit acceptabilior Deo quam holocautomata, quemadmodum Dominus per Osee pro-
Osee vi, 6. phetam ait : Scientiam Dei volo plus quam holocausta. Ecce quam magnum bonum est cognitio Dei. Nempe tam magnum est, ut ipsa dicatur finis adventus Christi et vita æterna. Scriptum est enim : Scimus I Joann. v, 20.
quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus Deum verum. Et iterum : Hæc est vita æterna, ut cogno- Joann. xvii, 3.
scant te solum Deum verum.

(15) *Clamavit ad me,* ferventer orando, 15
et exaudiam eum, dando quod rationabiliter atque stabiliter postulat; *cum ipso sum in tribulatione :* sicut superius dictum est, Juxta est Dominus his qui tribulato sunt Ps. xxxiii, 19.
corde. Non ergo formidemus, nec dedignemur tribulationes jugiter sustinere, si cupimus Deum nobis incessanter adesse. *Eripiam eum* ab adversis, *et glorificabo,* id est, gloriosum et beatum efficiam, *eum* in patria, dicendo ad eum : Euge, serve bo- Matth. xxv, 21, 23.
ne, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium
Domini tui. (16) *Longitudine dierum,* id 16
est interminabili duratione vitæ beatæ seu ævo, quod est æternitas participata : quæ est mensura actionis qua Beati in patria beatifice perfruuntur, in qua fruitione nulla est interruptio, vicissitudo aut permutatio ; *replebo eum,* dando ei æternaliter mecum manere, sicut desiderat appetitus ejus, quatenus nec velit, nec possit, nec timeat separari a me ; *et ostendam illi* clare per speciem *salutare meum,* id est Filium meum dilectum, omnium Salvatorem, Verbum æternum, in quo Beati in patria omnia vident : qui cum me Patre suo et Spiritu Sancto, est unum idemque objectum et causa beatitudinis omnium electorum. In hac divinitatis Christi ostensione seu visione tota nostra felicitas, summa jucunditas, præmiumque essentiale consistit. Unde et Christus, in hac ostensione sui felicitatem nostram consistere innuit, dicens : Qui diligit me, diligetur a Patre Joann. xiv, 21.
meo ; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

Ecce psalmum sententiosum, moralem, doctrinalem, et consolativum audivimus : in quo docemur, quam salutare sit in Deo confidere ; quid, sic confidens, debeat Domino dicere, quid ab eo exspectare ; quan-

Digitized by Google

tis tentationibus plena sit vita ista, quam multiplex adjutorium angelorum sanctorum nobis Deus contra eas donaverit; quam beatos effectus consequantur, spem fixam in Domino habentes. Merito etiam psalmum istum in Completorio dicimus contra insidias noctis, tentationesque multiplices dæmonis. Tunc enim præcipue divina protectione et gratia atque angelica indigemus custodia. Debetque quilibet nostrum speciali veneratione honorare angelum suum, præsertim eum invocando de mane, quatenus tota die nos protegat ac dirigat, B et de sero, ut per totam noctem cor nostrum ac corpus custodiat, somnia dura repellat, mentem illustret, resurgentes pie præveniat, indesinenterque nobis adsistat. A Et ut promissiones divinas in fine hujus psalmi descriptas mereamur sortiri, satagamus hunc psalmum in Completorio devotissima mente cantare. Quod si egerimus, gustabimus sæpe interiori palato virtutem ac dulcedinem psalmi præsentis, qui vere mirabili suavitate exundat.

PRECATIO.

Deus altissime, concede nos, quæsumus, in adjutorio tuo habitare, et in tua commorari protectione : ut dextera tua avertente, non accedat ad nos malum, nec tangat nos peccatoris flagellum ; sed te mandante, ab angelis in omnibus custodiamur viis nostris.

ARTICULUS LXX

EXPLANATIO PSALMI NONAGESIMI PRIMI : BONUM EST CONFITERI DOMINO.

HABET psalmus jam exponendus hunc C
1 titulum : *Psalmus cantici, in die sabbati,*
id est, psalmus spiritualis lætitiæ decantandus in die sabbati, id est in sabbato mentis, videlicet in tranquillitate conscientiæ, quatenus ad sabbatum æternitatis mereamur perduci. Ad litteram psalmus iste specialiter conveniebat sabbato, et cantabatur a Judæis in eo, quoniam agit de opere creationis : ad quam commemorandam jussit Dominus diem sabbati celebrari, atque in eo ab omni actu servili cessare, eo (*Exod.* xx, 8-11.) quod Deus die septima seu sabbato requievit ab omni opere quod patrarat. (*Gen.* ii, 2.) D Voluit namque Deus inducere homines ad cognitionem suæ æternitatis, et ad cognoscendum omnia alia esse creata. Ad hoc autem (secundum Rabbi Moysen) evidentissima atque facillima via fuit celebratio sabbati, in quo recolitur mundus de novo incepisse, seu ex tempore esse productus, ex quo clarissime constat Creatorem mundi esse æternum.

AIT ergo sanctus Propheta : (1) *Bonum* 2
est confiteri Domino. Sicut ubertim prædictum est, duplex est confessio, scilicet : confessio laudis divinæ, de qua ait Salvator, Confiteor tibi, Pater, Domine cœli (*Luc.* x, 21.) et terræ; et confessio nostræ culpæ, de qua alibi scriptum est, Confitemini alterutrum peccata vestra. (*Jacob.* v, 16.) Utraque autem confessio, bona est et salubris; sed prima multo melior, nobilior atque divinior, quum sit actus angelicus. Sed quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris, (*Eccli.* xv, 9.) propterea peccatori confessio culpæ in primis magis necessaria est ac salubris, quatenus vitiis per confessionem istam deletis, dignus reddatur Domino confiteri seu Deum laudare. Nunc vero de confessione laudis loquitur psalmus. Bonum est etiam *et psallere,* id est publice et in sublimi psalmos ac laudes divinas cantare, *nomini tuo,* id est ad honorem nominis tui, o Deus *altissime.* Unde Tobiæ angelus Raphael ait : Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viven- (*Tob.* xii, 6.)

Digitized by Google

tibus confitemini illi, quia fecit vobiscum A
misericordiam suam. Idcirco nunc subditur :

3 (2) *Ad annuntiandum mane,* id est in
Is. xxvi, 9. principio diei : de quo Isaias, De mane, inquit, vigilabo ad te ; vel, Mane, id est in spirituali aurora, quando videlicet infusionem supernæ claritatis corde sentimus, ex immutatione ac novitate sanctæ devotionis ; vel, Mane, id est tempore prosperitatis ac jucunditatis ; *misericordiam tuam,* id est gratiosa beneficia tuæ piissimæ bonitatis, seu benignitatem tibi con- B naturalem, eam laudando ac prædicando. In quolibet mane jam dicto, annuntiare debemus misericordiam Dei, omnia bona nostra divinæ bonitati devotissime adscribendo : et bonum ac optimum est, a divina laude diem incipere, quatenus totum diem in Dei præconio expendamus, quem-
Ps. lxx, 8. admodum dictum est supra, Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Ad annuntiandum quoque *et veritatem tuam,* id est sacram Scripturam, Christi C doctrinam, seu divinam justitiam, *per noctem,* id est certis horis nocturni temporis :
Thren. ii, 19. sicut Jeremias hortatur, Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Vel, Per noctem, id est tempore adversitatis, quatenus in nostra castigatione tuam laudemus justitiam, nostramque fateamur malitiam, ob quam flagellari meruimus : dicentes
Tob. xi, 17. illud Tobiæ, Benedico te, Domine, quoniam
Job xxxiii, 27. tu castigasti me ; illud quoque Job, Peccavi, et vere deliqui, et ut dignus eram non recepi. Vel, Per noctem mentis spiritua- D lem, quando videlicet spiritualis consolatio tollitur, gratia Dei suspenditur, et anima propriam infirmitatem experitur. Tunc enim divinam justitiam laudare debemus, et non fieri pusillanimes, neque adulterinas consolationes desiderare, sed affectuose orare pro reditu pristinæ gratiæ, patienterque sufferre dilecti absentiam vel potius absconsionem (veraciter namque præsens est, non tamen sentitur ejus præsentia),
Is. xxvi, 9. dicentes cum Isaia, Anima mea desideravit te in nocte ; cordialiterque pensantes quod apud eumdem Prophetam Dominus asserit : Ad punctum in modico dereliqui te, Is. liv, 7, 8.
et in miserationibus magnis congregabo te ; in momento indignationis meæ abscondi parumper faciem meam a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui.

Et quia Hebræi cum musicis instrumentis Deum laudare solebant, sicut Ecclesia jam agit, organis utens, ideo additur :
(3) *In decachordo psalterio, cum cantico* 4
in cithara. Qualiter vero psalterium decachordum (id est decem chordarum) et cithara spiritualiter exponantur, dictum est supra in elucidatione psalmi octogesimi, cujus exordium est, Exsultate Deo adjutori nostro. Breviter namque tangendo, in decachordo psalterio Deum collaudat, qui decem præcepta observat ; laudat quoque in cithara, qui opera misericordiæ non omittit. Taliter conversantis vita et laus, dulcem efficit melodiam in auribus Dei, ita ut dicat illud : Sonet vox tua in auri- Cant. ii, 14.
bus meis ; vox enim tua dulcis.

Ideo autem bonum est mihi psallere
nomini tuo, o Deus altissime, (4) *Quia de-* 5
lectasti me, Domine, spirituali, interna ac pura delectatione, *in factura tua,* id est in consideratione ac usu creaturarum tuarum ; *et in operibus manuum tuarum,* id est omnipotentiæ tuæ, videlicet in ordine universi, in speciebus rerum, in pulchritudine mundi, in operibus creationis, recreationis et glorificationis, in contemplatione visibilium ac invisibilium rerum, *exsultabo.* Unde scriptum est : Quam deside- Eccli. xlii, 23, 26.
rabilia sunt omnia opera ejus ! Et quis satiabitur videns gloriam ejus ? In creaturis autem Dei, dupliciter delectari quis potest : primo, in ipsis creaturis secundum se ; secundo, referendo omnem perfectionem earum ad Creatorem, ita quod in sapientia atque potentia Dei potius quam in rebus creatis, homo lætatur : et ista delectatio sancta est. Prima quoque mala non est secundum se, nisi quis finaliter insistat in ea, vel immoderate in ipsa occupetur, diffundatur, aut resolvatur.

Digitized by Google

Quoniam autem Deum in hac vita in se ipso, seu per speciem cernere non valemus, compellimur ex rebus creatis ad ejus cognitionem assurgere. Nam sicut in Proverbiis scribitur, *Prov. xvi, 4.* Omnia propter se ipsum operatus est Dominus : quatenus scilicet divinæ naturæ perfectiones in entibus relucerent, sicut perfectio causæ splendet in suo effectu. In quantum igitur ordo specierum universi est velut scala pertingendi ad Creatoris notitiam, delectari et exsultare debemus in operibus Dei. Ex consideratione insuper rerum, videlicet ex rapidissimo ac supervelocissimo motu cœlorum ac siderum, solis ac planetarum, ex magnitudine cœlestium orbium, ex ordine, puritate ac ministerio angelorum, docemur quam sublimis sit Deus, quam reverenter sit ei ministrandum, quam prompte obediendum. Sed et in infimis rebus, puta in ape, formica, lepusculo atque similibus, innotescit ineffabilis sapientia Dei. Omnis quoque pulchritudo, ornatus, dulcedo, bonitas, harmonia atque amabilitas creaturarum, ad omnipotentis Creatoris desiderium et amorem nos provocant. Unde ad hanc contemplationem ac delectationem ab Isaia invitamur : *Is. xl, 26.* Levate, inquit, in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc. Exsultare etiam debet homo in operibus Dei, quoniam omnia facta sunt propter nos, et ad sustentandam indigentiam nostram condidit Deus omnipotens pisces maris, volucres cœli, bestias terræ, ligna pomifera, herbas diversas.

6 (5) *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!* id est, valde magnifice, sapienter, potenter et inscrutabiliter sunt instituta, distincta atque ornata. Decuit namque (quemadmodum Plato affirmat) a sapientissimo, speciosissimo, optimoque opifice opus pulcherrimum, præclarissimum, excellentissimumque produci, qualis est machina mundi, qui incomparabili pulchritudine constat. Majora autem et incomprehensibiliora sunt opera recreationis et glorificationis, quam creationis. Unde quæ unigenitus Filius Dei pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit, omnem magnificentiam, investigationem, sermonem transcendunt. Propter quod in Apocalypsi dicitur : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens. *Apoc. xv* Et in Ecclesiaste : Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. *Eccle. i,* Sapiens quoque : Difficile æstimamus quæ in terra sunt ; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. *Sap. ix, 1* Quæ autem in cœlo sunt, quis investigabit ?

Denique si subtilius contemplari desideramus, quam magnificata sunt opera Creatoris, profunde pensemus quid Dominus dicat ad sanctum Job : Ubi, inquit, eras quando ponebam fundamenta terræ ? *Job xxxviii, 4-6.* Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras ejus ? aut quis tetendit super eam lineam ? Super quo bases ejus solidatæ sunt ? Quis conclusit ostiis mare, *Ibid. 8-11* quando erumpebat quasi de vulva procedens ; quum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem ? Circumdedi illud terminis meis, et posui vectem et ostia, et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Numquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, *Ibid. 31.* aut gyrum Arcturi poteris dissipare ? Numquid nosti ordinem cœli, *Ibid. 33.* aut pones rationem ejus in terra ? Quis posuit in visceribus hominis sapientiam ? *Ibid. 36, 37.* aut quis dedit gallo intelligentiam ? Quis enarrabit cœlorum rationem ? et concentum cœli dormire quis faciet ? Sed vere quidquid de operibus supergloriosissimi Creatoris intelligere aut profari valemus, pene nullius momenti est ad id, quod in re ipsa est. Propter quod iterum in Job habetur : Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum ejus ; *Ibid. xxvi, 14.* et quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ? Propter quod etiam Plato testatur, quod ea quæ scimus, minima et prope nulla sunt respectu eorum quæ ignoramus. Aristoteles quoque disseruit : Quia sicut se habet oculus vespertilionis ad solis fulgorem, ita

Digitized by Google

se habet intellectus humanus ad cognitio- A
nem manifestissimorum naturæ, id est ad
notitiam substantiarum separatarum.

Itaque si opera Dei tam magna et in-
comprehensibilia sunt, quam incompre-
hensibilis est Creator eorum! (Ipse enim
in infinitum cuncta in omni nobilitate
transcendit.) Ideo subditur : *nimis pro-
fundæ factæ sunt cogitationes tuæ*, id est,
consilium, ratio et ordinatio sapientiæ
tuæ, qua omnia certo fine fecisti, atque
Sap. xi, 21. in numero, mensura ac pondere constitu-
isti, valde et penitus imperscrutabilis in- B
effabilisque consistit. Certissime enim co-
gnoscimus, nihil sine legitima ratione a te
fieri aut permitti. Verumtamen rationem
operum tuorum in speciali assignare om-
nino impossibile profitemur. Quis enim
excogitet, cur in primordiali rerum insti-
tutione seu creatione, quando merita nul-
la præcesserant, ampliorem perfectionem
dederis uni, quam alteri? Quis novit, cur
mundum ab æterno non feceris, vel cur
eum creaveris in illo instanti quo factus
est, et non prius neque posterius? Quis in- C
super capere poterit, cur potius unum an-
gelum, unumque hominem ab æterno ad
vitam æternam elegeris, quam alium?
Quum ergo omnia hæc tam incomprehen-
sibilia sint, liquet quod cogitationes tuæ, id
est sapientialis tua dispositio, universo-
rum finem, rationem ac ordinem pensans,
Prov. xxv, 27. sit nimis profunda : idcirco scrutator ma-
jestatis opprimetur a gloria. Et veraciter
Sap. ix, 17. scriptum est : Sensum tuum, Domine, quis
sciet, nisi tu dederis sapientiam, et mise-
ris spiritum tuum de cœlis? Isaias quoque D
profunditatem cogitationum divinæ men-
tis declarat ex eo, quod nullus prior Deo
formam agendi ostendit, sed ipse ex pro-
priæ sapientiæ supersplendidissimo atque
certissimo fonte cuncta molitus est. Ait
Is. xl, 13, 14. enim : Quis adjuvit spiritum Domini? aut
quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi?
Cum quo iniit consilium, et docuit eum
semitam justitiæ, et erudivit eum scientia,
et viam prudentiæ ostendit illi? Huic au-
tem prophetali eloquio consonat Apostoli-
cus sermo : O altitudo divitiarum sapientiæ Rom. xi, 33.
et scientiæ Dei, etc. — Dicuntur autem co-
gitationes Dei pluraliter, non quod in Deo
sint distinctæ ac multæ cogitationes, quum
cogitatio Dei sit ejus essentia, intellectus
et sapientia : sed sicut dicuntur in Deo
plures atque distinctæ ideæ, per relatio-
nem ad creata in Deo idealiter exsistentia,
sic dicuntur in Deo plures cogitationes se-
cundum diversitatem operationum quæ
cognoscuntur a Deo.

(6) *Vir insipiens*, id est illa sapientia 7
carens quæ in malevolam animam non Sap. i, 4.
intrat, quæ est donum Spiritus Sancti : per
quam utique sapientiam judicat homo re-
cte de Deo, non per informem notitiam,
sed per cognitionem formatam et sapi-
dam; *non cognoscet* quomodo ex creaturis
honorandus atque amandus sit Deus crea-
tor : de quo scriptum est, Fecit Deus opera Eccle. iii, 14.
sua ut timeatur. Propter quod de philoso-
phis hujus mundi dicit Apostolus : Eva- Rom. i, 21.
nuerunt in cogitationibus suis, et obscu-
ratum est insipiens cor eorum. *Et stultus*,
id est, qui vel vera scientia divinæ legis
privatus est, vel ea quæ novit esse agenda
non operatur, *non intelliget hæc* dicta at-
que dicenda, per intelligentiam salutarem
ac operosam. Propter quod Dominus apud
Jeremiam ait : Audi, popule stulte, qui non Jer. v, 21, 22.
habes cor. Me non timebitis, qui posui
arenam terminum mari? Et Apostolus di-
cit : Animalis homo non percipit ea quæ I Cor. ii, 14.
sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi,
et non potest intelligere, scilicet mysteria
Dei, præmia bonorum, et pœnas malorum.

De quorum damnatione subjungitur :
(7) *Quum exorti fuerint peccatores sicut* 8
fœnum, id est, quando iniqui cœperint
consurgere, prosperari, atque florere sicut
fœnum quod hodie floret et est, cras vero Matth. vi, 30.
in clibanum mittitur, esseque desinit :
quoniam sicut nunc superius dictum est,
impiorum prosperitas momentanea est, sta-
timque marcescit eorum floritio, quemad-
modum viror fœni mox decidit. Unde in
Isaia legitur : Omnis caro fœnum, et om- Is. xl, 6.
nis gloria ejus quasi flos agri; et denuo :

Digitized by Google

Is. xl, 7, 8. Vere fœnum est populus; exsiccatum est
fœnum, et cecidit flos. *Et apparuerint*
aliquid esse, seu modico tempore præva-
lere et gloriari, *omnes qui operantur ini-
quitatem :* quos Deus permittit ad horam
in suis desideriis ambulare, quatenus æter-
naliter justa pœna plectantur, quemadmo-
dum sequitur : (8) *Ut intereant,* id est, spi-
ritualiter moriantur et condemnentur, *in
sæculum sæculi,* id est sine fine, tanquam
separati a fonte omnis vitæ ac gloriæ.
Prov. xvi, 4. Unde Salomon ait : Impium operatus est
Dominus ad diem malum. De quo die im-
piique damnatione in libro Job scriptum
Job xxi, 30, 20. est : In diem perditionis servatur malus,
et ad diem furoris ducetur; et de furore
9 Omnipotentis bibet. *Tu autem Altissimus
in æternum, Domine :* quia omnes in om-
nipotentia, in sapientia, in æquitate, in
bonitate et felicitate incomparabiliter su-
10 peras. Quod patet ex eo, (9) *Quoniam ecce
inimici tui,* id est tibi rebelles, ingrati
ac reprobi, *Domine, quoniam ecce inimici
tui peribunt,* gratiam in præsenti perden-
do, gloriamque regni cœlestis postmodum
amittendo, atque æternæ mortis incendia in
inferno ferendo. Quam horribile nimis est
esse inimicum Dei ! imo horribile est hoc
ipsum audire : idcirco repetitur, ut am-
plius expavescas. *Et dispergentur,* id est,
a grege electorum repellentur in die judi-
cii, *omnes qui operantur* sine cessatione
et pœnitentia *iniquitatem.* Tunc enim di-
Matth. xxv, 41. cetur ad eos : Ite, maledicti, in ignem
Soph. i, 3. æternum. Propterea ait Scriptura : Ruinæ
impiorum erunt, et disperdam eos a facie
Ibid. 6. terræ, dicit Dominus; itemque, Disperdam
eos qui avertuntur de post tergum Domi-
ni, dicit Dominus, et qui Dominum non
exquisierunt, nec investigaverunt eum.

Deinde ab hac damnatione distinguun-
tur electi, de quorum tribulatione et gloria
11 subditur : (10) *Et exaltabitur sicut unicor-
nis cornu meum :* id est, imperium ratio-
nis meæ, sensualitati ac animo dominantis,
sublimabitur per confirmationem gratiæ
Dei, sicut unicornis cornu sublimatur :
quia hoc animal fortissimum est, unoque

A cornu ab aliorum invasione se protegit.
Sic cornu meum, id est fortitudo sive do-
minium rationis meæ, roborabitur contra
passionum, tentationum, persecutionum-
que universos incursus. In die autem judi-
cii cornu hoc animæ in tantum exaltabitur
in electis, ut caro nunquam concupiscat Galat. v, 17.
adversus spiritum, neque aliquid actum
rationis impediat : quin imo corpus cor- Sap. ix, 15.
ruptibile nunc aggravans animam, tunc
erit spirituale, immortale, animam ornans
atque exhilarans. *Et senectus mea,* id est
B ætas mea ultima, erit *in misericordia ube-
ri :* quia quum deficiet virtus mea, non Ps. lxx.
derelinques me. Et licet is qui foris est, II Cor. iv, 16.
noster homo corrumpatur, tamen is qui
intus est, renovatur de die in diem in gra-
tia Dei, secundum Apostolum. Ista sunt
verba bonæ spei, non præsumptionis ini-
quæ : quoniam ex caritate ardenti et fidu-
cia magna mentis in Deo, ista dicuntur ab
Ecclesia seu quolibet justo.

(11) *Et despexit oculus meus* intellectu- 12
alis *inimicos meos,* dæmones hominesque
C perversos : quoniam propter spem quam
habeo in Domino Deo meo, non timeo
superari ab eis : sicut inferius dicitur, Do- Ps. cxvii.
minus mihi adjutor, non timebo quid fa-
ciat mihi homo. Et rursus scriptum est :
Timorem eorum ne timueritis, nec con- I Petr. iii, 14.
turbemini. Inimici nostri visibiles, scilicet
homines mali, in quantum sunt homines
gratiæ gloriæque capaces, amandi sunt,
juxta illud : Diligite inimicos vestros. In Matth. v, 44.
quantum vero sunt impii, et veritatis ad-
versarii, despiciendi sunt, odiendi et vili-
D pendendi. Unde superius de viro justo
præhabitum est : Ad nihilum deductus est Ps. xiv, 4.
in conspectu ejus malignus. *Et insurgen-
tibus in me* (injuste videlicet) *malignanti-
bus, audiet auris mea,* id est, cum quadam
derisione et sine pavore audiam minas eo-
rum. Vel, Insurgentibus in me malignanti-
bus, id est ad confusionem eorum, audiet
auris mea sententiam judicis justi, qui eos
damnabit, meque salvabit.

(12) *Justus,* id est divina mandata obser- 13
vans, *ut palma,* quæ est arbor fructifera,

Digitized by Google

florebit flore caritatis, virore virtutum ac A bonis operibus. Non enim florebit ut fœnum, quod statim siccatur et discoloratur, sed ut palma, quæ diu virescit atque fructificat. *Sicut cedrus Libani multiplicabitur*, procreatione spiritualium filiorum et numero meritorum. Quemadmodum namque cedrus crescens in monte Libano, est arbor decora, imputribilis, præ ceteris arboribus in sublime excrescens ; sic justus per gratiam splendet, per justitiam intus non veterascit, et proficiendo de bono in melius, super alios volat, neque quiescit B donec ad thronum gloriæ perducatur.

14 15 *Plantati*, id est fideles per fidem et obedientiam radicati, *in domo Domini*, id est in Ecclesia Christi, *in atriis domus Dei nostri*, id est in propriis cordibus, quæ sunt atria mansionis divinæ, quemadmodum ait Apostolus, Christum per fidem habitare in cordibus nostris, *florebunt*, proficiendo in gratia Dei : implentes illud Apostoli, Exhibete vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram Deo ; et alibi, Renovamini spiritu mentis vestræ. C Porro huic concordat comparationi, quod Dominus per Osee prophetam dicit : Ero quasi ros, et Israel germinabit quasi lilium. Erumpet radix ejus ut Libani ; ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus, et odor ejus ut Libani. Simile quoque est in Ecclesiastico : Obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate ; florete flores quasi lilium, et date odorem, et frondete in gratiam.

Ephes. III, 17. — Coloss. I, 22. — Ephes. IV, 23. — Osee XIV, 6, 7. — Eccli. XXXIX, 17, 19.

15 14 *Adhuc multiplicabuntur*, id est, ju- D giter perseverabunt in bono, et cumulabuntur multiplici dono Spiritus Sancti ac merito, *in senecta uberi*, id est in senectute fecunda, matura ac gravi, bonis operibus plena. De qua scribitur in libro Sapientiæ : Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata ; ætas senectutis, vita immaculata. *Et bene patientes erunt*, id est, hilariter atque feliciter patientur infusionem illustrationis divinæ. Unde secundum Philosophum, beneficiatus dicitur bene passus. Hæc namque est passio perfectiva, non
destructiva. *Ut annuntient* laudem Dei 16
quæ sequitur : 15 *Quoniam rectus*, id est justus, *Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* : quemadmodum et alibi dictum est : Non est apud Dominum nostrum iniquitas, nec acceptio personarum, nec cupido munerum. Et in libro Job : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. Deus etenim sublimis et benedictus, est omnis sanctitatis, veritatis et æquitatis causa fontana, judex non errans, conservator immobilis. Propter quod a Sapiente dicitur ei : Virtus tua, justitiæ initium est.

Sap. IV, 8, 9. — II Par. XIX, 7. — Job XXXIV, 10, 11. — Sap. XII, 16.

Ecce psalmum cœlesti melodia sonorum atque admiranda dulcedine plenum audivimus : in quo Dei laudatio commendatur, Creatoris beneficia recoluntur, Deus in suis effectibus glorificatur, inter electos reprobosque discernitur, Deus postremo benedicitur. Si ergo Dominum Deum nostrum diligimus, si ejus beneficiis grati exsistimus, si eum in suis operibus contemplari enitimur, si impiorum tormenta evadere, electorumque præmia adipisci conamur, studeamus hunc psalmum corde jucundo, devoto, custodito ac timorato depromere.

PRECATIO.

Virtutibus planta nos in domo tua, Domine, et ut bonum semen fac nos in omni speciosa religione fructificare : in quo ut palma flore justitiæ surgentes, in eo per te consummati, perenniter ante te floreamus exsultantes.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXI

EXPLANATIO PSALMI NONAGESIMI SECUNDI : DOMINUS REGNAVIT, DECOREM INDUTUS EST.

ASSIGNATUR autem psalmo præsenti hic A titulus : *Laus cantici, ipsi David, in die ante sabbatum, quando fundata est terra.* Dicit vero quidam hunc titulum non haberi in Hebræo, sed ab aliquo expositore appositum secundum suam voluntatem et imaginationem : et idem dicit frequenter in aliis psalmis. Sed dato quod ab aliquo expositore additus esset, non tamen bene sonat, quod ille titulum istum apposuit secundum suam voluntatem seu imaginationem : imo firmiter est credendum, titulos psalmorum secundum Spiritus Sancti in- B spirationem formatos esse, atque psalmis præpositos : quoniam omnes sancti catholicique doctores communiter approbant et exponunt hos titulos. — Est igitur sensus tituli hujus : Psalmus præsens est *laus cantici,* convenientis ac decantandi *ipsi David,* id est Christo, de quo psalmus iste ad litteram scriptus est. Laus, inquam, Christo decantanda *in die ante sabbatum,* id est propter ea quæ fecit ac passus est sexta feria, puta in die Parasceves, *quando fundata est terra,* id est, formata Ecclesia C
Joann. XIX, 34. per sanguinem de ejus latere emanantem. Secundum omnes expositores catholicos, psalmus iste ad litteram tractat de Christo et regno ipsius. Describit namque inchoationem, impugnationem et confirmationem regni Christi, quod est Ecclesia.

UNDE de inchoatione regni hujus ita
1 orditur : (1) *Dominus,* scilicet Chri-
Act. X, 36. stus : de quo Petrus ait, Hic est omnium Dominus ; et qui de se ipso asserit in
Joann. XIII, 13. Evangelio, Vos vocatis me, Magister et Do- D mine, et bene dicitis, sum etenim ; *regnavit,* per fidem in corde credentium, seu in Ecclesia militanti. Christus namque ut Deus, a principio mundi in cordibus electorum regnavit, subjiciendo eos per gratiam voluntati divinæ per humilem servitutem ; ut homo autem, habuit potestatem regnandi in toto mundo a suæ conceptionis principio. In eodem namque instanti, quo unita est ejus humanitas Verbo, data est ei virtus atque dominium super omnem creaturam. Propter quod ante passionem de Christo assertum est : Pater diligit Joann. III, 35.
Filium, et omnia dedit in manu ejus. Dum vero cœpit prædicare, miracula facere, di- Matth. IV, 17 et seq.
scipulosque colligere, tunc cœpit regnare Luc. I, 32.
in domo Jacob, et sedere super solium Da- Is. IX, 7.
vid. Post passionem autem, misso Spiritu Sancto, et Apostolis publice prædicantibus ac multa millia convertentibus, regnavit Christus aperte et late, donec per universum mundum diffusa est fides, Ecclesiaque constructa, et ipse Christus ab omni gente, tribu et lingua cognitus est ac honoratus. Tuncque impletum est illud Isaiæ: Redemptor tuus Sanctus Israel, Deus om- Is. LIV, 5.
nis terræ vocabitur.

Decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem. Cur non potius dicitur Dominus Christus Unigenitus Dei, tam speciosus et potens ut Pater, indutus deformitatem et infirmitatem seu fragilitatem, quia assumpsit carnem mortalem, naturam creatam, formam servilem, quæ respectu divinitatis Christi, non sunt decor et fortitudo, sed deformitas atque infirmitas? Sed ad hoc duplex responsio est : Prima, quod Christus Deus humanam naturam assumendo, dicitur indutus decorem et fortitudinem, quoniam licet ejus humanitas secundum se considerata, et divinitati

Digitized by Google

comparata, possit dici deformis ac fragilis, tamen in quantum est divinæ naturæ personali unione conjuncta, ejusque instrumentum effecta, vere appellatur decor ac fortitudo. Sic enim plena fuit a suæ creationis initio plenitudine omnium gratiarum, beatifica fruitione divinitatis, omnibusque donis Spiritus Sancti. Sic quoque per eam sunt facta miracula, debellatæ potestates aeriæ, reparatum genus humanum. Secunda responsio est, quod Christus dicitur indutus decorem, non in incarnatione, quando Verbum caro factum est; (Joann. I, 14.) B nec in passione, quando non fuit in eo (Is. LIII, 2. 4.) species neque decor, sed erat quasi leprosus et a Deo percussus : sed in resurrectione, quoniam tunc resumpsit corpus suum, non tale quale antea fuit, sed gloriosum, splendidum, agile, subtile, immortale. Idcirco tunc indutus est fortitudinem, id est corpus impassibile. Vel, Indutus est fortitudinem, quoniam tunc cœpit potestatem suam ostendere, dicendo illud, Data est (Matth. XXVIII, 18.) mihi omnis potestas in cœlo et in terra : quam tamen (ut dixi) ante passionem habebat, quoniam passione instante dixit, de se ipso loquens ad Patrem, Dedisti ei po- (Joann. XVII, 2.) testatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Quod etiam factis ostendit, quando solo verbo hostes suos prostravit. Quum namque dixisset Judæis, Ego sum, abierunt retror- (Ibid. XVIII, 6.) sum, et ceciderunt in terram. Tunc etiam eduxit Sanctos de limbo inferni, misitque Apostolis Spiritum Sanctum. Istud itaque divinitatis Christi indumentum decorum ac forte, est natura humana. De quo indumento scriptum est : Quare ergo rubrum (Is. LXIII, 2.) est indumentum tuum ?

Et præcinxit se Christus : id est, ad redimendum genus humanum, debellandumque dæmonum turbas paravit se, dicens ad Patrem : Si non potest hic calix trans- (Matth. XXVI, 42.) ire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Factus est enim obediens usque ad mor- (Philipp. II, 8.) tem, secundum Apostolum. Et exsulta- (Ps. XVIII, 6.) vit ut gigas ad currendam viam : quod S. Ambrosius in hymno eleganter et su- A pra humanum intellectum expressit, dicendo :

> Procedens e thalamo suo,
> Pudoris aula regia,
> Geminæ gigas substantiæ,
> Alacris ut currat viam.

Unde superius de Christo inductum est : Accingere gladio tuo super femur tuum, (Ps. XLIV, 4.) potentissime.

2. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Quamvis hoc accipi posset de creatione ac firma locatione terræ in medio mundi, quam Christus Deus condidit et firmavit, juxta illud, Ego sum (Is. XLIV, 24.) Dominus faciens omnia, extendens cœlos, stabiliens terram (quæ etiam terra non commovetur, quoad se totam, quum sit centrum mundi immobile : propter quod ait Scriptura, Generatio præterit, et gene- (Eccle. I, 4.) ratio advenit, terra vero in æternum stat); convenientius tamen exponitur iste versiculus de confirmatione Ecclesiæ; eritque sensus : *Etenim* Dominus Christus *firmavit* per adjutorium seu gratiam Spiritus C Sancti, *orbem terræ,* id est militantem Ecclesiam, per quatuor partes terræ diffusam. Christus Ecclesiam suam primitivam præcipue confirmavit in die Pentecostes, mittens ei Paracletum. Tunc enim implevit quod ante passionem promisit : Ego (Luc. XXI, 15.) dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Alibi quoque dixit ad Petrum : Tu es Petrus, et super hanc petram (Matth. XVI, 18.) ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. In tantum D namque confirmavit Christus Ecclesiam, ut dicat Apostolus : Ecclesia Dei vivi est (I Tim. III, 15.) columna et firmamentum veritatis. Unde in Actibus Apostolorum Lucas testatur : Ecclesia per totam Judæam et Samariam (Act. IX, 31.) habebat pacem ; et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Spiritus Sancti replebatur. Idcirco nunc subditur, *qui non commovebitur.* Ecclesia namque usque in finem mundi stabilis permanebit in fide servituteque Christi, qui regnabit in domo Jacob in æternum, (Luc. I, 32.)

Digitized by Google

et regni ejus non erit finis, juxta testimonium Gabrielis.

2 (3) *Parata sedes tua,* o Christe, id est thronus quo sedes ad dexteram Patris, de
Apoc. III, 21. quo dicis : Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus ; *ex tunc,* id est a principio mundi. Si enim omnibus sanctis hominibus paratum est regnum cœlorum ab ori-
Matth. XXV, 34. gine mundi, juxta illud, Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : quanto magis sedes tua cœlestis tibi parata est ab exordio sæculi? Vel, Parata est sedes tua, id B est cœlum empyreum : quod est sedes tua,
Is. LXVI, 1. juxta illud, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum ; quod etiam dicitur thronus tuus et omnium ele-
Apoc. III, 21. ctorum, de quo contestaris : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, id est in cœlo empyreo, in quo omnes Beati feliciter resident. Vel, Parata est sedes tua,
Sap. VII, 27. id est Ecclesia seu anima justi, quæ est sedes sapientiæ, ex tunc, id est a tempore prædicto, quo eam firmasti per gratiam Spiritus Sancti. Ex tunc enim parata est C ad tuam inhabitationem, obedientiam atque adventum, adimplens quod ei dixisti :
Luc. XXI, 36. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini stare ante Filium hominis.

A sæculo, id est ab æterno, *tu es* invariabiliter, secundum quod Deus. Unde dicit
Hebr. XIII, 8. Apostolus : Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. Et congrue ait, A sæculo tu es ; et non, Fuisti : quoniam Christus ut Deus, incommutabiliter per modum æternæ præsentiæ est, in qua non est prius aut D
Joann. VIII, 58. posterius. Propter quod ait : Antequam Abraham fieret, ego sum. Esse quippe, Deo verissime, plenissime, atque propriissime convenit, quoniam in eo est infinita plenitudo, immensa nobilitas, incircumscripta perfectio, simplicitasque perfecta essendi. Omnis autem creatura, per comparationem ad esse divinum, est potius nihil seu non esse, quam aliquid. Propterea
Exod. III, 14. Dominus ait ad Moysen : Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me A ad vos. Hinc quoque septimo de Trinitate Hilarius asserit : Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, manens causa, et naturalis proprietas.

(4) *Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam.* (5) *Elevaverunt flumina fluctus suos.* Per flumina quæ elevaverunt vocem suam, quidam intelligunt primos ac principales christianæ fidei prædicatores : qui flumina appellantur, quoniam aquam sapientiæ salutaris Eccli. XV cordibus hominum infuderunt : et hi, tanquam fideles, elevaverunt vocem suam, rationabiliter loquendo et fidem Christi publice prædicando. Per flumina vero quæ elevaverunt fluctus suos, intelligunt persecutores Ecclesiæ, scilicet principes sacerdotum, imperatores Romanos, ceterosque tyrannos, christianam doctrinam reprobantes et exstirpare conantes. Hi namque, sicut perversi ac reprobi, elevaverunt non vocem rationabilem, sed fluctus suos, id est graves comminationes, verba blasphemiæ, impetus passionum, persecutionesque duras contra Ecclesiam Christi et flumina Dei. Quidam vero utraque flumina cum suis elevationibus, exponunt de adversariis Christi et persecutoribus sacrosanctæ Ecclesiæ. Flumina autem, id est
tyranni, elevaverunt fluctus suos *a vocibus aquarum multarum,* id est per sermones seu verba multorum populorum, qui edicta tyrannorum perduxerunt ad actum. Erant namque ministri et executores sententiæ, quam contra Ecclesiam dictabant tyranni. 4

(6) *Mirabiles elationes maris,* id est, mirabiliter magnæ et atroces erant persecutiones sæculi hujus, seu hominum impiorum adversus Christi Ecclesiam. Sed et *mirabilis in altis Dominus,* id est, Christus qui martyres sanctos confortavit, Ecclesiamque protexit, mirabilis apparebat, et suam omnipotentiam ostendebat tempore persecutionum Ecclesiæ, in altis, id est in magnis miraculis, in sublimibus signis, in prodigiis inauditis : quæ fecit Deus per suos fideles, in tantum ut inter crudelissi-

Digitized by Google

mas persecutiones Ecclesia non solum non timeret, neque deficeret, sed mirabiliter dilataretur, augeretur, confortaretur, et cum ingenti alacritate universa tormenta perferret, donec tandem tyranni deficerent, ipsumque Romanum imperium fidei Christi collum suum subjiceret.

5 Propterea (7) *Testimonia tua*, o Christe, id est, quæcumque sacra Scriptura testatur de te, videlicet vaticinia Prophetarum, verba Evangelistarum, articuli fidei, *credibilia facta sunt nimis*, propter miracula quibus fidem confirmasti. Duæ sunt partes legis divinæ, utpote testimonia et præcepta. Testimonia pertinent ad credenda; præcepta, ad operanda. Duo quoque sunt modi probandi veritatem, videlicet naturalis rationis argumentatio, et divinorum miraculorum operatio. Testimonia autem fidei christianæ per naturalem rationem probari non valent, quoniam fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, secundum Apostolum. (*Hebr.* XI, 1.) Probantur autem per divina miracula, id est per opera talia, quæ fieri nequeunt nisi a Deo dumtaxat: sicut est mortuorum resurrectio, immutatio motus solis et lunæ, quæ fiebat Christo in cruce pendente, quantum ad lunam et supernaturalem solis eclipsim; futurorum pure contingentium certa prænuntiatio, secretorum cordis revelatio: quæ in nomine Christi et a Christo copiosissime facta sunt in lege et plebe christiana. (*Matth.* XXVII, 52; *Luc.* XXIII, 45.) Ex quibus certissime liquet, fidem Ecclesiæ esse veram atque divinam, vel (quod solo auditu horribile est) Deum esse falsitatis confirmatorem, hominumque deceptorem. Idcirco Joannes: Qui non credit (inquit) in Filium Dei, mendacem facit Deum, quoniam non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. (I *Joann.* V, 10.) Et iterum: Spiritus testificatur quoniam Christus est veritas. (*Ibid.* 6.) Hinc etiam Christus ait: Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. (*Joann.* V, 36.) Et iterum loquens Judæis: Si non facio, inquit, opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite. (*Ibid.* X, 37, 38.)

Ineffabiliter quoque roboratur fides nostra per hoc, quod non solum Christus, sed et ministri ejus prædicta signa fecerunt, sicut et Christus ante passionem promisit: Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. (*Joann.* XIV, 12.) Nos insuper evidentissime scimus, quales sint illi, per quos Christus miracula facit: quoniam homines sunt in omni virtute perfecti, qui sui ipsius privatum amorem penitus expulerunt, atque in Dei amore prorsus absorpti sunt, fide immobiles, spe longanimes, humillimi, mitissimi, innocentissimi, in divino obsequio maxime timorati, ferventes, continui.

Ecce, his bene pensatis, fiunt nobis testimonia fidei credibilia valde, inconcusse credentibus quoniam possibilius esset cœlum et terram perire, quam unum apicem de lege christiana falsificari. (*Luc.* XVI, 17.) Propter quod monet Apostolus: Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus. Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus? (*Hebr.* II, 1, 4.)

Domum tuam, id est Ecclesiam seu populum christianum, juxta illud Apostoli: Scias quomodo oportet te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia; (I *Tim.* III, 15.) *decet sanctitudo*, id est sancta conversatio et cordis munditia, *Domine, in longitudinem dierum*, id est perseveranter, quamdiu subsistit, ut serviat tibi in sanctitate et justitia omnibus diebus suis, (*Luc.* I, 75.) quemadmodum Petrus ait: Secundum eum qui vocavit vos, Sanctum, et ipsi sancti in omni conversatione sitis. (I *Petr.* I, 15.)

Ecce psalmum brevem verbo, sed sensu uberrimum, veritate conspicuum, mysteriis plenum, præconio Dei dulcissimum, venustissimumque audivimus: in quo anima sancta dulce, fiduciale ac amorosum habet cum Deo colloquium. Non ergo sine devotione præcipua cantetur hic psalmus

Digitized by Google

a nobis. Et ut sic eum mereamur cantare, purgemus nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, quatenus corpus nostrum sit templum Spiritus Sancti, et anima nostra sedes sit æternæ Sapientiæ, scilicet Christi : sicque sanctitudo ornet animam nostram et carnem spiritui obedientem, ut impleatur in nobis quod Moyses docet : Perfectus et absque macula eris cum Domino Deo tuo. Unde et Christus ait : Estote et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Omnino enim condecens est, ut domus suo habitatori conformetur et proportionetur. Si ergo esse optamus domus Christi, necesse est ut ejus conversationem sequamur, ejusque sanctitati assimilemur.

II Cor. vii, 1. Ibid. vi, 16; I Cor. iii, 16; vi, 19. Sap. vii, 27. Deut. xviii, 13. Matth. v, 48.

PRECATIO.

Domine, regnator cœli et terræ, indue nos bonorum operum decore et fortitudine gratiæ tuæ, ac præcinge castimoniæ virtute ; daque his nitidis et nuptialibus vestibus tibi venienti obviare, et ornatis lampadibus ad æternitatis nuptias tecum intrare : qui cum Deo Patre vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

ARTICULUS LXXII

ELUCIDATIO PSALMI NONAGESIMI TERTII : DEUS ULTIONUM DOMINUS.

Assignatur psalmo præsenti hic titulus: *Psalmus David, quarta sabbati :* id est, psalmus iste, qui est David prophetæ sicut auctoris, agit de his quæ signantur per opus quartæ diei sabbati seu septimanæ. Quemadmodum enim scriptum est in Genesi, quarta die facta sunt sidera cœli, et duo luminaria magna, videlicet sol et luna : quæ secundum divinum præceptum velocissime currunt, Creatori suo promptissime serviunt, sicut de sole scriptum est : Magnus Dominus qui fecit illum, et in sermonibus ejus festinavit iter. Per sidera vero et luminaria cœli, designantur electi ac justi, quibus ait Apostolus : Omnia facite sine murmuratione, ut sitis irreprehensibiles in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. De horum patientia, obedientia ac zelo justitiæ agit hic psalmus, in primis ostendens errorem ac justam damnationem eorum qui divinam providentiam negant, aitque :

Gen. i, 16-19. Eccli. xliii, 5. Philipp. ii, 14, 15.

1 (1) DEUS *ultionum,* id est justarum punitionum, *Dominus :* quoniam ex propria potestate ac æquitate ulciscitur de iniquis, quando, ubi, quomodo, et quantum vult. Non est autem qui possit eum in hoc impedire sive arguere : ideo additur, *Deus ultionum libere egit,* id est secundum quod ei placet. Non enim superioris alicujus legi subjicitur, sed ejus voluntas est causa omnis legis creatæ. Unde ait Apostolus : Omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ; et rursus, Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Nec dissonat quod ipse per Moysen ait : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. De justa vero, repentina ac libera ultione Dei, in Deuteronomio scriptum est : Dominus Deus fortis est, reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos, et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Et Nahum propheta ait : Deus æmulator et ulciscens Dominus, et habens furorem, ulciscens ipse in hostes suos.

Ephes. i, 11. Rom. ix, 18. Exod. xxxiii, 19. Deut. vii, 9, 10. Nahum i, 2.

Digitized by Google

Deinde Propheta conformans suum af-
2 fectum divinæ justitiæ, orat : (2) *Exalta-
re, id est, justitiam tuam declara, atque
te summum esse judicem universorum os-
tende, *qui judicas terram,* id est habitan-
tes in terra; *redde retributionem,* id est
justam pœnam, *superbis* tibi rebellibus,
puniendo eos nunc temporalibus pœnis,
ne æternaliter pereant. Debemus enim pro
omnibus orare in bonum, nec alicujus
æternam damnationem appetere, quum ju-
Luc. VI, 27. beamur inimicos diligere, et de nullo de-
sperare. Verumtamen conditionaliter pos-
sumus exorare pro impiorum damnatione
perpetua, scilicet si converti despiciant, et
obstinati permaneant : et tunc expedit eis
ut cito moriantur et pereant, ne diu viven-
Rom. II, 5. do, thesaurizent sibi iram in die justi ju-
dicii Dei. De talibus enim apud Amos pro-
Amos III, 10. phetam dicitur : Nescierunt facere rectum,
thesaurizantes impietatem.
3 (3) *Usquequo,* id est quamdiu, *peccatores,
Domine* juste judex, *usquequo peccatores
gloriabuntur,* non vera, sed falsa ac pes-
Prov. II, 14. sima gloriatione, videlicet quum malefe-
cerint, exsultantes in rebus pessimis? De
Jacob. IV, 16. quibus Jacobus : Nunc, ait, exsultatis in
superbiis vestris. Omnis exsultatio talis,
4 maligna est. Et usquequo, Domine, (4) *Ef-
fabuntur et loquentur,* id est, corde et ore
dicent, *iniquitatem,* id est verba iniqua :
loquentur, inquam, talia *omnes qui ope-
rantur injustitiam,* id est opera divinis
præceptis contraria?
5 (5) *Populum tuum, Domine,* tibi obedi-
entem, electum et pium, *humiliaverunt,*
id est, contempserunt ac oppresserunt; *et
hereditatem tuam,* videlicet populum jam
prædictum, quem tu hereditarie possides,
ipsum colendo, fecundando, conservando,
donec eum in vitam æternam promoveas,
6 *vexaverunt.* Nam (6) *Viduam* solatio viri
sui privatam, *et advenam,* scilicet pere-
grinum, compatriotarum auxilio destitu-
tum, *interfecerunt, et pupillos occiderunt.*
Isti sunt specialiter populus atque heredi-
Deut. X, 17, 18. tas Dei, et Deus specialiter vindicat eorum
injurias, juxta illud : Deus magnus, fortis

A atque terribilis, facit judicium pupillo et
viduæ, amatque peregrinum.
Sed quia veraciter scriptum est, Pecca- Eccli. III, 29.
tor adjiciet ad peccandum; idcirco istis
malignis non sufficit peccare hoc modo in
proximum, sed insuper peccant in Deum;
et sicut Judas apostolus in sua Canonica
dicit, Eum qui emit eos, Dominum ne- Judæ 4, 8; II Petr. II, 1.
gant, dominationem contemnunt, majesta-
tem blasphemant. Unde subjungitur :
(7) *Et dixerunt : Non videbit Dominus* 7
nos, *nec intelliget Deus Jacob* patriarchæ,
B seu populi ex eo nati, opera nostra. Quasi
dicant : Deus non habet particularem co-
gnitionem de individuis speciei humanæ,
nec distincte intelligit actus humanos, et
per consequens non est timendum divi-
num judicium, nec retributio in alio sæ-
culo exspectanda. Hic est pessimus error
negantium providentiam Dei. Ex quorum
persona dicitur in libro Job : An cogitas Job XXII, 12, 14.
quod Deus circa cardines cœli perambulat,
nec nostra considerat? De quibus etiam
Dominus ait per Malachiam prophetam :
C Invaluerunt super me verba vestra; et di- Malach. III, 13, 14.
xistis : Vanus est qui servit Domino; et
quod emolumentum, quia custodivimus
præcepta ejus? Contra hos arguit Dominus
per Jeremiam, dicens : Si occultabitur vir Jer. XXIII, 24.
in absconditis, et ego non videbo eum?
Numquid non cœlum et terram ego im-
pleo? dicit Dominus.
Nunc vero plenius argumentatur contra
eos Propheta. (8) *Intelligite* quæ sequuntur, 8
o *insipientes in populo; et stulti,* id est
vera fide atque notitia divinorum privati,
D *aliquando sapite,* id est, cum intellectuali
sapore intendite istud : (9) *Qui plantavit* 9
aurem, non audiet? id est, Deus qui dedit
hominibus sensum auditus, et ex fonte
propriæ sapientiæ instituit modum, viam
ac ordinem, quo alii audiunt, prævidens
scilicet quid ad audiendum exigatur, et
necessaria ad audiendum donans, non au-
diet ipse? id est, an ipse intellectualiter
non cognoscet quod tu sensibiliter audis?
quasi dicat, Imo. Nisi enim ipse omnia
præcognovisset, scilicet naturam verbo-

Digitized by Google

rum atque sonorum, cetera quoque prædi-
cta, non potuisset organum auditus plan-
tasse. Et simili modo de oculo arguit : *aut*
qui finxit oculum corporalem et interio-
rem, *non considerat ?* quasi dicat, Utique.
Nam quidquid perfectionis reperitur in
creaturis, excellentius perfectiusque in Cre-
10 atore consistit. (10) *Qui corripit gentes,* id
est, qui peccatores in hac vita flagellat pro
Exod. xiv. 27, 28. culpis, ut patet in Pharaone et in populo
ejus, quos submersit, et Chananæis, quos
per filios Israel interfecit ; vel, Qui corri-
pit gentes, id est, peccata earum redarguit
per Prophetas et alios Sanctos ; *non arguet*
etiam vos ? quasi dicat, Imo vos arguet
atque damnabit, sicut per Jeremiam fre-
Jer. v, 9. quenter testatur : Numquid super his non
visitabo, et in gente hujuscemodi non ul-
ciscetur anima mea ? *Qui docet hominem*
scientiam, dando ei legem scriptam et
evangelicam, nonne et ipse scientiam pro-
videntiamque habebit vitæ humanæ ? Qui
vellet hæc subtiliter considerare ac prose-
qui, posset ex eis insolubiles rationes eli-
cere, ad ostendendum providentiam Dei,
atque distinctam cognitionem intellectus
divini de omnibus rebus creatis.

11 (11) *Dominus scit cogitationes hominum :*
omnia enim aperta sunt oculis ejus et nu-
da ; *quoniam vanæ sunt,* id est, hoc scit
de eis, quod inanes ac fatuæ sunt. Hoc au-
tem probat Dominus in Apocalypsi, incre-
pando mulierem nefariam Jezabel, minan-
do ei pœnam durissimam : unde concludit,
Apoc. ii, 23. Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum
scrutans corda et renes, et dabo unicuique
secundum opera sua. Hunc versum allegat
I Cor. iii, 20. Apostolus hoc modo : Dominus scit cogi-
tationes sapientium, quoniam vanæ sunt.

12 (12) *Beatus homo quem tu erudieris, Do-*
mine, per inspirationem internam, per il-
luminationem occultam, specialem, atque
continuam, *et de lege tua* data per Moysen
atque per Christum, *docueris eum,* dando
ei gratiam sane ac lucide intelligendi ob-
servandique eam. Propterea ad Colossenses
Coloss. i, 9, 10. primo, orat Apostolus : Postulamus ut im-
pleamini agnitione voluntatis Dei in omni
A sapientia et intellectu spirituali, ut ambu-
letis digne Deo, per omnia crescentes in
scientia Dei. Et ad Ephesios : Pater gloriæ Ephes. i,
det vobis spiritum sapientiæ, ut sciatis 17, 18.
quæ sit spes vocationis vestræ. Unde ait
sermo divinus : Populus non intelligens Osee iv, 14.
vapulabit. Sed quia secundum Scripturam,
in malevolam animam non introibit sa- Sap. i, 4.
pientia, nec habitabit in corpore subdito
peccatis : idcirco qui hanc beatitudinem
divinæ eruditionis consequi cupit, remo-
veat obicem, id est, peccata abhorreat,
B pœniteat, confiteatur, se corrigat ; tunc-
que pro gratia divinæ illustrationis exoret,
et experietur verum esse quod scriptum
est : Si quis indiget sapientia, postulet a Jacob. i, 5.
Deo, et dabitur ei. Itaque, Domine, beatus
quem ita docueris, ad hoc scilicet, (13) *Ut* 13
mitiges ei tempus hujus exsilii *a diebus*
malis, in quibus maligni et impii glori-
antur et florent, ipse vero tribulatur et
plangit : id est, ut pie ac dulciter secum
agas, quatenus tribulationes quæ sibi con-
tingunt, æquanimiter patiatur, neque de
C impiorum prosperitate tristetur, arbitran-
do eam aliquid esse, aut appetibilem fore.
Mitiges, inquam, ei tamdiu, *donec fodia-*
tur peccatori fovea monumenti, et lacus
inferni ei præstetur, id est, donec peccator
moriatur, corpusque ejus in sepulcro, ani-
ma vero in inferno locetur : quo facto, ip-
sum a te eruditum tandem perduces ad
gloriam.

Hæc autem beneficia dabit Deus peten-
tibus se, (14) *Quia non repellet Dominus* 14
plebem suam fidelem, id est, preces ejus
D non spernit, desideria ejus adimplet, ob-
sequiumque acceptat ; *et hereditatem su-*
am, id est gregem electorum, *non derelin-*
quet finaliter. Propter quod ait Apostolus :
Non repulit Dominus plebem suam, quam Rom. xi, 2.
præscivit. Et Salvator : Nolite timere, pu- Luc. xii, 32.
sillus grex, quia complacuit Patri vestro
dare vobis regnum. Non itaque derelin-
quet eam, (15) *Quoadusque justitia* ejus *con-* 15
vertatur, id est procedat, *in judicium,* id
est in actum seu exsecutionem justitiæ,
dando bonis et malis congrua præmia :

Digitized by Google

quod erit in die judicii. Interim ergo Deus A
suos custodit per gratiam, ne decipiantur
et penitus opprimantur ab impiis; post
judicium vero eos custodiet per gloriam,
ut nihil mali patiantur a malis. *Et qui
juxta illam?* id est, qui homines nunc di-
vinæ justitiæ acquiescunt, et in futuro ju-
dicio ei concorditer adhærebunt? Respon-
det : *Omnes qui recto sunt corde,* id est
omnes justi. Horum namque intentio, af-
fectio et conversatio, divinæ justitiæ pla-
cet, adhæret, et æternaliter conjungetur.
Nam quum similitudo sit causa amoris ac B
unionis, Deus justus justos sibi conjungit,
Num. XVI, 5. eosque diligit. Unde Moyses ait : Notum
faciet Dominus qui ad se pertineant, et
sanctos applicabit sibi; et quos elegerit,
appropinquabunt ei.

Deinde Propheta in persona hominis ju-
sti loquens, accensus amore Dei ac proxi-
III Reg. XIX, 10. mi, zelo zelatur pro Domino exercituum,
atque pro conservatione servorum Dei in
16 bono, et ait : (16) *Quis consurget mihi,* id
est ad salutem meam, *adversus malignan-
tes?* id est, quis me juvabit, ut malignis C
resistam, eorumque impia gesta impedi-
am, ne eorum malo exemplo aliquis infi-
ciatur, et Deo a multis irreverentia irro-
getur? *aut quis stabit mecum,* id est, quis
mihi constanter adsistet, *adversus operan-
tes iniquitatem?* ne ipsi quod moliuntur,
exsequi valeant, sed justa pœna plectan-
tur. Hoc sancto zelo inflammatum erat cor
Moysis, qui dixit, quum fecissent filii Is-
rael vitulum aureum atque conflatilem :
Exod. XXXII, 26, 27. Si quis est Domini, jungatur mihi, et po-
nat vir gladium super femur suum, et D
occidat unusquisque fratrem et amicum
et proximum suum.

17 (17) *Nisi quia Dominus adjuvit me,* id
est, si Dominus non adjuvisset me adver-
sus malignos, *paulo minus,* id est pene,
habitasset in inferno anima mea, id est,
eorum malis consiliis impiisque exemplis
seductus fuissem, mortaliterque peccas-
sem : et ita habitasset anima mea in infer-
no post terminum vitæ præsentis; et etiam
in hac vita habitasset in inferno, faciendo
opera quibus ad infernum venitur : quem-
admodum viatores sancti dicuntur habi-
tare et conversationem habere in cœlo, Philipp. III, 20.
quoniam faciunt opera quibus ad regnum
cœleste pertingitur. Vel, In inferno, id est
in peccato mortali, quod est causa per-
veniendi ad pœnas inferni. Imo veraciter
dicere potest omnis qui mortaliter Deum
offendit, et tamen nondum in infernum
projectus est : Nisi quia Dominus adjuvit
me, id est, nisi pietas Dei misericorditer
mecum egisset,totaliter habitasset per dam-
nationem æternam in inferno anima mea.
Dum enim homo mortaliter peccat, mere-
tur omnibus beneficiis gratiæ Dei privari,
et pœnam æternam incidere : unde quod
pœna inferni sibi differtur, misericordiæ
Dei adscribere necesse est. Ideoque a Je-
remia dicitur : Misericordiæ Domini, quia Thren. III, 22.
non sumus consumpti.

Quoniam vero ad humilem propriæ in-
firmitatis confessionem sequitur pia sub-
ventio Dei, subjungitur : (18) *Si dicebam* 18
mente coram te, seu corde in humili con-
fessione : *Motus est* a rectitudine vitæ et
observatione legis divinæ, *pes meus,* id
est affectus cordis mei seu gressus con-
versationis meæ, *misericordia tua, Domi-
ne, adjuvit* me :* id est, tunc misericordia * alias *adjuvabat*
tua statim mihi subvenit, indulgentiam
præstitit, gratiamque infudit. Unde Job :
Vias, inquit, meas in conspectu ejus ar- Job XIII, 15, 16.
guam; et ipse erit salvator meus. Hoc
autem consequenter clarius manifestatur.

(19) *Secundum multitudinem dolorum me-* 19
orum in corde meo, id est, secundum quod
multipliciter afflictus sum corde pro ju-
stis causis, scilicet pro peccatis propriis
aut alienis, pro dilatione felicitatis æter-
næ, pro injuria majestatis divinæ, *conso-
lationes tuæ lætificaverunt animam me-
am,* id est, multiformiter consolatus es me
consolatione spirituali, occulta, angelica.
Hoc est quod dicit Apostolus : Sicut abun- II Cor. I, 5.
dant passiones Christi in nobis, ita et per
Christum abundat consolatio nostra. Et
denuo : Benedictus Deus, qui consolatur Ibid. 3, 4.
nos in omni tribulatione nostra. Hinc quo-

Digitized by Google

Tob. III, 22. que alibi scriptum est : Post tempestatem, A
Domine, tranquillum facis, et post fletum
exsultationem infundis. Omnis nempe qui
pro causa honesta affligitur, dummodo af-
flictionem suam æquanimiter toleret, om-
nemque carnalem ac vilem delectationem
despiciat, promeretur consolari a Domino
tanto exuberantius, quanto abundantius
dolet. Si igitur ad divinarum consolatio-
num, quæ veræ dulcissimæque consistunt,
gustum pertingere nitimur, multarum tri-
bulationum afflictionem perpeti non de-
dignemur, sed gratulemur : quoniam si B
II Cor. I, 7. socii fuerimus passionis, erimus et socii
consolationis, secundum Apostolum.

20 (20) *Numquid adhæret tibi sedes ini-
quitatis,* id est anima injusta (quæ est se-
Sap. VII, 27. des peccati, sicut anima justa est sedes
sapientiæ et virtutis) : id est, numquid pec-
cator tecum erit, aut tibi placebit, *qui fin-
gis laborem in præcepto,* id est, qui facis
quamdam difficultatem esse in observa-
tione præceptorum tuorum ? Non enim si-
ne labore implemus divina mandata. Nam
secundum Philosophum, Ars et virtus sunt C
circa difficilia. Propter quod dictum est
Ps. XVI, 4. supra : Propter verba labiorum tuorum
ego custodivi vias duras. Itaque dicit :
Numquid adhæret tibi, etc. ? quasi dicat,
Deut. XXXII, 4. Non : quoniam sicut alibi habetur, Deus
fidelis et absque ulla iniquitate, justus et
rectus. Idcirco injusti nequaquam ei ad-
hærent, præsertim quum Salomon dicat :
Prov. XV, 29. Longe est Dominus a peccatoribus. Pecca-
Is. LIX, 2. ta enim dividunt inter Deum et nos, sicut
Isaias asserit. Vel, Qui fingis laborem in
præcepto, id est, qui formas, facis et pla- D
smas de ipso labore atque dolore præce-
ptum, quoniam præcipis nos in hac vita
Matth. V, 5. laborare atque dolere, dicendo, Beati qui
lugent, quoniam ipsi consolabuntur ; et
Ibid. XI, 12. iterum, Regnum cœlorum vim patitur, et
violenti rapiunt illud. Propter quod Pau-
II Tim. II, 3. lus, Labora, inquit, sicut bonus miles Chri-
Jacob. IV, 9. sti ; et Jacobus, Risus vester in luctum
convertatur, et gaudium in mœrorem.

Potest quoque hic versus ad hominem
dirigi, et de peccatore exponi ; eritque sen-
sus : *Numquid,* o homo, *adhæret tibi sedes
iniquitatis,* id est, numquid inseparabili-
ter adhæret tibi iniquitas, seu habituatio
in peccato, quæ est cathedra pestilentiæ, Ps. I, 1
qui fingis laborem in præcepto, id est, qui
mendaciter dicis te non posse Dei manda-
ta implere ? quasi dicat, Non. Potest enim
se homo corrigere, quamdiu in via est.
Istud dicitur contra eos, qui quum admo-
nentur cessare a peccato, et viam pœni-
tentiæ introire, respondent : Non possum
consuetudinem meam relinquere, nec mun-
dum deserere, nec concupiscentias refre-
nare ; itemque : Non possum jejunare,
multum orare, diu vigilare, in solitudine
esse. Horum damnatio justa est, quoni-
am mentiuntur, et Deum indiscretum af-
firmant, quasi Deus aliquid impossibile
jusserit ; fatentur quoque suum affectum
divinæ voluntati omnino esse contrarium.

(21) *Captabunt,* id est, frequenter vio- 21
lentiam facient, *in animam justi,* quatenus
falsis persuasionibus, perversis operibus,
minis aut blandimentis eam a virtutibus
separent, gravent, ac perimant. Unde tali-
bus Dominus ait : Mœrere fecistis cor justi Ezech. XIII, 22.
mendaciter, quem ego non contristavi ; et
confortastis manus impii. Et vir justus ait
iniquis : Usquequo affligitis animam me- Job XIX, 2, 3.
am, et atteritis me sermonibus ? En decies
confunditis me, et non erubescitis oppri-
mentes me. *Et sanguinem innocentem,* id
est hominem justum ac simplicem, *con-
demnabunt,* vitam ejus reprobando, seu
ipsum morte dignum asserendo. Ideoque
scriptum est : Interfecerunt animas quæ Ezech. XIII, 19.
non moriuntur, et vivificabant animas quæ
non vivunt. (22) *Et factus est mihi Domi-* 22
nus in refugium : quoniam dedit mihi ca-
ritatem et spem, quibus ad ipsum fiducia-
liter in omni necessitate confugio ; *et Deus
meus* factus est mihi *in adjutorium spei
meæ,* id est, Deus ad effectum perducet
spem meam, cooperando mihi per gratiam
suam, ita ut non frustrer spe mea, sed om- Philipp. IV, 13.
nia possim in eo qui me confortat. (23) *Et* 23
reddet illis, scilicet impiis, *iniquitatem
ipsorum,* id est justa tormenta, quæ eorum

Digitized by Google

peccata merentur, prout apud Joelem asseritur : Cito velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum. (*Joel iii, 4.*) *Et in malitia eorum,* id est propter malam vitam eorum, *disperdet,* id est, diversimode perdet, *eos,* prout singuli diversimode promerentur. Dabit enim unicuique tantum de pœna, quantum gloriatur in culpa, juxta illud Joannis in Apocalypsi : Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. (*Apoc. xviii.*) *Disperdet illos Dominus Deus noster,* id est, Christus omnium judex in die judicii dicet ad eos : B Ite, maledicti, in ignem æternum. (*Matth. xxv.*)

Discamus ex psalmo præsenti divinam ultionem metuere, omniaque peccata cordialiter abhorrere, ne, dum psalmum hunc dicimus, os nostrum condemnet nos. Nam sicut in Ecclesiastico legitur, Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam (*Eccli. xxi.*); sic dum peccator vitia exsecratur, semetipsum condemnat. Propter quod dicit Apostolus : In quo alium judicas, te ipsum condemnas. (*Rom. ii, 1.*) Taliter ergo Christo judici ministremus, taliterque di- A vinæ voluntati ipsius nostrum conformemus affectum, ut mente sincera atque secura contra perversos cum ipso loquamur, ejusque providentiam ac rigorosum judicium indesinenter pensemus, dicentes cum sancto Job : Nonne Deus considerat vias meas, et omnes gressus meos dinumerat ? (*Job xxxi, 4.*) Itemque : Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. (*Ibid. ix, 28.*)

Postremo, quia in psalmis jam explanatis sæpe fit mentiò de sabbato, sciendum quod triplex est sabbatum, videlicet : sabbatum temporis, quod est dies hebdomadæ, seu ipsa hebdomada; secundum, est sabbatum mentis, id est quies conscientiæ immaculatæ : tertium vero, est sabbatum æternitatis, de quo agitur in psalmo præsenti.

PRECATIO.

Deus, auxilium spei nostræ, in omni necessitate esto refugium familiæ tuæ; mitiga nobis a diebus malis, et semper lætificent animam nostram consolationes tuæ pietatis.

ARTICULUS LXXIII

EXPOSITIO PSALMI NONAGESIMI QUARTI : VENITE, EXSULTEMUS DOMINO.

Hujus psalmi titulus est : *Laus cantici ipsi David :* id est, psalmus præsens, qui est laus spiritualis exsultationis, de contemplatione Divinitatis concepta, cantatur ipsi David, id est Christo. Dum namque in titulis dicitur, Ipsi David, per David intelligitur Christus communiter. Agit namque hic psalmus de tempore gratiæ, quo per Christi mysteria ad requiem sempiternam deducimur. Loquitur itaque psalmus iste de Christo et ejus adventu, atque introitu cœlestis quietis seu regni cœlorum. Nam Paulus apostolus ad Hebræos psalmum D istum allegat ab illo versu, Hodie si vocem (*Hebr. iii, 7.*) C ejus audieritis, usque ad finem, tanquam loquentem de Christo, et ingressu regni cœlestis, nobis per Christum patefacto. Ubi etiam asserit psalmum istum a David compositum, inter cetera sic dicens : Propter quod determinat diem quemdam in David, dicendo : Hodie si vocem ejus audieritis, etc. (*Hebr. iv, 7.*)

Ex quo absolute concluditur omni Christiano, quod dictum Hebræorum, dicentium undecim psalmos istos, scilicet, Domine, refugium factus es nobis, (*Ps. lxxxix.*) et eos qui sequuntur, usque ad psalmum qui incipit, Misericordiam et judicium cantabo tibi, (*Ps. c.*)

Digitized by Google

Domine, inter quos hic psalmus continetur, editos a Moyse, falsum sit. Et quidam qui Hebræos sequens, affirmat hos psalmos a Moyse factos, isto excepto, fundamento ruinoso innititur. Denique, ubicumque in Scriptura canonica novi Testamenti allegantur verba psalmorum, vel nullus auctor, vel David exprimitur. Unde probabile valde est, omnes psalmos a David conscriptos. Nec valet, si quis dicere velit, ideo interdum non exprimi David, quia non omnes psalmos composuit : quoniam etiam in illorum allegatione psalmorum, quos omnes concorditer dicunt a David factos, non semper exprimitur ipse David in Scriptura novi Testamenti, quemadmodum subtiliter consideranti patescit.

INVITANS itaque sanctus Propheta nos omnes ad præcordiale præconium summæ Trinitatis, unius veri ac simplicis Dei seu Christi, qui in unitate Personæ est Deus
1 et homo, ait : (1) *Venite*, mentis affectu, et si
opus est, etiam corporis gressu, quatenus mente et corpore adunati, agamus quæ sequuntur. Venite, qui distatis a Deo per reprobam vitam : venite, inquam, id est, ad ea quæ sequuntur, vos præparate per humilem confessionem et satisfactionem iniquitatum vestrarum. Venite, o omnes devoti ac religiosi, id est, a diversis ac multis rebus, quæ non sunt necessariæ, mentes
Luc. x, 42. vestras abstrahite, et ad illud unum, quod
solum necessarium est, accedite. Venite, per fidei contemplationem, per spei certissimam præstolationem, per caritatis fervorem. Venite, per puritatem mentalem, per laudem vocalem, per conversationem laudabilem. Venite, cognoscendo, diligendo et operando. *Exsultemus Domino*, id est, tam vehementer intus in Domino gaudeamus, atque ad gloriam ejus jucundemur, ut interioris lætitiæ signa foris appareant. Exsultemus ergo Domino, id est, de ejus bonitate immensa et beneficiis gloriemur, quemadmodum Habacuc dicit :
Habac. III, 18. Ego autem in Domino gaudebo, et exsul-
tabo in Deo Jesu meo. *Jubilemus Deo sa-*
A *lutari nostro* : id est, in Christo nostro Salvatore, seu Deo trino, salvatore ac salutari nostro, id est salutis nostræ objecto et causa, tam exuberanter lætemur in anima, ut gaudium illud præ suo excessu nec penitus possit restringi seu occultari, nec integre explicari. Exsultatio namque est exhilaratio mentis, foris ostensa per sensibilia signa : quoniam exsultare, est extra se saltare. Jubilatio autem est tam copiosa mentis in Deo jucunditas, ut nec penitus contineri, nec plene valeat exprimi.
B (2) *Præoccupemus faciem ejus*, id est, 2
adspectum Dei nostri seu ejus præsentiam præveniamus, ita quod ipsum in primis quæramus, quemadmodum scriptum est :
Primum quærite regnum Dei et justitiam Matth. VI, 33.
ejus. Præoccupemus, inquam, *in confessione* jucunda suæ bonitatis, in confessione quoque dolorosa nostræ pravitatis. Vel : Præoccupemus faciem ejus, id est, futurum ejus adventum, quo in judicio præsens videbitur, præveniamus in confessione peccatorum nostrorum, studentes mitigare C ejus furorem, ipsumque placatum habere in die judicii : quia tunc hilariter eum sunt visuri, qui modo quotidie satagunt ei reconciliari. Vel : Præoccupemus faciem ejus, id est, omnia divinæ venerationis impedimenta in primis a corde nostro projiciamus, et antequam aliquam cogitationem extraneam aut phantasma inane admittamus, præveniamus, contemplemur, ac honoremus Dei præsentiam. *Et in psalmis*, id est canticis spiritualibus, carminibus quoque devotis, *jubilemus ei*, ipsum ore D laudando, quemadmodum docet Apostolus : Implemini Spiritu Sancto, cantantes Ephes. V, 18, 19.
et psallentes in cordibus vestris Domino semper.

Hunc psalmum in principio Matutinarum proferimus, quatenus cor nostrum ex verbis igneis psalmi præsentis, divini amoris calore flammescat, divinumque obsequium hilariter, prompte ac fervide inchoet, non pigra, vaga, frigida, indevotaque mente. Sed et quum soli sumus, dicere possumus : Venite, exsultemus Domino, etc., id est,

Digitized by Google

o omnes vires animæ meæ, tota substantia A
mea, o omnia quæ intra me sunt, et præsertim, o ratio, voluntas, atque memoria, venite : ita quod ratio consideret divina, voluntas eadem appetat, memoria autem stabiliatur in illis; exsultemus concorditer Domino : sicut jam dictum est.

Consequenter assignantur variæ causæ,
3 cur ista agere debeamus. 3 *Quoniam Deus* Trinitas, seu Christus Deus incarnatus, est
Esther XIII, 9. *magnus Dominus :* quoniam in ditione ejus universa sunt posita, et non est qui possit ejus voluntati resistere, ut scriptum B
est in libro Esther. Ipse quoque est *et rex magnus,* imo immensus atque omnipotens, *super omnes deos,* qui per gratiam facti
II Petr. I, 4. sunt divinæ naturæ consortes, videlicet super omnes Sanctos in cœlo terraque viventes. Omnes enim hi dii, sunt creaturæ summi Dei, ab ejus excellentia infinite deficientes; et solus Deus est universalis Dominus ac generalis rex. Creaturæ vero sortiuntur ab eo aliquod particulare dominium, specialeque regnum, et comparantur ad Deum sicut ministri ad dominum, in- C
strumenta ad principalem agentem, causæ secundæ ad causam primam ac indepen-
Rom. XIII, 1. dentem. Unde Apostolus : Non est potestas
Ibid. 2. 4. nisi a Deo; et : Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; minister enim Dei est, scilicet princeps terrenus. Hinc etiam Jethro cognatus Moysis, auditis mirabilibus
Exod. XVIII, 11. Dei, dixit : Nunc cognovi quoniam magnus Dominus super omnes deos.

Quoniam non repellet Dominus plebem suam. Hoc ad Judæos referri potest, quos
Rom. XI, 5. Deus non totaliter destruit, quia reliquiæ D
per electionem salvæ factæ sunt, secundum Apostolum, et in fine sæculi convertentur ad Christum. Propter quod de eis
Ibid. 1. dicit Apostolus : Numquid repulit Dominus plebem suam? Absit. Melius tamen exponitur de populo christiano, Christi sacratissimo sanguine liberato, quem Chri-
Joann. VI, 37. stus non repellit, sicut testatur : Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Hæc
Psal. XCIII, 14. verba in præcedenti psalmo dicta atque exposita sunt, nec pertinent ad psalmum hunc, quamvis quotidiano Officio annectantur.

Deus itaque est rex magnus, etc., (4) *Quia* 4
in manu ejus sunt omnes fines terræ, id est, in sua potestate consistunt omnia climata mundi, et habitatores eorum, videlicet omnes gentes. Omnia enim creavit, conservat, destruere potest; et de gentibus quas vult, misericorditer salvat, et quas vult, juste relinquit ac damnat. *Et altitudines montium,* id est virtutes, perfectiones, et gratiæ angelorum sanctorum, hominumque bonorum seu prædicatorum, *ipsius sunt,* id est Christi, quoniam omnia bona ab ipso originaliter fluunt. Unde
Apostolus : Gratia, inquit, Dei sum id quod I Cor. XV, 10.
sum. (5) *Quoniam ipsius est mare,* id est 5
Oceanus terram circumdans, ex quo cetera maria derivantur, *et ipse fecit illud,* sicut et cetera elementa. Propter quod Jonas lo-
quitur : Deum cœli ego timeo, qui creavit Jonæ I, 9.
mare et aridam. *Et siccam,* id est terram, ex sua natura siccam et frigidam, *manus ejus fundaverunt,* id est omnipotens virtus Dei, seu sapientia atque potentia ejus,
juxta illud : Dominus sapientia fundavit Prov. III, 19.
terram.

Idcirco (6) *Venite :* secundum modos præ- 6
tactos ; *adoremus* adoratione latriæ, soli Deo exhibenda, *et procidamus,* id est, humiliter prosternamur, *et ploremus* præ nimio desiderio exsistendi cum Deo, et propter nostra et aliorum peccata, *ante Dominum qui fecit nos,* constituendo nos ipsos in ejus præsentia per contemplatio-
nem fidelem : dicentes cum Elia, Vivit Do- III Reg. XVII, 1.
minus, in cujus conspectu adsistimus; nullam sinistram intentionem habentes, sed Dei in omnibus quærentes honorem, atque
illud Apostoli adimplentes, Unanimes, uno Rom. XV, 6.
ore honorificetis Deum et Patrem. *Quia* 7
ipse est Dominus Deus noster, qui creavit nos, nosque gubernat, pascit, conservat ac perficit. Ideo subditur : (7) *Et nos sumus populus pascuæ ejus,* id est, pascuis ejus nutrimur mente et corpore, scilicet cibo ac potu corporali, Sacramento altaris, et gratia devotionis, quæ est optima alimo-

Digitized by Google

Hebr. XIII, 9. nia mentis, quoniam optimum est gratia A
stabiliri cor, secundum Apostolum. Sumus quoque *et oves manus ejus,* id est oves potestatis divinæ, seu in potestate Dei constitutæ, quoniam in manu ejus est tota salus nostra.

8
(8) *Hodie si vocem ejus audieritis,* etc. Secundum expositionem certissimam sancti Apostoli, ista dicuntur specialiter ad
Ibid. III, 7-IV, 11. Judæos qui erant tempore evangelicæ prædicationis : quos hortatur Propheta, ut tempore gratiæ evangelicam legem recipiant, ne sint rebelles Filio Dei, quemad- B
modum patres eorum rebelles fuerunt Deo Patri. Ait ergo : *Hodie,* id est tempore gra-
Zach. II, 11. tiæ, quod dicitur dies, ut Zacharias ait, In die illa applicabuntur gentes multæ ad Do-
Is. IV, 2. minum ; et Isaias, In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria ; *si vocem ejus,* id est prædicationem Christi vel discipulorum ipsius, *audieritis,* o Judæi, *nolite obdurare corda vestra,* id est, nolite
9
esse increduli et perversi, *sicut in irritatione* illa contigit, *secundum diem tentationis in deserto,* id est in die qua ex C
incredulitate experiri volebant potentiam meam, et veritatem verborum meorum.
(9) *Ubi tentaverunt me patres vestri,* in de-
Exod. XVII, 7. serto dicentes : Estne Deus in nobis, an non ? Hic loquitur Propheta in persona Dei. *Probaverunt* per experientiam, quid agere possem, *et viderunt* oculis propriis *opera mea* mirabilia in Ægypto, in mari Rubro, atque deserto. Sumitur autem hoc loco, *si,* pro *quia :* ut sit sensus, Si vocem ejus audieritis, id est, quia eam audietis. Secundum quem etiam modum loquitur D
Joann. V, 43. Christus Judæis de Antichristo : Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me ; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

Hortatur ergo nos Spiritus Sanctus, ne obduremus corda nostra, repellendo a nobis evangelica documenta, dum vocem seu doctrinam Salvatoris audimus, sicut populus ille Hebræorum cor suum obduravit, Deum irritans, id est, ad justam ultionem inducens. Quilibet etiam nostrum, verba hæc ad interiora sua dicere potest hoc modo : *Hodie,* scilicet in die præsenti, *si vocem ejus audieritis,* o intellectus, memoria, atque voluntas animæ meæ, *nolite obdurare corda vestra,* id est proposita vestra ; sed auscultate diligenter, tenete memoriter, adimplete viriliter quæcumque vobis dicuntur.

(10) *Quadraginta annis offensus fui generationi illi :* id est, populo Judæorum 10
me tentanti irascebar, eum juste castigans toto tempore quo ipsum per desertum deduxi, quia (sicut in Deuteronomio legitur) *Deut.* XXXI, 27.
semper contentiose egit contra me. Alia littera habet, Proximus fui generationi huic : quoniam Deus non reliquit eos in toto ; imo indesinenter pluit illis manna, præcessitque in die per columnam nubis, in nocte autem per columnam ignis. Propter quod Moyses : Non est, inquit, alia *Ibid.* IV, 7.
natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest Dominus Deus noster cunctis obsecrationibus nostris. *Et dixi* per angelum ad Moysen, per Moysen quoque ad populum, eum reprehendendo : *Semper hi,* mihi ingrati et murmuratores increduli, *errant corde,* falsitati credendo, et illicita appetendo.

(11) *Et isti non cognoverunt vias meas,* 11
id est, mandata mea non agnoverunt per approbationem mentis et obedientiam voluntatis : cognoverunt tamen ea per cognitionem informem, quoniam Moyses legem omnibus manifeste proposuit. Vel : Non cognoverunt vias meas, id est, opera mea miraculosa spiritualiter non intellexerunt, neque ex eis consideraverunt quæ merito considerassent. Hinc namque Moyses ait ad eos : Vos vidistis universa magnalia *Ibid.* XXIX, 2, 4.
quæ coram vobis Dominus fecit, et non dedit vobis Dominus cor intelligens usque in præsentem diem. Tales quoque fuerunt filii eorum, scilicet Judæi qui erant tempore Christi et Apostolorum. Propter quod Christus ait ad ipsos : Cæci duces cæco- *Matth.* XXIII, 32.
rum, implete mensuram patrum vestrorum. Et Augustinus : Murmuratores, ait, [illegible]
filii murmuratorum. *Quibus juravi*,* id

Digitized by Google

est, firmiter dixi per Moysen : *Si introibunt in requiem meam,* id est, non ingredientur terram promissionis, in qua quietam habitationem eis dedissem, nisi inobedientes fuissent, sicut scriptum est :
Num. XIV, 29, 30. Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam ut darem eam vobis. Hic sumitur *si,* pro *non :* secundum quem modum acci-
Amos III, 6. pitur, quum per Amos dicitur, Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecit.

Denique, quoniam terra promissionis erat figura regni cœlestis seu patriæ, et quies illius figura fuit quietis Beatorum in cœlis; idcirco intendit David per verba hæc admonere fideles, et maxime populum Hebræorum, ne propter rebellionem ad Christum, impediantur ab introitu patriæ, quæ est terra viventium, in qua est quies perfecta omnium Beatorum. Propter quod mo-
Hebr. III, 12, 13. net Apostolus : Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum discedendi a Deo vivo et vero; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Et ali-
Ibid. IV, 11. bi : Festinemus ingredi in illam requiem.

Ecce psalmum omni jucunditate plenum audivimus : psalmum utique igne Spiritus A Sancti animam piam totaliter inflammantem : quem decet nos præcipue cum omni attentione atque fervore cantare, audire seu legere in exordio matutinalis Officii, quatenus opus Dei ardenter inchoantes, totum diem salubriter expendamus. Agamus igitur ad quod in psalmo præsenti invitamur; et dum ad matutinale Officium surgimus, strenue inchoemus, omnes cogitationes inanes et phantasmata inutilia procul a corde pellamus, cum solo Deo cor nostrum sollicite occupemus, dicentes ad B interiora nostra, vel ad alios si adsint : Venite, exsultemus Domino, etc.; et omnes hos nobilissimos actus, ad quos psalmus iste nos excitat, mente collecta ac amorosa exsequamur. Hi etenim actus sunt, Domino exsultare, jubilare, faciem ejus in confessione præoccupare, coram eo adorare, procidere atque plorare.

PRECATIO.

Tuæ largitatis dono, accepto continuæ C pacis bono, exsultemus et jubilemus tibi, Deo salutari nostro : præsta nos cognoscere viam tuam, quam perambulantes, te jurante, intremus in requiem tuam.

ARTICULUS LXXIV

ELUCIDATIO PSALMI NONAGESIMI QUINTI : CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, CANTATE DOMINO, ETC.

PSALMI nunc declarandi titulus est : D *Psalmus David, quando domus ædificabatur post captivitatem.* Titulus iste spiritualiter exponendus est, quoniam psalmus præsens nullatenus loquitur de ædificatione templi in Jerusalem post reditum a captivitate Babylonica, sed de re significata per illius ædificationem templi. Sicut enim per captivitatem, qua a Chaldæis capti erant Judæi, figurata est captivitas generis humani, quod per incredulitatem et impiam vitam captivatum a dæmonibus fuit; sic per ædificationem templi in Jerusalem post captivitatem dictam, significata est constructio Ecclesiæ, quæ est domus Dei, non ex insensibilibus saxis constructa, sed vivis lapidibus, scilicet Christifidelibus *I Petr.* II, 5.
congregata, atque a Christo fabricata, et in ipso fundata. Propter quod dicit Apostolus : In Christo omnis ædificatio constructa, *Ephes.* II, 21, 22.

crescit in templum sanctum in Domino, A
in quo et vos coædificamini in habitacu-
lum Dei in Spiritu Sancto. Loquitur ergo
psalmus iste ad litteram de Christo et du-
plici ejus adventu, de constructione quo-
que et immolatione Ecclesiæ.

Est igitur sensus tituli : *Psalmus David,*
id est, psalmus iste est David prophetæ
sicut auctoris, conscriptus pro tempore il-
lo, *quando domus ædificabatur :* id est,
quando Ecclesia Christi cœpit ædificari
per prædicationem ipsius et Apostolorum
suorum, *post captivitatem,* id est post li- B
berationem generis humani, quæ facta est
per incarnationem et passionem Filii Dei,
qui genus humanum redemit de potestate
diaboli et servitute peccati, quemadmo-
Joann. XII, 31, 32. dum asserit : Nunc princeps hujus mundi
ejicietur foras ; et ego si exaltatus fuero a
terra, omnia traham ad me ipsum. Unde
I Joann. III, 8. Joannes : In hoc, inquit, apparuit Filius
Dei, ut dissolvat opera diaboli.

AD Christi itaque seu summæ Trinita-
tis præconium nos invitans sanctus C
1 Propheta, ita exorsus est : (1) *Cantate Do-*
mino canticum novum, id est novi Testa-
menti Scripturam, evangelicam legem, et
maxime hymnum ex consiliis Christi com-
positum : cujus consilia quædam ante ejus
adventum erant ignota ; sed novus magi-
Eccli. I, 5. ster, doctor cœlestis, et fons sapientiæ
Christus Dominus, novam doctrinam no-
vumque canticum secum advexit, et mun-
Luc. X, 42. do proposuit. Novum canticum est : Porro
Matth. XIX, 21. unum est necessarium ; et, Si vis perfe-
ctus esse, vade, et vende omnia quæ habes D
Ibid. V, 20. et da pauperibus. Itemque, Nisi abundave-
rit justitia vestra plus quam Scribarum
et Pharisæorum, non intrabitis in regnum
Ibid. XXIII, 9. cœlorum ; et, Patrem nolite vocare vobis
super terram, unus est enim Pater vester
in cœlo. Et hoc modo novi Testamenti
Scriptura, novis est canticis plena, quæ
debemus Christo ac summæ Trinitati can-
tare, per mentis devotionem, per oris lau-
dationem, seu divinorum verborum reve-
rentialem prolationem, atque per operis

exsecutionem seu obedientiam sanctam.
Peccatori enim dixit Deus : Quare tu enar- Ps. XLIX, 1
ras justitias meas, et assumis testamentum
meum per os tuum ? Et Christus in Evan-
gelio : Quid dicitis mihi, Domine, Domi- Luc. VI, 4
ne, et non facitis quæ dico ? Non ergo
sufficit cantatio oris, nisi concordet ex-
hibitio honestæ conversationis. Nec suf-
ficit honestas exterior, nisi adfuerit col-
lectio atque sinceritas mentis interior,
prout Dominus per Isaiam ait de populo
sibi non complacente : Appropinquat po- Is. XXIX, 1
pulus iste ore suo, et labiis suis glorificat
me ; cor autem ejus longe est a me. *Can-*
tate Domino, omnis terra, id est incolæ
terræ, qui in hoc mundo peregrinos vos
esse cognoscitis, et ad futuri sæculi pa-
triam festinatis, dicentes Domino canti-
cum illud dulce ac novum, quod vobis
præcinit Apostolus : Propter nimiam cari- Ephes. II, 4
tatem suam qua dilexit nos Deus Pater, Fi- I Joann. IV, 9.
lium suum unigenitum misit in mundum.
(2) *Cantate Domino, et benedicite nomini* 2
ejus, id est, ipsum laudate, beneficia ejus
recolite, dicentes cum jubilo : Videte qua- Ibid. III, 1
lem caritatem dedit nobis Deus Pater, ut
filii Dei nominemur et simus. Dicitur au-
tem canticum novum, non solum propter
temporis novitatem, sed etiam propter re-
centem animi devotionem : et ita debemus
ex ferventi nostri Salvatoris amore, sem-
per nova cantica secundum proprii cordis
illuminationem reperire, quomodo sæculi
amatores nova carmina confingunt et ca-
nunt de eo seu ea quam carnaliter amant.
Annuntiate de die in diem, id est quotidie,
salutare ejus, id est, Christum indesinen-
ter exprimite, collaudate ac prædicate, per
quem et in quo Deus Pater nos salvat. De
quo salutari loquitur Jacob patriarcha :
Salutare tuum exspectabo, Domine. (3) *An-* Gen. XLIX, 18.
nuntiate, o prædicatores, et ceteri zelum 3
divini honoris atque fraternæ salutis ha-
bentes, *inter gentes* convertendas ad fi-
dem, ut credant, seu conversas, ut diligant
Christum ac laudent, *gloriam ejus; in om-*
nibus populis mirabilia ejus, id est glorio-
sa omnia quæ de eo conscripta sunt : quo-

Digitized by Google

modo ab exordio suæ incarnationis usque A
Matth. IV, 11. ad ascensionem angeli sancti sibi mini-
Ibid. VIII, 27. straverunt, et omnis creatura sibi obediens
Ibid. XXVIII. fuit; quod tertia die a morte surrexit, qua-
Act. I, 9. dragesima die ascendit, quinquagesima au-
Ibid. II, 1-4. tem Paracletum misit.

4 (4) *Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis*, imo tantum laudabilis, quantum bonus. Quum ergo sit bonitas ejus immensa, ipse quoque in infinitum laudabilis est, nec valet ab aliqua creatura plene laudari. Propter quod in libro Judith dicitur:
Judith XVI, 16. Adonai Domine, magnus es tu et præclarus B
Job XXXVII, 23. in virtute. In libro quoque Job: Digne eum
invenire non possumus, et enarrari non potest. *Terribilis est super omnes deos*, id est plus quam omnes dii. Vel, Super omnes deos, quoniam omnes deos terribiliter condemnabit et cruciabit. In præcedenti
Ps. XCV, 3. enim psalmo dii vocati sunt, qui gratiam divinæ perfectionis excellenter participant,
Exod. VII, 1. sicut ad Moysen Dominus ait, Ecce constitui te deum Pharaonis, et Aaron erit propheta tuus; nunc vero dii vocantur, qui a paganis mendaciter dii putantur, inaniter- C
que coluntur. Dicitur autem Deus terribilis præ omnibus creaturis ac diis, propter duas causas: primo, quoniam a nullo est tam malum separari, sicut a Deo; secundo, quoniam nullus tam dira tormenta infligit,
Job IX, 13. ut Deus. Unde scriptum est: Deus, cujus iræ nemo resistere potest, sub quo curvantur qui portant orbem. De his falsis diis
5 subjungitur: (5) *Quoniam omnes dii gentium*, id est infidelium, sunt *dæmonia*.

Occurrit mihi hic dubitatio quædam, quam non vidi ab aliis tactam, unde nec D
eam libenter tango, ne forte eam insufficienter dissolvam. Ecce multi gentilium coluerunt homines quosdam pro diis, videlicet Saturnum, Jovem, Mercurium, Herculem, Priapum, etc. Alii coluerunt solem, lunam, ac sidera cœli, alii ignem, alii
Rom. I, 23. aquam, alii bestias terræ, sicut ad Romanos Apostolus innuit. Quomodo ergo omnes dii gentium, dæmonia? Possem de hominibus impiis, qui tanquam dii colebantur, respondere, quod appellantur dæmonia propter imitationem diabolicæ pravitatis, quemadmodum homines aliqui, angeli nuncupantur propter participationem angelicæ dignitatis: prout Joannes Apoc. I-III.
pastores seu episcopos septem Ecclesiarum in Asia angelos nominat, et alibi sacer- Malach. II, 7.
dos dicitur angelus Domini exercituum. De aliis videtur posse dici, quod licet nullo modo sint dæmones, quoniam tamen cultores ipsorum eo ipso quo ea colunt, dæmonibus serviunt, idcirco omnes dii gentium dæmonia asseruntur. Nam et Apostolus ad Corinthios dicit: Quæ immolant I Cor. X, 20.
gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.

Dominus autem cœlos fecit, id est, omnes orbes cœlestes, angelos sanctos, hominesque in terra cœliformiter conversantes creavit, distinxit, ornavit. In principio enim Gen. I, 1.
creavit Deus cœlum et terram, ut dicitur in Genesi. Et rursus scriptum est: Tu for- Job XXXVII, 18.
sitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.

(6) *Confessio et pulchritudo in conspectu* 6
ejus; sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus. Versus iste decorus est valde, si lucide intelligatur. Dicitur autem esse seu fieri in conspectu Dei, seu coram Deo, non quia fit et est ipso præsente, sed quoniam approbatur ab eo, et complacet ei, sicut in libro Ruth dicitur: Jesse ge- Cf. Ruth IV, 22.
nuit David, qui ambulavit coram Domino.
Et Dominus ait ad Abraham: Ambula co- Gen. XVII, 1.
ram me. Et quasi quæreres, Quid est ambulare, o Domine, coram te? subdit, Et esto perfectus. Et juxta hunc sensum scriptum
est: Non veniet in conspectu Dei omnis Job XIII, 16.
hypocrita. Porro confessio est duplex, scilicet confessio laudis divinæ, atque confessio propriæ culpæ. Pulchritudo etiam quædam interior est, quædam exterior. Sed si propter exteriorem pulchritudinem placeret quis Deo, pulcherrimus Absalon II Reg. XIV, 25.
tantum ei non displicuisset, neque delirus ille Martinus tantum ei complacuisset. Non ergo corporis, sed mentis pulchritudinem appetamus. Certum est autem, quod confessio culpæ locum non habet in patria. In via autem utraque confessio reperitur; sed

Digitized by Google

confessio laudis divinæ in via, valde est imperfecta.

Primo itaque intendamus, quomodo præsens versiculus exponi debeat de Deo in triumphanti Ecclesia. Sic enim ei plenissime competit hoc modo : *Confessio,* id est divina laudatio, *et pulchritudo,* id est decor interior, seu splendor puritatis internæ, est *in conspectu ejus,* id est coram Deo in patria, ita quod Sancti in patria Deo incessabiliter offerunt confessionem seu laudem suæ infinitæ bonitatis, sicut superius dictum est :
Ps. LXXXIII, 5. Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc autem confessio maxime complacet Deo, quia in suis ministris ipsum in patria ita laudantibus est pulchritudo interior, id est sanctitas pura, munditia impermixta, et gratia consummata. Nil enim imperfectionis culpabilis reperitur in patria. Propterea confessio Beatorum, quorum tanta est pulchritudo, præcipue grata est Deo. Nostra autem confessio multum est imperfecta, quoniam omnes nostræ
Is. LXIV, 6. justitiæ sunt tanquam pannus menstruatæ. Pulchritudo quoque nostra interior, multis deformitatibus, saltem venialium peccatorum, miscetur et violatur, præser-
Prov. XXIV, 16. tim quum justus septies in die cadat. Itaque in conspectu Dei in patria, sunt confessio incessabilis laudis, qua jugiter a Beatis Trinitas superbenedicta laudatur; et pulchritudo mundissimæ sanctitatis, quoniam nihil impuritatis aut culpæ esse potest in ministris, Deum hoc modo laudan-
Apoc. XXI, 27. tibus. Propter quod scriptum est : Non intrabit in illam, scilicet patriam Beatorum, aliquid coinquinatum. Dicitur etiam ista confessio et pulchritudo, In conspectu Dei, quoniam complacet ei. — *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus :* id est, in cultu, laude, seu veneratione qua Deus in patria a Beatis sanctificatur, est sanctimonia, id est sanctitas, scilicet omnis impuritatis exclusio, et magnificentia, id est magna excellentia, seu magna efficientia et honor sublimis. Hoc autem divinæ sanctificationi præcipue competit.

A Dicitur namque nunc sanctificatio Dei, cultus quo Deus a Beatis sanctus esse perhibetur, et tanquam sanctus laudatur ac honoratur. In hac vero sanctificatione est sanctitas seu sanctimonia, quia quo Deus amplius atque perfectius a suis ministris sanctificatur, eo sanctificatio illa est verior, purior, et ab omni errore immunior : quia Dei laudatio excessum non habet ; sed quo major, eo est sanctior. Unde in Ecclesiastico dicitur : Glorificate Dominum Eccli. XLIII, 32, 33.
quantumcumque poteritis, supervalebit ad-
B huc : major est enim omni laude. Hoc autem creaturis non competit. Possent namque in tantum sanctificari a nobis, id est tam sanctæ ac magnæ putari, tamque magnifice honorari, quod in sanctificatione hujusmodi non esset sanctimonia, sed idololatria ; non sanctitas, sed falsitas ; non verus honor, sed pessimus error : sicut si alicui puræ creaturæ cultus latriæ impendatur, seu infinita perfectio adscribatur. Hinc patet, quomodo in sanctificatione Dei sit magnificentia. Est enim in ea summa
C excellentia, quoniam Deus super omnia in infinitum extollitur, omniumque Creator, Salvator, atque immensæ majestatis Dominus appellatur. Est quoque in ea magna quædam efficientia, quoniam nullus effectus seu actus hominis dignior est, quam Deum sanctificare : propter quod in sanctificatione hac est honor sublimis, videlicet adoratio seu latriæ cultus, soli Deo exhibendus.

Præterea versus iste convenit Deo etiam in militanti Ecclesia, quamvis minus per-
D fecte ac proprie. In militanti ergo Ecclesia est confessio propriæ culpæ, ac laudis divinæ, in conspectu Dei : quoniam talis confessio Deo a fidelibus reverenter offertur, qui se ipsos accusant, et Deum collaudant, atque a Deo misericorditer acceptatur. Per hanc vero confessionem venitur ad interiorem pulchritudinem mentis, quoniam in confessione omnia lavantur, se- Ps. XXXI,
cundum Scripturas. Student quoque fideles 5; Rom. X, 10.
Deo in pulchritudine mentis adsistere, id est in sanctitate et cordis puritate adhæ-

rere, intendere atque servire, ut sit pul-
chritudo eorum coram Deo, id est placens
et grata coram eo, pensantes verbum sui
Matth. v, 8. Salvatoris, dicentis : Beati mundo corde,
quoniam ipsi Deum videbunt. In sanctifi-
catione quoque, qua Deum per obedienti-
am divinorum præceptorum sanctificant,
Ibid. vi, 9. sicut quotidie orant, Sanctificetur nomen
tuum, est sanctimonia seu sanctitas secun-
dum modum et possibilitatem vitæ præ-
sentis, videlicet pura ac pia intentio, de-
votaque laus ac prompta subjectio : et
ita invenitur in ea quædam magnificen-
tia, qua Deum præ omnibus mente, ore ac
opere superexaltant, dicentes illud Danie-
Dan. iii, 52. lis : Benedictus es, Domine, Deus patrum
nostrorum, et laudabilis, et superexaltatus
in sæcula. Et benedictum nomen gloriæ
tuæ sanctum, et superlaudabile, et super-
exaltatum in omnibus sæculis.

7 (7) *Afferte,* id est exhibete, *Domino* Sal-
vatori, o *patriæ gentium,* id est, o homines
in patriis gentium habitantes, qui fidem
Christi recepistis. Vel : o homines, afferte
Domino patriæ gentium, id est Christo,
qui est Deus omnium regionum, patria-
rum, ac nationum. *Afferte,* inquam, *Do-
mino,* id est, impendite Deo soli, *gloriam
et honorem :* quemadmodum in Apostolo
I Tim. i, 17. habetur : Regi sæculorum, immortali, in-
visibili, soli Deo honor et gloria. Gloria est
clara cum laude notitia, secundum Ambro-
sium. Quid est ergo Deo afferre gloriam,
nisi nomen ejus coram aliis clarificare,
seu alios ad claram ac laudi conjunctam
notitiam Dei introducere, quatenus Deum
vere agnoscant, et digne collaudent ? Ho-
nor autem est exhibitio reverentiæ in si-
gnum virtutis. Quid est ergo Deo afferre
honorem, nisi Deo humiliter obedire, om-
ne bonum ei adscribere, et ad ejus vene-
8 rationem omnia ordinare ? *Afferte Domino*
non solum exteriora dona, sed *gloriam
Ps. cxv, 1, sec. Hebr. nomini ejus,* dicentes : Non nobis, Domine,
non nobis, sed nomini tuo da gloriam. In
exordio psalmi hujus ter dicebatur, Can-
tate ; nunc vero ter dicitur, Afferte : qua-
tenus utrobique sanctæ Trinitatis mysteri-
A um designetur. Tanquam diceret : Cantate
Patri, cantate Filio, cantate Spiritui San-
cto. Et item : Afferte Patri, afferte Filio,
afferte Spiritui Sancto gloriam et honorem.

(8) *Tollite hostias,* id est, ferte vobiscum
dona ac sacrificia Domino immolanda, vi-
delicet : spiritum contribulatum, quoniam
sacrificium Deo spiritus contribulatus ; Ps. l, 19.
animum ad obedientiam Dei paratum, quo-
niam salutare sacrificium est, attendere Eccli. xxxv, 2.
mandatis, ut dicit Ecclesiasticus ; preces
quoque devotas, quæ penetrant cœlos, seu Ibid. 21.
B alia quælibet munera Domino offerenda.
Et introite mente devota, et corpore ra-
tioni subjecto, *in atria ejus,* id est in Ec-
clesiam Dei, seu loca sacrata, divino cultui
deputata, et maxime in corda propria, re-
deuntes ad interiora vestra, quatenus Deum
intra vos honoretis, contemplando, aman-
do, et omni custodia vitia devitando. Tem- I Cor. iii, 17.
plum enim Dei sanctum est, quod estis
vos. *Adorate Dominum in atrio sancto* 9
ejus, id est in templo suo materiali, quod
est domus orationis ; magis autem in tem- Is. lvi, 7.
C plo ejus immateriali, quod est mens ipsa
seu spiritus, ubi per gratiam habitat Deus,
ubi et adorare eum oportet, quemadmo-
dum ait Salvator : Spiritus est Deus ; et Joann. iv, 24.
eos qui adorant eum, in spiritu et veritate
oportet adorare. Et alibi : Tu autem quum Matth. vi, 6.
oraveris, intra in cubiculum tuum ; et
clauso ostio, ora Patrem tuum in abscon-
dito, scilicet corde collecto, fixo, non vago.

(9) *Commoveatur a facie ejus univer-
sa terra :* id est, universi incolæ terræ
ex consideratione præsentiæ majestatisque
D Christi, motu casti timoris et admirationis
ac obedientiæ, convertantur ab iniquitate
ad Deum. *Dicite,* o sancti Apostoli et suc- 10
cessores ac imitatores eorum, *in gentibus,*
ad quarum conversionem seu informatio-
nem missi estis, *quia Dominus* Christus
regnavit in toto universo, præsertim ta-
men in cordibus suorum fidelium per ca-
ritatem et fidem. Christus ut Deus, ab
initio mundi regnavit ; sed ut homo, cœpit
regnare (id est potestatem suam exercere
atque ostendere) præcipue post resurrecti-

Digitized by Google

onem et Spiritus Sancti missionem : quia A
Hebr. II, 14. per mortem vicit eum qui mortis habebat imperium, id est diabolum, secundum Apostolum. Unde post resurrectionem spoliavit infernum, mundumque convertit ad suum obsequium. Et quia hæc facta sunt merito passionis Christi, juxta illud Apo-
Philipp. II, 8, 9. stoli, Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum; ideo additur, A ligno, id est a crucis patibulo, in quo mundum redemit, secundum quod Apostolus
Galat. III, 13. dicit : Christus nos redemit de maledicto B legis, factus pro nobis maledictum, quia
Deut. XXI, 23. scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Verumtamen istud quod dicitur, A ligno, non est de textu, nec in Hebræo habetur, sed ab aliquo translatore æstimatur appositum. Ex his elucescit, psalmum præsentem factum a David, sicut in hymno Ecclesiæ canitur :

> Impleta sunt quæ concinit
> David fideli carmine,
> Dicens : In nationibus
> Regnavit a ligno Deus.

Et qui aliter dicunt, non videntur satis consonare Ecclesiæ, generaliter atque solenniter hunc hymnum canenti.

(10) *Etenim* Christus *correxit orbem terræ,* id est, homines universos, seu universalem Ecclesiam, toto orbe terrarum diffusam, a vitiis et idololatria convertit, per increpationem et prædicationem servorum
Is. II, 17, 18. suorum. Unde scriptum habetur : Elevabitur Dominus solus in die illa, et idola peni-
Zach. XIII, 2. tus conterentur. Et Zacharias : In die illa, dicit Dominus, disperdam nomina idolo- D rum de terra. Hinc quoque de Christo
Is. XI, 4. dicitur : Percutiet terram virga oris sui. Correxit itaque orbem terræ, *qui non commovebitur* a fidei veritate in toto, quia Ecclesia usque ad finem sæculi stabilietur in fide, quantum ad aliquos, quantumcumque tribulationibus concutiatur. *Judicabit populos in æquitate.* Christus in primo suo adventu judicavit populos in æquitate (loquendo de judicio discretionis), quem-
Joann. XII, 31. admodum ipsemet ait : Nunc judicium est mundi. Et alibi : In judicium, inquit, ego Joann. IX, 39. in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant. Per hoc ergo Christus judicavit populos in æquitate judicio discretionis, quod aliquos pie vocavit ad fidem et gratiam, ceteros juste deseruit : quæ discretio omnino justa est, quamvis sit nobis incomprehensibilis et ignota. Non autem judicavit Christus populos in primo suo adventu judicio remunerationis. Propter quod ait : Non misit Ibid. III, 17. Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum. Sed istud judicium Christus acturus est in die novissimo.

Deinde invitantur creaturæ ad gaudium spirituale ex consideratione primi adventus Christi, qui fuit et est mundo magna ratio exsultandi, quemadmodum angelus dixit pastoribus : Annuntio vobis gaudium Luc. II, 10, 11. magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator. Ait igitur :
(11) *Lætentur cœli,* id est cives cœlorum, 11
seu angeli sancti : nam Christo nato, facta
est cum angelo multitudo cœlestis exerci- Ibid. 13.
C tus laudantium Deum. Incarnatio equidem
Christi erat angelis materia gaudii, quia
per eam reparatur eorum ruina. *Et exsul-* Ps. XCVII, 7.
tet terra, id est genus humanum in terra
exsilium ducens. *Commoveatur* ad pœnitentiam et gratiarum actionem, *mare,* id est gentilitas vitiis turbulenta, amara et salsa, *et plenitudo ejus,* id est viscera ejus interiora, videlicet ratio et voluntas et ce-
teræ animæ vires. *Gaudebunt campi,* id 12
est, homines bonis operibus floridi, gratiaque fecundi, in Christi primo adventu
et postea spiritualiter exsultabunt, *et omnia quæ in eis sunt,* id est, interiora eorum in Domino lætabuntur. (12) *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum,* id est populi
nationum ad fidem conversi, *a facie Do-* 13
mini, id est ex consideratione præsentiæ Christi, *quia venit* in mundum per incarnationem. Unde in Actis Apostolorum dicitur : Audientes autem gentes, gavisæ Act. XIII, 48. sunt, et glorificaverunt verbum Dei.

His duobus versiculis consonat quod in Isaia legitur : Laudate, cœli, et exsulta, Is. XLIX, 13.

Digitized by Google

terra ; jubilate, montes, laudem, quia consolatus est Dominus populum suum. Et quia non solum gaudendum est de primo atque occulto Christi adventu, quo venit judicari, sed etiam de secundo ejus adventu, quo venturus est judicare, secundum quod ipse ait, His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, id est, exhilarate corda (secundum Gregorium), quia appropinquat redemptio vestra ; ideo subditur : *quoniam venit judicare terram,* id est, quoniam Christus venturus est judicare vivos et mortuos judicio remunerationis. Ponit enim præteritum pro futuro, more prophetali, propter certitudinem prophetiæ. Per hoc ergo quod bis ait, Venit, innuitur duplex Christi adventus : quorum primus fuit in humilitate et occultus ; secundus erit in majestate ac manifestus, quemadmodum scriptum est in Evangelio : Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate magna et majestate. (15) *Judicabit* in die extremi judicii *orbem terræ,* id est homines, *in æquitate,* dando singulis quod promeruerunt ; *et populos in veritate sua,* id est, sic eos judicabit, sicut in sanctis Scripturis prædixit. Hoc est quod de Christo apud Isaiam scriptum est : Non secundum visionem oculorum judicabit ; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ. In libro quoque Job quidam ait : Omnipotens causas singulorum intuebitur.

Luc. XXI, 28. — *Marc.* XIII, 26; *Luc.* XXI, 27. — *Is.* XI, 3, 4. — *Job* XXXV, 13.

Ecce psalmum cœlesti pulchritudine adornatum audivimus : in quo gentilium prænuntiatur conversio, divina majestas sonoro commendatur oraculo, ad laudem et oblationem fideles invitantur, duplex Christi adventus innuitur, atque divini judicii æquitas collaudatur. Quoniam ergo psalmus præsens Christi laudibus atque mysteriis plenus est, debemus eum cum singulari devotione cantare, nostramque conversationem metu futuri judicii taliter custodire, ut idonei laudatores Domini Salvatoris inveniamur.

PRECATIO.

Domine, qui fecisti cœlos, et terribilis es super omnes deos, misericordia tua præveniente fac nos confessionis pulchritudine faciem tuam placare : ut expurgati peccatorum colluvionibus, sincera mente et voce tibi Domino jugiter cantemus.

ARTICULUS LXXV

EXPLANATIO PSALMI NONAGESIMI SEXTI : DOMINUS REGNAVIT, EXSULTET TERRA.

TITULUS psalmi nunc pertractandi, talis
1 est : *Psalmus ipsi David, quando terra ejus restituta est ei :* id est, psalmus præsens competit Christo manuforti, desiderabilique adspectu ; agens de eo quod accidit, quando terra ejus, id est genus humanum seu Ecclesia electorum, quam per peccatum primi parentis amisit, restituta est ei pretio sanguinis sui. Loquitur namque hic psalmus ad litteram de Christo et secundo ejus adventu, atque judiciaria potestate ipsius, quam Christus homo sua passione promeruit. Eodem enim tempore restituta est Christo terra sua jam dicta, et judiciaria potestas collata, videlicet statim in egressione animæ suæ a corpore. Tunc enim plenissime satisfecit pro genere humano, et tunc dedit ei Pater gentes hereditatem suam, sicut superius dixit : Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam : quamvis (ut sæpius patuit) Christo homini ab exordio conceptio-

Ps. II, 8.

Digitized by Google

Matth. xxviii, 18. nis in Virgine, data sit omnis potestas in cœlo et in terra. Quod autem hic psalmus de Christo loquatur, hinc constat, quod Paulus ad Hebræos inducit scripturam hujus psalmi de Christo prænuntiatam, dicendo : *Hebr.* i, 6. Et quum introducit Primogenitum suum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli ejus. Hoc quippe inferius ita exprimitur : Adorate eum, omnes angeli ejus.

AIT ergo : (1) *Dominus,* scilicet Christus, *Apoc.* xix, 16. habens in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium; *regnavit* in militanti Ecclesia, seu cordibus electorum : sicut *Abdiæ* 21. de eo Abdias dixit propheta, Et erit Domino regnum. De quo in Apocalypsi Sancti *Apoc.* xix, 6, 7. hilariter cantant : Regnavit Dominus Deus noster omnipotens; gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam ei. *Exsultet terra,* id est, habitatores terræ Christo Domino suo regnanti congratulentur, et de ejus regno in se ipsis pie lætentur. *Lætentur* hoc modo in Domino *insulæ multæ,* ad fidem conversæ, sicut est Anglia, Hibernia, Cyprus, Sicilia : de quibus prædictum *Is.* xlii, 12. est, Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. Dicuntur enim insulæ, terræ supra mare sitæ. Unde in *Ibid.* xxiv, 15. Isaia habetur : Glorificate Dominum in insulis maris.

2 (2) *Nubes et caligo in circuitu ejus :* id est, in die judicii erunt et apparebunt in circuitu Christi judicis nubes materiales, *Luc.* xxi, 27. quia veniet in nube (Christus namque ascendit in nube, *Act.* i, 9. juxta illud, Nubes suscepit eum ab oculis eorum : venturus est ergo in nube, quoniam sicut illic angeli sancti *Ibid.* 11. testati sunt sanctis Apostolis, Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum), et caligo, id est obscuritas aeris, *I Thess.* v, 2; *II Petr.* iii, 10. quoniam, Dies Domini, tanquam fur in nocte, ita veniet; et, *Matth.* xxv, 6. Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit : quemadmodum ipsemet Sponsus ac Judex testatur. Creditur enim Christus tempore noctis ad judicandum venturus. — Sed quæstio

A est, quomodo tunc erit caligo, præsertim quum totus mundus stabit in igne conflagrationis, qui utique (ut apparet) aerem illustrabit. *II Petr.* iii, 10, 12. Possit fortassis responderi ad hoc, quod ignis ille fumosus erit, nec tenebras omnino expellet, sicut nec ignis inferni. Sed quia de necessitate concedere cogimur, quod ipse judex, scilicet Christus, ab universis hominibus etiam corporalibus oculis conspicietur, sicut et Job ait, In novissimo die surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem *Job* xix, 25, 26. B meum (imo, secundum Gregorium, omnes angeli tunc corporalibus oculis videbuntur, quanto magis homines?); idcirco non arbitror, quod in die judicii erit caligo in circuitu judicis, ita quod aer omnino tenebrosus erit; sed propter ignis illius fumositatem poterit aliquid tenebrositatis remanere in aere. Potest quoque per caliginem accipi tempestas illa horribilis, quæ erit in die judicii : de qua dictum est supra, Et in circuitu ejus tempestas valida. *Ps.* xlix, 3. Unde et Nahum : Dominus in tempestate *Nahum* i, 3. C et turbine viæ ejus.

(3) *Ignis* conflagrationis, qui elementa 3 exuret atque purgabit, et tam alte ascendet ut aqua diluvii, *ante ipsum præcedet,* id est, secundum Christi adventum præveniet : quia quemadmodum mundus primo periit aquis diluvii, *Gen.* vii, 21, 23. sic ultimo peribit igne conflagrationis, qui omnes viventes in mundo occidet. *Et inflammabit in circuitu inimicos ejus,* scilicet reprobos, quoniam durante hora judicii, ignis conflagrationis, in quo universi tunc stabunt, incen- D det malignos; electos vero non tanget, nec contristabit, nec aliquid molestiæ inferet : cujus figura præcessit in tribus pueris, quos rex Babylonis misit in fornacem ignis, quos non tetigit ignis, sed Chaldæos *Dan.* iii, 22. combussit, ut dicit Daniel. (4) *Illuxerunt* 4 *fulgura ejus orbi terræ :* id est, magnæ atque terribiles coruscationes circa judicii horam apparebunt, de quibus homines terrebuntur : sicut Lucas dicit, Arescentibus *Luc.* xxi, 26. hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi. Idcirco

Digitized by Google

subjungitur : *vidit et commota est terra,* A
id est, habitantes in terra hæc fulgura
cernent, et ad magnum timorem movendi
Joel II, 1-3, 10. sunt. Propter quod alibi scriptum est : Conturbentur omnes habitatores terræ, quoniam venit dies Domini, dies tenebrarum et caliginis. Similis ei non fuit a principio, et post eum non erit. Ante faciem ejus ignis vorans, et post eum vorax flamma. A facie ejus contremuit terra.

5 (5) *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini :* quia in die judicii, seu mox eo peracto, complanabitur terra : sed et ante B
Matth. XXIV, 7. judicium erunt terræ motus magni per loca. Melius tamen per montes, hoc loco, accipiuntur superbi, non in montem Domini, sed in montem superbiæ ascenden-
Is. XIV, 13, 14. tes, sequentes eum qui dixit : Sedebo in monte testamenti, et ascendam super altitudinem nubium. Isti in die judicii, sicut cera fluent, id est, corde dissolventur atque pavebunt, *a facie Domini,* id est a conspectu judicis ; nec ipsi solum, sed *a facie Domini,* id est a judicis metuenda præsentia, fluet hoc modo *omnis terra,* id C
est omnis homo terrenus atque peccator.
Nahum I, 5. Ideo namque ab alio prædictum est : Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt, et contremuit terra a facie ejus, orbis et omnes habitantes in eo. Et alibi :
Jer. XXIII, 19. Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet.

6 (6) *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus,* id est, per signa in cœlo apparentia, manifestabitur justa ultio Christi in impios.
Luc. XXI, 25. Erunt enim signa in sole et luna et stellis. D
Matth. XXIV, 29. Unde ait Salvator : Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit splendorem suum. Per hæc autem patebit, quanta sit Christi justitia ulciscens peccata. *Et viderunt omnes populi gloriam ejus,* id est, omnes tunc in mundo exsistentes, conspicient magnalia ista operum divinorum. — Melius autem exponitur iste versiculus de sanctis Apostolis, quia ne crederetur judicium illud sine præadmonitione et comminatione futurum, adjecit : *Annuntiaverunt cœli,* id est Apostoli, *justitiam ejus :* quia in universo mundo prædicaverunt Christum esse omnium justissimum judicem, qui sine personarum acceptione irreprehensibiliter judicabit ; *et viderunt,* id est, per fidem cognoverunt, *omnes populi,* ad Christum conversi ex annuntiatione horum cœlorum, *gloriam ejus,* id est majestatem et excellentiam Christi, quæ in Evangelio copiose describitur. Unde et per Isaiam
Dominus dicit : Mittam ex eis qui salvati Is. LXVI, 19.
fuerint, ad insulas longe ; et annuntiabunt gloriam meam gentibus.

Quum ergo tanta sit gloria Christi,
(7) *Confundantur,* vel modo ad pœniten- 7
tiam salutarem, vel si modo non pœnitent, æternaliter erubescant, *omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris*
suis seu idolis, qui serviunt creaturæ po- Rom. I, 25.
tius quam Creatori. Nam quam grave sit
hoc peccatum, declarat Sapiens : Initium Sap. XIV, 12, 27.
fornicationis a Deo, est exquisitio idolorum. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est et initium et finis.

(8) *Adorate eum,* scilicet Christum, seu Deum trinum ac simplicem, *omnes angeli ejus.* De his enim angelis Dominus loqui-
tur Job : Ubi eras quum me laudarent as- Job XXXVIII, 4, 7.
tra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?
Audivit, et lætata est Sion : id est, Ecclesia 8
militans, quæ dicitur Sion, id est speculatrix bonorum cœlestium, audivit auribus mentis et corporis annuntiationem seu prædicationem Apostolorum, vel doctrinam eorum, de duplici Christi adventu ac justo judicio ; et inde lætata est spirituali lætitia, tanquam se ipsam conformans, favens, atque consentiens voluntati Salvatoris ac Judicis sui. (9) *Et exsultaverunt filiæ Judæ,* id est animæ Deo veraciter confitentes. Juda enim interpretatur confessio. Unde quum Lia uxor Jacob patriarchæ, pe-
perisset Judam filium suum, dixit : Modo Gen. XXIX, 35.
confitebor Domino. Et ob hoc vocavit eum Judam. Hæ itaque filiæ exsultaverunt, *propter judicia tua, Domine,* id est ex consideratione justorum judiciorum tuorum :

Digitized by Google

quibus nil inordinatum relinquis, nulli A
injuriam facis, nullius violentiam inultam
dimittis : sed eos qui in hoc sæculo con-
Matth. v, 10-12. temnuntur, opprimuntur, pro nihilo repu-
tantur, et propter justitiam patiuntur, in
æternum exaltas ; eos vero qui modo flo-
rent, prosperantur, ac deliciantur, sine fi-
9 ne condemnas. (10) *Quoniam tu Dominus*
es *altissimus super omnem terram.* Omnia
namque creasti, et cuncta in infinitum ex-
cellis, omniumque omnipotens judex es :
idcirco *nimis,* id est incomparabiliter, in-
comprehensibiliter, et sine mensura, *exal-* B
tatus es super omnes deos (de quibus jam
dictum est) : nam et illorum creator ac
judex consistis. Propter quod de te testa-
Dan. III, 52, 53. tur Scriptura : Benedictus es, Domine, in
templo sancto gloriæ tuæ, et superlauda-
bilis et superexaltatus in omnibus sæculis.
10 (11) *Qui diligitis Dominum, odite malum*
culpæ, id est, peccatum omne abhorrete,
non quia pœnam meretur, sed quia pec-
catum est displicens Deo. Qui enim diligit
Dominum, debet habere affectum divinæ
voluntati conformem : ideoque quemad- C
modum Deus odit peccatum, in quantum
peccatum ; sic diligens Deum, debet odisse
peccatum, in quantum peccatum, seu di-
vinæ voluntati contrarium. Sic autem odio
habere peccatum, est evidens signum dile-
ctionis et gratiæ Dei in homine : imo hoc
modo societatem ac familiaritatem cum
I *Joann.* I, 3. Deo sortimur. Unde Joannes : Societas (in-
quit) nostra sit cum Patre et Filio ejus
Ibid. 5, 6. Jesu Christo ; rursusque, Deus lux est,
et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixe-
rimus quoniam societatem habemus cum D
illo, et in tenebris ambulamus, mentimur.
Custodit Dominus animas sanctorum suo-
rum, in præsenti vita per gratiam ange-
licamque custodiam, in futuro autem ju-
dicio eas custodiet ab omni damnatione
atque periculo ; *de manu peccatoris,* id
est potestate omnium iniquorum, *libera-*
bit eos, scilicet sanctos suos. Nunc enim
liberat eos a tentationibus et persecutio-
nibus, ne eis noceant, dando patientiam in
adversis, vel ereptionem totalem ab eis ;
in die quoque judicii perfecte redimet
eos. Hinc enim scriptum est : Omnis qui I *Joann.* III, 9 ; v, 18.
natus est ex Deo, non peccat, quoniam se-
men Dei manet in eo ; et malignus non
tangit eum.
(12) *Lux,* id est splendor gratiæ Dei, seu 11
Christus sol justitiæ, *orta est justo,* qui Deo
ex caritate obedit : quod nemo facere po-
test, nisi in quo orta est lux gratiæ Chri-
sti, qui protestatur, Sine me nihil potestis *Joann.* XV, 5.
facere ; *et rectis corde,* id est justis omni-
bus, orta est *lætitia,* id est copiosa ratio
atque materia spiritualium gaudiorum, ex
incarnatione et ceteris beneficiis et pro-
missionibus Christi. Propterea (13) *Læta-* 12
mini, o justi, in Domino summo creato-
re, piissimo redemptore, ac liberalissimo
benefactore vestro, *et confitemini,* con-
fessione laudis, *memoriæ sanctificationis*
ejus, id est recordationi divinæ mentis,
seu menti divinæ, quæ clementer memo-
rata est vestri, videlicet sanctificando vos
gratis per dona Sancti Spiritus : propter
quod gratias agere incessanter debetis, nec
oblivisci ejus qui vestri oblitus non est.

Admonemur ex psalmo præsenti, futuri
judicii horrorem districtionemque pensa-
re, cogitando corde tenus quam horrendum *Hebr.* X, 31.
tunc erit incidere in manus Dei viventis,
Deum judicem summe iratum conspice-
re, totum mundum incensum videre, uni-
versorum angelorum agmina videre arma-
ta ad adsistendum Christo judici contra
iniquos ; coram cœlo et terra de omnibus
cogitationibus, verbis et actibus rationem
exsolvere, coram universis hominibus, an-
gelis dæmonibusque confundi ac repro-
bari, audire verbum illud asperrimum, et
omni tormento pœnalius, Ite, maledicti, in *Matth.* XXV, 41.
ignem æternum ; exspectare incertam seu
etiam certam sententiam judicis, intue-
rique sub se hians chaos carceris infer-
nalis ; et tandem ab electorum consortio
separari, atque æternæ damnationis sen-
tentiam adipisci, in profunda inferni inci-
dere, inexstinguibilibus flammis sine spe
unquam evadendi exuri. De hac etenim
die convenienter accipitur quod alibi scri-

Digitized by Google

Soph. I, 15, 16. ptum est : Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies
Is. XIII, 9, 10. tubæ et clangoris. Et iterum : Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus, ad conterendos peccatores de terra, quoniam stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum ; obscuratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit.
II Petr. III, 10. Unde altissimus ille Archiapostolus : Adveniet, inquit, dies Domini tanquam fur : in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur ; terra autem B et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Idcirco dum Christus multa horrenda dixisset, tandem sermonem concludens, ita hortatus est nos : Vigilate omni tempore, *Luc.* XXI, 36.
orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

PRECATIO.

Super omnem terram, altissime Domine Deus, doce nos te tota devotione diligere, et malum odire : custodi in hac vita animas nostras, et hinc migrantes eas, de locis perpetuarum pœnarum eripias.

ARTICULUS LXXVI

DECLARATIO PSALMI NONAGESIMI SEPTIMI : CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM, QUIA MIRABILIA FECIT.

1 TITULUS psalmi præsentis est : *Psalmus* C *David.* Psalmus iste ad litteram competit Christo, quia de ipso ac duplici ejus adventu conscriptus est ; specialiter tamen et evidenter loquitur de primo Christi adventu seu incarnatione, et ait :

(1) CANTATE *Domino* Christo *canticum novum,* videlicet evangelicæ legis præconia, sicut paulo ante plenius exponebatur in psalmo nonagesimo quinto, qui cum isto in verbis atque sententia pro magna parte in idem concurrit. Ideo D autem Cantate Domino canticum novum, *quia mirabilia fecit :* imo superincomprehensibilia fecit, assumendo humanam naturam in unitate suppositali, progrediendo de clauso virgineæ Matris utero, resurgendo et de clauso monumento egrediendo, in cœlos ascendendo, Spiritum Sanctum mittendo. Quanta autem mirabilia Christus in sua prædicatione ac passione molitus sit, Evangelia pandunt ; vehementissime tamen mirabile exstitit, quod Deus Pater proprium Filium misit in mundum, quatenus per ejus passionem ac mortem salvaretur genus humanum. *Galat* IV, 4.

(2) *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus :* id est, dextera Christi et brachium ejus, videlicet magna virtus Christi, et fortitudo sua excelsa, salvavit, id est, de morte æterna genus humanum redemit, sibi, id est ad nominis sui honorem. Christus namque propria potestate hominem liberavit. Unde per Isaiam ait :
Salvavit mihi brachium meum. — Alii ita *Is.* LXIII, 5.
exponunt : *Dextera ejus et brachium sanctum ejus,* id est Christus : qui est virtus seu dextera Dei, juxta illud Apostoli, Prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam ; qui etiam dicitur brachium Patris, quia per eum omnia fecit. Sicque per brachium intelligitur Christus, de quo *I Cor.* I, 23, 24.
apud Isaiam legitur : Brachium Domini cui *Is.* LIII, 1.
revelatum est ? *Salvavit* genus humanum *sibi,* id est Deo Patri, seu ad gloriam ejus. Hæc enim salvatio fuit opus quod Pater dedit Filio ut faceret : de quo Christus in

Digitized by Google

Joann. xix, 30. cruce suspensus, dixit, Consummatum est; A
Ibid. xvii, 4. et ante passionem, Pater, ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.

Deinde Propheta de futuro loquens per modum præteriti, quod tamen jam com-
2 pletum conspicimus, subdit : (3) *Notum fecit Dominus,* scilicet Deus Pater, *salutare suum,* id est Christum Filium suum, mundi salvatorem : Primo in Judæa, quia per miracula quæ Christus in nomine Patris operabatur, Pater declaravit Jesum Nazarenum esse Filium suum ac regem Mes- B
Ibid. v, 36. siam : propter quod Christus ait, Opera quæ dedit mihi Pater, testimonium perhibent de me. Notificavit quoque Pater Fi-
Luc. ii, 9-12; i, 67-79; 41-45; ii, 25-38. lium suum pastoribus per angelum, Zachariæ atque Elisabeth per Spiritum Sanctum, Annæ et Simeoni similiter. Insuper Christo baptizato, et postea transfigurato, Pater
Matth. iii, 17; xvii, 5. de cœlo intonuit, Hic est, inquiens, Filius meus dilectus. Secundo notificavit salutare suum gentibus. Unde subjungitur : *in conspectu gentium revelavit* per prædicationem Apostolorum *justitiam suam,* id est C Christum essentialiter justum atque justitiam : qui appellatur justitia Dei, quia Pater per eum mundum redemit, non per potentiam tantum, sed per modum ac viam justitiæ. Vel, Justitiam suam, id est evangelicæ legis præcepta atque consilia, in quibus continetur plenitudo justitiæ. Hujus pulchri dulcisque versiculi sensum ac verba, illustrissimus Isaias frequenter in libro visionum suarum deprompsit. Ait
Is. xl, 5. enim : Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei nostri. Et : D
Ibid. lii, 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium ; et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et :
Ibid. xlvi, 13. Prope feci justitiam meam ; non elongabitur, et salus mea non morabitur.

3 (4) *Recordatus est* Deus Pater *misericordiæ suæ,* qua clementer promisit se missurum Filium suum in mundum, *et veritatis suæ,* qua veraciter adimplevit promissum, mittendo Christum. Dicitur autem Deus recordatus misericordiæ suæ et veritatis suæ, impendendo nobis effectum suæ misericordiæ ac veritatis. Et quia specialiter promisit Patriarchis et Prophetis filiisque eorum de Christi adventu, idcirco nunc dicitur recordatus misericordiæ suæ et veritatis suæ *domui Israel,* id est populo Judæorum, videlicet ad salutem ipsorum. Unde et Christus in Evangelio : Non sum, inquit, Matth. xv, 24.
missus, nisi ad oves quæ perierunt, domus Israel. Et Virgo Christifera : Suscepit Isra- Luc. i, 54-55.
el puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, etc. (5) *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri:* id est, omnes fines mundi, seu homines universi (ut distributio sit pro generibus singulorum), per fidem cognoverunt salutare Dei nostri, scilicet Christum. Ideo enim Simeon justus ait : Viderunt oculi mei salutare tuum, quod Ibid. ii, 30, 31.
parasti ante faciem omnium populorum. Et Christus dixit Apostolis : Euntes in Marc. xvi, 15.
mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

Propter tantum autem beneficium, invitantur homines universi ad gratiarum
actionem : (6) *Jubilate,* id est, cum exces- 4
sivo atque inenarrabili gaudio mentis, laudem dicite Domino Christo seu *Deo* trino, *omnis terra,* id est omnes habitantes in terra; *cantate,* voce laudando, *et exsultate,*
corde gaudendo, *et psallite,* bene vivendo. 5
(7) *Psallite,* id est, psalmos devote proferte, *Domino,* et hoc, *in cithara, in cithara*
et voce psalmi, in tubis ductilibus. Ad lit- 6
teram Hebræi utebantur his musicis instrumentis in laudibus Dei, psallendo ore et organis istis. — Spiritualiter autem per citharam intelliguntur misericordiæ opera, seu mortificatio carnis, sicut frequenter ostensum est. Per tubas ductiles, quæ tundendo formantur, designantur tribulationes et adversitates vitæ præsentis, quibus electi tunduntur, ut sint lapides apti in ædificium regni cœlestis. Per tubam corneam, id est de cornu corio factam, quod carnem tegit, et eminet, significatur contemplatio divinorum, per quam temporalia transcenduntur. Est itaque sensus : *Psallite Domi-*

Digitized by Google

no in cithara, id est cum carnis mortifi- A
catione et operibus misericordiæ, ne vita
carnalis atque crudelis psalmodiam ve-
stram faciat inacceptam ; *in cithara,* in-
quam, *et voce psalmi,* quatenus vita voci
concordet. Psallite quoque Domino *in tubis*
ductilibus, id est, in adversis et tribula-
tionibus atque tentationibus vestris, gra-
tias agite Christo : quemadmodum Jacobus
Jacob. I, 2. monet, Omne gaudium existimate, fratres,
quum in diversas tentationes incideritis.
Psallite etiam Domino *et* in *voce tubæ cor-*
neæ, id est in laude vocali, ex divinorum B
contemplatione procedente.

(8) *Jubilate in conspectu regis Domini,*
id est coram Christo omnium rege ac Do-
mino, jubilando ei corde collecto, atque
7 in ejus præsentia constituto ; *moveatur*
mare, id est sæculum istud, *et plenitudo*
ejus, id est habitantes in eo, ad fidem et
reverentiam Salvatoris. Quod clarius ex-
ponendo subjungit : *orbis terrarum et qui*
habitant in eo. Vel per mare et plenitudi-
nem ejus, intelliguntur negotiantes in ma-
8 ri, et habitantes circa ipsum. (9) *Flumina,* C
id est fideles aquis Baptismatis regene-
rati, et rivis gratiæ pleni, *plaudent manu*
simul, id est, Deum concorditer cum ex-
sultatione cordis ac bonis operibus collau-
dabunt ; *montes,* id est contemplativi et in
9 omni virtute sublimes, *exsultabunt a con-*
spectu Domini, id est ex consideratione
adventus atque præsentiæ Christi : quod
de utroque ejus adventu et conspectu in-
telligi potest. Uterque enim justis jucun-
dus est, *quoniam venit judicare terram,*
in primo suo adventu judicio discretio- D
nis, increpando vitia ipsorum ; in secundo
autem adventu veniet judicare mundum
judicio retributionis finalis, sicut subjun-
gitur :

(10) *Judicabit orbem terrarum in justi-*
tia ; et quid sit hoc, exponit adjungens,
et, pro id est, *populos in æquitate.* Omnes II *Cor.* V, 10.
enim nos oportet stare ante tribunal Chri-
sti, ut recipiat unusquisque prout gessit,
secundum Apostolum. Est autem judicium
discussionis seu retributionis, duplex : vi-
delicet particulare, quo animæ singulorum
judicantur, mox dum a corpore exeunt ;
et universale, quod erit in fine mundi. Et
de utroque accipi potest quod scriptum
est : Patientes estote usque ad adventum *Jacob.* V, 8, 9.
Domini, et confirmate corda vestra, quo-
niam adventus Domini appropinquabit. Ec-
ce judex ante januam adsistit. De ista
materia cito pertranseo, quoniam in expo-
sitione duorum psalmorum præcedentium
multa de ea commemorata recordor.

Denique decet nos psalmum istum dul-
cifluum ac amœnum, tanto affectuosius
devotiusque cantare, atque in ejus decan-
tatione tanto jucundius Domino jubilare,
quanto in eo de Christo, et ejus primo
adventu ceterisque mysteriis, et gentium
vocatione ad fidem et gratiam Salvatoris,
evidentius agitur, atque ad Dei præco-
nia persolvenda frequentius invitamur. Ni-
hil enim Christiano dulcius sapere debet,
quam sermo divinus in quo de Christi
incarnatione ac mundi redemptione tra-
ctatur : idcirco psalmi inde loquentes, de-
votissime sunt cantandi.

PRECATIO.

Omnipotens, æterne Deus, qui facis mi-
rabilia solus, recordare misericordiæ tuæ,
nosque aberrantes corrige, atque tibi per-
severanter atque fideliter fac adhærere : ut
digni efficiamur tibi Domino cantica pla-
cita perpetim decantare.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXVII

EXPOSITIO PSALMI NONAGESIMI OCTAVI : DOMINUS REGNAVIT, IRASCANTUR POPULI.

Porro titulus psalmi nunc exponendi, A in verbis ac sensu idem est cum titulo psalmi immediate præhabiti. Loquitur enim hic psalmus ad litteram de Christo, et regia magnificentia atque multiplici laude ipsius. Et qui eum ad litteram exponunt de David et regno ejus, non solum sanctis catholicisque doctoribus superficialiores sunt, sed etiam quibusdam Hebræorum doctoribus, qui ipsum ad litteram exponunt de rege Messia.

De eo igitur loquens David propheta,
1 ait : (1) *Dominus* Christus, qui primo
Matth. xx, 28. suo adventu non venit ministrari, sed ministrare, *regnavit* in Ecclesia militanti post resurrectionem et ascensionem ; et usque in finem mundi regnabit in ea. *Irascantur populi* infideles : id est, quantumcumque irati, indignati, reluctatique fuerint regno Christi, illud impedire non poterunt. Vel, Irascantur, id est, irascentur : quia perversi conati sunt regnum Christi destruere, ejusque famam et gloriam exstirpare. Propter quod Paulus (I Cor. xvi, 9.) : Ostium, inquit, mihi apertum est, et adversarii multi. Vel, Irascantur, id est, ira salubri contra vitia sua insurgant ac vindicent. *Qui sedet super Cherubim,* id est, Christus, qui ut Deus, omnem plenitudinem creatæ scientiæ superexcedit (de quo in libro Job (Job xxxvii, 24.) dicitur, Non audebunt eum contemplari omnes qui sibi videntur sapientes), qui etiam ut homo, elevatus est super omnes ordines angelorum, regnavit ; *moveatur terra,* id est, populus universæ terræ convertatur motu servitutis ac fidei ad Dominum Salvatorem. Vel, Moveatur ad impatientiam quantumcumque voluerit, invidendo gloriæ Christi, sed nihil proficiet. Hoc autem non optando seu imprecando, sed insinuando insuperabilem potestatem Christi, asseritur. Vel, Moveatur, id est, movebitur ad resistendum Christo : quod non optando, sed prænuntiando, intelligi debet. Unde dicit Apostolus (II Tim. iii, 8, 9.) : Quemadmodum Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati ; sed ultra non proficient, insipientia enim illorum manifesta erit omnibus.

(2) *Dominus* Christus est *in Sion,* id est 2
in Ecclesia ipsum fideliter contemplante, *magnus :* quemadmodum Gabriel Virgini Matri prædixit (Luc. i, 32.), Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur. Est autem Christus magnus duplici magnitudine. Nam, ut Deus, est magnus magnitudine infinita et increata, quæ est tribus Personis una et indivisa, idemque quod ipsa divina essentia. Unde dicit Apostolus (Tit. ii, 12, 13.) : Sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Est item Christus magnus magnitudine creata atque finita, non corporali, sed spirituali, id est in omni gratia, sapientia ac virtute perfectus, juxta illud (Luc. ii, 40.) : Puer (Jesus) crescebat et confortabatur, plenus sapientia ; et gratia Dei erat in illo. Hac magnitudine magnus erat a principio conceptionis suæ in Virgine ; et ob eam dictus est vir, adhuc exsistens in utero matris, secundum quod de ipso apud Jeremiam conscriptum est (Jer. xxxi, 22.) : Novum creavit Dominus super terram, Mulier circumdabit virum. *Et* Dominus iste est *excelsus* loco ac dignitate *super omnes populos.* Sedet enim (Marc. xvi, 19.) ad dexteram Patris, et ut Deus, omnia in infinitum excedit in omni dignitate et perfectione ; sed ut homo, perfectior est in omni gratia, quam omnes electi simul in

Digitized by Google

cœlo et terra. Propter quod Isaias inquit : A
Is. XL, 15. Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt.

3 (3) *Confiteantur,* o Christe, homines universi *nomini tuo magno:* de quo dicit Apostolus, *Philipp.* II, 9. Donavit illi (scilicet Christo Pater) nomen, quod est super omne nomen. Huic omnes confiteantur, id est tibi ipsi, duplici confessione, videlicet te laudando, et se accusando, *quoniam terribile et sanctum est.* Est enim terribile, quoniam omnes districtissime judicas ; et sanctum, quoniam purum ac bonum, omnisque purita- B
4 tis fontale principium. *Et honor regis,* id est regia dignitas Christi, *judicium,* id est actum justitiæ, *diligit.* Præcepit namque *Is* XXXIII, 22. Christus, rex noster, in veteri ac novo Testamento, judicium fieri, ordinans prælatos ac principes in militanti Ecclesia, quorum est inferioribus judicium facere. Vult quoque, ut ipsi prælati ac judices propria facta discutiant, discernant ac judicent : imo a quolibet nostrum requirit, ut per rationem judicet semetipsum, vitia propria condemnando, ulciscendo ac relinquendo. C
I Cor. XI, 31. Propter quod dicit Apostolus : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.
Is. I, 17. Et alibi habetur : Quærite judicium, subvenite oppresso.

Ibid. XXXIII, 22. (4) *Tu,* Christe, legifer noster, *parasti directiones,* id est, mandata vitæ nobis ostendisti, per quæ dirigitur homo in ultimum finem seu vitam æternam ; *judicium,* id est discretionem inter bonum ac malum, verum ac falsum, *et justitiam,* id est justitiæ exsecutionem seu boni operationem ac mali evitationem, *in Jacob* pa- D triarcha et populo Judæorum, seu populo christiano, quorum est vitia supplantare, *tu fecisti* per gratiam, dando eis virtutem *Ibid.* XXVI, 12. recte judicandi, ac juste agendi. Omnia enim opera nostra operatus es in nobis, secundum Isaiam ; *Philipp.* II, 13. et Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, secundum Apostolum.

Idcirco de tantis beneficiis, o fideles,
5 (5) *Exaltate,* id est, sublimiter colite, excellentissime honorate, et laude præclara universis præferte, *Dominum Deum nostrum,* qui solus est verus Deus, dicentes illud Danielis : Oculos meos ad cœlum *Dan.* IV, 31, 34. levo, et Altissimo benedico, et viventem in sempiternum glorifico, et regem cœli laudo atque magnifico. *Et adorate scabellum pedum ejus,* id est humanam naturam Christi, in qua divinitas Verbi stetit quasi supra scabellum. Hæc humanitas, in quantum est unita Deo in unitate personæ, adoratur adoratione latriæ, non per se, neque seorsum ; sed dum Christus Deus et homo adoratur, adoratur et ejus humanitas.

Pensandum vero circa præsentem materiam, quæ multis facit difficultatem, dubitationemque anxiam, quod secundum B. Thomam in tertia parte, quæstione 25, duo considerari possunt in eo qui honoratur, videlicet ipsum totum subsistens, et ea quæ in ipso sunt. Honor autem non impenditur proprie et per se, nisi toti subsistenti. Si enim pars alicujus honoretur, videlicet manus aut pes, hoc non est propter se, sed in quantum est aliquid totius : sicque totum honoratur in parte. Causa autem honoris, est excellentia honorati : quoniam honor est exhibitio reverentiæ, alteri impensa in signum seu testimonium perfectionis sive virtutis. Dum ergo in uno supposito sunt plures excellentiæ, scilicet prælatio, sapientia, sanctitas vitæ, erunt plures atque distinctæ honorationes unius, secundum ordinem ad causas honorationis, secundum quod causæ plures sunt et distinctæ ; sed ex parte personæ quæ honoratur, erit honoratio una. Denique adoratio in sacra Scriptura non semper accipitur prout est actus latriæ, scilicet pro cultu soli vero Deo impendendo, sed vicissim sumitur pro quacumque excellenti veneratione alterius. Unde scriptum est : Surrexit *III Reg.* II, 19. rex Salomon in occursum matris suæ, adoravitque eam. Et eodem libro legitur Bethsabee *Ibid.* I, 16. capite inclinato David regem adorasse. Similiter in libro Josue scriptum est, quemadmodum Josue angelum adoravit. *Josue* V, 15.

Digitized by Google

Quum igitur quæritur, an una atque A eadem adoratione sit adoranda humanitas ac divinitas Christi, dicendum quod imo, secundum comparationem seu ordinem ad totum subsistens, quoniam una est adoratio qua totus Christus adoratur propter unitatem personæ. Sed dici possunt plures adorationes, sumendo adorationem communiter secundum diversas causas honorationis, propter quas Christus adoratur. Nam propter sapientiam increatam, adoratur adoratione latriæ proprie sumpta; propter sapientiam vero et sanctitatem et gratiam B suam creatam, adoratur adoratione communiter sumpta, quæ dicitur adoratio duliæ, vel potius hyperduliæ, id est excellenti honoratione duliæ. Sicut enim latria est virtus quæ Deo cultum cærimoniamque impendit; sic dulia dicitur virtus quæ creaturis excellentibus debitum affert honorem.

Quum insuper quæritur, an adoratio latriæ sit impendenda humanitati Christi, respondendum, sicut nunc tactum est, quod adoratio proprie non competit nisi toti C subsistenti seu supposito: idcirco humanitas Christi non dicitur proprie aut directe adoranda seorsum vel per se, sed tamen eo modo quo potest adorari. Dicendum quod adoratio humanitatis Christi dupliciter intelligi potest. Primo, ut adoratio ejus intelligatur esse illius, cujus est ipsa, scilicet Verbi: et ita debetur humanitati Christi adoratio latriæ. Sic namque adorare Christi humanitatem, aliud non est nisi adorare Verbum incarnatum; quemadmodum adorare purpuram regis, est adorare regem D purpuratum. Secundo, intelligi potest adoratio humanitatis Christi, ita ut sit ejus secundum se, scilicet ut impendatur ei ratione sui, seu propter plenitudinem gratiæ suæ: sicque non debetur neque impenditur ei adoratio latriæ, sed veneratio duliæ.

Christus itaque duplici honoratione adoratur, utpote adoratione latriæ, propter naturam divinam et increatam, et adoratione duliæ, propter naturam humanam. Loquendo ergo de adoratione proprie dicta, nulli debetur proprie et per se, nisi increato supposito. Unde Damascenus tertio libro dicit: Adoratur autem caro Christi in Verbo Dei incarnato, non propter se ipsam, sed propter unitum, secundum hypostasim, Verbum. Cujus simile ponit de purpura regis, quæ honore soli regi debito honoratur, non secundum vel propter se, sed prout est indumentum regis: et sicut rex purpuratus regio veneratur honore, rex quidem proprie et per se, purpura vero, prout est aliquid regi conjunctum; sic Verbum incarnatum adoratur adoratione latriæ propter se proprie et directe, caro vero seu humanitas ejus, prout est aliquid sibi unitum.

(6) *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus,* 6
id est, de numero sacerdotum Dei fuerunt
in veteri Testamento. Aaron namque pon-
tifex erat et summus sacerdos, preces et
hostias populi Domino offerens. Moyses
vero consecrando seu ordinando Aaron in *Lev.* VIII.
pontificem, et filios ejus in sacerdotes,
prout in Levitico legitur, functus est offi-
cio sacerdotis. *Et Samuel inter eos qui
invocant nomen ejus,* id est, de numero
fuit eorum qui Deum intime oraverunt
in veteri Testamento. Nam et pro adversa-
riis suis precatus est, dicens: Absit a me *I Reg.* XII, 23.
hoc peccatum in Domino, quominus ces-
sem orare pro vobis. (7) *Invocabant Domi-
num* Moyses, Aaron et Samuel pro populi
ignorantia, *et ipse* Dominus *exaudiebat
eos:* quod patet de Moyse et Aaron in li- *Exod.*
bris Exodi et Numerorum, ac alibi. De Sa- XXXII, 11-14; XXXIII, 11 *et*
muele etiam scriptum est hoc primo Re- *seq.; Num.*
gum. *In columna nubis,* id est in nube XVI, 48; XXI, 7-9.
per modum columnæ apparente, *loqueba-* I *Reg.* XII, 17, 18.
tur ad eos Dominus, non in propria perso- 7
na, sed per angelum ministrantem. De quo
Dominus Moysi dixit: Ecce ego mitto an- *Exod.* XXIII, 20.
gelum meum, qui præcedat te. Quod autem
locutus sit hoc modo Dominus Moysi et
Aaron in columna nubis, legitur in Exo- *Ibid.* XXXIII, 9.
do; sed de Samuele non legitur hoc in
Scriptura canonica manifeste, nisi in psal-
mo præsenti, propter quod certum est sic

Digitized by Google

esse. Verumtamen primo Regum manifeste A
I Reg. xii, 17, 18. describitur, qualiter Dominus orante Samuele dedit voces et pluvias, quæ sine nube non erant. Et forte tunc Dominus loquebatur Samueli in columna nubis, quamvis alii locutionem illam non audierunt : sicut nec ceteri audierunt (ut aliqui asserunt)
Matth. iii, 17. vocem Patris dicentis de Christo, Hic est Filius meus dilectus : quam tamen audivit
Luc. iii, 21, 22. Joannes Baptista, Christo baptizato atque orante, ut dicit Lucas.

8 (8) *Domine Deus noster,* Trinitas adoranda et superbenedicta, *tu exaudiebas eos* in B justis eorum petitionibus. *Deus, tu propitius fuisti eis,* id est, pie ipsis indulsisti tam propria quam aliorum peccata : quod maxime patet in Aaron, qui graviter nimis
Exod. xxxii, 2-6; Num. xii, 1, 2. peccavit in formatione vituli aurei et murmuratione contra Moysen ; *et ulciscens,* id est paterne in præsenti vita castigans, *in omnes adinventiones eorum,* id est in omnia peccata ipsorum : quæ non processerunt ex inspiratione divina, sed ex adinventione humana. Hæc namque eorum peccata Deus in hoc mundo clementer ac C temporaliter ultus est, ne in futuro sæculo gravius punirentur. Unde propter incredulitatem, qua ad aquas Contradictionis Moy-
Num. xx, 12. ses et Aaron Deo increduli erant, prohibiti sunt ingredi terram promissionis. Constat ergo quod Dominus nonnunquam permittat sanctos suos ex humana infirmitate cadere : tuncque clementer adhibet temporalis pœnæ remedium, quatenus tam ex propria culpa, quam ex divina vindicta suam fragilitatem advertant, et humiliores cautioresque resurgant. Quem vero Deus D odit, hujus adinventiones non ulciscitur complete vel semper in sæculo isto, sed futuro : interdum tamen ulciscitur eas in præsenti per inchoationem, ut patet in reprobis quorum pœna nunc incipit, et in inferno sine fine perdurat.

9 (9) *Exaltate* cum reverentia mentis, cum præconio oris, cum obsequio operis, *Dominum Deum nostrum,* Christum Dei Filium, qui est verus Deus ac vita æterna ; *et adorate* eum *in monte sancto ejus,* id est in Ecclesia militanti, in Christo monte summo fundata ; et non solum in monte Sion, qui erat in Jerusalem, aut in monte sito juxta Sichar, de quibus ait Salvator mulieri Samaritanæ : Crede mihi, quia ve- Joann. iv, 21.
niet hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerusalem adorabitis Patrem. *Quoniam sanctus Dominus Deus noster.* Ipse enim est substantialiter sanctus, et sanctitas pura, separata et infinita. Ipse quoque est prima origo, mensura et causa omnis sanctitatis, virtutis atque munditiæ. Propter quod Pater noster cœlestis, volens nos esse sibi consimiles, quatenus vere ac digne ejus adoptivi filii nominemur, ait : Nolite contaminare animas vestras. Sancti Lev. xi, 43, 44.
estote, quoniam ego sanctus sum. Maculatos autem, immundos, seu vitiosos abominatur, odit et damnat, quemadmodum Josue dicit : Deus sanctus et fortis æmulator Josue xxiv, 19.
est, nec ignoscet sceleribus vestris. Sed et Christus Deum Patrem, sanctum appellat, suosque fideles ab eo sanctificari precatur, dicens in Evangelio : Pater sancte, Joann. xvii, 11, 17.
sanctifica eos in veritate. Agamus ergo propter quod Christus venit ad nos. Juravit namque daturum se nobis, ut servia- Luc. i, 73-75.
mus illi in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris.

Ecce psalmum præsentem laudibus Dei suavem, beneficia Christi recolentem, nosque ad Dei venerationem repetitis vicibus exhortantem, decet nos non sine jucunditate interna, devotioneque præcipua decantare, et Deum non solum verbis, sed humili quoque ac diligenti obsequio exaltare.

PRECATIO.

Excelsus super omnes populos Deus, famulis tuis esto propitius ; da nobis, quæsumus, custodire testimonia et sancta quæ dedisti nobis præcepta : ut ea in finem usque observantes devote, mercedem a te in beata sortiamur æternitate.

Digitized by Google

ARTICULUS LXXVIII

ELUCIDATIO PSALMI NONAGESIMI NONI : JUBILATE DOMINO, OMNIS TERRA.

1 Psalmi nunc declarandi titulus est : *Psalmus in confessione :* A id est, psalmus iste agit de confessione divinæ laudationis, de confessione quoque propriæ accusationis. Principaliter tamen tractat de confessione laudis divinæ, quia intendit nos inflammare atque inducere ad laudandum, regratiandum, ac benedicendum Deo creatori nostro.

2 Dicit ergo : (1) *Jubilate Domino* * : id est, tam exuberanter ineffabiliterque gaudete, ac hymnum dicite Deo, ut sanctæ B devotionis lætitia contineri compescique nequeat, quin foras per sensibilia signa erumpat, nec tamen integre exprimi possit. Sic Jubilate Domino, *omnis terra,* id est, o universi incolæ terræ. Tam copiose decet nos Domino jubilare, quoniam sicut ejus majestas nostram parvitatem infinite excedit, sic nostra jucunditas de Deo concepta, propriam infirmitatem et elocutionem transcendere debet. Debemus autem Domino jubilare : Primo et summe, propter propriam bonitatem ac beatitudinem C ejus, cui decet nos ineffabiliter congaudere, si tamen diligimus eum, sicut et Christus ait Apostolis : Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, id est, meæ exsultationi et glorificationi congratularemini. (Joann. XIV, 28.) Secundo, propter multiplicia beneficia Dei nobis exhibita, scilicet propter dona naturæ ac munera gratiæ. Dedit enim nobis esse, vivere, sentire, intelligere, corpus et animam, vires ac membra, multiformia quoque dona gratiæ atque misericordiæ suæ immensæ. Tertio, propter D maxima bona nobis promissa, in cœlestibusque parata.

* alias *Deo*

Hinc ergo, o homines cuncti, *servite Domino in lætitia,* id est prompte atque hilariter, non tamen dissolute ac irreverenter, sed in lætitia timori conjuncta, sicut superius dictum est, Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. (Ps. II, 11.) Quid autem est, Domino in lætitia deservire, nisi divinis præceptis ex vera et fervida caritate parere ? Nulla quippe forma tam facile, prompte et delectabiliter operatur, ut caritas ; habetque caritas fervida in omni sua operatione annexam cordialem lætitiam. Non enim gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, secundum Apostolum. (I Cor. XIII, 6.) Debemus itaque Domino in lætitia ministrare, quia non complacet ei famulatus coactus. Propter quod dicit Apostolus : Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. (II Tim. I, 7.) Ad Colossenses quoque : Quodcumque, inquit, facitis, ex animo operamini. (Coloss. III, 23.) Quanto autem Deo ex promptiori ac hilariori affectu servimus, tanto pleniorem ab eodem mercedem sortiemur, videlicet ampliorem gratiam in præsenti, gloriamque majorem in cœlo.

(2) *Introite* in templum Domini *in conspectu ejus :* quia supra templum Domini aperti sunt oculi misericordiæ ejus, quemadmodum Salomon oravit : Audi, Domine, hymnum et orationem servi tui, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte. (III Reg. VIII, 28, 29.) Quamvis autem hoc de templo materiali accipi possit, quod est domus orationis, in quam adspicit Deus ; (Is. LVI, 7.) in qua etiam domo homines adspiciuntur a Deo, id est, per approbationem cognoscuntur ab eo et misericorditer attenduntur : aptius tamen accipitur de templo immateriali, quod est anima rationalis, quæ est cubiculum, tha-

Digitized by Google

lamus, thronus, sedes, domus ac templum A
sui Creatoris ac Salvatoris. Debemus ergo
Is. xlvi, 8. introire in animam nostram, id est redire
ad cor, et considerare divina, atque discutere nostra interiora, *in conspectu ejus,* id
est coram Deo, cogitando præsentiam Dei,
et coram eo statuendo nos ipsos, dicentes
Gen. xxxi, 50. illud Genesis : Testis est Deus, qui præsens respicit. Sic autem introite *in exsultatione :* id est, introeundo confiteamini
Deo ejus præconia et vestra facinora, quatenus in contemplatione divinæ bonitatis
lætemini, in consideratione autem vestræ B
pravitatis tristemini, ut contristando consolari mereamini consolatione æterna.

3 (3) *Scitote,* non solum per fidem, sed
etiam per naturalem rationem et gustum
seu experientiam, *quoniam,* id est quod,
Dominus universorum *ipse est Deus,* creator, gubernatorque vester ; *ipse fecit nos*
per creationem, refecit etiam nos per suam
incarnationem ac gratiæ infusionem, *et non
ipsi nos.* Quod autem Deus creando omnia fecit, omnia protestantur et clamant,
Ibid. i. ordo rerum ostendit, ratio dictat, Scriptura C
affirmat, philosophi cognoverunt, theologi
prædicant. Videmus namque ordinem decentissimum esse in speciebus universi,
quoniam una natura est posterior, compositior, vilior, ac dependentior alia. Oportet
ergo venire ad unam naturam simpliciter
primam, maxime simplicem, summe dignissimam, penitusque independentem, seu
nullius egentem : et ista est Deus. Primum
autem atque dignissimum in omni genere
rerum, est causa posteriorum in genere
suo : quemadmodum primum calidum est D
causa caloris in aliis; et primum lucidum,
scilicet sol, est causa claritatis in omnibus
aliis. Deus ergo, qui est primum ens, summe perfectum, simplex ac independens,
est causa omnis entitatis, veritatis ac perfectionis in ceteris omnibus. Quod etiam
Aristoteles secundo Primæ philosophiæ demonstrat. Propter quod alibi dicit : Ab
hoc ente, omnibus communicatum est esse
et vivere, his quidem clarius, his autem
obscurius.

Quemadmodum itaque omne quod habemus et sumus, a Deo recepimus, ita nos
ipsos et omnia interiora exterioraque nostra Deo offerre, et in Dei laudem ac servitutem expendere obligamur. Ideo subditur : (4) *Populus ejus et oves pascuæ ejus,*
id est, o universi fideles, quos possidet
Deus per fidem et gratiam, qui estis oves
pascuæ ejus, id est, qui sacramentis ejus
reficimini, et mente et corpore donis Dei
sustentamini atque alimini ; *introite,* non 4
tam corporis gressu, quam mentis profectu, *portas ejus,* id est virtutes seu opera
virtuosa, quibus ad regnum cœleste pertingitur, *in confessione* peccatorum vestrorum. Oportet enim confessionem propriæ
culpæ præcedere cetera opera virtuosa.
Per confessionem namque culpa deletur,
gratia datur, et homo idoneus laudator efficitur. Unde de non confitentibus Dominus
per Isaiam ait : Quum extenderitis manus *Is.* i, 15.
vestras, avertam oculos meos : manus enim
vestræ sanguine plenæ sunt. Introite quoque *atria ejus,* id est latitudinem caritatis, implentes illud beatissimi principis
Apostolorum : Ante omnia mutuam in vo- I *Petr.* iv, 8.
bismetipsis caritatem continuam habentes,
quoniam caritas operit multitudinem peccatorum. Unde et Paulus : Ambulate, in- *Ephes.* v, 2.
quit, in dilectione, sicut et Christus dilexit
nos. Nam plenitudo legis est dilectio ; et *Rom.* xiii, 10, 8.
qui diligit proximum, legem implevit. Vel :
Introite atria ejus, id est, per contemplationem et spem intrate amplitudinem cœlestis palatii, et oculis fidei circumspicite
plateas regni cœlorum, ac ordines Beatorum, habentes conversationem in cœlo. *Philipp.* iii, 20.
Denique potest hic versus intelligi de materialibus portis atriisque ecclesiæ ex lapidibus fabricatæ : ita quod admonemur
visitare ac ingredi ecclesiam Dei, ubi divina aguntur, Missæ celebrantur, prædicatio
verbi cœlestis auditur. *In hymnis,* id est
spiritualibus laudibus, *confitemini illi,* id
est, Deum laudate : sicut in Apocalypsi
admonetur : Laudem dicite Deo, omnes *Apoc.* xix, 5.
servi ejus, et qui timetis eum pusilli et
magni.

Digitized by Google

(5) *Laudate nomen ejus,* mente devota, A
5 collecta, et amorosa, *quoniam suavis est Dominus.* Est enim Deus benedictus et sanctus, essentialiter dulcis; et ejus infinita essentia aliud nihil est, nisi dulcedo prorsus immensa, a cujus odore, suavitate ac amœnitate in infinitum occumbit omnis dulcedo creata. Hanc tamen dulcedinem Dei aliqualiter gustare meretur, qui in continuis laudibus ejus diligenter persistit, dicens ac implens quod dictum est
Ps. xxxiii, 2. supra: Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo. Et Ec- B
Eccli. li, 1, 15. clesiasticus: Confitebor (inquit) tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Laudabo nomen tuum assidue. *In æternum misericordia ejus.* Misericordia enim Dei est ipsemet Deus misericors: et ita æterna est, sicut et Deus. Vel, In æternum misericordia ejus, id est, effectus pietatis divinæ æternaliter permanebit in
Rom. ix, 23. electis, qui sunt vasa misericordiæ. *Et usque in generationem et generationem,* id est per omnes generationes et sine fine, permanet *veritas ejus,* id est veritas sacræ C
Scripturæ: quemadmodum Christus testa-
Luc. xxi, 33. tur, Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Propter quod
Is. xl, 8. etiam in Isaia habetur: Verbum Dei nostri stabit in æternum. Vel veritas Dei, intelligi potest ipsemet Deus verax, seu vera impletio promissionum ipsius: quæ nunquam cessabit, quoniam ibunt reprobi in ignem Matth. xxv, 46. æternum, electi vero in vitam æternam.

Ecce psalmum dulcifluum, angelica jucunditate repletum, Dei præconiis redolentem audivimus: quem debemus in persona Ecclesiæ cum ingenti attentione proferre, ejusque exhortationibus efficaciter obedire, Domino jubilando, ei hilariter serviendo, ejusque præsentiam jugiter cogitando, ipsumque esse Deum nostrum fide ac opere profitendo, nec unquam ab ejus præconio segniter discedendo. Quod facere nullo modo poterimus, nisi quotidie gravia vitia integerrimo corde abhorreamus, venialia quoque diligenter pro posse vitemus, corrigamus, ac deploremus, confitendo frequenter et emendando ferventer, pensantes illud Salomonis: Qui abscondit scelera Prov. xxviii, 13. sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Hæc requiruntur ad actus ad quos invitamur in psalmo præsenti, quoniam actus isti omnino deiformes sunt, cœlestes atque angelici, saluberrimi et incomparabilis meriti.

PRECATIO.

Æterna cœli gloria, Deus, fac nos portas tuas in confessione, et atria tua in hymnis introire: ut confitentes majestati tuæ, coronam vitæ quam repromisisti te diligentibus, te donante, accipiamus.

ARTICULUS LXXIX

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI : MISERICORDIAM ET JUDICIUM CANTABO TIBI, DOMINE.

Titulus psalmi novissimi hujus quin- D
1 quagenæ secundæ, talis est: *Psalmus David.* Est enim hic psalmus David prophetæ tanquam auctoris, sed Christo cantatur tanquam largitori omnium perfectionum, virtutum seu gratiarum, de quibus tractat hic psalmus. Convenit vero cuilibet homini virtuoso, cujus vita aliis in exemplum proponi potest. Fatetur enim in hoc psalmo vir perfectus suas virtutes, non præsumptuose aut ad gloriam propriam, sed ad Dei honorem et proximorum ædificationem: quemadmodum Job, Tobias, Jeremias, et alii multi Sanctorum diligenter

Digitized by Google

describunt bona propria. Quod etiam Pau- A
lus in suis epistolis sæpius agit, in tantum
II Cor. XII, 11. ut dicat aliquoties : Factus sum insipiens,
vos me coegistis, id est, caritas qua ve-
stram salutem desidero, compulit me lau-
dare me ipsum : quod insipientiæ simile
est, et divinæ Scripturæ videtur contra-
Prov. XXVII, 2. rium, quoniam Salomon dicit : Laudet te
alienus, et non os tuum; extraneus, et non
labia tua. Sed hoc ideo dictum est, ne quis
laudet se ipsum sine ratione legitima, aut
ex gloria vana. Non autem prohibemur per
hoc, ad gloriam Creatoris, ædificationem- B
que auditoris, et maxime subditorum, pro-
prias enarrare virtutes, præcipue quoniam
Matth. V, 16. Christus in Evangelio : Sic luceat, inquit,
lux vestra coram hominibus, ut videant
opera vestra bona, et glorificent Patrem
vestrum qui in cœlis est. Unde et Petrus
I Petr. II, 12. ait : Conversationem vestram inter gentes
habentes bonam, ut in eo quod detrectant
de vobis, tanquam de malefactoribus, ex
bonis operibus vos considerantes, glorifi-
cent Deum in die visitationis. Et Paulus
I Tim. IV, 15. dilecto discipulo ait : Profectus tuus ma- C
nifestus sit omnibus.

LOQUENS ergo David in persona Ec-
clesiæ, seu cujuslibet viri perfecti, sic
orsus est : (1) *Misericordiam et judicium
cantabo tibi, Domine :* id est, pietatem et
æquitatem tibi, o Deus, cum laude jucun-
da adscribam, id est, non solum laudabo te
tanquam misericordem, misericorditer in-
dulgentem, miserationesque maximas pec-
catoribus facientem, sed etiam tanquam
justum, justa judicia diligentem ac facien- D
Prov. XIX, 5. tem, terribiliter ulciscentem, et nil mali
impunitum, imo nil penitus indiscussum,
injudicatum, impræmiatumque derelin-
quentem. Nunc enim frequenter prædi-
Ps. XXIV, 10. ctum est, quomodo universæ viæ Domini
sint misericordia et veritas, intelligendo
per veritatem justitiam seu judicium. Can-
tamus autem Domino judicium multiplex :
videlicet particulare, quod singulis, dum
moriuntur, facit seorsum; et universale,
quod in fine mundi facturus est. Canta-
mus ejus judicium discretionis, quod agit
in nobis quotidie, electos a reprobis in
vita hac dividens gratia, voto et merito;
judicium quoque retributionis finalis, quod
erit in fine sæculi, quando separabuntur Matth. XIII, 49.
boni a malis loco et præmio. — Vel sic :
Misericordiam in prosperis, *et judicium*
in adversis, *cantabo tibi,* id est ad laudem
tuam, o *Domine,* ita quod quidquid boni
seu consolationis tuæ mihi acciderit, et
quidquid meriti in me fuerit, totum tibi
attribuam, et tuæ misericordissimæ boni-
tati adscribam. Porro quidquid adversita-
tis, imperfectionis aut culpæ contigerit,
hoc meis peccatis et tuo justo judicio
deputabo, cantans tibi illud Danielis : Ju- Dan. III, 27-31.
stus es, Domine, in omnibus quæ fecisti
nobis, et universa opera tua vera; et om-
nia quæ fecisti nobis, in vero judicio fe-
cisti, quia peccavimus tibi, et mandatis
tuis non obedivimus.

Sicut ergo Deus singulariter præcipit
nobis misericordiam, quantum ad proxi-
mos, et judicium, quantum ad nos ipsos
(secundum illud Zachariæ : Judicium ve- Zach. VII, 9.
rum judicate, et misericordiam et mise-
rationes facite, unusquisque cum fratre
suo; et Michææ : Indicabo tibi, o homo, Mich. VI, 8.
quid sit bonum, aut quid Dominus requi-
rat a te : utique facere judicium, et dilige-
re misericordiam); sic Deus in omni opere
suo misericordiam judiciumque commi-
scet. Propter quod hæc duo sibi speciali-
ter decantantur, ne vel judicium Dei nos
desperare compellat, vel misericordia in-
timoratos efficiat; sed utrumque horum
pensando, timendo speremus, et sperando
timeamus, atque sollicite ambulemus cum Ibidem.
Deo nostro, cum metu et timore ac tremo- Philipp. II, 12.
re nostram operantes salutem, juxta ad-
monitionem divini Apostoli.

(2) *Psallam,* spiritualia cantica profe-
rendo, *et intelligam,* id est, intus legam, 2
seu intente advertam quæ psallo, ne sim
vagus et mente inanis, sed impleam illud
Apostoli : Psallam spiritu, psallam et men- I Cor. XIV, 15.
te. Unde supra dictum est, Psallite sapien- Ps. XLVI, 8.
ter. Sic autem psallam et intelligam *in via*

Digitized by Google

immaculata, id est cum intentione sincera, in desiderio puro, in observatione legis divinæ, quatenus vita voci concordet. Hæ namque sunt viæ immaculatæ, quibus ad Deum anima tendit : de quibus
Prov. iii, 17. legitur in Proverbiis, Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. In via vero sancti desiderii, quo sitivit anima mea ad te, dixi, tuam præsentiam vehementer optando : *Quando venies ad me?* id est, utinam cito venias, quotidie quidem per gratiæ accumulationem, et in brevi tollendo me de isto exsilio ad patriam : B
Philipp. i, 23. cupio enim dissolvi et esse tecum, quia hoc multo melius.

Consequenter prosequitur in speciali, qualiter in via immaculata psallebat, dicendo : (3) *Perambulabam,* id est, in hac valle lacrimarum conversabar *in innocen-*
Tob. iv, 16. *tia cordis mei,* ita quod non feci alteri quod mihi nollem fieri, sed in simplicitate ac puritate conscientiæ vixi : quemadmo-
II Cor. vii, 2; I Thess. ii, 5. dum ait Apostolus, Neminem læsimus, neminem corrupimus, neque aliquando in sermone adulationis fuimus; *in medio do-* C *mus meæ,* id est in medio Ecclesiæ seu fratrum meorum, nullum malo exemplo
3 intoxicando. (4) *Non proponebam ante oculos meos* corporales seu interiores *rem injustam,* id est quidquam illicitum, ut appe-
Job xxxi, 1. terem : sicut in Job habetur, Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de
Ezech. xx, 7. virgine. Unde iterum scriptum est : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, dicit Dominus. Maxime enim nocet oculus incustoditus, sicut in Ecclesiastico
Eccli. xxxi, 15. dicitur : Oculo quid nequius creatum est? D Semper ergo oculum cordis et corporis refrenemus, si corde puro Domino complacere optamus. Si hoc modo David oculos
II Reg. xi. suos custodisset, in adulterium homicidiumque lapsus non fuisset. *Facientes prævaricationes,* id est divina mandata transgredientes, *odivi,* in quantum hujusmodi sunt : dilexi tamen eos secundum quod homines sunt et gratiæ atque salutis capaces, quia eorum conversionem desidero,
Matth. v, 44. quoniam pro inimicis et impiis orare præ-

A cipior. Et in hoc ostendit se divinæ voluntati conformem, quoniam, sicut Sapiens dicit, Odio sunt Deo impius et impietas Sap. xiv, 9
ejus. Et de impiis apud Jeremiam Dominus ait : Non est anima mea ad populum Jer. xv, 1
istum.

(5) *Non adhæsit mihi cor pravum,* id 4
est, affectio cordis mala mihi non placuit. Multum quippe pœnales sunt homini justo affectus et actus hominis pravi, quemadmodum Petrus testatur de Lot : Adspectu II Petr. ii, 8
et auditu justus erat, habitans inter eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. Verumtamen in tali eventu seu casu servanda est patientia, et immoderata ac impetuosa displicentia removenda, atque pia compassio impendenda, prout docet Apostolus : Fratres, et si Galat. vi, 1
præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Et rursus : Alter, inquit, alterius onera portate. *De-* Ibid. 2.
clinantem a me malignum, id est igne vitiorum accensum, a mea recta voluntate aversum, et mihi in vita dissimilem, *non cognoscebam* per approbationem, quoniam mihi non placuerunt opera ejus. Et in hoc Deo se ipsum conformat, qui impiis dicet in die judicii : Nescio vos. De quibus etiam Luc. xiii, 25.
alibi ait : Non est mihi voluntas in vobis. Maloch. i, 10.

(6) *Detrahentem secreto proximo suo,*
ejus famam denigrando coram me, seu me 5
sciente, *hunc persequebar* affligendo, increpando seu fugiendo. Est enim detractionis vitium grave nimis, et gravius furto, quod tamen ex suo genere est mortale. Unde scriptum est : Si mordeat serpens in Eccle. x, 11.
occulto, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Detractorem igitur persequi debet verus diligensque prælatus, et quilibet nostrum eum arguere debet, si est spes de emendatione ipsius ; si vero correctionem verborum non recipit, debet ei ostendere vultum tristem, vel omnino faciem ab eo avertere, seu aliquid boni proponere, quatenus sic erubescat et emendetur. Hinc enim Salomon dicit : Per tristitiam Ibid. vii, 4.
vultus, corrigitur animus delinquentis. Et

Digitized by Google

Eccli. xxviii, 28. alibi habetur : Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam. Hic itaque persecutor detractoris, bonus ac pius est, non crudelis ; et quicumque cupit vere proficere, debet in primis vitium detractionis penitus abhorrere et funditus ex-
I Joann. iv, 1. stirpare, nec omni spiritui credere, seu de facili assensum præbere omni narrationi aliorum, præcipue imperfectorum. Maxime namque animam inquietat, mentisque stabilitatem ac gravitatem tollit ac impedit, quam cito omnia credere, obloquentiumque sermonibus leviter adhærere cœperit. Hinc etenim frequentes discordiæ et injusta odia generantur, ita ut interdum de amicissimis fiant inimici, dum unanimes quidem, sed nimium credulas animas maliloqua lingua disjungit. Magna vero quies est animæ, et ingens gravitas morum, non temere neque facile de aliquo quidquam sinistrum velle recipere aut audire. Et ista valde pensanda sunt innocentibus atque simplicibus, quia facilius totum credunt, putantes alios tales, quales sunt ipsi. Pro-
Prov. xiv, 15. pter quod Salomon : Innocens, inquit, credit omni verbo.

(7) *Superbo oculo et insatiabili corde,* id est avaro qui non impletur pecunia, *cum hoc non edebam* cum interiori consensu. Et ad litteram, si fieri potest sine dispendio, vitandi sunt in mensa superbi atque
Eccli. ix, 22. avari, juxta illud : Viri justi sint tibi con-
II Thess. iii, 14. vivæ. Et Apostolus dicit : Si quis non obedierit verbo per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confunda-
I Cor. v, 11. tur. Alibi quoque : Cum hujusmodi, inquit, nec cibum sumere. Propter correctionem tamen et informationem seu aliam rationabilem causam, possumus cum talibus manducare, præsertim quum Christus
Luc. vii, 34, 36. cum publicanis et peccatoribus comedisse legatur, quatenus eos converteret.

6
(8) *Oculi mei* interiores et etiam exteriores, *ad fideles terræ,* id est ad homines Deo fideliter servientes, *ut sedeant mecum* in consiliis, mensis atque judiciis, quia ad tales affectuose respicio, eisque communicare desidero. *Ambulans in via immaculata,* id est sine labe peccati conversans, et Deo in puritate cordis deserviens, *hic mihi ministrabat.* Tales namque esse decet ministros prælatorum ac principum ; præcipue autem decet religiosos habere devotos servos, non sæculares, leves, vanos, in vestitu curiosos, et opere incon-
stantes. (9) *Non habitabit in medio domus* 7
meæ qui facit superbiam : id est, superbis
non cohabitabo, ne cum perverso perver- Ps. xvii, 27.
tar ; et si corpore ei cohabito, mente tamen longe distabo ab eo, quoniam scriptum est : Qui tetigerit picem, inquinabitur Eccli. xiii, 1. ab ea ; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. Unde Sapientia asserit : Arrogantiam et superbiam et viam pravam et os bilingue detestor. Prov. viii, 13. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum :* id est, meo judicio non fecit bene, nec ambulavit ad Deum directe ; imo reprobo eum.

(10) *In matutino,* id est tam cito ut com- 8
mode justeque potui, *interficiebam* gladio materiali vel spirituali *omnes peccatores terræ,* hoc est omnes graviter criminosos, causas morte dignas habentes, *ut disperderem de civitate Domini,* id est de Ecclesia seu congregatione justorum, *omnes operantes iniquitatem* tam gravem, ut dictum est. Debent namque principes sæculares gladio materiali, prælati autem gladio spirituali, iniquos occidere, seu intus mortuos declarare, ut mundent Ecclesiam a commixtione pravorum, secundum Decreta. 24, q. 1. Audivimus. — Vel : *In matutino,* id est in exordio tentationis, *interficiebam,* id est, cadere atque deficere feci, per orationem devotam et adjutorium gratiæ Christi, *omnes peccatores terræ,* id est diabolos me tentantes, et terrenas concupiscentias mihi suggerentes ; *ut disperderem de civitate Domini,* id est de consensu animæ meæ, quæ est civitas Dei, *omnes operantes iniquitatem,* id est omnia diabolica tentamenta, me ad opera mala inducere quærentia.

Quomodo autem hic psalmus Christo conveniat, certum ac facile est. Ipse enim

Digitized by Google

ut perfectissimus cantavit Deo Patri ac toti A Trinitati misericordiam et judicium, quia in toto Evangelio docet Deum pium esse ac justum. Psallebat quoque et intelligebat in via immaculata, id est in tota sua conversatione sanctissima : Quando venies ad me? id est, quando, o Deus Pater, veniam ad te? Optabat namque redire ad Patrem, quemadmodum testatur : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? Non adhæsit etiam Christo cor pravum, ut patet de Juda proditore. Cetera omnia plana sunt.

Marc. IX, 18.

Joann. XV, 1-8.

Porro, secundum doctores, tres sunt status christianæ religionis. Primus est incipientium, quorum est in luctu et actibus pœnitentiæ occupari : et huic appropriatur prima quinquagena Psalterii, quæ terminatur in psalmo pœnitentiali, videlicet, Miserere mei, Deus. Secundus est status proficientium, qui in spiritu ambulant, quorum est in actu justitiæ exerceri, eundo de virtute in virtutem : et huic appropriatur hæc secunda quinquagena, quæ terminatur in psalmo præsenti, de rigore justitiæ pertractante. Tertius vero est C status perfectorum, a vita activa ad contemplativam ascendentium, quorum est laudibus Dei jugiter inhærere : et huic appropriatur tertia quinquagena, quæ terminatur in laude divina.

Ps. L.

Galat. V, 16.

Ps. LXXXIII, 8.

Docetur denique unusquisque superior ex psalmo præsenti, ut habeat se devote ad Deum, juste ad proximum, immaculate ac sancte ad se ipsum. Imo singulis nobis conandum est, ut taliter conversemur in hoc mundo fallaci, ac fragili corpore, quod vita nostra aliis exemplaris reddatur, at- B que in propria persona, verba psalmi hujus a nobis cantentur ad gloriam Salvatoris, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

PRECATIO.

Misericordia tua, Domine, interveniente, præsta nobis, quæsumus, cordi pravo non adhærere ; sed fac nos domus tuæ innocenter semper perambulare atria, quo tibi placentes, æternæ gloriæ tuæ nos digneris associare.

FINIS COMMENTARIORUM IN SECUNDAM QUINQUAGENAM PSALTERII

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN TERTIAM QUINQUAGENAM
PSALTERII

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

DEDIT David *confessionem Sancto et Excelso;* et *de omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum.* Eccli. XLVII, 9, 10.

In verbis inductis commendatur gloriosus propheta et rex sanctus David de tribus, videlicet : de confessione propriæ culpæ, quam sancto excelsoque Deo humiliter est confessus, Tibi, inquiens, soli peccavi, et malum coram te feci. Secundo, *Ps.* L, 6. de intima confessione laudis divinæ : quia de omni corde suo, id est toto et integro corde, cum omni alacritate ac promptitudine Dominum laudavit, sicut inferius ait : Cantabo Domino in vita mea ; psallam Deo meo quamdiu sum. Tertio, de sancta di- *Ps.* CIII, 33. lectione proprii Creatoris. In istis consistit universa spiritualis vitæ perfectio.

Quum enim non sit speciosa laus in ore peccatoris, prius confiteri oportet propria *Eccli.* XV, 9. mala, quoniam omnia in confessione lavantur. Unde Josue septimo scriptum est : Fili mi, da gloriam Deo, et confitere quid feceris. Mente autem per confessionem *Josue* VII, 19. purgata, factus est homo dignus atque idoneus Dominum laudare : quia confessio propriæ culpæ, disponit et aptum reddit hominem ad confessionem laudis divinæ, in qua inflammatur mens pura divini amoris ardore in tantum, ut dicere possit illud Jeremiæ : Factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, *Jer.* XX, 9. claususque in ossibus meis ; et defeci, ferre non sustinens. Denique, sicut confessio culpæ est actus humanus, quia non competit nisi homini ; sic Dominum laudare, est actus angelicus, quoniam eis a principio suæ creationis inerat, incessabiliter inest, et jugiter inerit. Deum autem diligere, est actus omnino divinus : nam Deo æternaliter, perfecte infiniteque convenit. Confitendo itaque nostra peccata, ducimus vitam laudabilem et humanam. Quemadmodum enim humanum est, ex infirmitate peccare ; sic humanum, per confessionem resurgere. Deum autem laudando, ducimus vitam angelicam et cœlestem ; sed Deum amando, deificamur, et deiformem vitam sortimur. Ad cujus adeptionem omnia nostra exercitia ordinare debemus. Præcipue vero confert ad eam acquirendam laus perennis seu psalmodia continua, juxta illud Isaiæ : Implebit *Is.* LVIII, 11, 13. Dominus splendoribus animam tuam, si glorificaveris eum.

Quoniam igitur, Domino Salvatore auxiliante, utcumque expositæ sunt duæ quinquagenæ libri Psalmorum, incumbit nunc aggredi tertiam, secundum modum et formam in exordio explicatos : videlicet, simpliciter procedendo, sine stili ornatu et sensuum profunditate, atque ipsos psalmos, dum fieri potest et expedire videtur, quadriformiter explanando, hoc est, litteraliter, allegorice, tropologice et anagogice, quantum ille dare dignabitur, de quo scriptum habetur : Omnis sapientia a Domino *Eccli.* I, 1. Deo est, et cum illo fuit semper et est ante ævum. Cujus misericordissimam illustrationem affectuosissime invoco, per dilectionem, preces ac merita Advocatæ, Salvatricis et Dominæ nostræ, Virginis sanctæ, dulcis Mariæ.

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN TERTIAM QUINQUAGENAM
PSALTERII

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO IN PERSONA PŒNITENTIS, PSALMI CENTESIMI PRIMI : DOMINE, EXAUDI ORATIONEM MEAM.

1 Psalmi nunc declarandi titulus est : *Oratio pauperis, quum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam :* id est, psalmus præsens est oratio hominis pœnitentis, quum anxiatur timore futuri judicii ac suppliciorum inferni ex recordatione peccatorum suorum, et in conspectu Domini effuderit precem suam, quatenus misericordiam consequatur, videlicet a præsentibus tribulationibus relevamen, peccatorum indulgentiam, innocentiæ restitutionem, et gloriam in futuro.

Loquens igitur sanctus Propheta in persona hominis, propriam infirmitatem, iniquitatem atque miseriam recognoscentis, ac spiritualem inopiam deplorantis,
2 tis, ait : (1) *Domine,* Deus omnipotens,
simplex ac trinus, totaliter naturaliterque misericors, *exaudi,* id est, cognoscendo adimple, *orationem meam,* id est petitionem decentium peti a te ; *et clamor meus* mentalis, videlicet ardens affectio, desideriumque cœleste, seu clamor vocalis, qui est magni ac sancti desiderii nuntius, *ad te* C *veniat,* id est, tibi acceptus sit, tibi complaceat, et attendatur ac impleatur a te, A quemadmodum de quibusdam ait Scriptura : Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. *Jacob.* v, 4. Et tu ipse dicis : Clamor filiorum Israel venit ad me. *Exod.* iii, 9. Venit autem clamor noster ad Dominum, non loco, sed acceptatione.

(2) *Non avertas faciem tuam,* id est pie- 3
tatis tuæ adspectum, *a me,* vili ac paupere peccatore, sed pœnitente. Loquitur autem Propheta de Deo modo humano, quasi in Deo essent auris et facies, conversio ac aversio novæ sive recentes, secundum no- B vitatem meritorum ac demeritorum nostrorum; sed omnia hæc in Deo spiritualiter immutabiliterque consistunt. Facies enim Dei, est divini intellectus respectus; auris Dei, est misericordia ejus subveniens. Aversio Dei, est detestatio mali; conversio autem, approbatio boni. *In quacumque die tribulor,* id est, corde affligor propter peccata commissa, vel tentamenta seu aspera mundi ac dæmonum, *inclina ad me aurem tuam,* id est, misericordiam tuam applica mihi, pietatis tuæ effectum declarando in me, id est, consolando animam tristem, roborando corpus infirmum, mitigando seu auferendo tribulationes quas patior, prout

Digitized by Google

expedire noveris animæ meæ. (3) *In quacumque die,* imo quacumque hora aut momento diei seu noctis, *invocavero te,* ex intimo mentis affectu tuam bonitatem precando, *velociter,* id est sine mora, sicut indigeo, *exaudi me,* ostendendo mihi lucem atque præsentiam miserationum tuarum, quemadmodum dicit Scriptura homini *Is.* LVIII, 9. justo : Invocabis, et Dominus exaudiet ; clamabis, et dicet, Ecce adsum.

Ecce quam sæpe repetit sensum eumdem sub aliis verbis. Est enim consuetudo Scripturæ (præsertim in his quæ pertinent ad affectum), frequenter eamdem sententiam alio sermone resumere. Quod valde salubre est. Quoties namque verba affectuosa reiterantur, toties interna affectio renovatur, augetur, perficitur : quoniam una bona affectio, ad aliam similem præparat mentem. Et in repetitione affectus accenditur appetitus : sicque oratio exaudibilior redditur, quia tanto amplius grata est Deo, quanto ex calidiore manat affectu. Propter quod expedit eidem sancto desiderio immorari in prece, ipsum multoties revolvendo, nec pigre aut frigide ab ipso cessando. Omnino enim cavere debemus, ne ab oratione segniter desistamus ; sed ferventer inchoandum ac consummandum est omne opus divinum, præcipue laudatio Dei atque oratio.

Demum ad exauditionem orationis tria requiruntur, secundum Augustinum : Primo, ut salubria petantur. Hoc enim est *Joann.* XV, 16. petere in nomine Jesu seu Salvatoris, ea rogare quæ spectant ad veram salutem. II *Cor.* XII, 7-9. Propter quod Paulus exauditus non est, petens sibi auferri stimulum carnis. Stimulus etenim ille ei, tanquam viro exer- *Rom.* VIII, 28. citato ac strenuo militi, cooperabatur ad bonum, quoniam erat occasio meriti amplioris. Secundo, ut perseveranter oremus, *Luc.* XVIII, 1. quemadmodum ait Salvator : Oportet semper orare, et non deficere ; et Apostolus, *Ephes.* VI, 18. Orantes omni tempore in spiritu, et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione. Tertio, ut pro nobis ipsis precemur. Non enim semper exaudimur pro aliis, propter incapacitatem eorum. Et sicut B. Thomas testatur, ad hoc ut homo exaudiatur pro alio, necessaria quodammodo est quædam plenitudo et exuberantia bonitatis, gratiæ, virtutis seu meriti in orante, quatenus scilicet de plenitudine ejus accipiat alter. Non tamen ob id cessare debemus, nos imperfecti, ab auxilio mutuæ orationis, quum scriptum sit : Orate *Jacob.* V, 16. pro invicem, ut salvemini. Sed qui pro alio orationem assumit, talem se coram Deo recte vivendo exhibeat, ut pro alio recipi fiat idoneus.

Merito autem, o Domine, ista precatus
sum, (4) *Quia defecerunt,* id est, velociter 4
defluxerunt, *sicut fumus dies mei,* id est tempora quibus vixi. Quemadmodum enim fumus ascendit, ascendendoque deficit ; sic dies nostri crescendo ascendunt, et ascendendo fini propinquant. Unde in Job habetur : Dies mei velociores fuerunt cur- *Job* IX, 25. 26. sore ; transierunt quasi naves poma portantes. Et Jacobus ait : Quæ enim est vita *Jacob.* IV, 15. vestra? Vapor est ad modicum parens ; deinceps exterminabitur. Vel, Defecerunt sicut fumus dies mei, id est, sine fructu et bonis operibus sunt consumpti, et quidquid vanitatis, voluptatis et impietatis in eis feci ac habui, cito pertransiit : juxta illud : Quid nobis profuit superbia? aut *Sap.* V, 8, 9. quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra et quasi nuntius præcurrens. Hinc quoque Apostolus peccatoribus conversis dicit : Quem fructum habuistis tunc in illis, in *Rom.* VI, 21. quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Vere enim inanes et vacui sunt dies pravorum ; plenitudinem vero sortiuntur dies justorum, secundum Ambrosium.

Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Cremium appellatur caro cremata seu frixa quæ remanet, pinguedine per ignem extracta. Cremium namque a cremando nomen accepit. Quemadmodum itaque caro talis per ignem arescit, induratur et tabescit ; sic ossa corporis per abstinentiam arefiunt, et per timorem Dei siccantur, se-

Digitized by Google

Prov. xvii, 22. cundum illud : Spiritus tristis exsiccat os-
sa. Ossa quoque animæ, id est virtutes ac
vires ipsius, tanquam cremium in frixo-
rio torrefactum arescunt, dum per negli-
gentiam gratia devotionis subtrahitur, et
cibus interior (scilicet obedientia sancta)
relinquitur. De hoc etenim cibo dicit Chri-
Joann. iv, 34. stus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem
Patris mei. Interdum vero ossa ista arescunt
igne tentationis ac tribulationis, præsertim
in his, in quibus virtus non perficitur in
II Cor. xii, 9. infirmitate : qualis non erat Apostolus.
Utroque autem modo intelligi possunt hæc
verba de pœnitente. Nam ante conversio-
nem suam ossa animæ infeliciter arue-
runt, nulla spirituali pinguedine exsistente
in eis. Post conversionem autem et arre-
ptam pœnitentiam ossa corporis in qui-
busdam salubriter arefiunt, quibus omnis
carnalis voluptas, omnis temporalis jucun-
ditas, omnis etiam alimonia corporis in
fastidio sunt, propter intensam mentis oc-
cupationem in Deo.

5 (5) *Percussus sum* virga tentationis ac
tribulationis, *ut fœnum,* quoniam sicut
fœnum falce abscinditur, sic ego per ten-
tationem aut adversitatem a gratia exci-
Rom. xi, 20. di : sicut de nonnullis ait Apostolus, Pro-
pter incredulitatem excisi sunt. *Et aruit
cor meum* a spirituali gratiarum fomento,
quia oblitus sum, ex mea ignavia, *comede-
re panem meum,* mihi a Deo semper pa-
ratum, dummodo eum instanter requiram,
Matth. vi, 11; Luc. xi, 3. dicendo : Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie. Iste panis, est impletio præ-
Joann. iv, 34. ceptorum Dei, sicut Christus dicit, Meus
cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui
misit me, ut perficiam opus ejus ; seu
studium sacræ Scripturæ et meditatio di-
Eccli. xv, 3. vinorum, de quibus scriptum est, Cibabit
illum pane vitæ et intellectus, et aqua sa-
pientiæ salutaris potabit illum ; vel Sacra-
mentum corporis Christi, in quo est om-
nium cœlestium deliciarum plenitudo, et
vita animæ sempiterna, quemadmodum
Joann. vi, 59. Veritas ait, Qui manducat hunc panem,
vivet in æternum. Qui hos panes spiritua-
Apoc. iii, 17. liter edere negligit, corde arescit, et est

A pauper, cæcus, nudus, miser et miserabilis.
(6) *A voce gemitus mei,* id est præ nimio 6
gemitu et dolore cordis mei, quem voce
oris expressi, *adhæsit os meum carni meæ,*
id est, tantum attenuatus sum corpore, ut
ossa mea pelli adhærerent : quemadmo-
dum Job dicit, Pelli meæ, consumptis Job xix, 20.
carnibus, adhæsit os meum. Dolor namque
interior de peccatis conceptus, si magnus
sit et continuus, carnem vehementer con-
sumit. Sumitur itaque hoc loco caro pro
pelle.

B (7) *Similis factus sum pelecano solitu-* 7
dinis : id est, sicuti pelecanus est avis
solitaria, solitudinem diligens, et naturali
quadam macie confecta ; sic ego ut pecca-
ta mea liberius possem deflere, homines
fugi, in solitudine mansi, atque humanum
solatium evitavi : prout superius dictum
est, Ecce elongavi fugiens, et mansi in so- Ps. liv, 8.
litudine. Per pelecanum autem designatur
primum genus pœnitentium, scilicet ordo
eremitarum, qui in eremo carnem suam
castigant ac macerant, et sua ac aliorum
C peccata deplangunt. Ad hoc namque agen-
dum, locus solitarius est aptissimus. Unde
quum Jeremias dixisset, Quis dabit capiti Jer. ix, 1.
meo aquam, et oculis meis fontem lacri-
marum, et plorabo die ac nocte interfectos
populi mei ? insinuans se hoc facere non
posse in populo tam bene, solitudinem
cupit, dicendo : Quis dabit mihi in soli- Ibid. 2.
tudine diversorium viatorum, et derelin-
quam populum meum ? *Factus sum sicut
nycticorax in domicilio :* id est, quemad-
modum noctua seu corvus nocturnus in
D pariete domicilii habitans, ceteris avibus
odibilis et abominabilis est, nec in die
apparet, sed noctibus cibum quærit ; sic
ego nocturno tempore, ceteris quiescenti-
bus, cibum animæ quæro, operibus bonis
et luctibus pœnitentiæ insistendo. In die
autem dum alii foras vagantur et occu-
pantur, ego domi resideo, nec me dignum
arbitror inter homines apparere, propter
abominabilem vitam quam duxi. Per ny-
cticoracem ergo significatur secundum ge-
nus pœnitentium, eorum videlicet qui hu-

Digitized by Google

manos adspectus declinant, et domi cum
magna contritione ac humilitate animi
sedent.
8 (8) *Vigilavi :* sicut ad Colossenses dicit
Coloss. IV, 2. Apostolus, Orationi instate, vigilantes in
ea in gratiarum actione. Vigilavi, id est,
a peccato surrexi : juxta illud Apostoli,
Rom. XIII, 11. Tempus est jam nos a somno surgere ; et
Ephes. V, 14. alibi, Surge qui dormis, et exsurge a mortuis.
Vigilavi, sanctis operibus inhærendo :
I Cor. XVI, 13, 14. secundum quod monet Apostolus, Vigilate,
state in fide, viriliter agite, confortamini,
et omnia vestra in caritate fiant ; et
Matth. XXVI, 41. Christus apud Matthæum, Vigilate et orate,
ut non intretis in tentationem. Sic vigilantibus,
et non dormientibus, provenit
regnum cœlorum. Quapropter Salomon
Prov. XX, 13. dicit : Noli diligere somnum, ne te egestas
opprimat. Vel, Vigilavi, tempore noctis, et
illis horis quibus licite dormire poteram,
quatenus tempus inutiliter perditum recuperarem,
laudibus Creatoris vacando, et
corpus sacris vigiliis affligendo. Et ista est
magna gratia, dum Deus dat servo suo devoto
et studioso, modico contentum reddi
somno, quum somnus sit morti similis, et
operatori multum odibilis. Unde in Proverbiis
Ibid. VI, 9. Salomon sciscitatur : Usquequo piger
dormies ? Quando consurges de somno
tuo ? Verumtamen sicut in abstinentia, sic
in vigilia discretionem servare oportet, et
proprias vires diligenter metiri, ne efficiatur
homo sacrilegii reus, incurratque maledictionem,
Jer. XLVIII, 36. de qua inquit Jeremias : Quia
plus fecit quam potuit, idcirco periit.

*Et factus sum sicut passer solitarius in
tecto :* id est, quemadmodum passer in alto
ac tuto nidificat, ne vel ipse capiatur,
aut pulli ejus vorentur ; sic ego ne a diaboli
laqueis irretirer, aut operum bonorum
fructibus spoliarer, ad nidum gremiumque
Ecclesiæ seu loca monasterii fugi, ut
a conventu malignantium separatus, illic
conserver atque salvificer. Ecclesia namque
signatur per montem de quo angeli
Gen. XIX, 17. dixerunt ad Lot : Noli respicere post tergum,
nec stes in omni circa regione, sed
in monte salvum te fac. Claustrum vero
A signatur per civitatem de qua Lot angelo
Gen. XIX, 18, 20. ait : Quæso, Domine mi, est civitas hic
juxta, ad quam possum fugere, parva, et
salvabor in ea. Per passerem designatur
tertium pœnitentium genus, puta eorum
qui claustra ingrediuntur.

Deinde pœnitens tribulationes suas commemorat,
quatenus Deum ad miserationem
inclinet. (9) *Tota die,* id est quotidie atque 9
assidue, *exprobrabant mihi inimici mei,*
id est amatores hujus mundi, quos ego
non odio, sed ipsi me odiunt et mihi in-
B sultant : sicut scriptum est, Deridetur justi Job XII, 4.
simplicitas. Et S. Joannes in sua Canonica
de quodam superbo testatur : Verbis maIIII Joann. 10.
lignis garriens in nos. *Et qui laudabant
me* in aperto, vel dum eorum conversationi
pravæ favebam, *adversum me jurabant,*
id est, nunc postquam eorum vitam abhorreo,
atque pœniteo, firmiter statuerunt me
persequi verbis aut factis. (10) *Quia cine- 10
rem tanquam panem manducabam :* id
est, ideo ista fecerunt, quoniam ego concupiscentias
ventris contempsi, et cibo vili,
C duro ac modico usus sum ; *et poculum** * potum
meum cum fletu miscebam, id est, potum
corporis cum lacrimis sumpsi. Vel, Poculum
animæ, scilicet jucunditatem temporalem,
cum fletu miscebam, id est, bonæ
tristitiæ miscui, ne inaniter gloriando
resolverer. Spiritualiter, cinerem sicut panem
manducat, qui reliquias cogitationum
suarum diligenter examinat, ac peccata
minuta quotidie deflet, dicens Deo cum
sancto Job : Signasti quasi in sacculo de- Job XIV, 17, 16.
licta mea ; et, Tu quidem gressus meos
D dinumerasti.

Hæc autem feci, o Domine, (11) *A facie* 11
iræ indignationis tuæ, id est ex consideratione
districti judicii tui, et præ timore
justarum pœnarum, quas impiis præparasti.
Hoc timore, hacque consideratione,
impleta erat anima beatissimi Job, qui
ait : Deus solus est, et cogitationem ejus Ibid. XXIII, 13, 15.
nemo avertere potest : idcirco a facie ejus
turbatus sum, et considerans eum, timore
sollicitor. *Quia elevans,* id est gratia tua
adornans, et summæ Trinitatis imagine

Digitized by Google

me consignans, ac omnibus sensibilibus A
rebus me præferens, *allisisti me,* id est,
cadere me permisisti, et multis miseriis
subjacere. Sic Deus allidit nos, ne unquam
jactemus nos ipsos, aut de propriis viribus
præsumamus : sed dum stamus, timeamus
de casu ; dum cadimus, resurgere affectemus.
Ideo namque Apostolus admonet,
I Cor. x, 12. Qui stat, videat ne cadat ; et iterum, Con-
Galat. vi, 1. siderans te ipsum, ne et tu tenteris. Et
Eccli. xi, 27. apud Ecclesiasticum scriptum est : In die
bonorum ne immemor sis malorum, et in
die malorum ne immemor sis bonorum. B
12 (12) *Dies mei sicut umbra,* id est velocissi-
me, *declinaverunt :* quemadmodum in li-
I Par. xxix, 15. bro primo Paralipomenon habetur : Dies
nostri quasi umbra super terram, et nulla
Job vii, 6. est mora. Job quoque ait : Dies mei velo-
cius transierunt, quam a texente tela suc-
Matth. vi, 30. ciditur. *Et ego sicut fœnum,* quod hodie
est atque virescit, et cras in clibanum
mittitur et arescit; *arui* mente et corpore:
mente, ex defectu gratiæ Dei ; corpore,
propter afflictiones multiplices. Unde apud
Is. xl, 7. Isaiam legitur, Vere fœnum est populus ; C
Ibid. 6. et rursus, Omnis caro fœnum, et omnis
gloria ejus quasi flos fœni.

Consequenter ponitur efficacia Dei ad
13 liberandum. (13) *Tu autem, Domine, in
æternum permanes,* hoc est, æternaliter
invariabiliterque subsistis, quemadmodum
Malach. iii, 6. in Malachia asseris : Ego Dominus et non
mutor. *Et memoriale tuum,* id est præci-
puum opus quod in creatura fecisti, per
quod conservatur in nobis memoria nomi-
nis tui, permanet *in generationem et ge-
nerationem,* id est, præ magnitudine sua D
non permittit nos sui vel tui oblivisci. Hoc
autem memoriale Dei, est miseratio ejus,
quam ab exordio mundi hominibus contu-
Is. xxvi, 8. lit. Unde apud Isaiam inducitur : Nomen
tuum et memoriale tuum, Domine, in de-
siderio animæ. Nunquam enim oblivisci
debemus beneficiorum Dei.

14 (14) *Tu,* Domine, *exsurgens,* id est po-
tenter nobis succurrens, et per modum
exsurgentis te habens, potentia tua recen-
ter utendo, *misereberis Sion,* id est Eccle-
siæ militanti, te fideliter contemplanti,
quia venit *tempus miserendi ejus,* id est
tempus salutis et gratiæ : de quo ait Apo-
stolus, Ecce nunc tempus acceptabile, ec- II Cor. vi, 2.
ce nunc dies salutis. Hoc tempus incepit
præcipue ab incarnatione Christi. *Quia
venit tempus,* id est adventus Christi in
mundum : de quo tempore dicit idem Apo-
stolus, Ubi venit plenitudo temporis, misit Galat. iv, 4.
Deus Filium suum. Et vere misereberis
Sion, (15) *Quoniam placuerunt servis tuis,* 15
id est angelis tibi semper ministrantibus,
lapides ejus, id est ecclesiasticæ perso-
næ, ex quibus tanquam ex vivis lapidibus
construitur sancta Ecclesia. Unde in Apo-
calypsi angelus ait Joanni : Conservus tuus Apoc. xix, 10.
sum et fratrum tuorum. Gaudium quoque Luc. xv, 10.
est angelis Dei super uno peccatore pœni-
tentiam agente. *Et terræ ejus miserebun-
tur,* id est, angeli pie succurrent Ecclesiæ,
per orbem terrarum diffusæ. Omnes enim Hebr. i, 14.
sunt administratorii spiritus, preces homi-
num Domino offerentes, et ejus gratiam
reportantes.

(16) *Et timebunt gentes,* ab idololatria ad 16
fidem veram conversæ, *nomen tuum, Do-
mine,* id est te ipsum. Hoc in Christianis
ex gentili populo natis, impletum vide-
mus. Quod etiam in Malachia prædictum
est : Rex magnus ego sum, dicit Dominus, Malach. i, 14.
et nomen meum horribile in gentibus. *Et
omnes reges terræ,* id est aliqui de omni
genere regum (ut sit distributio pro gene-
ribus singulorum, non pro singulis gene-
rum), timebunt *gloriam tuam,* o Christe,
id est majestatem tuam, quam per fidem
cognoscent. De omni namque genere re-
gum, sunt quidam ad Christum conversi,
eumque cum tremore adoraverunt, quem-
admodum Isaias prædixit : Reges vide- Is. xlix, 7.
bunt, inquit, et consurgent principes, et
adorabunt propter Dominum Deum tuum.
Idemque rursus de Christo asserit : Super Ibid. lii, 15.
eum continebunt reges os suum.

(17) *Quia ædificabit Dominus* Christus 17
Sion, id est Ecclesiam sanctam ; *et vide-
bitur* ipsa Ecclesia *in gloria sua,* id est in
magna excellentia, quoniam Christus con-

Digitized by Google

firmavit eam adversus omnes reprobos et perversos. Magnis quoque ac variis gratiis I Cor. xii, 8-10. eam decoravit : alii dans sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum; po- Ibid. 28. nensque quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Evangelistas, quosdam vero doctores, sicut plenius pandit Apostolus. Vel, Videbitur Dominus Christus in gloria sua a filiis Ecclesiæ ipsum per fidem spe- II Cor. iii, 18. culantibus, sicut testatur Apostolus : Nos autem revelata facie gloriam Domini spe- Is. xxxiii, 17. culantes. Et Isaias : Regem in decore suo videbunt oculi ejus. In die autem judicii, atque in patria, tam Christus quam Ecclesia electorum, multo clarius videbuntur in gloria sua, quando implebitur illud Apo- Apoc. i, 7. calypseos : Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Hanc autem Ecclesiam Christus per se ipsum ædificare cœpit, prædicans mundo, congregansque discipulos ; deinde per Apostolos, aliosque apostolicos homines, ædificavit eam per totum orbem : Zach. vi, 12. prout Zacharias prædixit, Ecce vir, Oriens nomen ejus, id est Christus, et ædificabit templum Domino.

18 (18) *Respexit* Dominus *in orationem humilium,* orantium pro Christi adventu et ædificatione Ecclesiæ ; *et non sprevit precem eorum,* sed clementer eam implevit. Exaudivit enim Prophetas et alios Sanctos ista orantes. Quotidie etiam Dominus oculo pietatis in orationem humilium re- Is. lxvi, 2. spicit, sicut per Isaiam protestatur : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?

19 (19) *Scribantur hæc,* quæ dicuntur de Deo ac beneficiis ejus, *in generatione altera,* id est a posteris usque ad finem sæculi, ne unquam oblivioni tradantur ; *et populus qui creabitur,* id est plebs chri- Joann. iii, 5. stiana ex aqua et Spiritu Sancto renata, *laudabit Dominum* de universis beneficiis 20 suis. (20) *Quia prospexit* Dominus *de excelso sancto suo,* id est, de sancto ac sublimi habitaculo suo clementer genus humanum attendit; *Dominus de cœlo in terram adspexit* oculo pietatis. Sicut enim Deus ubique exsistens, et omnia undique cernens, dicitur specialiter habitare et esse in cœlo, quoniam ibi evidentius operatur, clariusque videtur ; sic specialiter dicitur de cœlo adspicere, non quod inter ipsum et ea quæ respicit, sit distantia aliqua, quum ipse omnia penetret, impleat, circumcludat. Respexit ergo de cœlo, (21) *Ut* 21 *audiret gemitus compeditorum,* id est, ut gementibus, vinculis vitiorum ligatis, succurreret, ignoscendo eorum sceleribus, sicut in libro Judicum inducitur : Flecte- Judic. ii, 18. batur Dominus misericordia, et audivit afflictorum gemitus; et liberavit eos de cæde vastantium. *Ut solveret,* id est, a peccatis absolveret, *filios interemptorum,* id est homines de parentibus peccatoribus natos (peccatum enim mors animæ est). Omnes autem in primo parente cecidimus. Era- Ephes. ii, 3. mus quoque natura filii iræ : sicque parentes nostri interempti, seu spiritualiter interfecti erant fraude diaboli.

Ideo autem audivit et solvit eos, (22) *Ut* 22 *annuntient in Sion,* id est in Ecclesia, *nomen Domini,* Christum libere prædicando, et fidem catholicam ore ac opere confitendo, *et laudem ejus* annuntient *in Jerusalem,* id est in ipsa Ecclesia : quæ dicitur Sion propter speculationem, et Jerusalem propter internæ pacis quietem. Sion quippe interpretatur speculatio ; Jerusalem vero, visio pacis. Pax autem interna maxime fuit et est in populo christiano : de quo angeli cecinerunt, In terra pax hominibus Luc. ii, 14. bonæ voluntatis. Hæc autem annuntiatio fit (23) *In conveniendo populos in unum* 23 *et reges,* id est per hoc, quod populi vulgares, et etiam reges ac principes, in unitate fidei congregantur, atque in Christo unum corpus mysticum per caritatem efficiuntur, *ut serviant Domino* in unitate Ecclesiæ. Ob hanc enim spiritualem electorum congregationem, Christus mori dignatus est, juxta illud : Jesus moriturus erat, Joann. xi, 51, 52. etc., ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.

Digitized by Google

24 (24) *Respondit* populus fidelis *ei*, scilicet A
Domino suo, *in via virtutis suæ*, per ope-
rationem virtuosam. Quandoque enim re-
spondemus alicui verbo, quandoque opere.
Populus autem fidelis Christo respondet
bene vivendo, gratias referendo, et ejus
imperio obtemperando. De tali namque re-
Job xiv, 15. sponso ait sanctus Job Domino : Vocabis
me, et ego respondebo tibi. Vocat enim
nos Deus per inspirationem internam ad
vitam meliorem : et tunc respondemus,
quum obedimus. Dum vero negligimus,
silemus ; sed dum contemnimus, contradi- B
cimus. De tali quoque responso ait Jacob :
Gen. xxx, 33. Cras respondebit mihi justitia mea. Et ut
populus iste Deo perfecte responderet, ora-
vit : *Paucitatem dierum meorum nuntia
mihi :* id est, da mihi sapienter attendere
brevitatem vitæ præsentis, quatenus gau-
dia temporalia vilipendam, atque ad sem-
per mansuram beatitudinem properem.
25 (25) *Ne revoces me in dimidio dierum meo-
rum :* id est, ne me tunc de hac vita egredi
jubeas, dum me in dimidio vitæ meæ esse
opinor, confidens me diu victurum, ne im- C
paratus decedam ; et ne illo tempore mori-
ar, dum vitia magis regnant in me : quod
esse solet in dimidio vitæ. *In generationem
et generationem anni tui*, id est, duratio
seu æternitas tua per omnem generatio-
nem extenditur, nec unquam finitur. Æter-
nitatem nempe creationis annos appellat,
quoniam omnem longitudinem temporum
seu annorum immutabiliter comprehendit.
26 (26) *Initio* temporis et simul cum tem-
pore *tu, Domine, terram*, id est elemen-
tum infimum, *fundasti*, id est, firmiter in D
medio universi, tanquam centrum mundi
locasti ; *et opera manuum tuarum*, id est
creaturæ potestatis tuæ, *sunt cœli* univer-
Ibid. i, 1. si : quemadmodum in Genesi habetur, In
principio creavit Deus cœlum et terram ;
Job xii, 9. et in Job, Quis ignorat quod manus Do-
mini hæc omnia fecit ? Unde per Isaiam
Is. xliv, 24. Dominus ait : Ego sum Dominus faciens
omnia, extendens cœlos solus, stabiliens
terram, et nullus mecum. Sed videtur istis
contrarium quod in Ecclesiastico habetur :
Prior omnium creata est sapientia. Et re- *Eccli.* i, 4.
spondendum, quod sapientia super omnia
opera Dei effusa, seu natura angelica, di-
citur primo omnium creata, non tempore,
sed dignitate.
(27) *Ipsi peribunt.* Nec cœlum, nec terra 27
peribit substantialiter, sed peribunt in fi-
ne mundi, quantum ad esse formæ acci-
dentalis, quoniam alium statum habebunt
post judicium, quam modo. Cœlum autem
aerium peribit hoc modo per ignem con-
flagrationis, qui aerem emundabit. Cœli
vero supra sphæram ignis exsistentes, per-
ibunt per cessationem cœlestium motu-
um. Dum enim generatio et corruptio in
inferioribus finiuntur, desinent motus cœ-
lorum. Omnia autem generabilia et cor-
ruptibilia et inferiora, ordinantur ad ho-
minem sicut ad finem : idcirco numero
electorum completo, cessabit generatio ho-
minum, et per consequens generatio et
corruptio ceterorum. Et ita motus et tem-
pus cessabunt in cœlis mobilibus. Quapro-
pter in Apocalypsi scriptum est : Angelus *Apoc.* x, 5, 6.
levavit manum ad cœlum, et juravit per
Viventem in sæcula sæculorum, quia tem-
pus ultra non erit. Denique, quæcumque
ex sua natura habent aliquem ordinem ad
semper exsistendum, substantialiter ma-
nebunt post diem judicii ; cetera corrum-
pentur. Propterea homines permanebunt,
quoniam, licet secundum corpus corru-
ptibiles sint, secundum animam tamen
incorruptibiles sunt. Elementa quoque ma-
nebunt : nam licet secundum partem cor-
ruptibilia sint, tamen secundum se tota
corrumpi non possunt. Cœli vero secun-
dum se totos, incorruptibiles sunt, ideo
non peribunt, nisi secundum modum es-
sendi, sicut nunc dictum est : et ita intel-
ligenda sunt, quæ in Scripturis sanctis af-
firmant cœlos corrumpendos, ut est illud,
Cœli sicut libri complicabuntur ; et quod *Is.* xxxiv, 4.
apud Lucam Dominus ait, Cœlum et terra *Luc.* xxi, 33.
transibunt ; et illud Petri, Cœli qui nunc II *Petr.* iii, 7.
sunt et terra, igni servati sunt in diem ju-
dicii (Petrus tamen de cœlis aeriis loqui-
tur) ; item illud Apocalypseos, Vidi cœlum *Apoc.* xxi, 1.

Digitized by Google

novum et terram novam. Primum enim
cœlum et prima terra abiit, et mare jam
non est. Hic autem destruitur opinio phi-
losophorum, qui mundum et generationem
atque corruptionem, motus quoque cœle-
stes ac tempus, ab æterno fuisse, et sine
fine mansura, ponebant.

Tu autem, o Domine, invariabiliter *per-
manes :* quoniam tuum esse, a nullo de-
pendet, ideo vere æternum est, totum si-
mul et semper æque perfectum, in quo
nulla vicissitudo concipi potest ; *et omnes
cœli sicut vestimentum veterascent* a statu
volubili, quem jam sortiuntur. (28) *Et sic-
ut opertorium,* quod secundum temporis
exigentiam induitur et exuitur sive depo-
nitur, *mutabis eos* a statu præsenti, *et mu-*
Is. xxx, 26. *tabuntur* in melius : quia lux solis erit
septempliciter, et lux lunæ sicut lux so-
lis, ut dicit Isaias. Orbes quoque cœlestes
clariori lumine vestientur, quamvis Scri-
ptura quantitatem hujus immutationis non
28 determinet. *Tu autem idem ipse es,* qui
nec substantialiter nec accidentaliter va-
riaris, sed æternaliter in optimo simpli-
citerque perfecto statu subsistis ; *et anni
tui non deficient,* id est, æternitas tua
finiri non poterit.

29 (29) *Filii servorum tuorum,* id est po-
steri Apostolorum, qui sunt spirituales fi-
lii ac imitatores ipsorum, juxta illud Apo-
Galat. iv, 19. stoli : Filioli, quos iterum parturio, donec
formetur Christus in vobis ; *habitabunt,*
nunc in Ecclesia militanti per fidem et
gratiam, usque ad sæculi consummatio-
nem ; postmodum vero in Ecclesia trium-
phanti per gloriam, usque in sempiternum;

A *et semen eorum,* id est bona et fructuosa
conversatio ipsorum, *in sæculum,* id est
indesinenter, *dirigetur* ab ipsis per gra-
tiam tuam, usque in ultimum finem seu
vitam æternam ; vel, Dirigetur a te, donec
perducantur ad patriam.

Ecce audivimus vocem veraciter pœni-
tentis, formamque perfectæ pœnitentiæ.
Discamus ergo ex psalmo præsenti, quid
ad vere pœnitentem pertineat. Studeamus
quoque ea digne implere. Primi etenim
versus psalmi istius declarant, quam ar-
B denter et seriose clamare oporteat pœni-
tentem ad Deum. Deinde docemur nostræ
paupertatis ac defectuositatis calamitatem
atque miseriam coram Domino lugubriter
recitare. Deinceps instruimur, quid nos
pœnitendo oporteat vel expediat agere, ut-
pote tam cordialiter, profunde ac dolorose
ingemiscere, ut ossa cuti ex maceratione
carnis adhæreant. Debemus etiam assimi-
lari pelecano, loca solitaria ingrediendo,
in quibus libere nos ipsos in pœnitentiæ
luctu mactemus. Debemus et cibo vili con-
C tenti esse, potumque planctui commisce-
re, atque iram Judicis nostri incessabiliter
formidare. Postremo docet nos psalmus hic
gloriosus, recitationi ac deplorationi nostræ
paupertatis, parvitatis ac culpæ miscere
divina præconia, Creatoris nostri majesta-
tem laudando, beatitudinem admirando,
bonitatem amando, misericordiam ac be-
nevolentiam imitando, ut simus filii Patris Luc. vi, 35.
nostri qui in cœlis est, quoniam ipse beni- Matth. v, 45.
gnus et bonus est, super gratos et ingratos,
bonos ac malos, solem suum faciens oriri,
D pluviamque descendere super omnes.

Digitized by Google

ARTICULUS II

EXPLANATIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI CENTESIMI PRIMI DE CHRISTO.

QUAMVIS autem aliquibus visum sit, hunc psalmum non posse convenienter exponi de Christo, præsertim quum sit unus pœnitentialium psalmorum, peccatori conveniens (Christo autem nec pœnitentia competit nec culpa) ; nihilo minus de Christo multum convenienter exponitur.
Hebr. I, 10-12. Primo, quia Apostolus ad Hebræos inducit verba psalmi hujus ab illo loco, Initio tu, Domine, terram fundasti, usque ibi, Et anni tui non deficient, de Christo prædicta, probans ex eis, Filium esse Patri æqualem in potentia et dominatione. Probatio autem, secundum Augustinum, non valet nisi ex sensu litterali. Psalmus igitur iste ad litteram tractat de Domino Salvatore. Secundo, quia Ecclesia in officio Missæ, feria quarta ante Cœnam, assumpsit Tractum de principio hujus psalmi. Unde relinquitur, quod psalmus iste exponi possit de Christo in passione constituto. Totum enim Officium illius diei, imo totius hebdomadæ ante Pascha, est de passione dominica. Tertio, quia secundum Augustinum non est inconveniens, etiam eamdem Scripturam multiplicem sensum habere ad litteram, ita quod sensus litteralis ejusdem Scripturæ multiplex esse possit. Quamvis igitur quædam in hoc psalmo contenta, proprie exponantur de pœnitente ; non tamen inconveniens est, ipsa de Christo intelligi secundum alium intellectum.

Elucidando itaque psalmum istum de Christo, præhabitus titulus ita exponitur :
1 *Oratio pauperis :* id est, psalmus præsens
Matth. VIII, 20. competit Christo propter nos pauperi, qui non habuit ubi caput reclinaret : de quo
Zach. IX, 9. in Zacharia habetur, Ecce rex tuus venit tibi, ipse pauper et ascendens super asinam ; *quum anxius fuerit,* etc., id est, dum ipse Christus passione jam imminente expavit atque tristatus est, juxta illud Marci : Cœpit Jesus pavere et tædere ; et Marc. XIV, 33. coram Domino Deo Patre effudit precem suam, dicendo : Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Matth. XXVI, 39.

Christus ergo ut homo passibilis, passioni jam proximus, ait ad Deum Patrem seu totam superbeatissimam Trinitatem, unum
verum et simplicissimum Deum : *Domine,* 2
exaudi orationem meam, qua oro pro corporis mei glorificatione ac celeri resurrectione, dicens illud : Pater, salvifica me Joann. XII, 27. ex hac hora ; *et clamor meus,* quo oro pro corpore meo mystico, quod est Ecclesia, *ad te veniat,* ut facias quod peto apud Joannem : Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum Ibid. XVII, 11.
sicut et nos. *Non avertas faciem tuam a me,* 3
id est, non habeas te circa me pro aliis exorantem per modum indignantis, ita ut precem meam pro aliis fusam, repellas propter aliorum indignitatem ; sed propter me illis ignosce. Christus, qui erat a principio suæ maternæ conceptionis comprehensor perfectus, et in bono immobiliter confirmatus, non oravit ne Pater faciem suam, id est suam cognitionem beatificam, seu piam præsentiam ab ipso averteret (hoc enim scivit nunquam fieri posse); sed oravit ne Pater propter facinora hominum, exauditionem suam averteret a prece Christi pro peccatoribus fusa. *In quacumque die tribulor,* id est, a Judæis persecutionem sustineo, *inclina ad me aurem tuam,* ut mihi adsistas, et passionem quam tolero, pro satisfactione vitiorum mundi suscipias. Hoc Christus exoravit : Pater, pro Ibid. 9. his rogo quos dedisti mihi de mundo, quia tui sunt.

Digitized by Google

4 *Quia defecerunt sicut fumus dies mei,* A id est, velociter defluxerunt dies, quibus in mundo conversatus sum. Nam Christus senuit seu antiquior fiebat, id est, ad senium tendebat, sicut et ceteri, diesque ejus in continuo fluxu erant, quemadmodum tempus. Indetrahibiles quippe defectus assumpsit, secundum Damascenum. Propter Hebr. II, 17. quod ad Hebræos Apostolus dicit : Debuit per omnia fratribus assimilari. *Et ossa mea* corporalia, *sicut cremium,* id est caro cremata, *aruerunt* in passione : sicut supe- Ps. XXI, 16. rius dictum est, Aruit tanquam testa vir- B tus mea. Nam in die Parasceves, propter extractionem largissimam sanguinis Christi, et carnis suæ extenuationem, desiccationem et indurationem, ossa sacratissimi corporis sui aruerunt, instar carnis in frixorio usque ad pinguedinis eductionem combustæ. Propter quod de Christo ab Is. LIII, 2, 4. Isaia prædictum est : Vidimus eum, et non erat adspectus ; et nos putavimus eum quasi leprosum et a Deo percussum.

5 Unde nunc subditur : *Percussus sum ut fœnum :* id est, quemadmodum fœnum C dum adhuc floret, falce a terra abscinditur ; sic ego in juventute mea gladio passionis a societate viventium ablatus sum et occisus : quemadmodum in Jeremia im- Jer. XI, 19. pii aiunt, Eradamus eum de terra viventi- Sap. II, 20. um ; in libro quoque Sapientiæ, Morte turpissima condemnemus eum. *Et aruit cor meum* corporale, a suo naturali humore, propter totius corporis vehementissimam vulnerationem et sanguinis emanationem. Non autem aruit cor, id est mens Christi, ab humore seu plenitudine gratiæ Dei. D

Quia oblitus sum comedere panem meum. Hoc videtur Christo non posse competere, et tamen verissime competit ei. Panis enim animæ, est consolatio ejus. In passione vero Christi appetitus sensitivus, atque inferior portio animæ ejus, privata est solita redundantia consolationis divinæ in ipsam, in tantum ut exclamaret : Matth. XXVII, 46. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Et ita oblitus est Christus, id est, per effectum recordatus non est, comedere panem consolationis, quantum ad inferiores animæ suæ potentias. Oblivio autem non semper ignaviam seu negligentiam signat : quia superius dictum est, Oblivi- Ps. XLIV, scere populum tuum ; et in Genesi Joseph fatetur, Oblivisci me fecit Dominus omni- Gen. XLI, um laborum et domus patris mei. Unde interdum dicitur homo oblivisci, quia non operatur, et ita se habet tanquam nesciret : et ita accipitur nunc. Quoniam itaque Christus inferioribus viribus animæ suæ ac corporali naturæ, redundantiam beatitudinis animæ in sua superiori parte existentis, seu consolationem subtraxit ; idcirco pati morique potuit. Alias nec pati nec mori potuisset : quia secundum Augustinum in epistola ad Dioscorum, tanta exstitit beatitudo animæ Christi, quod si ipsa redundasset in corpus ipsius, ab omni passibilitate fuisset immune, multo utique magis quam erunt corpora electorum post diem judicii. Sed dispensative suspendebatur redundantia illa, præcipue hora passionis. Idcirco tunc percussus est Christus ut fœnum, et aruit cor ejus.

A voce gemitus mei, id est ex magna et gemituosa cordis mei compassione atque 6 dolore, quibus peccatoribus compatiebar, et de propria læsione dolebam, *adhæsit os meum carni meæ,* id est cuti, quia ex illis pœnis macerata atque exhausta est caro mea tempore passionis : sicque ossa cuti hærebant, in tantum ut dinumerari valuerint. Juxta quod dictum est : Dispersa sunt Ps. XXI, 15 omnia ossa mea.

Et *similis factus sum pelecano solitudi-* 7 *nis,* quia ad loca deserta progressus sum, devitans Judæorum tumultum : quemadmodum apud Joannem dicitur, Jesus jam Joann. XI, 54. non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum. Ductus Matth. IV, 1, 2. est quoque a spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo ; illicque quadraginta diebus ac noctibus jejunavit, non pro suo, sed pro nostro excessu. Porro, secundum Augustinum, Christus comparatur pelecano, quoniam avis hæc proprio rostro pullos suos fertur occidere, triduoque lugere,

Digitized by Google

et tandem sanguinem suum super pullos A
rostro effundere, unde illi reviviscunt. Sic
Christus occidit in nobis vitia nostra, et
sanguine proprio vivificavit nos denuo.
Factus sum sicut nycticorax in domicilio,
quoniam tempore noctis in oratione et bo-
nis actibus vigilavi, dum alii somno va-
Luc. vi, 12. cabant. Hinc in Luca habetur : Erat Jesus
pernoctans in oratione Dei. Dicitur etiam
Christus similis nycticoraci, quoniam sicut
avis illa ceteris est odibilis, sic Christus
ab omnibus erat despectus, prout superius
Ps. xxi, 7. dixit : Ego autem sum vermis et non ho- B
mo, opprobrium hominum et abjectio ple-
bis. Propter quod Isaias de ipso dicit :
Is. liii, 14. Inglorius erit inter viros adspectus ejus.
8 *Vigilavi* semper in opere bono. Non enim
somnus corporis impedivit in Christo ope-
rationem interiorem atque vigiliam men-
tis. *Et factus sum sicut passer solitarius
in tecto*, quoniam homines dereliqui, et
montem ad orandum ascendi : juxta illud,
Luc. vi, 12. Exiit Jesus in montem orare.
9 *Tota die* passionis meæ et multis diebus
prædicationis meæ, *exprobrabant mihi ini-* C
Matth. xii, 24. *mici mei* Judæi, dicentes illud Matthæi, In
Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæ-
Joann. x, 20. monia ; et item illud Joannis, Dæmonium
habet et insanit, quid eum auditis? *Et qui
laudabant me*, quando eis prædicavi et
Matth. xiv, 15-21. coram ipsis miracula feci, eosque de quin-
Luc. vii, 16. que panibus saturavi, dicentes, Quia Pro-
Matth. ix, 33. pheta magnus surrexit in nobis ; et, Quia
nunquam apparuit sic in Israel ; *adver-
sum me jurabant*, id est, in mortem meam
unanimiter conjurabant, in die Parasceves
Joann. xix, 15. proclamantes, Tolle, tolle, crucifige eum ; D
Matth. xxvii, 25. et, Sanguis ejus super nos et super filios
nostros. Vel : Qui laudabant me, ab extra
fallaciter, scilicet Pharisæi et Scribæ, di-
Ibid. xxii, 16. centes : Magister, scimus quia verax es, et
viam Dei in veritate doces, et non est tibi
cura de aliquo ; adversum me jurabant,
occulte proponentes firmissime me occi-
Jer. ix, 8. dere. Unde ait Scriptura : Sagitta vulne-
rans lingua eorum, dolum locuta est. In
ore suo pacem cum amico suo loquitur, et
occulte ponit ei insidias.

Quia cinerem tanquam panem mandu- 10
cabam. Hoc Christo secundum duplicem
convenit sensum. Quia enim cœpit facere Act. i, 1.
et docere, constat quod sicut parcitatem
vilitatemque cibi ac potus edocuit, sic eam
implevit, et ita cinere, id est non delicato
seu exquisito sed simplici cibo, usus est.
Et poculum meum corporalem *cum fletu*
oculorum seu cordis *miscebam*. Quando
enim Christus cum publicanis et peccato-
ribus comedebat, dubium non est quin eis
toto corde condoluit ; et in resuscitatione Joann. xi,
Lazari, infremuit spiritu, et lacrimatus est. 33, 35.
— Spiritualiter vero per cinerem designa-
tur magna humiliatio sive afflictio : et ita
Christus cinerem tanquam panem mandu-
cavit, id est, in afflictione, derisione, et
humiliatione sui, epulabatur mente in ad-
versis lætando, quemadmodum docuit :
Exsultate (inquiens) in illa hora, quoniam Matth. v,
merces vestra copiosa est in cœlo. Se ip- 12.
sum namque sponte atque hilariter pas-
sioni exposuit, sicut ait : Corpus meum Is. l, 6.
dedi percutientibus, et genas meas vellen-
tibus. Et potum meum, id est hilaritatem
quam habui de electorum salute, cum fle-
tu miscebam, id est cum tristitia, quam
de reproborum damnatione habebam. —
Specialiter autem exponi potest hic ver-
sus de fellea cibatione, ac acetosa potatio- Matth.
ne Christi in cruce. xxvii, 34 ; Joann. xix,

Hæc vero feci ac pertuli *a facie iræ in-* 30.
dignationis tuæ, id est propter iram tuam 11
mitigandam seu pœnam tollendam, qua
irascebaris generi humano propter origi-
nale aliaque peccata, quæ super me po-
suisti, et pro quibus tibi satisfacere volui :
prout Isaias dicit, Dominus posuit in eo Is. liii, 6.
iniquitatem omnium nostrum ; et ut in
Apocalypsi de Christo habetur : Vestitus Apoc. xix,
erat veste adspersa sanguine, et vocabatur 13.
nomen ejus, Verbum Dei. Et ipse calcat Ibid. 15 ;
torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Is. lxiii, 3 ; Thren. i, 15.
Hæc autem sustinui, *quia* tu, o Deus Pater,
elevans, id est me omni creaturæ præfi-
ciens, *allisisti me* in mortem, id est, me
occidi et opprimi permisisti, quemadmo-
dum apud Isaiam protestaris : Propter sce- Is. liii, 8.

Digitized by Google

12 lus populi mei percussi eum. *Dies mei*
temporales, non dies æternitatis, *sicut um-*
bra cito pertransiens *declinaverunt,* id
est, fini et morti appropinquaverunt :
quoniam circa tricesimum tertium annum
finiti sunt. *Et ego sicut fœnum arui* in
passione : sicut nunc patuit.
14 *Tu,* Deus Pater, *exsurgens misereberis*
Sion, id est Ecclesiæ, *quia tempus mise-*
rendi ejus est, me incarnato ; *quia venit*
tempus liberationis, me passo. Hæc om-
nia in præcedenti articulo plene exposita
sunt, nec modo specialem expositionem re-
20 cipiunt. — *Dominus de cœlo in terram ad-*
22 *spexit,* etc., *ut annuntient* fideles *in Sion*
nomen Domini, et laudem ejus in Jeru-
salem. Hoc ad litteram accipi potest de
primitiva Ecclesia, quæ post missionem Pa-
A racleti nomen et gloriam Christi constan-
tissime annuntiavit in Sion, id est in tem-
plo ædificato in monte Sion (ut scribitur *Act.* III.
in Actis), et in Jerusalem, civitate sancta,
de qua Christus in Evangelio dixit, Non *Luc.* XI
capit Prophetam perire extra Jerusalem. 33.
Initio tu, Domine, terram fundasti, etc., 26
sicut ostensum est. Istam scripturam alle- *Hebr.* I, 1
gat Apostolus de Christo conscriptam. Chri-
stus namque secundum quod Deus, est
universorum creator, prout ipsemet in Apo-
calypsi testatur : Ego sum Alpha et Ome- *Apoc.* I, 8
B ga, principium et finis. Demum sicut Patris XXI, 6; XXII
13.
et Filii et Spiritus Sancti est una essentia,
sic eorum est una potentia, unaque actio ;
et tres personæ sunt unus Deus, unus Crea-
tor, unum principium, unus provisor. Ce-
tera ex præinducta expositione clarescunt.

ARTICULUS III

QUALITER ALIQUI EXPONANT HUNC PSALMUM CENTESIMUM PRIMUM AD LITTERAM.

PRÆTEREA quidam expositores catho-
lici affirmant hunc psalmum ad litte-
ram scriptum de populo Judæorum graviter
afflicto, vel tempore captivitatis Babylo-
nicæ, vel tempore persecutionis Antiochi,
I *Mach.* I; qui graviter nimis Judæos oppressit, sicut
II *Mach.* V-VII. in libris Machabæorum narratur. Adjiciunt
tamen expositores hi, quod psalmus iste
loquitur de populo Judæorum pro tempo-
re Christi, videlicet, quia in persecutioni-
bus illis maxime desiderabant Christi ad-
ventum, per quem sciebant se perfecte
Jer. XXIII, 6. liberandos, juxta illud Jeremiæ : In diebus
illis salvabitur Juda, et Israel habitabit
confidenter. Quemadmodum autem hi expo-
nunt hunc psalmum de populo Judæorum
qui fuit, sic Judæorum doctores moderni
exponunt psalmum istum de populo Ju-
dæorum exsistenti in captivitate præsenti,
per Romanos ipsis inflicta, in qua quotidie
orant et præstolantur adventum Messiæ,
C quem scimus venisse. Verum quia prædi-
cta expositio parum devotionis importat,
non nisi cursorie tangenda videtur.
Loquens igitur sanctus Propheta in
persona populi Judæorum, temporibus Na-
buchodonosor seu Antiochi vehementer an-
xiati ac depauperati, ait : *Domine, exaudi* 2
orationem meam, etc. Et patet sententia
trium versuum horum ex dictis. Deinde
psalmus iste dicit : *Quia defecerunt sicut* 4
fumus dies mei. Chaldæi namque et servi
Antiochi Judæos pro magna parte occide-
D runt. *Et ossa mea sicut cremium aruc-*
runt, præ fame, timore, ac multiformi
angustia. Vel hoc dicitur ex persona eorum
quos Antiochus fecit in sartagine torreri, II *Mach.* VII,
cremari ac frigi, prout in libro secundo 3, 5.
Machabæorum legitur.
Percussus sum fervore et igne durissimæ 5
tribulationis, *ut fœnum* percutitur ardore
solis ; *et aruit cor meum,* præ inopia atque

Digitized by Google

dolore, juxta quod in Threnis inducitur :
Thren. I, 20. Vide, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in me. Unde iterum in Threnis de
Ibid. IV, 8. populo isto ait Jeremias : Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis. *Quia oblitus sum comedere panem meum,* id est, quia mandata
Lev. XVIII, 5. legis non observavi : quæ faciens homo, vivet in eis, ut Moyses asserit. Vel, Oblitus sum comedere panem meum materialem : quoniam tempore persecutionis Antiochi, multi Judæorum fugerunt subito ad loca deserta, ubi panem habere non poterant.
II *Mach.* V, 27. Propter quod dicit Scriptura : Judas Machabæus secessit in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum
6 suis agebat, fœni cibo vescentes. *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ,* id est cuti : quia in Judæis caro contabuit præ timore, luctu ac gemitu; sicque cuti ossa adhæserant.

7 *Similis factus sum pelecano solitudinis,* fugiendo ad eremi loca præ pavore adversariorum. *Factus sum sicut nycticorax in domicilio,* quia in die apparere ausus non fui. Absconderunt se namque temporibus
Ibidem; Jer. XVI, 16; *Reg.* XIII, 6. illis in diversis latibulis, sicut in libris Machabæorum, Jeremiæ, et Regum conscri-
8 ptum est. *Vigilavi* etiam noctibus, quia præ sollicitudine ac timore periculorum non valebam quiescere; *et factus sum sicut passer solitarius in tecto,* id est a me ipso divisus, atque hinc inde dispersus : sicut fugitivi non vadunt collectim, sed quilibet providet sibi ipsi, si potest, et abscondit se ubi possibile est.

9 *Tota die,* id est assidue, *exprobrabant mihi inimici mei,* Chaldæi et alii blasphemantes Deum Israel et legem ac populum ejus, quemadmodum in Threnis scribitur :
Thren. III, 14. Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die; *et qui laudabant me* fraudulenter et simulatorie, *adversum me jurabant,* proponentes occidere me. Hoc maxime factum est Judæis tempore
I *Mach.* VII, 27-30. Machabæorum a Nicanore ceterisque ministris Antiochi, et regum eum sequentium.

A Sæpe namque loquebantur Judæis verba pacis ac laudis in dolo. Translatio Hieronymi juxta Hebræum sic habet : Exsultantes mihi, per me jurabant, id est, prædicti inimici mei me deridentes, atque de mea calamitate gaudentes, jurabant per me juramento exsecrationis, ponendo miseriam meam pro exemplo, ita ut dicerent, Nisi egero istud seu illud, sic accidat mihi sic-
ut Judæis. *Quia cinerem tanquam panem* 10
manducabam : fecerunt enim subcinericios panes, in quibus mixti fuerunt cineres
B pani. Tempore vero obsidionis Jerusalem a Chaldæis, vehementissima fames erat in populo Judæorum, ita ut in Threnis dicatur : Manus mulierum misericordium *Thren.* IV, 10.
coxerunt filios suos; et rursus, Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. *Ibid.* 5.
Sicque cineres pro panibus sumere poterant. *Et poculum meum cum fletu miscebam,* id est, potando ploravi propter im-
minentia mala. *A facie iræ indignationis* 11
tuæ, id est a justa tua ultione, quia propter peccata mea hæc mihi fecisti, quemadmo-
C dum apud Jeremiam testatus es : Dabo vos *Jer.* XXIX, 18.
in vexationem et maledictionem, eo quod non audieritis verba mea; *quia elevans,* id est aliquando me honorans, dando mihi legem, Prophetas, reges et sacerdotes, *allisisti me,* temporibus persecutionum istarum : prout primo Machabæorum scriptum
est, Facta est ira magna valde super popu- I *Mach.* I, 67.
lum Juda ; et iterum, Secundum gloriam *Ibid.* 42.
ejus, sic et ignominia ejus.

Deinde ponitur consolatio Judæorum per adventum Christi, qui secundum divinita-
D tem suam æternus est. Unde de eo nunc
dicitur : *Tu autem, Domine, in æternum* 13
permanes. Hoc quoque Judæis innotuisse videtur, qui loquebantur Domino Christo :
Nos audivimus ex lege quia Christus ma- *Joann.* XII, 34.
net in æternum. *Tu exsurgens,* opem præ- 14
bendo seu per incarnationem veniendo, *misereberis Sion,* id est populo Judæorum afflicto et capto; vel, Sion, id est templo et civitati Jerusalem a Chaldæis impie demolitis ; *quia tempus miserendi ejus,* scilicet templi et civitatis, ut reædificarentur,

Digitized by Google

Jer. xxix, 10. consummatis septuaginta annis a Jeremia
prædictis ; vel, ut repararentur tempore
Machabæorum post dignam castigationem
populi Judæorum. Unde in libro secundo
II Mach. viii, 5. Machabæorum dicitur : Ira Domini in misericordiam conversa est. Vel, Venit tempus
miserendi ejus, id est, tempus tui adven-
Dan. ix, 23-27. tus in mundum, in Daniele prædeterminatum, impletum est : et ita decet te advenire, et populum Sion a spirituali captivitate
Is. lii, 6. redimere, sicut in Isaia promisisti : Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum. *Quia venit tempus* prædictum. Hoc repetitur ad evidentiam ampliorem.

15 *Quoniam placuerunt servis tuis,* Sanctis et Prophetis, *lapides ejus,* scilicet Sion : quia optabant ex lapidibus reædificare templum et civitatem Jerusalem ; *et terræ ejus miserebuntur,* id est, pro liberatione populi et reædificatione civitatum Judæ orabunt. Pro hac etenim causa multum oraverunt Zacharias, Daniel, Aggæus, et alii Sancti. — Potest autem exponi hic versus de ædificatione Ecclesiæ, intelligendo per lapides, personas seu membra Ecclesiæ; per servos autem, Apostolos qui primo post Christum construxerunt Ecclesiam, convertendo homines ad Christi obsequium ; *et terræ ejus,* id est Judææ, *miserebuntur,* quia Apostoli primo conabantur Judæos ad Christum convertere,
Act. xiii, 46. prout in Actibus Paulus fatetur : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Hæc autem expositio superius tacta est.

24 *Respondit ei in via virtutis suæ,* etc. Hic secundum aliquos describit Propheta tribulationem Ecclesiæ tempore Antichristi futuram, quæ erit durissima, sed non longa. Ait ergo : *Respondit ei,* id est, Ecclesia Christo tunc respondebit, *in via virtutis suæ,* id est in observatione patientiæ quæ tunc summe necessaria erit : *Paucitatem dierum meorum,* id est brevitatem tribulationis meæ, *nuntia mihi,* quatenus in spe propinquæ liberationis respirem ac
roborer. Nisi enim breviati essent dies il- Matth. xxiv, 22.
li, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur : ut scribitur in
Matthæo. *Ne revoces me* de hac vita, id est, 25
ne omnino sinas exstirpari Ecclesiam : ne, inquam, revoces me *in dimidio dierum meorum,* id est intra primum atque secundum tuum adventum ; sed usque ad finem mundi conserva me, quemadmodum spo-
pondisti, dicens : Ecce ego vobiscum sum Ibid. xxviii, 20.
cunctis diebus usque ad consummationem sæculi.

Quia vero omnia in figura contingebant I Cor. x, 11.
Hebræis, secundum Apostolum, propterea si ista expositio esset litteralis, posset hic psalmus tropologice explanari de populo christiano vehementer afflicto, sicut superius de quolibet pœnitente expositus est. Postremo, quæ nunc omissa sunt, in primo articulo evidenter patuerunt.

PRECATIO.

Ad te clamantium exaudi orationem nostram, Domine, et de excelso sancto tuo in terram adspice, et mala præsentia et futura a nobis propitiatus averte : ut annuntiemus in Sion gloriam tuam, et in Jerusalem cœlesti laudem tuam.

Digitized by Google

ARTICULUS IV

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI SECUNDI : BENEDIC, ANIMA MEA, DOMINO.

ASSIGNATUR autem psalmo præsenti hic
1 titulus : *Psalmus ipsi David :* id est, psalmus iste cantandus est Christo per David significato. Agit namque hic psalmus de multiplici beneficio Christi, et hortatur Propheta se ipsum ad gratiarum actionem condignam. Sicut enim in præcedenti psalmo locutus est in persona pœnitentis, suamque miseriam gemituose et anxie commemorantis, sic modo loquitur in persona fervidi amatoris atque gratissimi servitoris : et hoc, congruo ordine, quia post humilem confessionem propriæ imperfectionis, et variam afflictionem contribulati spiritus, sequi solet ex infusione divina, jucunda laudatio divinæ bonitatis, hilarisque memoria beneficiorum Creatoris. Propter quod in Tobia scriptum est : Post tempestatem, Domine, tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis. *Tob.* III, 22.

AIT itaque : (1) *Benedic, anima mea, Domino.* Benedicere alteri, est bonum de ipso asserere. Nos autem benedicimus Deo, et Deus benedicit nobis. Sed quia dicere Dei, est causa rerum, juxta illud, Ipse dixit, et facta sunt; *Ps.* CXLVIII, 5. nostrum vero dicere, non est causa rerum : idcirco benedictio Dei activa, est causa bonitatis nostræ, et quod benedicti sumus; nostra autem benedictio non est causa alicujus bonitatis in Deo, nec ob eam est Deus benedictus. Et ideo benedictio qua nos Deo benedicimus, est benedictio confessionis seu laudis. De qua in Luca scriptum est : Benedixit Simeon Deum. *Luc.* II, 28. Et Tobias : Omni, inquit, tempore benedic Deo. *Tob.* IV, 20. Benedictio autem qua Deus benedicit nobis, est benedictio consecrationis seu actuationis. Secundum primam benedictionem, minor benedicit

A majori, ipsum laudando ; quantum vero ad benedictionem secundam, major benedicit minori, ipsum sanctificando seu perficiendo, quemadmodum ad Hebræos dicit Apostolus : Sine ulla contradictione quod minus est, a majore benedicitur. *Hebr.* VII, 7.

Benedic ergo, anima mea, Domino, id est, bona profer de Deo, laudem et gratiarum actionem ei in omnibus impendendo, ipsum in omnibus atque præ omnibus mente, verbo et opere honorando. Et non solum anima mea, quantum ad id quod es, B benedic Deo, sed *et omnia quæ intra me sunt,* id est omnes vires, omnes habitus, omnes actus, omnes virtutes, omnes scientiæ, omnes cogitationes animæ meæ, benedicite *nomini sancto ejus,* id est ipsi Deo nomen sanctum habenti. Hæc autem benedicunt Deo occasionaliter seu materialiter, quia sunt occasio atque materia benedicendi Deo, dum scilicet perpendimus nos omnia ista a Deo habere : et ita adscribimus ea Deo tanquam primo principio cum laude et gratiarum actione. Vel benedicunt C hæc Deo causaliter, quia per ea cognoscimus Deum ac beneficia ejus. Tunc anima nostra et omnia intra eam exsistentia benedicunt Altissimo, dum ipsa secundum totum suum esse, posse et agere, Deum verbo et vita honorat, quemadmodum in Ecclesiastico habetur : Date magnificentiam nomini ejus, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum. *Eccli.* XXXIX, 20.

(2) *Benedic, anima mea, Domino :* quod 2
tibi iterum dico, quatenus accendaris et penses, quam utile, salubre et justum sit D benedicere Creatori ; *et noli oblivisci* per ignaviam et inadvertentiam *omnes retributiones ejus,* id est dona pietatis divinæ, quæ tibi frequenter collata sunt, et ad mi-

Digitized by Google

nus retributa, id est, rursus tributa sunt A tibi semel : quia in primo parente omnes peccavimus, et munera gratiarum Dei perdidimus; sed misericordia Dei per Christum nobis retribuit, quod primus parens abstulit et amisit. Propter quod ad Corin-
I Cor. xv, 22. thios Apostolus ait : Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Non ergo obliviscamur misericordiarum Dei nostri, sed attendamus quoties nobis gratiam suam retribuit. Quotiescumque corde ingemiscimus, statim ignoscit, gratiamque refundit : imo legatos B ad nos mittit, hortans et per eos deprecans, ut convertamur ad ipsum, quemadmodum
II Cor. v, 20. profitetur divinus Apostolus : Legatione, inquiens, pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos : Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Nunquam igitur obliviscamur viscerum misericordiæ Salvatoris, quia Seneca asserit, Maxima ingratitudo est beneficii collati oblivio. Prima vero gratitudo et gratiæ repensio, est beneficium gratanter recipere. Isaias oblitus non fuit retributionum Dei, qui ait : C
Is. LXIII, 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. Unde Ecclesiasticus inquit :
Eccli. LI, 11. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et cooperationis tuæ, quæ a sæculo
Ps. xv, 2. sunt. Porro quum Deus bonorum nostrorum non egeat, aliquid tamen a nobis requirat, nil dignius, nihilque acceptius ei retribuere possumus, quam benedictionem et lau-
Ps. XLIX, 23. dem. Nam sacrificium laudis honorificat ipsum. D

Consequenter commemorantur quædam beneficia Dei, et prius beneficium indul-
3 gentiæ. (3) *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Mox enim dum pœnitemus et confitemur, Deus iniquitates omnes nobis dimittit, quantum ad culpam. Non enim dimittitur unum peccatum mortale, quin aliud, si adsit, dimittatur : unum tamen veniale sine alio quandoque dimittitur. Propitiatus est autem Deus piissimus iniquitatibus nostris frequenter, scilicet in Baptismo, in Confessione, quæ est secunda post naufragium tabula, in ingressu seu professione religionis. *Qui sanat omnes infirmitates tuas,* id est interiores languores, qui per gratiæ infusionem sanantur. Vel : Qui sanat omnes infirmitates tuas, id est fomitem seu pronitatem ad malum, et quatuor principalia vulnera animæ, quæ sunt, malitia, ignorantia, concupiscentia, infirmitas. Has Deus nunc sanat inchoative, debilitando eas in Baptismo et quotidiano profectu, impediendoque eas per gratiam a consensu ac opere malo. In resurrectione autem futura sanabit eas perfecte, quando mortale hoc induet im- I Cor. xv, 53, 54.
mortalitatem, secundum Apostolum. Tunc nempe Christus auferet ab electis omnes pœnas pro originali peccato inflictas, quantum ad reatum et exsistentiam; nunc vero aufert eas quoad reatum, non quantum ad exsistentiam. Manet enim in nobis fomes post Baptismum, sed non imputatur ad culpam, nec pro eo pœnam damni incurrimus morientes. Quum autem Christus perfecte sanaverit omnes infirmitates nostras, tunc læti cantabimus illud Apostoli : Ubi Ibid. 55; Osee XIII, 14.
est, mors, victoria tua? ubi est, mors, aculeus tuus?

(4) *Qui redimit de interitu vitam tuam.* 4
Interdum redimit Deus vitam nostram corporalem ac naturalem a morte improvisa et corporali, præservando nos a periculis variis. Vitam quoque animæ nostræ spiritualem de interitu spirituali redimit, dum caritatem et gratiam suam in nobis conservat, a peccatis mortalibus nos præservans. Vel : *Qui redimit* merito suæ passionis *de interitu,* id est morte inferni seu damnatione æterna, *vitam tuam,* id est vitam gratiæ tibi in præsenti collatam seu conferendam, et vitam gloriæ tibi in futuro paratam. Vel, Vitam tuam, id est te viventem, quemadmodum dicimus : Rogo dilectionem tuam, id est te dilectum. De hac autem redemptione ait Salvator : Ego Joann. x, 10.
veni ut vitam habeant, et abundantius habeant; et iterum, Animam meam po- Ibid. 15.
no pro ovibus meis. *Qui coronat te in*

Digitized by Google

misericordia et miserationibus, id est, qui A in sua misericordia et per effectus varios suæ clementiæ nunc coronat te, dando tibi victoriam de mundo, carne ac dæmone, sicut ait Apostolus (II Cor. II, 14.) : Gratias Deo, qui semper triumphat nos in Christo Jesu Domino nostro. Coronat nos etiam Deus in misericordia sua, faciendo animas nostras filias, sponsas atque heredes regni æterni. Propter quod Petrus ait in prima sua Canonica (I Petr. II, 9.) : Vos, inquit, genus electum, regale sacerdotium. In futuro quoque coronabit nos corona felicitatis perfectæ, quemad- B modum Paulus affirmat (II Tim. IV, 8.) : De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa.

5 (5) *Qui replet in bonis desiderium tuum*, id est, rationabilem tuum affectum seu piam orationem ad actum perducit, dando tibi quod cupis et postulas. Omnis enim qui petit, accipit (Luc. XI, 10.). Et dictum est supra, Desiderium pauperum exaudivit Dominus (Ps. X, 17, sec. Hebr.); et, Nihil deest timentibus eum (Ps. XXXIII, 10.). Nunc itaque implet Deus desiderium nostrum gratia atque virtutibus, non simpliciter, nec C plene, sed secundum modum vitæ præsentis. In patria vero implebitur simpliciter atque perfecte, juxta quod dictum est (Ps. XVI, 15.) : Satiabor quum apparuerit gloria tua.

Renovabitur ut aquilæ juventus tua : id est, quemadmodum aquila inveterata reparat pristinam juventutem ; sic tu, o anima mea, ad pristinam atque deperditam spiritualis juventutis valetudinem reverteris, nunc quidem per gratiam, implendo illud Apostoli (Ephes. IV, 23, 24.), Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui D secundum Deum creatus est : in futuro autem per gloriam, quia in die judicii vestieris duplicibus (Prov. XXXI, 21.), id est duplici stola immortalitatis, videlicet gloria mentis et corporis ; et ultra senectus non erit, sed juventus perpetua, juxta illud Apocalypsis (Apoc. XXI, 5.) : Dixit qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia. Juventus quoque corporis in die judicii renovabitur, quia in ætate virili resurgent defuncti.

Demum, sicut refertur, ista aquilæ est natura, quod tempore senectutis suæ superius labium suum per modum unci in tantum excrescit, quod nec os aperire, nec cibum sumere potest. Propter quod tandem fame senioque gravata, ex naturali instinctu labium collidit ad petram, deponitque uncatum, quo sumptio cibi impediebatur : quo facto, reparatur ad valetudinem pristinam per sumptionem escarum. Sic anima, corporis atque terrenæ inhabitationis mole gravata (Sap. IX, 15.), et a contemplatione cœlestium impedita, nunc quidem quotidie quantum sibi possibile est, a carnis communione se abstrahit, et vitam cœlestem in terra ducere satagit; sicque quotidie renovatur interius, sicut ad Corinthios dicit Apostolus (II Cor. IV, 16.) : Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. Gratia enim Dei et summæ Trinitatis reformatio in nobis, est renovatio juventutis animæ nostræ. Conversatio autem vitiosa, senectus est animæ. Propter quod scriptum est (Baruch III, 10, 11.) : Quid est, Israel, quod inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum? Et causam subjungit (Ibid. 12, 13.) : Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram.

Quæ autem hucusque inducta sunt ad litteram, exponi possent de specialibus beneficiis sancto David collatis : imo quilibet nostrum hos quinque versus dicendo, beneficia sibi specialiter præstita pensare, et Deo cum omni gratiarum actione debet adscribere, ne propter ingratitudinem et oblivionem animæ nostræ dicatur (Is. XVII, 9, 10.) : Eris deserta, quia oblita es Dei salvatoris tui, et adjutoris tui non es recordata.

(6) *Faciens misericordias Dominus* : id 6
est, Deus misericorditer agit nobiscum, et misericordias (id est pietatis suæ dona) nobis communicat : et non solum facit misericordias misericordibus, de quibus ait, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (Matth. V, 7.); sed etiam impiis et indignis, quos sæpe gratis justificat,

Digitized by Google

quos longanimiter præstolatur, quibus be-
neficia naturalium donorum largitur, vide-
licet lumen solis, vestitum et victum, ra-
tionem et sensum, corporis sanitatem, ac
alia multa. Proprium namque est Deo mi-
sereri. Est quoque Dominus faciens *et ju-
dicium,* id est justam ultionem, *omnibus
injuriam patientibus* æquanimiter propter
Deut. xxxii, 35. justitiam : quemadmodum alibi ait, Mihi
vindictam, et ego retribuam. Vult enim
Deus sibi reservari vindictam, prout in
Lev. xix, 18. Levitico hortatur : Non quæras ultionem,
nec memor eris injuriæ civium tuorum.
Denique, quamvis aliquis impatienter fe-
rat injurias sibi illatas, Deus tamen qui
nullum malum inordinatum seu impuni-
tum relinquit, ulciscitur. Præcipue tamen
ulciscitur pro patientibus et mansuetis.
Prov. xx, 22. Unde in Proverbiis : Non dicas, Reddam
malum pro malo ; exspecta Dominum, et
liberabit te.
7 (7) *Notas fecit vias suas,* id est præcepta
moralia, judicialia et cærimonialia, *Moysi*
legislatori in monte Sinai ; et notas fecit
per Moysen *filiis Israel voluntates suas,* id
est signa suæ æternæ voluntatis, videlicet
jussiones bonorum, prohibitiones malo-
rum. Idem autem significatur per vias Dei,
et voluntates ipsius. Hæc autem tunc spe-
cialiter notificavit illis. Propter quod Ba-
ruch in persona populi Israelitici dicit :
Baruch iv, 4. Beati sumus nos, quoniam quæ Deo pla-
cita sunt, manifesta sunt nobis. Moraliter
vero per Moysen intelligitur quilibet san-
ctus de aquis concupiscentiarum sublatus,
cui Deus per Spiritum Sanctum inspirat
qualiter sit vivendum, quemadmodum in
I Joann. ii, 27. Joanne habetur : Unctio ejus docet vos de
omnibus. Per filios vero Israel intelligun-
tur omnes fideles, quibus Deus præcepta
sua largitus est.
8 (8) *Miserator et misericors Dominus.* Se-
cundum Damascenum misericors dicitur,
quasi cor miserum habens, videlicet quia
alterius miseriæ condolet. Deus autem im-
passibilis immutabilisque consistens, non
condolet, neque compatitur. Non ergo mi-
sericordia competit Deo, prout compassio-
A nem importat, sed in quantum gratuitam
subventionem designat : sicque vocatur
Deus miserator, actualiter miserendo ; mi-
sericors autem, propter naturalem propri-
etatem, qua ad succurrendum paratus est.
Longanimis, id est diu exspectans conver-
sionem malorum. Unde in Ecclesiastico
scriptum est, Altissimus est patiens red- Eccli. v
ditor ; et in libro Sapientiæ, Misereris Sap. xi.
omnium, quoniam omnia potes, et dissi-
mulas peccata hominum propter pœniten-
tiam. *Et multum misericors :* imo abun-
B dantia pietatis suæ, et merita supplicum
excedit et vota ; et miserationes ejus su- Ps. cxliv
per omnia opera ejus, Propterea Jacobus
asserit : Superexaltat autem misericordia Jacob. ii.
judicium.
(9) *Non in perpetuum irascetur,* exer- 9
cendo vindictam, *neque in æternum com-
minabitur,* se pœnas inflicturum. Non ab-
solute intelligenda sunt hæc, ne incidamus
eorum insaniam, qui pœnas inferni tan-
dem finiendas dixerunt. Sed non in per-
petuum irascetur Dominus electis suis, ne-
C que in æternum comminabitur eis : quia
licet ad tempus eos flagellet seu deserat, fi-
naliter tamen eis placatur, secundum illud
Threnorum : Non repellet in sempiternum Thren. iii
Dominus, quia si abjecit, et miserebitur 31, 32.
secundum multitudinem misericordiarum
suarum. (10) *Non secundum peccata no-* 10
stra fecit nobis : primo, quia citra condi-
gnum nos punit ; secundo, quoniam nul-
lus peccator qui est in mortali, gratiam de
condigno meretur. Idcirco si gratia ei re-
stituitur, non secundum peccata sua fit
D sibi. Tertio, quoniam ubi abundavit deli- Rom. v, 20.
ctum, superabundat et gratia. Ideo ad Ti-
motheum Apostolus ait : Deus liberavit II Tim. i, 9.
nos, et vocavit nos vocatione sua sancta,
non secundum opera nostra, sed secun-
dum propositum suum et gratiam. *Neque
secundum iniquitates nostras retribuit no-
bis :* quia frequenter pœnam æternam com-
mutat in pœnam temporalem per gratiam
suam.
(11) *Quoniam secundum altitudinem cœ-* 11
li a terra, corroboravit misericordiam su-

Digitized by Google

am super timentes se : id est, sicut cœlum A
super terram maxime elevatur; sic miseri-
cordia Dei elevata est supra nostram mali-
tiam, ita quod incomparabiliter aliter fecit
cum timentibus se timore filiali et casto,
quam merebantur, juxta illud Apostoli :
Rom. v, 8, 9. Commendat autem caritatem suam in no-
bis Deus, quoniam quum adhuc inimici
essemus, Christus pro nobis mortuus est.
Vel sic : Quoniam secundum altitudinem
cœli a terra, etc., id est, quemadmodum
cœlum ratione altitudinis et excellentiæ
suæ terram operit, circuit, fecundat, il- B
luminat; sic Deus in circuitu populi sui
exsistens, eum in bono conservat, intus
illustrat, fecunditatem operum bonorum
impendit, prout Filius Dei apud Joan-
Joann. xv, 1. nem protestatur : Pater meus agricola est.
12 (12) *Quantum distat* distantia quantitativa
atque locali, *ortus,* id est pars cœli orien-
talis, *ab occidente,* id est a parte occiden-
tali : quæ utique tanta est, quanta est
distantia inter polum arcticum et antar-
cticum, quum cœlum sit sphæricum. Vel,
Quantum distat distantia qualitatis, ortus, C
id est lux seu origo diei, ab occidente, id
est a tenebris, dieique termino. *Longe fe-*
cit a nobis iniquitates nostras : quia ita
nobis pœnitentibus eas indulget, ac si
nunquam fuissent. Unde per Ezechielem
Ezech. xviii, 21, 22. testatur : Si impius egerit pœnitentiam,
omnium iniquitatum ejus non recordabor
Mich. vii, 19. amplius. Et in Michæa habetur : Deponet
iniquitates nostras, et projiciet in profun-
dum maris omnia peccata nostra.
13 (13) *Quomodo miseretur pater* carnalis
ac indulgentissimus *filiorum* suorum, *mi-* D
sertus est Dominus timentibus se : quoniam
sicut pater filium diligit, sive blandiatur,
sive comminetur et verberet; sic Deus ti-
mentibus se misericordiam facit, sive eos
castiget, sive consolationem infundat. Et
Malach. iii, 17. hoc est quod in Malachia ait : Parcam ti-
mentibus me, sicut parcit vir filio suo ser-
vienti sibi. Sive ergo adversa, sive prospera
accidant nobis, Domino gratias referamus,
Rom. viii, 28. scientes quoniam diligentibus atque timen-
tibus Deum, omnia cooperantur in bonum.

Cur autem tam clemens sit nobis Do-
minus, pandit : *Quoniam ipse cognovit fig-* 14
mentum nostrum, id est fragilem nostram
substantiam ad mala proclivem, propter
fomitem ad vitia inclinantem. Hæc autem
fragilitas nostræ substantiæ plenius decla-
ratur, quum subditur : (14) *Recordatus est,*
id est, pie attendit, *quoniam pulvis sumus,*
id est, de limo terræ, quantum ad corpus,
formati, atque in pulverem resolvendi,
quemadmodum dicit Scriptura : Formavit *Gen.* ii, 7.
Dominus Deus hominem de limo terræ; et :
Pulvis es, et in pulverem reverteris. *Homo* *Ibid.* iii, 19.
sicut fœnum dies ejus : quia tam cito are- 15
scit et decidit sicut fœnum, prout sanctus
Job ait : Dies mei velocius transierunt, *Job* vii, 6.
quam a texente tela succiditur. *Tanquam*
flos agri, qui hodie est, et cras non repe-
ritur, *sic efflorebit,* id est, a flore atque
vigore primævæ ætatis deficiet.
(15) *Quoniam spiritus,* id est anima, *per-* 16
transibit in illo, id est, temporalem dura-
tionem habebit in homine, qua finita, re-
cedit; *et non subsistet* homo in hac vita,
anima ejus egressa. Hinc enim scriptum
est : Breves dies hominis sunt, numerus *Ibid.* xiv, 5.
mensium ejus apud te est; constituisti ter-
minos ejus, qui præteriri non poterunt. Et
in libro Regum : Omnes morimur, et quasi *II Reg.* xiv, 14.
aquæ dilabimur in terram, quæ non rever-
tentur. Hæc autem nostri figmenti fragi-
litas incitat Deum ad miserendum nobis,
quemadmodum in Genesi testatus est : Ne- *Gen.* viii, 21.
quaquam ultra maledicam terræ propter
homines. Sensus enim et cogitatio cordis
humani, prona sunt in malum ab adole-
scentia sua. *Et non cognoscet* anima post
separationem *amplius locum suum,* id est
corpus quod reliquit, donec rursus induat
illud. Defuncti namque non sciunt in par-
ticulari, quid agatur in vita præsenti, nisi
ex speciali revelatione, vel propter spe-
cialem habitudinem ad ea quæ hic agun-
tur. Sic enim Sancti in patria in Verbo
cognoscunt orationem qua invocantur, at-
que obsequium quo honorantur. Transla-
tio Hieronymi talis est : Et non cognoscet
eum ultra locus ejus. Utrumque autem ve-

Digitized by Google

ritatem sortitur, quia secundum Augustinum in libro de Cura pro mortuis, Sicut viventes in mundo ignorant quid agatur in receptaculis mortuorum, sic defuncti nesciunt quid agatur in locis viventium : quod intelligendum est de lege communi, et de cognitione determinata ac naturali. Unde Isaias ait : Tu, Domine, Pater noster ; et Abraham nescivit nos. *Is.* LXIII, 16.

17 (16) *Misericordia autem Domini ab æterno et usque in æternum,* id est, sine defectu et termino, et a principio mundi usque in finem nunquam finiendum, expansa est, *super timentes eum* timore sancto ac filiali. Nunc enim adest eis indesinenter per gratiam, in futuro quoque per gloriam. Sed quum nec mundus ab æterno fuerit, neque peccatum, quomodo misericordia Domini est super timentes se ab æterno ? Et respondendum, quod dicitur ab æterno super eos fuisse, ratione prædestinationis seu præparationis, quemadmodum in Apocalypsi de Christo habetur : Agnus qui occisus est ab origine mundi. Et ad Timotheum : Gratia data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia, id est, dari prævisa est. *Apoc.* XIII, 8. *II Tim.* I, 9.

(17) *Et justitia illius,* id est effectus divinæ justitiæ, scilicet justa promissorum impletio et meritorum præmiatio, erit et est *in filios filiorum,* id est in omnes filios primorum parentum : quod de filiis justis

18 intelligi debet. De quibus annectitur : *his qui servant* per fidem et obedientiam, *testamentum ejus,* id est legem divinitus datam. (18) *Et memores sunt mandatorum ipsius,* non qualitercumque, sed *ad faciendum ea.* Multi enim sunt memores mandatorum Domini, non ut ea adimpleant, sed ut alios doceant quod ipsi non agunt, quod est mortale peccatum ; vel ut docti appareant, quod gloria est vana. Debemus ergo memores esse legis divinæ et mandatorum Altissimi, non ut sciamus, sed ut impleamus. Unde etiam Aristoteles dicit : Quid est virtus, scrutamur, non ut agnoscamus, sed quatenus boni efficiamur. Alias computabimur in Pharisæorum atque Scribarum collegio, de quibus in Matthæo ait Salvator : Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite ; secundum opera vero illorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum ; digito autem suo nolunt ea movere. *Matth.* XXIII, 3, 4.

(19) *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Hoc multipliciter accipi potest. Primo sic : Dominus Deus, Trinitas sancta, in cœlo empyreo paravit sedem suam, id est locum habitationis suæ. Nullus enim corporeus locus tam proprie competit Deo, ut cœlum empyreum. Propter quod Moyses ait : Habitaculum ejus sursum, et subter brachia sempiterna. Vel, In cœlo, id est in civibus regni cœlestis, et maxime in angelis pertinentibus ad infimum ordinem primæ hierarchiæ, qui propter inhabitationem divinam, Throni (id est sedes) Dei vocati sunt. Vel, In cœlo, id est in quolibet homine cœlestem conversationem in terra habente. In tali namque per gratiam demoratur, juxta illud : In eo quasi in thalamo tota die morabitur. Vel : *Dominus* Christus, homo Deus, *in cœlo* empyreo *paravit* a principio mundi *sedem suam,* id est stabilem mansionem tam sibi, quam suis : quibus ait, Vado parare vobis locum. A principio namque mundi paravit hanc sedem per creationem ; sed post ascensionem suam paravit eam suis per interpellationem, quia secundum Apostolum, Jesus introiit in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. *Et regnum ipsius,* id est regimen seu regia Christi potestas, *omnibus dominabitur.* Omnia enim subjecta sunt pedibus ejus, secundum Apostolum. Propter quod scriptum est : Omnes populi, tribus et linguæ servient ei. Et in Apocalypsi : Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est et Rex regum. 19 *Deut.* XXXIII, 27. *Ibid.* 12. *Joann.* XIV, 2. *Hebr.* IX, 24. *Ibid.* II, 8. *Dan.* VII, 14. *Apoc.* XVII, 14.

Deinde invitantur creaturæ cœlestes, angelicæ mentes, supermundani intellectus, et animi deiformes ad laudem divinam. (20) *Benedicite Domino, angeli ejus,* id est nuntii Dei, *potentes virtute,* id est pote- 20

Digitized by Google

state præcipui, *facientes verbum illius,* id A
est, commissionem seu jussionem vobis
divinitus factam implentes, *ad audiendam
vocem sermonum ejus,* id est, ut homines
audiant per vestram exsecutionem, quid
Deus eis mandat et nuntiat. Per angelos
namque Deus nobis revelat beneplacitum
suum. Quamvis autem per angelos accipi
possint angelici spiritus infimi ordinis,
quorum est minima nuntiare, secundum
Gregorium ; nihilo minus per angelos in-
telligere possumus omnes spiritus cœle-
Hebr. i, 14. stes, de quibus ait Apostolus, Omnes sunt B
administratorii spiritus : nam, secundum
magni Dionysii dogma, omnes angelicæ
mentes, angeli appellantur. Porro potentia
angelorum duplex est : scilicet naturalis ;
et ista omnem corporalium rerum potesta-
tem vehementer excedit, in tantum ut de
Job xli, 24. diabolo scriptum sit, Non est super terram
potestas quæ comparetur ei. Naturalia
enim in angelis apostatis integra perman-
serunt, secundum Dionysium capitulo 4 de
Divinis nominibus : et per hanc potesta-
tem competit angelis motus cœlorum, se- C
cundum philosophos. Alia vero est poten-
tia angelorum supernaturalis, quæ major
Exod. xii, 29. et altior est : per quam angelus unus per-
cussit una nocte omne primogenitum in
terra Ægypti, ut dicitur in Exodo ; et in
Is. xxxvii, 36. castris Assyriorum centum octoginta quin-
que millia, sicut in Isaia legitur. Hæc ta-
men angelus facere potuit naturali virtu-
te, ut videtur.
21 (21) *Benedicite Domino, omnes virtutes
ejus.* Per virtutes accipere possumus ange-
los pertinentes ad medium ordinem se- D
cundæ hierarchiæ, qui speciali nomine ap-
pellantur Virtutes, secundum Dionysium ;
vel, universas mentes angelicas, quoniam
omnes angeli vicissim appellantur Virtu-
tes, propter efficacissimam excellentiam
propriæ potestatis. Rabbi Moyses vero per
virtutes intelligit naturales vires omnium
rerum creatarum. Virtutes, inquam, *mini-
stri ejus, qui facitis voluntatem ejus,* id
est, qui divinæ voluntatis imperio obeditis.
22 (22) *Benedicite Domino, omnia opera
ejus,* id est creaturæ universæ, *in omni lo-
co dominationis ejus,* id est in cœlo ac
terra atque intermediis locis. Ubique enim
dominatur Creator. Christo quoque data Matth.
est omnis potestas in cœlo et in terra. xxviii, 18.
Propter quod scriptum est : Domine, Rex Esther xiii,
omnipotens, in ditione tua cuncta sunt po- 9, 11.
sita ; tu dominaris omnium. Irrationales au-
tem creaturæ benedicunt et laudant Deum
materialiter, quia contemplantibus præbent
materiam benedicendi Domino, eo quod in
ipsis sapientia, potentia, et bonitas Creato-
ris resplendeant. Sed quia nil prodest alios
exhortari, et proprias exhortationes omit-
tere, prout ait Salvator, Quid prodest homi- Matth. xvi,
ni si mundum universum lucretur, animæ 26.
vero suæ detrimentum patiatur ? idcirco
revertitur ad se ipsum, dicitque : *Benedic,
anima mea, Domino :* secundum intelle-
ctum expositum.

Ecce psalmum omni laude dignissimum,
omni consolatione ac suavitate plenissi-
mum, et nobis peccatoribus ad pœnitentiam
sanctam conversis præcipue frequentan-
dum, dulcem ac saporosum audivimus :
quem decantando, decet nos ex commemo-
ratione divinorum beneficiorum amore
Dei nostri vehementer accendi, in ejus
laude cordialiter delectari. Et ut digni in-
veniamur laudatores, studeamus Christo
mundo corde servire, omnia carnalia, sæ-
cularia, temporalia ac vana contemnere, et
unum illud, quod solum necessarium est, Luc. x, 42.
corde collecto ac stabili contemplari, ex-
quirere, amare, ac honorare tanto inten-
tius atque frequentius, quanto plura ab eo
beneficia sumpsimus. Ideo namque in Lu-
ca asserit Christus : Cui multum donatum Ibid. xii, 48.
est, multum quæretur ab eo.

PRECATIO.

Deus salvator viventium, qui non vis
mortem peccantium, tu, pie Pater, cogno-
sce figmentum nostrum, et peccatoribus
nobis non irascaris in perpetuum ; sed cor-
robora super nos misericordiam tuam, et
redime de æterno interitu vitam nostram.

Digitized by Google

ARTICULUS V

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI TERTII : BENEDIC, ANIMA MEA, DOMINO; DOMINE DEUS MEUS.

Brevis autem et planus titulus est psal-
1 mi præsentis dum dicitur : *Psalmus David*. Loquitur vero Propheta in psalmo isto
in persona hominis Deum grata mente
laudantis.

(1) **B***ENEDIC, anima mea, Domino.* Quod
qualiter intelligi implerique debeat,
Ps. CII, 1. in præcedentis psalmi expositione ad longum tractatum est. *Domine Deus meus,
magnificatus es vehementer :* id est, ex
operibus tuis mirabilibus in nobis valde
magnus effectus es, ita ut excellentia, magnitudo, seu majestas tua nobis clare innotuerit ex consideratione operum tuorum,
Num. XXIII, 19; Malach. III, 6. quamvis tu in te ipso omnino immutabilis
et summe perfectus sis.

(2) *Confessionem et decorem induisti :*
id est, laude Sanctorum et specioso famulatu eorum circumdatus es, sicut homo
circumdatur veste, quia ex omni parte
concurrunt ad te omnes Beati. Vel, Decorem induisti, id est, ita in te ipso pulcher,
imo pulcherrimus es, ac si pulchritudo
2 esset vestis tua, te undique ornans. *Amictus lumine sicut vestimento :* id est, sic in
te ipso clarus ac fulgidus es, ac si lux esset tibi vestimentum, te omnino operiens,
ita quod nihil tenebrositatis in te inveni-
I Joann. I, 5. tur : juxta illud, Deus lux est, et tenebræ
non sunt in eo ullæ. — Hæc autem de
Christo specialiter accipi possunt. Indutus
est enim confessionem, quemadmodum ad
Philipp. II, 11. Philippenses dicit Apostolus : Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Ubique enim
electi Christo confitentur. Est quoque indutus decorem, præsertim in resurrectione, quando in forma gloriosa surrexit, cui
in passione non erat decor aut species.

A Surrexit etiam in corpore glorificato, cujus
claritas solis splendorem incomparabiliter
inæstimabiliterque transcendit : propterea
dicitur, Amictus lumine sicut vestimento.

(3) *Extendens cœlum* stellatum seu firmamentum *sicut pellem :* quia per modum
pellis extentæ videtur expansum, quum
sit sphæricum, terram tegens atque operiens, et nostrum hemisphærium per modum tentorii circumcludens. Unde Isaias
dicit : Extendit velut nihilum cœlos, et Is. XL, 22
expandit illos sicut tabernaculum ad inha-
B bitandum. *Qui tegis aquis superiora ejus,* 3
id est partes convexas cœli stellati. Scriptum est enim in Genesi : Dixit Deus, Fiat Gen. I, 6, 7
firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Fecitque Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub
firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Quidam ergo litteram prædictam sequentes, dicunt supra firmamentum esse aquas per modum glaciei
congelatas, et cœlum tegentes. Alii vero
magis philosophice loquentes, dicunt per
C aquas has intelligendum esse nonam sphæram, quæ dicitur cœlum crystallinum seu
aqueum, sicut cœlum immobile appellatur
empyreum, id est igneum : non quasi nona
sphæra sit de natura aquæ, vel cœlum empyreum de natura ignis; sed quia cœlum
crystallinum cum aqua in diaphaneitate
convenit : nam per modum aquæ congelatæ apparet. Cœlum vero empyreum cum
igne in claritate communicat. Huic quoque
quod nunc ait, Qui tegis aquis superiora
ejus, concordat illud Danielis, Benedicite, Dan. III, 60.
D aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino. Basilius autem per cœlum hoc loco, et
cœlos de quibus Daniel loquitur, atque
per firmamentum, de quo in Geneseos libro Gen. I, 6, 7.

Digitized by Google

fit sermo, intelligit cœlum aerium, supra A
quod nubes feruntur. Et hanc expositio-
nem asserit Augustinus laude dignissimam.
Mystice per cœlum designatur Ecclesia,
quæ in Canticis canticorum propter pres-
Cant. I, 4. suram et tribulationem dicit : Nigra sum,
sed formosa, sicut pelles Salomonis, id est
cœlum, quod est pellis veri Salomonis,
scilicet Christi. Extendit ergo Christus cœ-
lum, id est Ecclesiam, sicut pellem, dum
eam per omnes partes mundi diffundit, et
ad divinorum sublimia per contemplatio-
nem exaltat. Hujus autem cœli superiora, B
id est Apostolos atque Prophetas et effica-
ces imitatores ipsorum, tegit aquis scien-
tiæ salutaris et gratiæ, seu donis Spiritus
Sancti, quemadmodum testatur Salvator :
Joann. VII, 38. Qui credit in me, flumina de ventre ejus
fluent aquæ vivæ.

(4) *Qui ponis nubem ascensum tuum*, id
est, qui efficis ut nubes materialis sit res
tua jussione ascendens. Divino enim im-
perio agitur, ut ex vaporibus nubes gene-
rentur, ac sursum ferantur. Unde de Deo
Amos IX, 6. scriptum est apud Prophetam : Qui vocat C
aquas, et effundit eas super faciem terræ;
Deut. XXXIII, 26. et in Deuteronomio, Magnificentia ejus dis-
currunt nubes. *Qui ambulas super pen-
nas ventorum*, id est, qui in operatione
tua procedis velocius, quam venti discur-
rant. Velocitas quippe venti in motu, per
pennas significatur. Dominus autem in
instanti agit quodcumque voluerit, quum
sit virtutis simpliciter infinitæ. Idcirco
agit velocius quam venti ferantur. In Job
autem vicesimo secundo capite, dicitur Do-
Job XXII, 14. minus circa cardines cœli perambulare; et D
Ibid. IX, 8. alibi de eo legitur, Qui graditur super flu-
ctus maris ; et in Deuteronomio legitur,
Deut. XXXIII, 26. Ascensor cœli auxiliator tuus. Nunc vero
super pennas ventorum ambulare cense-
tur. Sed omnium horum est similis sensus.
Ambulatio enim Dei est operatio ejus,
quemadmodum in Exodo Moyses ait ad Do-
Exod. XXXIII, 16. minum : In quo poterimus scire invenisse
nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambu-
laveris nobiscum ? Dominus autem propter
operationem omnipotentiæ suæ, quam cir-
ca cœlos et mare ostendit, ambulare super
ea asseritur. Ad litteram quoque exponi
hæc possunt de Christo, qui posuit nubem
ascensum suum, ambulavitque super pen-
nas ventorum, quando, ut in Actis habe-
tur, Videntibus illis elevatus est, et nubes Act. I, 9.
suscepit eum ab oculis eorum.

Mystice ascendit Dominus supra nubem,
dum per gratiam suam ascendit cor prædi-
catoris seu nuntiatoris verbi Dei. Ambulat
etiam supra pennas ventorum, id est, ope-
rando excedit virtutes et contemplationem
animarum sanctarum. Pennæ enim, virtu-
tes seu contemplationes dicuntur, quibus
animæ in cœlum vehuntur, quemadmodum
Isaias dicit : Qui sperant in Domino assu- Is. XL, 31.
ment pennas ut aquilæ. Venti vero sunt
animæ, prout per Isaiam Dominus prote-
statur : Ego Dominus, dans flatum populo Ibid. XLII, 5.
qui est super terram.

(5) *Qui facis angelos tuos spiritus*, id est, 4
qui hoc operatus es, ut angeli sancti sint
spirituales, non corporales substantiæ; vel,
Facis ut spiritus seu spirituales substan-
tiæ sint angeli, id est nuntii tui. Qui enim
per creationem facti sunt spiritus, per jus-
sionem et ordinationem divinam facti sunt
angeli, id est, nuntii Dei. Spiritus enim
est nomen naturæ; angelus autem, offi-
cii. *Et ministros tuos ignem urentem :* id
est, servientes tibi zelo ac tanto Divini-
tatis amore inflammas, ut dici possint
ignis urens seu flamma ignis. Nam et Deus Hebr. XII, 29.
(secundum Apostolum) ignis consumens
est. Et Daniel scriptum reliquit : Antiquus Dan. VII, 9.
dierum sedit; thronus ejus flammæ ignis,
rotæ ejus ignis accensus. Quid autem per
thronum et rotas Dei æterni, nisi angeli-
cas, deiformes, atque deiferas mentes, ac-
cipimus ? Vel, Facis ignem urentem, id
est summam hierarchiam seu angelos de
ordine Seraphim, qui summe et ardentis-
sime divino flagrant amore, ministros tuos,
quia per eos illuminas alios. Ipsique mitti
dicuntur, dum missi ab eis, veniunt ad
nos. Propter quod Isaias : Volavit (inquit) Is. VI, 6.
ad me unus de Seraphim. Vel dicuntur
ministri Dei seu angeli sancti fieri ignis

Digitized by Google

urens, quia frequenter in specie ignis ap-
paruerunt. Unde Matthæus de angelo di-
Matth. xxviii, 3. cit: Erat adspectus ejus sicut fulgur. Et in
Exod. iii, 2. Exodo scribitur apparuisse angelus Moysi
IV *Reg.* ii, 11. in rubo ardenti. Elias quoque in curru
igneo est translatus ministerio angelorum.
In hominibus insuper facit Deus angelos
suos spiritus, dum per religiosos atque de-
votos aliis nuntiat verbum salutis; et mi-
nistros suos ignem urentem, quando per
exhortationem, increpationem seu infor-
mationem prædicatorum seu prælatorum,
corda audientium ignis Spiritus Sancti suc-
cendit.

5 (6) *Qui fundasti,* id est, firmiter collo-
casti, *terram super stabilitatem suam,* id
est super immobilem basim suam, videli-
cet supra centrum ipsius: quoniam omnes
partes terræ naturaliter tendunt ad cen-
trum, secundum Philosophum; *non inclina-
bitur in sæculum sæculi,* id est, nunquam
mutabit locum quoad se totam, quemad-
Eccle. i, 4. modum Ecclesiastes testatur: Terra in
Baruch iii, 32. æternum stat. Unde et Baruch ait: Fundasti
terram in sempiterno tempore. — Spiri-
tualiter, fundavit Deus terram, id est Ec-
clesiam militantem, super stabilitatem su-
am, id est super Christum, tanquam super
immobile fundamentum, in quod omnes
tendere ac quiescere debent. Non inclina-
bitur, etc., id est, Ecclesia nunquam a fide
in toto abibit.

6 (7) *Abyssus sicut vestimentum amictus
ejus:* id est, mare Oceanum, quod propter
immensurabilem suam profunditatem vo-
catur abyssus, ex omni parte circumdat,
cingit et velut amictus infra se continet
terram, sicut vestimentum circumdat ve-
stitum. Quemadmodum enim aer circum-
dat et operit mare, sic mare terram, nisi
quod una pars terræ, ex divina disposi-
tione, manet discooperta propter anima-
lium vitam salvandam. *Super montes sta-
bunt aquæ* pluviales, in nubibus colligatæ.
Nubes enim montibus altiores sunt, et in
nubibus aquæ servantur, prout in libro
Job xxvi, 8. Job de Deo scriptum est: Qui ligat aquas
in nubibus, ut non erumpant pariter deor-

A sum. Vel, Super montes stabunt aquæ, id
est, cacumina montium ascendent Deo ju-
bente, dum ei placuerit, sicut in universali *Gen.* v
diluvio semel factum cognovimus, atque 19, 20.
in particularibus diluviis sæpe contingit.
Vel, Super montes stabunt aquæ, quoniam
aquæ in medio Oceani altiores sunt mon-
tibus terræ. Hoc Nicolaus de Lyra refert
hoc loco asserere Rabbi Salomonem, et di-
cit eum falsum dicere. Sed utique Rabbi
Salomon in hoc verum asserit, et ideo ra-
tio ipsius Lyræ non procedit, dum ait:
B Aquæ quum sint graves et fluidæ, æquali-
ter tendunt ad centrum, et non sunt altio-
res in medio quam in ripa. Primo destruitur
hoc ita: quoniam aqua est corpus homo-
geneum, id est, ejusdem naturæ in se et in
partibus suis. Propterea, sicut quælibet
pars aquæ, videlicet gutta, tendit ad rotun-
ditatem, ut patet ad sensum de guttis; sic
tota aqua, quantum potest, ad rotunditatem
seu sphæricam tendit figuram. Demum ter-
ra est gravior aqua: non tamen partes ter-
ræ æqualiter propinquant ad centrum, sed
C terra in medio sui altior exstat quam ali-
bi: et multo magis aqua. Insuper constat
ad sensum stantibus juxta ripam, quod
quanto navis in mari longius abscedit, tan-
to videtur altius sublimari: et illud omnes
magni philosophi contestantur.

Spiritualiter per abyssum intelligitur
inundatio tribulationum. Abyssus ergo, id
est tribulatio copiosa, est amictus terræ,
id est Ecclesiæ, quoniam undique tribula-
tur Ecclesia, et circumdatur adversis vel-
ut amictu, quia per multas tribulationes *Act.* xiv, 21.
D oportet nos intrare regnum cœlorum:
id quod in Actibus Pauli sententia docet.
Propter quod et Judith contestata est:
Omnes qui Deo placuerunt, per multas *Judith* viii, 23.
tribulationes transierunt fideles. Sed et
super montes, id est perfectos viros, sta-
bunt aquæ tribulationum, quia omnes qui II *Tim.* iii, 12.
volunt pie vivere in Christo, persecutio-
nem patientur. Stabunt quoque interdum
super hos montes aquæ consolationum di-
vinarum, quoniam juxta Apostolum, sicut
pro Christo abundant passiones nostræ, ita II *Cor.* i, 5.

Digitized by Google

et per Christum abundat consolatio nostra. A
Habac. III, 2. Propter quod alias dicitur de Deo : Quum
iratus fueris, misericordiæ recordaberis.
7 (8) *Ab increpatione tua,* id est a te per
modum increpantis jubente, *fugient* aquæ
a montibus quos operuerunt; vel, a loco
aeris in quo nubes ante fuerunt; *a voce
tonitrui tui,* id est a præcepto tuo terri-
bili, *formidabunt,* id est, per modum for-
midantis se habebunt, obediendo tuo im-
Job XXVI, 12. perio. Hinc enim Job inquit : In fortitudine
illius repente maria congregata sunt. Et
Eccli. XVI, 18, 19. Ecclesiasticus : Abyssus et terra et omnia B
quæ in eis sunt, in conspectu Dei commo-
vebuntur; et quum conspexerit ea Deus,
tremore concutientur. Mystice autem aquæ
tribulationum, Deo impios increpante, ab
Ecclesia fugiunt atque deficiunt, juxta il-
Job XXXIV, 29. lud : Deo concedente pacem, quis est qui
8 condemnet? (9) *Ascendunt montes et de-
scendunt campi in locum quem fundasti
eis :* id est, una pars terræ montuosa est,
aliaque campestris; et tam montes quam
valles tantum ascendunt seu descendunt,
quantum tua sapientia eis præfixit. Spiri- C
tualiter montes ascendunt, dum homines
virtuosi proficiunt; et campi descendunt,
dum inferiores eorum doctrinæ se ipsos
humiliter subdunt : in locum quem funda-
sti eis, id est in congregationem Ecclesiæ.
9 (10) *Terminum posuisti* aquis Oceani,
quem non transgredientur, nec effluent
ripas; *neque convertentur,* exeundo alve-
um suum, *operire terram* animalium ha-
bitationi deputatam. Unde Salomon dicit :
Prov. VIII, 27. Certa lege et gyro vallabat abyssos. Job
Job XXVI, 10. quoque inquit : Terminum circumdedit D
aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ.
Et in hoc relucet magna Dei potestas, ob
quam metuendus est nimis. Propter quod
Jer. V, 21, 22. ipse per Jeremiam locutus est : Audi, po-
pule stulte. Me non timebitis qui posui
terminum mari, præceptum sempiternum
quod non præteribit? Hoc modo commu-
niter exponitur iste versiculus. Sed quia
in versu præcedenti non de aquis, sed de
montibus mentio facta est, videtur de mon-
tibus posse exponi; eritque sensus : *Ter-
minum posuisti* montibus in latitudine et
ceteris dimensionibus, *quem non trans-
gredientur,* ut altius protendantur, seu la-
tius extendantur; *neque convertentur ope-
rire terram,* id est, cadendo non obruent
loca habitationum et homines, nisi te vo-
lente, jubente, aut permittente (sicut et
sæpius dictum est), prout in libro Job as-
seritur : Deus transtulit montes, et nesci- Job IX, 5.
erunt hi quos subvertit. — Spiritualiter
terminum ponit Deus aquis tribulationum,
et montibus elationis, dum non sinit ele- I Cor. X, 13.
ctos tentari seu tribulari supra id quod
possunt ferre, sed facit (sicut ait Aposto-
lus) cum tentatione proventum, ut pos-
sint sustinere. Neque convertentur aquæ
et montes hujusmodi operire terram, id est
corda bonorum opprimere, exstinguendo in
eis caritatem Dei ac proximi. Propter quod
ait Scriptura : Aquæ multæ non poterunt Cant. VIII, 7.
exstinguere caritatem, nec flumina obru-
ent eam.
(11) *Qui emittis fontes in convallibus,* id 10
est, rivos aquarum ex fontibus in monti-
bus ortis manantes, descendere facis ad
loca humilia; *inter medium montium,* id
est inter montes *pertransibunt aquæ,* id
est defluent, nec illic stabunt, sed in locis
bassis quiescent. Aqua enim petit locum
deorsum. Spiritualiter emittit Deus de cœ-
lo fontes, id est dona gratiæ, in conval-
libus, id est in humilibus mentibus. Inter
medium montium pertransibunt aquæ, id
est, inter superbos gratia non manebit,
quemadmodum Jacobus inquit : Deus su- Jacob. IV, 6.
perbis resistit, humilibus autem dat grati-
am. Et Isaias : Omnis vallis exaltabitur, et Is. XL, 4.
omnis mons et collis humiliabitur. (12) *Po-* 11
tabunt omnes bestiæ agri de aquis, ex fon-
tibus ad loca bassa venientibus; *exspecta-
bunt onagri,* id est asini feri, silvestres ac
naturaliter calidi, *in siti sua* potari et re-
frigerari his aquis. Alii ita exponunt : Ex-
spectabunt onagri in siti sua, id est, plu-
viam cœlestem præstolabuntur. Non enim
(ut asserunt hi) onagri bibunt de aqua
ex fonte fluente, sed diu exspectant plu-
viam de cœlo, quatenus inde bibant. My-

Digitized by Google

stice de rivis aquarum Christi bibunt om-
nes bestiæ agri, id est omnes gentiles ad
fidem conversi; exspectabunt usque ad fi-
nem mundi, onagri, id est crudeles Judæi,
in siti sua, id est in desiderio quo Chri-
stum exspectant venturum. Nempe in sua
siti durabunt usque ad terminum sæculi :
tunc enim convertentur ad Christum.
12 (13) *Super ea,* scilicet in cacuminibus
montium, et circa undas aquarum, *volu-
cres cœli,* id est aves in cœlo aerio voli-
tantes, *habitabunt,* quia in talibus locis
nidificant; *de medio petrarum,* id est de
locis petrosis, in quibus sunt avium nidi,
dabunt vocem suam, Dominum pro suo
modulo collaudantes. Spiritualiter, Super
ea jam prædicta, scilicet super montes et
aquas, volucres cœli, id est viri sancti et
contemplativi, habitabunt, vivendo secun-
dum Christi mandata, atque angelicam vi-
tam in terra ducentes. De medio petrarum
dabunt vocem, id est, gratiarum actionem
ac laudem tibi offerent de firmissimis lo-
cis Ecclesiæ.
13 (14) *Rigans montes de superioribus suis:*
id est, tu, Deus, montes humidos facis de
nubibus pluviosis, quæ altiores sunt mon-
tibus, vel de fontibus in summitate mon-
tium ortis, qui decurrendo loca montis
humectant; *de fructu operum tuorum,* id
est de terræ nascentibus, *satiabitur ter-
ra,* id est incolæ terræ. Spiritualiter, rigat
Deus montes, id est viros in gratia altos,
de superioribus suis, id est de cœlo mi-
nisterio angelorum, et de fructu operum
Dei, id est prædicatione montium talium,
satiabitur terra, id est Ecclesia. Tu quo-
14 que, Domine, es (15) *Producens fœnum
jumentis* ad pabulum, *et herbam,* id est
species varias et medicinales, *servituti ho-
minum,* id est ad commodum atque obse-
quium hominum. Quamvis enim hæc fiant
per causas secundarias, principaliter ta-
Judith IX, 4, 5. men fiunt a causa prima, Deo sublimi et
benedicto : qui non tantum hominum, sed
insuper jumentorum providentiam habet,
sicut ex isto clarissime innotescit.

Producis autem fœnum jumentis ad sus-
tentationem vitæ, (16) *Ut educas panem,*
id est bladum, unde fit panis, *de terra* per
jumenta arata et culta, *et vinum lætificet* 15
cor hominis. Creavit namque Deus vinum,
ut moderate sumptum, sumentem ordina-
te lætificet. Propter quod in Ecclesiastico
scribitur: Vinum in jucunditatem creatum *Eccli.* XXXI, 35.
est, non in ebrietatem. Est autem cum ma-
gna sobrietate potandum, quemadmodum
scriptum est : Quam sufficiens est homini *Ibid.* 22.
erudito vinum exiguum! Si autem immode-
rate sumatur, intrat quidem suaviter, sed *Prov.* XXIII, 31, 32.
pungit intus ut coluber. Verumtamen quo-
niam homines in vino difficulter et raro
moderamen observant, idcirco Ecclesiasti-
cus monet : In convivio vini non arguas *Eccli.* XXXI, 41.
proximum. Spiritualiter, educit Deus pa-
nem vitæ et intellectus de terra, id est de
corde humano gratia informato, dum facit
hominem bonum verbum salutis aliis præ-
dicare, et opera sancta producere. Vinum
quoque spirituale, videlicet consolatio for-
tis Spiritus Sancti, lætificat animam. (17) *Ut
exhilaret* homo *faciem* suam *in oleo,* id
est ex condimentis ciborum : non enim
sufficit ei panis sine ceteris condimentis;
et panis de terra eductus *cor hominis con-
firmet,* alendo naturam corpoream. Spiri-
tualiter, exhilaratur facies (id est mens) in
oleo, id est in unctione seu gratia Spiritus
Sancti, secundum quod in Apocalypsi le-
gitur : Collyrio inunge oculos tuos. Sed et *Apoc.* III, 18.
panis ipse cœlestis, videlicet Christus, qui
de se ipso ait, Ego sum panis vitæ, summe *Joann.* VI, 48.
confirmat cor hominis, quia convertit su-
mentem in eum qui sumitur, qui utique
est virtus et sapientia Patris : ideo dicit, *I Cor.* I, 24.
Qui manducat meam carnem et bibit me- *Joann.* VI, 57.
um sanguinem, in me manet et ego in eo.

(18) *Saturabuntur ligna campi, et cedri* 16
Libani quas plantavit Deus principaliter,
et homo instrumentaliter : id est, ex hu-
more terræ plenarie nutrientur. Humor
namque est arboris alimentum. Nam Chri-
stus in Evangelio arborem asserit aruisse *Luc.* VIII, 6.
quia non habebat humorem. Demum, juxta
Philosophum, radices arborum se habent
sicut os in animali : per radices ergo ali-

17 mentum attrahitur. *Illic,* puta in cedris, *passeres nidificabunt.* Invenitur enim quoddam genus passerum, quod nidificare solet in cedris ; aliud vero passerum genus in tectis domorum nidificat. Mystice vero ex pane vitæ et vino ac oleo spiritualiter intellecto, saturabuntur in anima ligna campi, id est membra Ecclesiæ, seu inferiores humilesque personæ, et cedri Libani, id est viri perfecti, quos Deus per gratiam in Ecclesia sua plantavit. Illic, scilicet in Ecclesia, passeres, id est pœnitentes per modum passerum in tuto se collocantes, nidificant, id est, sibi thesaurum operum bonorum reponunt. Unde superius a
Ps. ci, 8. pœnitente dictum est : Factus sum sicut passer solitarius in tecto. Illic quoque, videlicet in cedris, (19) *Herodii domus dux est eorum,* id est nidus avis quæ appellatur herodius : quæ est avis rapax, de rapina vivens, ceteris avibus major, quæ etiam aquilam superat atque manducat ; et vocatur dux passerum seu avium, eo modo quo leo nominatur rex animalium.

18 *Montes excelsi* seu alti, sunt refugia *cervis,* qui ad talia loca confugiunt ; *petra* cavernosa, seu subterraneus locus, est *refugium herinaciis,* id est hericiis. Est autem hericius animal parvum atque spinosum, habitans in cavernis, et vescitur pomis. Quumque adversum quid sentit, per modum globi se contrahit, et intra arma sua se colligit, in tantum ut si eum tangere velis, prius videas tuum sanguinem, quam ejus corpusculum. Per cervos ad montes confugientes, designantur homines virtuosi et contemplativi, qui dum tribulantur, ad contemplanda divina accelerant. Per hericium vero qui dicitur, Noli me tangere, significati sunt peccatores, morbo animæ languentes : qui dum reprehenduntur, remurmurant ; dum aliquid eis negatur, cum indignatione despiciunt ; et unde emendari debebant, inde deteriorantur.

Consequenter laudatur Deus ex ordine temporum, ex vicissitudine lationum cœlestium, ex alternatione actuum natura-
lium rerum. (20) *Fecit* Deus *lunam,* quæ 19
est infimus planetarum, *in tempora,* ut per ejus varium motum distinguantur anni lunares et menses. Unde scriptum est :
Luna ostensio temporis, et signum ævi ; Eccli. xliii,
mensis secundum nomen ejus est, crescens 6, 8, 9.
mirabiliter in consummatione ; vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriose. *Sol cognovit occasum suum,* id est, tam ordinate atque stabiliter fertur in occidentem, ac si intellectualis esset naturæ : quod secundum Augustinum de eo nec affirmari debet, neque negari, donec certius cognoscatur. Mystice, fecit Deus lunam, id est Ecclesiam militantem, lumen suum a Christo sole justitiæ participantem, in tempora, quatenus nunc temporaliter pugnet, tentetur, triumphet, sicque æternaliter coronetur et regnet. Sol, id est Christus Deus noster
universa illustrans, cognovit occasum su- Joann. i, 9.
um, id est, passionem propriam præcognovit.

(21) *Posuisti tenebras* in hemisphærio 20
illo, de quo sol recedit, *et facta est nox,* sole abeunte ; *in ipsa* nocte *pertransibunt omnes bestiæ silvæ* pro victu quærendo. Dicitur autem Deus ponere tenebras : non quod tenebræ sint aliquid positivum, sed sunt privatio tantum, scilicet carentia lucis, quemadmodum cæcitas est carentia visus : dicitur ergo Deus tenebras ponere, quoniam facit lumen recedere, vel cessat illud influere. Sic etiam dicitur aliquos excæcare et obdurare. Spiritualiter, posuit Deus permissive tenebras infidelitatis et culpæ, Christo occiso, et facta est nox, id est veræ fidei defectus ; in ipsa pertransibunt ad animas miseras devorandas, omnes bestiæ silvæ, id est diaboli. Nam ubi fides non adest, nihil boni esse valet.
(22) *Catuli leonum* tempore noctis egredi- 21
untur de suis latibulis, *rugientes, ut rapiant* prædam, *et,* pro id est, *quærant a Deo escam sibi :* non quod ipsi Deum agnoscant, sed quia ex naturali instinctu divinitus impresso moventur, atque a Deo, cujus est omnium curam habere, alun-

tur : quemadmodum de volatilibus cœli A
Matth. vi, 26. Christus ait, Pater vester cœlestis pascit ea. Spiritualiter, dum animæ nostræ occumbit sol lucis æternæ, scilicet Christus, obviant nobis catuli leonum, id est adhæsores atque fautores dæmonum, rugientes, ut spiritualiter devorent quempiam.

22 (25) *Ortus est sol, et congregati sunt,* id est, sole orto colliguntur hæ bestiæ, *et in cubilibus,* id est latibulis *suis, collocabuntur :* statim enim die splendente antra sua
23 introeunt. (24) *Exibit* in die *homo,* qui est animal mansuetum et rationale, *ad opus* B
suum faciendum infra domum seu muros, *et ad operationem suam* foris *usque ad vesperam :* tunc enim cessat, ut comedat et quiescat, atque pericula noctis devitet. Hæc tamen secundum communem legem et solitum cursum dicuntur et fiunt, quamvis interdum ex speciali causa aliter accidat. Spiritualiter, dum oritur nobis sol intelligentiæ Christus nos adjuvans, congregantur et fugiunt dæmones. Et ita exit homo a Christo adjutus ad opus suum intrinsecum, et ad operationem suam ex- C
trinsecam peragendam et continuandam, usque ad vesperam, id est perseveranter, quamdiu lux gratiæ sibi refulget, usque ad mortem, advertens quod in Apocalypsi
Apoc. ii, 10. ait Salvator : Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

Quoniam autem ex prædictis apparet ineffabilis sapientia summi Regis ac primi Opificis, ideo admirando subjungitur :
24 (25) *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!* id est, valde magnifice facta sunt, valde potenter, sapienter et pie creata, D
ordinata et conservata. Propter quod in
Ibid. xv, 3. Apocalypsi dicitur : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens! Sunt enim omnino incomprehensibilia et imperscrutabilia nobis, juxta illud Ecclesiastici : Multa dicimus et deficimus verbis. Eccli. xliii, 29. Rursusque : Multa sunt abscondita majora his; pauca enim vidimus operum ejus. Ibid. 36. Et rursus Ecclesiastes dicit : Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone. Eccle. i, 8. Ecce enim in infimis ac minimis rebus relucet inæstimabilis sapientia Dei : quemadmodum in formica quæ hieme accedente cibum sibi colligit et reponit; in culice quoque minutissimo, oculos universaque membra habente sicut et nos. Propterea Ecclesiasticus inducit : Quam desiderabilia sunt omnia opera ejus! Et quis satiabitur videns gloriam ejus? Eccli. xlii, 23, 26.

Omnia in sapientia fecisti, id est secundum dictamen tuæ æternæ mentis, secundum ideales rationes, secundum ineffabilem gloriam artis divinæ : omnia namque in mensura et numero et pondere constituisti, ut ait Sapientia. Sap. xi, 21. *Impleta est terra possessione tua,* id est hominibus et jumentis ac ceteris creaturis, quæ jure creationis tua sunt. Quamvis autem hæc vera consistant de opere creationis totius universi, veriora tamen sunt de opere recreationis generis humani, ac reparatione ruinæ cœlestis Jerusalem. Hæc namque per Filii Dei incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, et Spiritus Sancti missionem magnificentissime facta sunt; fecitque Deus Pater omnia hæc in Sapientia sua genita, id est per Christum Deum et hominem. Impleta quoque est terra, id est genus humanum seu ipsa Ecclesia, possessione Dei, id est sacramentis Christi, donis Spiritus Sancti, viris catholicis, atque diversis corporalibus ac spiritualibus bonis.

Digitized by Google

ARTICULUS VI

PROSECUTIO EXPLANATIONIS HUJUS PSALMI CENTESIMI TERTII.

CONSEQUENTER denique sanctus Pro- A
pheta inducit rationem laudis divinæ
ex dispositione atque decore maris Oceani.
25 (26) *Hoc mare,* Oceanus terram circumdans,
est *magnum* quantitate, quoniam terram
in mole vehementer nimis excedit, *et spatiosum manibus,* id est latum ad mensurandum; *illic,* id est in eo, sunt *reptilia,* id est pisces natando repentes, *quorum non est numerus* nobis cognitus, quamvis non sit nec esse possit in creaturis aliquid simpliciter infinitum. (27) *Animalia pusilla cum magnis,* id est, pisces parvi et B
magni reperiuntur in mari. Spiritualiter hoc mare magnum et spatiosum manibus, est præsens sæculum nequam, tribulationibus et amaritudinibus ac vitiis plenum. Illic reptilia quorum non est numerus, id est peccatores innumeri, terræ cordialiter adhærentes, vitiis involuti, et more pecorum in vanis sensibilibusque repentes: quorum nonnulli sunt magni in hoc mun-
26 do, alii vero parvi et ministri eorum. *Il-
lic,* id est in mari, *naves pertransibunt* cum nautis, diversa onera de loco et regno C
ad locum et regnum ferentes. Spiritualiter navis appellatur Ecclesia, quæ filios suos defert ad patriam regni cœlestis. Naves vero sunt particulares Ecclesiæ seu digni prælati, qui sibi commissos portant ad Christum. Hæ naves, Christo duce ac nauta, secure pertranseunt fluctuantem hunc mundum, tandemque perveniunt ad portum salutis æternæ.

Deinde specialiter nominat unum animal magnum in mari exsistens. (28) *Draco iste,* id est cetus, qui est piscis maximus: D
cujus (secundum Plinium) magnitudo est quatuor jugerum terræ. Unde Moyses ait: Creavit Deus cete grandia. *Quem formasti,* id est creasti primo per te, et produxisti exinde per causas secundas, *ad illudendum ei,* id est, ut huic draconi illudatur. Et tenetur hæc dictio, *ut,* consecutive, non causaliter. Non enim finaliter factus est ut ei illudatur; imo ad ostendendum potentiam Dei, et complendum ordinem universi formatus est. Sed ista illusio ejus formationem consequitur. Nam quamvis sit corpore et fortitudine maximus, multipliciter tamen, itemque facile ei (ut fertur) illuditur, scilicet per symphoniam quam audit libenter, et ob hoc ad ripam accedit; per gallinam quoque assatam, quæ sibi in pertica seu veru ostenditur, eamque insequitur, donec sibi aquæ deficiant et capiatur. Insuper, quum sit corpore magnus, multo indiget cibo, et pisces plurimos devorat: propter quod pisces eo viso ex naturali instinctu ad ripas confugiunt, ubi* quum cetus insequendo pervenit, impingit in terram; et quoniam propter aquæ parvitatem non valet natare, ergo a piscatoribus occiditur, quia se movere non potest: sicque spe sua frustratus, illuditur.

* quo

Spiritualiter, draco iste est angelus apostata, serpens antiquus, diabolus et Satanas: quem Isaias Luciferum, Ezechiel Cherub, Job autem Leviathan nuncupat. Iste in cœlo per naturam factus est bonus, sed propria voluntate factus est malus et de cœlo prolapsus; et consecutive factus est et in hunc mundum retrusus, ut illudatur ei, quia a Christo, ab angelis sanctis, a fortibus Christi militibus, scilicet bonis hominibus, ei illuditur. Dum enim Christum devorare tentavit, victus et captus est, perdiditque quos in inferno tenebat. Sed et regno hujus mundi spoliatus est,

Apoc. XII, 9. *Is.* XIV, 12. *Ezech.* XXVIII, 14. *Job* III, 8. *Matth.* IV, 1-11; *Luc.* IV, 1-13.

cunctis ad Christum conversis. Angeli A etiam sancti dum eum ab intento seu cœpto malo prohibent, homines quoque dum ejus tentationi resistunt, ei illudunt.

27 *Omnia* animantia et reptilia jam prædi-
cta, *a te exspectant ut des illis escam in*
tempore, id est, exspectare coguntur ci-
bum a te, quoniam aliunde non habent,
nisi a te, qui omnium bonorum causale
28 principium es. (29) *Dante te illis* quod ex-
spectant, *colligent* necessaria sibi pro con-
servatione individui et speciei; *aperiente*
te manum tuam, id est, potestate tua illis B
necessaria largiente, *omnia implebuntur*
bonitate, id est bono sibi conveniente.
(Spiritualiter, draco iste, id est diabolus,
præstolatur sibi cibum dari a Deo, id est
animas peccatrices, quas colligit, Domino
29 eas damnante.) (30) *Avertente autem te* ab
illis *faciem* tuam, id est providentiæ tuæ benignam ac largam præsentiam, *turbabuntur,* id est, inordinationem magnam famis, sitis, atque clamoris incurrent; *auferes spiritum eorum,* id est, animas irrationales ipsorum tolles a vita per alimen- C torum defectum, *et deficient* animalia ista a vita naturali, *et in pulverem suum revertentur,* id est, in præjacentem resolventur materiam : quæ pro majori parte terra censetur. Unumquodque enim in ea resolvitur, ex quibus componitur.

Spiritualiter, dante Domino nobis sua divina charismata, congregamus spiritualia ejus dona ; quumque manum suam aperuerit nobis, omnia viscera animarum nostrarum, divinorum participatione bonorum, videlicet caritate, sapientia, gra- D tiaque replentur. Dum vero faciem suam avertit, id est, gratiam suam dispensative suspendit vel juste aufert, turbamur, id est, interius deordinamur, anxiamur, tristamur, seu in vitia multa illabimur, propriamque debilitatem experimur. Dum enim aufert spiritum nostrum, id est Spiritum Sanctum nobis divinitus datum, subtrahendo nobis consolationem ac munera ejus, deficimus et in pulverem nostrum revertimur, id est, rebus terrenis mirabiliter inhæremus, involvimur, implicamur.

(31) *Emittes spiritum tuum,* id est, po- 30
tentiam tuam exercebis, *et creabuntur,* id est, reformabuntur quæ erant per mortem destructa : quia per potentiam Dei eadem specie revertuntur, non autem eadem numero, sicut opinabantur Platonici; interdum tamen miraculose redeunt eadem numero; *et renovabis faciem,* id est superficiem, *terræ,* producendo in ea nova jumenta, volatilia atque reptilia. Sumitur autem hoc verbum, Creabuntur, communiter pro productione seu generatione. Non enim proprie creantur hæc bruta, quum formæ eorum de potentia materiæ educantur, secundum philosophos atque theologos.

Possunt quoque hæc explanari de consummatione sæculi, et resurrectione hominum, innovationeque mundi, ut sit sensus: *Avertente te faciem* tuam, id est, quando eam averteris, scilicet circa tempus judicii, *turbabuntur* irrationalia animalia; *auferes* tunc *spiritum eorum* per ignem conflagrationis, vel ante, *et deficient* omnino, quia nunquam redibunt ad pristinum statum, nec secundum speciem quidem. *Emittes spiritum tuum, et creabuntur :* non utique animalia ista, sed homines creabuntur, id est, de novo resurgent; *et renovabis faciem terræ,* id est, terram in meliorem digelioremque qualitatem mutabis. Propter quod scriptum est : Novum cœlum et novam terram et promissa ipsius exspectamus. II Petr. III, 13.

Spiritualiter, o Domine, emittes spiritum tuum, id est, dona Spiritus Sancti nobis, ut speramus, infundes; et creabuntur, id est, corda munda in nobis consurgent; et renovabis faciem terræ, id est corpus nostrum, faciendo illud spiritui obedire, et honeste ac sobrie agere.

Patet ex isto, quod non semper in sacra Scriptura nomine spiritus Dei, designatur Spiritus Sanctus, qui est tertia in supersancta Trinitate Persona; sed interdum per spiritum Dei intelligitur ejus voluntas, imperium seu potestas.

Digitized by Google

Quoniam autem omnia præinducta id- A
circo commemorata sunt, quatenus ex con-
templatione operum divinorum excitemur
ad laudandum, honorandum et diligendum
omnium Creatorem, ideo jam Propheta in
laudem Dei affectuose ac pulchre prorum-
31 pit : (32) *Sit gloria Domini*, id est excel-
lentia, fama, honor et laus Creatoris, *in
sæculum*, id est perpetuo, ita quod semper
ab omnibus superexaltetur, laudetur, et
honoretur. *Lætabitur Dominus in operi-
bus suis* naturalibus et supernaturalibus,
eo quod omnia sint optime facta. Non ta-
men est hoc ita intelligendum, quasi aliud
a Deo sit ei causa lætandi aut ratio exsul-
tandi, præsertim quum lætitia mentis di-
vinæ sit æterna, incausata et independens.
Sed dicitur Dominus in operibus suis læ-
tari, in quantum in propria potestate
lætatur, per quam omnia tam gloriose pro-
duxit, quemadmodum voluit.
32 (33) *Qui respicit terram* oculo sui impe-
rii, *et facit eam tremere:* sicut videmus in
terræ motu; *qui tangit montes* per fulgu-
ra, *et fumigant*, id est, fumum emittunt :
ignis enim sulfureus potius fumigat quam
Job IX. 6. accendit. Unde Job dicit : Qui commovet
terram de loco suo, et columnæ ejus con-
Eccli. XVI, 19. cutiuntur. Et Ecclesiasticus : Montes, in-
quit, simul et colles et fundamenta terræ,
quum perspexerit illa Deus, tremore con-
cutientur. Nec obstat, quod dictum est
supra, terram non inclinari in sæculum
sæculi. Tremit namque et inclinatur, quo-
ad aliquam sui partem; sed quantum ad
se totam, manet semper in loco eodem.
* ei Similiter enim * quod dictum est supra,
Qui fundasti terram super stabilitatem
Job XXVI, 7. suam, non obviat quod alibi inducitur, Ap-
* nihilum pendit terram super nihili *. Dicitur nam-
* nihilum que appensa super nihili *, quia quod in-
fra eam est, non magis eam sustentat, quam
si nihil exsisteret. Causa vero naturalis cur
terra non inclinatur, sed manet in medio
universi immobiliter stans, est, quia om-
nes partes ejus naturaliter tendunt ad
centrum ipsius, secundum Philosophum.
Mystice, *respicit* Deus oculo pietatis *ter-*

ram, id est corda humana, *et facit eam
tremere*, ex consideratione districti judicii
Dei atque pœnarum inferni, prout Job in-
quit : Semper quasi tumentes super me Job XXXI, 23.
fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre
non potui. *Tangit* etiam *montes*, id est,
gratiose illuminat magnos atque perfe-
ctos, *et fumigant*, id est, lacrimis fluunt
desiderio exsistendi cum Christo. Vel, Tan-
git montes, id est superbos, et fumigant,
id est, lacrimas fundunt pro remissione
peccati. — Ad litteram, respexit Deus ter-
B ram, in qua erat primitiva Ecclesia, fecit-
que eam tremere motu locali. Tetigit mon-
tes, id est Apostolos, aliosque cum eis
collectos; et fumigaverunt, id est, ex ple-
nitudine Spiritus Sancti fumum verborum
ignitorum effuderunt, quando accidit il-
lud in Actis : Quum orassent, motus est Act. IV, 31.
locus in quo erant; et repleti sunt omnes
Spiritu Sancto, et loquebantur verbum Dei
cum fiducia. Similiter recitatur in Actis
de Paulo et Sila, qui quum vincti et incar- Ibid. XVI, 25, 26.
cerati fuissent, in ipsa nocte lumen cœ-
C leste refulsit in carcere, et fundamenta
carceris mota sunt, ostiaque ipsius aperta.
Paulus vero et Silas Dominum laudabant.
(34) *Cantabo Domino*, id est, sacrificium 33
laudis offeram Deo, *in vita mea:* quia non Ps. CXIII, 17 (Hebr.)
mortui laudabunt Dominum. Propter quod
scriptum est : A mortuo quasi nihil perit Eccli. XVII, 26, 27.
confessio; confiteberis vivens et sanus.
Psallam Deo meo, omnium quidem Deo,
sed specialiter Deo meo, propter singula-
rem misericordiam ejus circa me, *quam-
diu sum*, id est indesinenter : quia qui Matth. X, 22; XXIV, 13.
D perseveraverit usque in finem, hic salvus
erit. Non ergo cantabo et psallam Creatori
meo solum in vita præsenti, sed etiam in
vita futura. Psallam enim ei in vita natu-
ræ, in vita gratiæ, in vita gloriæ, animo
prompto atque ardenti, quemadmodum
Ecclesiasticus monet : Et nunc in omni Eccli. XXXIX, 41.
corde et ore collaudate et benedicite no-
men Domini. (35) *Jucundum sit ei eloqui-* 34
um meum, id est, Deo complaceat, et ex
vera caritate ac sancta devotione proce-
dat. Jucundum est Deo eorum eloquium,

Digitized by Google

Prov. VIII, 31. de quibus per Salomonem testatur : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum : non utique cum omnibus filiis hominum, quoniam
Ps. V, 7. virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus ; sed cum humilibus et simplicibus, de quibus in Proverbiis di-
Prov. III, 32. citur, Cum simplicibus sermocinatio ejus. Jucunda est Deo laudatio ejus qui cum jucunditate spirituali cantat et psallit. *Ego vero delectabor in Domino,* ex contemplatione et dilectione bonitatis ac beneficiorum ipsius. Hæc est delectatio sancta ac nobilis, quam qui gustaverit, immundas delectationes facile vilipendit.

35 (36) *Deficiant peccatores a terra,* etc. Versiculus iste primo exponi potest in malo, ut sit vox hominis pro Deo zelantis, atque divinæ justitiæ se conformantis, vel quid futurum sit prænuntiantis ; eritque sensus : *Deficiant peccatores* obstinati in vitiis *a terra* præsenti, ita quod moriantur, ne noceant justis, et a terra viventium, ne felicitentur : quemadmodum scriptum est,
Is. XXVI, 10. Tollatur impius ne videat gloriam Dei ; *et iniqui, ita ut non sint* in vita gratiæ aut gloriæ, sed solum in vita naturæ et pœnæ.
Judic. V, 31. Et hoc modo scriptum est, Sic pereant ini-
Eccle. VIII, 13. mici tui, Domine ; et alibi, Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus. Secundo exponitur in bono : Deficiant peccatores a terra (id est, a conversatione et affectione terrena desistant), et iniqui, ita ut non sint quales fuerunt, nec sint quod erant per culpam et propriam voluntatem, sed maneant quod erant per essentiam et
Prov. XII, 7. gratiam. Unde in Proverbiis dicitur : Verte impios, et non erunt.

A *Benedic anima mea Domino,* Deum laudando de omnibus magnificentiis suis jam enarratis.

Ecce psalmum spirituali lætitia plenum audivimus : in quo ostenditur, sanctum David non solum fuisse magnum theologum, sed etiam excellentem philosophum : quorum utrumque sibi ex divina inspiratione concessum est. Debemus ergo hunc psalmum cum omni gratiarum actione et hilaritate mentali Domino decantare, commemorando beneficia ejus non segni tor-
B pentique corde. Præcipue vero in principio atque in fine, delectabilis valdeque dulcis est psalmus hic nobilis. Et conandum est nobis, ut impleamus quæ dicimus in fine psalmi præsentis : Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum. Debet etiam anima nostra in divino timore proficere, ex consideratione potestatis divinæ, quæ respicit terram, et facit eam tremere. Ideo namque ait Scriptura : Magnus es tu, Domine, et magnum Jer. X, 6, 7.
nomen tuum in fortitudine : quis non ti-
C mebit te, o Rex gentium ?

PRECATIO.

Deus, qui respicis terram et facis eam tremere, timorem tuum salutarem cordibus nostris immitte : ut relictis malis quibus te graviter offendimus, per spiritum tuum renovata in nobis facie peccati, sancta tibi devotione adhæreamus, et in jucunditate perceptæ salutis semper tibi
D psallamus.

Digitized by Google

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI QUARTI : CONFITEMINI DOMINO, ET INVOCATE NOMEN EJUS.

HUJUS psalmi titulus talis est : *Alleluia,* A
quod significat, Laudate Dominum : et
sunt duæ dictiones, quoniam in Hebræo
HALELU significat, Laudate ; YAH autem,
Deum. Sunt autem viginti psalmi hoc titulo
prænotati, quorum iste est primus : nec
invenitur aliquis Sanctorum hoc divinum
nomen scripsisse ante auctorem psalmi
præsentis. Est autem hoc nomen, Alleluia,
spirituale, virtuosum ac mysticum, ineffabilem
Beatorum lætitiam designans magis
quam exprimens. Propter quod nulla
lingua mutare præsumpsit hoc nomen. B
Psalmus itaque præsens ita intitulatur,
quia ad laudem Dei invitat. Recolit namque
beneficia Dei populo Israelitico præstita
temporibus Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysis,
et Josue. Et non est difficultas ad intelligendum
sensum litteralem hujus psalmi :
multa tamen in eo spiritualiter atque
subtiliter intelligi possunt.

1 AIT ergo : (1) *Confitemini Domino,* confessione
laudis, id est, Deum laudate,
et invocate nomen ejus, id est, ex intimo C
cordis affectu et mente collecta eum orate.
Et hic est ordo pulcherrimus in homine
ccli. xv, justo. Justus enim (quia in eo speciosa est
laus Creatoris) dum Deum vult invocare,
debet ipsum primo laudare, et exaudietur.
. xvii, 4. Unde superius dictum est : Laudans invocabo
Dominum, et ab inimicis meis salvus
ero. Injustus vero primo oret, ut dignus
fiat Deum laudare. *Annuntiate inter gentes
opera ejus,* id est, aliis magnalia Dei narrate,
consulendo proximorum saluti secundum
exigentiam caritatis fraternæ. Propter D
. xii, 6. quod in Tobia legitur : Coram omnibus viventibus
2 confitemini ei. (2) *Cantate ei* laude
vocali, *et psallite ei* operatione fideli ;
narrate coram aliis prædicando, cum aliis
psallendo, vel seorsum coram Deo, *omnia
mirabilia ejus* quæ scripta sunt, vel omnia
in generali, seu quædam ex omnibus. Sic
enim omnia valent narrari, juxta illud Ecclesiastici :
Nonne Dominus enarrare fecit *Eccli.* XLII, 17.
sanctos suos omnia mirabilia sua? Sic quoque
in Actibus Paulus ait : Non subterfugi, *Act.* XX, 27.
quominus annuntiarem vobis omne
consilium Dei. Non autem enarrare valemus
omnia mirabilia Dei in speciali, quemadmodum
in Ecclesiastico dicitur : Quis *Eccli.* XVIII, 2.
sufficiet enarrare opera ejus ?
Laudamini in nomine sancto ejus, id 3
est, non in vobis, sed in Domino laudari
optate, videlicet ut bona de quibus laudamini,
non vobis, sed Domino adscribantur.
Sic etiam vivite, ut mereamini in Deo laudari.
Quidam vero in se ipsis laudantur, et
fallaciter commendantur, atque interdum
laudibus talibus delectantur : de quibus
scriptum est, Popule meus, qui te beatum *Is.* III, 12.
dicunt, ipsi te decipiunt. Non ergo delectemur
inaniter dum laudamur, recolentes illud
Ecclesiastici : In die honoris tui non *Eccli.* XI, 4.
extollaris. Denique licitum est, interdum
se ipsum laudare et laudem recipere, propter
Dei honorem augendum et proximorum
ædificationem. Sic enim sancti Apostoli
et Prophetæ, virtutes et gratias suas
copiose describunt. Hoc autem perfectis
atque prælatis præcipue licet, qui in hoc,
divino instinctu reguntur ; ceteris vero
non expedit, eo quod scriptum sit, Non *Ibid.* VII, 5.
te justifices ante Deum.
Sed quæri potest, quomodo liceat hominem
in hac vita laudare, quum ab Ecclesiastico
dictum sit : Ante mortem non *Ibid.* XI, 30.

Digitized by Google

laudes hominem quemquam. Et responden- A
dum, quod nullus in se ipso laudandus est,
sed solum in Domino; nec expedit de le-
ge communi quemquam laudare, nisi ut
provocetur ad meliora, vel ob similem ra-
tionabilem et quasi necessariam causam :
præsertim tamen periculosum videtur im-
perfectos laudare, ne extollantur. Videmus
tamen quam ubertim Apostolus in suis
epistolis discipulos suos commendet. Au-
ctoritas autem libri Ecclesiastici non cogit
simpliciter, quoniam liber iste non est in
canone : non autem compellimur absolute B
consentire, nisi libris canonicis, sicut in
epistola ad Hieronymum asserit Augusti-
nus : et istud Thomas dicit. Verumtamen
non est auctoritas libri illius parvipen-
denda, aut cito neganda.

(3) *Lætetur* spirituali lætitia de bona
atque salubri sua occupatione, *cor quæ-
rentium Dominum* fide et opere, quate-
nus eum clarius contemplentur, ferventius
diligant, perfectiusque honorent. Omne
equidem opus bonum lætanter agendum
4 est. *Quærite Dominum* modo prædicto, *et* C
confirmamini, id est, quærendo nolite defi-
cere, fatigari, pusillanimes fieri. Quamvis
enim Deum perfecte nequeatis attingere,
neque per speciem in hac vita conspicere,
tamen quo perseverantius quæritur, eo
copiosius invenitur, gratia major infun-
ditur, fides illuminatur, spes roboratur,
amor succenditur. Hinc enim Christus in
Luc. xi, 9, 10. Evangelio : Quærite, inquit, et invenietis.
Omnis enim qui quærit, invenit. Et se-
II Par. xv, 7. cundo Paralipomenon ait Scriptura : Vos
autem confortamini, et non dissolvantur D
manus vestræ : erit enim merces operi
vestro. Quid vero est, quærere Deum et
Joel ii, 12. confortari, nisi quod Dominus jubet, Con-
vertimini ad me in toto corde vestro?
Quærite faciem ejus semper : id est, Dei
notitiam incessanter appetite, ne vobis
contingat quod apud Isaiam ait Altissi-
Is. v, 13, 14. mus : Captivus ductus est populus meus,
quia non habuit scientiam : propterea di-
latavit infernus animam suam. Vel, Quæ-
rite faciem ejus semper, id est, in omni

opere Dei præsentiam finaliter adipisci
optate, nec propter aliud præmium juste
vivatis. Oportet namque, ut intentio cor-
dis feratur semper in ultimum finem. Pro-
pter quod dicit Salvator : Si fuerit oculus Matth. vi, 22, 23.
tuus simplex, id est intentio recta, totum
corpus tuum lucidum erit; si autem ocu-
lus tuus nequam fuerit, totum corpus
tuum tenebrosum erit.

(4) *Mementote mirabilium ejus quæ fecit* 5
cum Patriarchis veteris Testamenti : me-
mentote, inquam, horum mirabilium, quæ
sunt *prodigia ejus,* id est opera mira pro-
cul a digito facta, quia causa eorum est
voluntas divina nobis incognita, *et judi-
cia oris ejus,* id est effectus divinæ justi-
tiæ, a Deo ad Moysen annuntiati. Judicia
Dei dicuntur, vel opera divinæ justitiæ,
vel divina præcepta atque consilia, quæ
Deus judicat esse justa; vel censuræ seu
conceptiones, quas mens divina intra se
de rebus pronuntiat. Horum mementote,
o (5) *Semen Abraham,* id est filii Abrahæ 6
patriarchæ, *servi ejus :* quia Abraham ser-
vus Dei fuit; et vos, o *filii Jacob* patriar-
chæ, *electi ejus,* id est, qui fuit electus a
Deo : quemadmodum Dominus ait, Jacob Malach. i, 2, 3.
dilexi, Esau autem odio habui. Hoc quoque
quod dicitur, Servi, et, Electi, referri po-
test ad semen et filios, quia et ipsi fue-
runt servi electique Dei. Propter quod in
Deuteronomio Moyses dicit filiis Israel :
En Domini Dei tui cœlum est et cœli cœ- Deut. x, 14, 15.
lorum; et tamen patribus vestris conglu-
tinatus est Dominus, et elegit eos, amavit-
que semen eorum post eos.

(6) *Ipse Dominus Deus noster.* Aliis enim 7
nationibus ad idololatriam se vertentibus,
permansit fides et cultus Dei in populo
Judæorum. Unde scriptum est : Qui fecit Baruch iii, 35, 36.
stellas, hic est Deus noster. *In universa
terra judicia ejus,* id est, effectus divinæ
justitiæ ad omnes habitatores terræ ex-
tenduntur, ita quod omnes judicantur a
Deo, recipiendo quod meruerunt, quemad-
modum in Ezechiele protestatur : Unum- Ezech. xviii, 30.
quemque juxta vias suas judicabo. Vel di-
cuntur judicia Dei in universa terra, quia

Digitized by Google

judicia ista quæ exercuit circa Pharaonem A
et Ægyptios atque Chananæos, per totum
mundum sunt divulgata. Propterea nam-
Exod. IX, que Dominus ait ad Pharaonem : Idcirco
16. posui te, ut ostendam in te fortitudinem
meam, et narretur nomen meum in omni
terra.
8 (7) *Memor fuit* Deus *in sæculum testamenti sui,* id est promissionis seu pacti
vel legis, et *verbi quod mandavit in mille generationes,* id est omnes generationes.
Gen. XVII, 2 et seq. Istud est vetus testamentum Abrahæ datum, et omnibus posteris ejus præceptum. B
Dicitur autem Deus memor fuisse hujus testamenti, quia frequenter approbavit, reiteravitque illud. Primo enim mandavit
9 id Abrahæ, sicut subjungitur : (8) *Quod disposuit ad Abraham,* et confirmavit hoc
Ibid. XXVI, 3, 4. filio ejus cum juramento, affirmans se impleturum quod Abrahæ repromisit : ideo additur, *et juramenti sui ad Isaac* fa-
10 cti, subaudi, memor fuit. (9) *Et statuit illud* testamentum seu verbum *Jacob* filio
Ibid. XXVIII, 13-15. Isaac *in præceptum,* præcipiendo ut firmiter crederet illud implendum ; *et Israel,* C
Ibid. XXXII, 28. id est Jacob prædicto, qui dictus est Israel, id est videns Deum, quia angelum
Ibid. 30. Dei vidit : propter quod ait, Vidi Dominum facie ad faciem ; *in testamentum æternum,* id est semper mansurum, quantum ad fructum, seu quantum ad præcepta moralia. De hoc testamento ad Abraham dis-
Ibid. XXII, 17, 18. posito, scribitur in Genesi : Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli ; et benedicentur in semine tuo omnes tribus terræ. Et alibi ait ad
Ibid. XXI, 12. Abraham : In Isaac vocabitur tibi semen. D
Ibid. XXVI, 3, 4. Promisit quoque (sicut in Genesi scribitur) Isaac, quod terram Chanaan daret se-
11 mini suo. (10) *Dicens,* ipse Dominus Jacob patriarchæ : *Tibi,* id est semini tuo, *dabo terram Chanaan :* in qua habitaverunt Cha-
Ibid. X, 6. nanæi, orti ex Cham filio juniore Noe ; *funiculum,* id est partem seu sortem, *hereditatis vestræ,* ita quod inter ceteras terræ partes, istam vobis dabo hereditarie pos-
Ibid. XXVIII, 13. sidendam, tanquam vobis proprie deputatam. Hinc enim ait ad Jacob : Ego sum
Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac ; terram in qua dormis, tibi dabo et semini tuo.

(11) *Quum essent* prædicti Patriarchæ *nu-* 12
mero brevi, id est modici numero : quando videlicet Abraham non habuit nisi Saram uxorem suam, et Lot nepotem suum, parvamque familiam ; similiter quando Isaac paucos secum habebat ; quando etiam Jacob nondum aliquem genuit, et quando omnes filios suos generavit, qui in comparatione aliorum modici erant. Unde subjungitur, *paucissimi et incolæ ejus,* id est, quum ipsi inhabitantes terram tanquam peregrini et hospites, essent paucissimi
respectu aliarum nationum. (12) *Et per-* 13
transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. Hoc ex libro Genese-
os clarius elucescit. Exivit enim Abraham Gen. XII, 4,
cum Sara et Lot de Mesopotamia Syriæ, in- 5.
trans terram Chanaan, prout in Geneseos
libro habetur. Deinde ingressus est Gera- Ibid. XX, 1;
ram et Philistiim, atque Ægyptum. Simili- XII, 10.
ter Isaac aliquas harum terrarum intravit. Ibid. XXVI,
Jacob quoque primo fugit de regno Cha- 1. Ibid. XXVIII,
nanæorum in Syriam ; postea cum omni 5.
domo sua introivit regnum Ægypti. Ibid. XLVI, 6.

(13) *Non reliquit* Deus *hominem* aliquem 14
nocere eis nocumento letali. Frequenter ta-
men molestabant Philistæi seu pastores Ibid. XXVI,
Geraræ Isaac et ejus pastores, obstruendo 18, 15.
puteos eorum : similiter Laban quando- Ibid. XXIX-
que persecutus est Jacob. *Et corripuit pro* XXXI.
eis reges, scilicet regem Ægypti atque Abi- Ibid. XII, XX.
melech regem Geraræ, quorum uterque sibi afferri fecit Saram conjugem Abrahæ. Propter quod Deus conclusit omnem parientem in domo eorum, donec reddita fuerat Sara viro suo. Increpavit autem homines et reges prædictos, dicens per an-
gelum seu inspirationem in somno : (14) *No-* 15
lite tangere, per violentiam, *christos meos,* id est prædictos sanctos a me spiritualiter unctos oleo et affluentia Spiritus Sancti. Non enim dicuntur christi, quasi corporaliter uncti : quoniam unctio corporalis et
exterior regum atque pontificum primo Exod. XXX,
ordinata est a Deo per Moysen. *Et in Pro-* 25-33; Lev. VIII, 2, 12.

Digitized by Google

phetis meis nolite malignari, id est mali-
gne operari. Hi enim Patriarchæ prophetæ
fuerunt. Unde de Abraham scriptum est in
Gen. xx, 7. Geneseos libro : Orabit pro te, quia pro-
Ibid. xxvii, 28, 29, 39, 40. pheta est. Isaac etiam plurima vaticinaba-
tur filiis suis Jacob et Esau, posterisque
eorum, ut patet ex Genesi. Sed et Jacob
Ibid. xlix. moriens excellentissimas prophetias con-
texuit, prout in Geneseos libro describitur.
16 (15) *Et vocavit* Deus *famem super terram,*
id est, præcepit et dixit, ut esset fames in
terra, *et omne firmamentum panis contri-*
vit, id est, omnem panem, cor manducan-
tis confirmantem, deficere fecit quantum
ad vulgus. Quamvis autem illud speciali-
ter referri possit ad famem septem anno-
rum factam in Ægypto tempore Pharaonis
et in terra Chanaan, quia has duas terras
Ibid. xli, 54; xlii, 5. maxime oppresserat fames, sicut in Genesi
legitur ; potest tamen referri ad famem
factam in terra Chanaan tempore Abrahæ,
Ibid. xii, 10. propter quam descendit in Ægyptum, ut
dicitur in Genesi. Melius tamen refertur
ad famem factam in Ægypto et Chanaan,
quia subjungitur :
17 (16) *Misit* Deus *ante eos,* scilicet Jacob
et filios suos, *virum,* id est Joseph virtu-
osum viriliter in cunctis agentem. Hunc
Deus dicitur in Ægyptum misisse, quia
Ibid. xxxvii, 28, 36. permisit eum a fratribus vendi, et in Ægy-
ptum deduci, illicque venundari. Convertit
namque malum, quod fratres Joseph ei in-
ferre intendebant, in bonum, tam ipsi Jo-
seph, quam patri ac fratribus ejus. Propter
Ibid. xlv, 5, 7, 8. quod Joseph dixit fratribus suis : Pro salu-
te vestra misit me Deus ante vos in Ægy-
ptum, ut reservemini super terram. Non
vestro consilio, sed Dei voluntate huc ad-
ductus sum. *In servum venundatus est Jo-*
seph ab Ismaelitis, Putiphar principi mi-
Ibid. xxxix, 1. litiæ regis Ægypti, ut dicitur in Genesi.
18 (17) *Humiliaverunt in compedibus pedes*
ejus : id est, Ægyptii ex mandato principis
Ibid. 20. militiæ vinculis ligaverunt, incarcerave-
runtque Joseph, propter querelam uxo-
ris principis jam præfati, quæ false accu-
savit castissimum Joseph, dicens marito
Ibid. 17, 19, 20. suo : Ingressus est ad me servus Hebræus,

A quem adduxisti, ut illuderet mihi. Qui ira-
tus, tradidit Joseph in carcerem, ubi vin-
cti regis custodiebantur. *Ferrum,* id est
tribulatio dura, *pertransiit animam ejus,*
id est, vehementer afflixit spiritum Jo-
seph : non tamen impatiens exstitit, sed
dolor ex compedibus pedum in anima or-
tus est ; *donec veniret verbum ejus,* id est 19
interpretatio divinitus inspirata, qua non
solum exposuit somnium principis pincer- *Gen.* xl, 1.
narum, principisque pistorum, sed etiam
Pharaonis. Hac etiam interpretatione per-
B acta, cœpit recreari, et se in brevi libe-
randum cognoscere. De hoc vero ait Jo-
seph : Numquid non Dei est interpretatio? *Ibid.* xl, 8.
(18) *Eloquium Domini inflammavit eum,*
id est, prædicta inspiratio et interpreta-
tio accendit et docuit Joseph : ideo *misit* 20
servos suos *rex* Ægypti Pharao, *et solvit*
eum, id est, sanctum Joseph educi de car- *Ibid.* xli, 14.
cere jussit, audito a principe pincerna-
rum, quantam industriam Joseph haberet
somnia exponendo. *Princeps populorum,*
id est prædictus rex Ægyptiorum, misit,
C *et dimisit eum* de carcere. Unde in Gene-
si habetur : Protinus ad imperium regis *Ibid.* 14.
eductum de carcere totonderunt Joseph,
ac veste mutata obtulerunt regi.
(19) *Constituit* rex Ægypti *eum,* scilicet 21
Joseph, *dominum domus suæ,* id est fami-
liæ et populi sui, *et principem omnis pos-*
sessionis suæ, id est totius terræ Ægypti,
omniumque horreorum ac frumentorum
suorum. Unde ipse Pharao ait ad Joseph :
Tu eris super domum meam, et ad tui oris *Ibid.* 40.
imperium cunctus populus obediet ; uno
D tantum regni solio te præcedam. Et rur-
sum : Ego sum Pharao. Absque tuo impe- *Ibid.* 44.
rio non movebit quisquam manum aut pe-
dem in omni terra Ægypti. (20) *Ut erudiret* 22
ipse Joseph *principes ejus,* videlicet Pha-
raonis, *sicut semetipsum,* id est, sua in-
structione faceret eos sibi in sapientia si-
miles, docendo eos non solum de rebus
corporalibus, negotiisque humanis, sed
etiam de moribus in agendis. Et secundum
Cassiodorum, Pharao æstimavit quod Jo-
seph docere posset Ægyptios artem inter-

Digitized by Google

pretandi occultissima somnia, sicut et ip- A
se Deo revelante exposuit. *Et senes ejus*
prudentiam doceret, instruendo eos in sci-
entia œconomica, ethica, atque politica.
Œconomica quippe docet regere domum,
ethica semetipsum, politica communita-
tem seu civitatem. Credi etiam pie potest,
quod tam sanctus Patriarcha, Propheta
et cultor Dei, docebat nonnullos Ægypti-
orum de cultu et fide unius veri summi-
que Dei.
23 (21) *Et intravit Israel,* scilicet pater Jo-
Gen. XLVI, 27. seph cum filiis suis et filiis filiorum in B
animabus septuaginta, *in Ægyptum; et*
Ibid. XXXII, 28. *Jacob,* qui et Israel dictus est, *accola,* id
est peregrinus et colonus, *fuit* cum semine
suo *in terra Cham,* id est in Ægypto: quæ
fuit terra atque possessio filiorum Cham
filii Noe. Unde Joseph ait fratribus suis :
Ibid. XLV, 13. Nuntiate patri meo universam gloriam me-
am, et adducite eum ad me. Et de Jacob
Ibid. XLVII, 27, 28. scriptum est : Habitavit Israel in Ægypto,
id est in terra Gessen; et vixit in ea de-
24 cem et septem annis. (22) *Et auxit* Jacob
in terra Ægypti *populum suum vehemen-* C
ter: non quod ipse aliquem in Ægypto ge-
neravit; sed ipse fecisse asseritur, quod
ejus posteritas fecit. Et hoc modo Dominus
Ibid. XLVI, 3, 4. ait ad eum : In gentem magnam faciam te
in Ægypto. Ego descendam tecum illuc, et
ego inde adducam revertentem : non quod
Jacob redierit, quia in Ægypto decessit. *Et*
firmavit Jacob *eum,* scilicet populum ex
se natum, *super inimicos ejus,* id est su-
per Ægyptios. Sicut enim populum suum
auxit, sic eum firmavit. Vel sic : Et auxit
Deus populum suum, id est Israelitas. Pro- D
Exod. I, 7. pter quod in Exodo dicitur : Filii Israel
creverunt, et quasi germinantes multipli-
cati sunt, ac roborati nimis, impleverunt
Ibid. 9. terram. Et iterum : Rex Ægypti ait ad po-
pulum suum, Ecce populus filiorum Israel
multus et fortior nobis est.
25 (23) *Convertit* Deus, non effective sed
permissive, quomodo etiam induravit Pha-
raonem, *cor eorum,* id est Ægyptiorum, de
malo in pejus, *ut odirent populum ejus,* id
est Israeliticam plebem, *et dolum facerent*
in servos ejus, id est in populum istum
qui veri Dei fidem et cultum habebat. Hinc
enim in Exodo dicitur : Oderant filios Is- Exod. I, 13, 14.
rael Ægyptii et affligebant, illudentes eis,
atque ad amaritudinem perducebant vitam
illorum operibus luti et lateris. Rursus-
que : Surrexit rex novus super Ægyptum, Ibid. 8-10.
qui ignorabat Joseph, et ait ad populum
suum : Venite, sapienter opprimamus po-
pulum Israel, ne forte multiplicetur. (24) *Mi-* 26
sit Deus *Moysen servum suum* ad Pharao-
nem, ut dimitteret filios Israel, prout in Ibid. III, 10.
Exodo scribitur. Misit et *Aaron* fratrem
Moysis *quem elegit ipsum.* Elegit enim Aa- Ibid. IV, 14-16.
ron fratrem Moysis ad hoc, quod adjutor
esset Moysi in tanto negotio. Misit autem
Deus Moysen de deserto Sinai, Aaron vero Ibid. III, 1-10; IV, 27.
exsistentem in Ægypto fecit occurrere Mo-
ysi. Sicque ambos simul misit ad Pharao-
nem : Moysen, ut faceret signa; Aaron, ut
loqueretur ad regem, quoniam eloquens
erat. (25) *Posuit* Deus *in eis,* id est in Moyse 27
et Aaron, *verba signorum suorum,* id est
minorum mirabilium, *et prodigiorum,* id
est majorum miraculorum, *in terra Cham,*
id est in Ægypto. Per hos enim Deus præ-
dixit Pharaoni, quæ signa atque prodigia Ibid. V, VII et seq.
die sequenti essent futura, ut sæpe in Ex-
odo recitatur.

Deinde ponuntur plagæ Ægypti, non om-
nes, sed septem vel octo : quæ tamen non
ponuntur hic eo ordine, quo factæ fue-
runt. (26) *Misit* Deus *tenebras* in terra ubi 28
morabantur Ægyptii, *et obscuravit,* id est,
lucem solis abstulit. Hæc fuit nona plaga.
De qua scribitur in Exodo : Dixit Dominus
ad Moysen : Extende manum tuam in cœ- Ibid. X, 21-23.
lum, et sint tenebræ super terram Ægypti
tam densæ, ut palpari queant. Et factæ
sunt tenebræ horribiles : tribus diebus ne-
mo vidit fratrem suum, nec movit se de
loco in quo stetit. Ubicumque autem habi-
tabant filii Israel, lux erat. Hæc autem ob-
scuratio erat valde mirabilis : erat enim
per subtractionem radiorum solis ab una
parte terræ Ægypti, et non ab altera. *Et*
non exacerbavit, id est, amaros non fecit,
sed dulcoravit Deus *sermones suos,* quibus

minabatur Ægyptiis. Pharaone enim pœ-
nitentiam promittente et Moyse exorante,
plagæ cessabant, secundum quod in Exodo
Exod. IX, 29. Moyses Pharaoni locutus est : Egressus de
urbe, extendam palmas meas ad Domi-
num, et cessabunt tonitrua, ut scias quia
Domini est terra. Vel, Non exacerbavit, id
est, irritos non fecit sermones suos, sed
adimplevit.

29 Insuper Deus (27) *Convertit aquas eorum,*
id est Ægyptiorum, *in sanguinem, et occi-*
dit pisces eorum, qui erant ac nutrieban-
tur in aquis. Hæc est prima plaga Ægy-
Ibid. VII, 19-21. pti. De qua scriptum est in Exodo : Dixit
Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron, Tolle
virgam tuam, et extende manum tuam su-
per flumina Ægypti, ut vertantur in sangui-
nem. Et elevans virgam, percussit aquam
fluminis coram Pharaone, et pisces mortui
30 sunt. (28) *Et dedit* terra eorum ranas,* id
* alias *Edidit* est, ex terra Ægypti eruperunt ranæ : quæ
ingressæ sunt domos vulgi ac principum
Pharaonis, inventæque sunt *in penetralibus,*
id est in locis secretis et thalamo, *regum*
ipsorum, id est principum Ægyptiorum.
Hæc est secunda plaga Ægyptiorum. De
Ibid. VIII, 3. qua Dominus ait ad Pharaonem : Ebullient
ranæ, et ingredientur domum tuam, et cu-
biculum lecti tui, et super stratum tuum,
et in domos servorum tuorum, et in popu-
lum tuum.

31 (29) *Dixit* Deus, id est, esse et fieri jus-
sit, *et* ex jussione divina *venit cynomyia*
(id est musca canina magna atque gravis-
sima), id est multitudo harum muscarum,
cui admixtæ erant aliæ muscæ graves di-
versi generis. Hæc est quarta plaga Ægy-
pti. De qua Dominus ait per Moysen regi
Ibid. 21, 24. Ægypti : Ecce ego mittam in te et in po-
pulum tuum omne genus muscarum. Et
corrupta est terra ab hujuscemodi muscis.
Dixit quoque Deus, *et* venerunt *scinifes,* id
est muscæ parvæ atrociterque mordentes.
Hæc est autem tertia plaga Ægypti : in qua
defecerunt magi Pharaonis. De qua in Ex-
Ibid. 17, 19. odo habetur : Omnis pulvis terræ versus
est in scinifes. Dixeruntque malefici ad
* hic Pharaonem : Digitus Dei est hoc*. Venit
autem et fuit *in omnibus finibus eorum,*
id est in universis terminis populisque
regis Ægypti.

(30) *Posuit pluvias eorum grandinem,* 32
id est, pro pluvia fecit Deus descendere
grandinem ; posuit et *ignem comburentem,*
id est fulgura discurrentia, et ignem gran-
dini mixtum, *in terra ipsorum.* (31) *Et* 33
percussit Deus grandine, igne ac sulfure
vineas eorum et ficulneas eorum ; et con-
trivit, id est, consumpsit atque destruxit,
lignum finium eorum, id est ligna termi-
norum Ægypti. Hæc est septima plaga
Ægypti. De qua dicitur in Exodo : Domi- *Exod.* IX, 23, 24.
nus dedit tonitrua et grandinem, ac dis-
currentia fulgura ; et grando et ignis mixta
pariter ferebantur. (32) *Dixit* Deus *et ve-* 34
nit in terram Ægypti *locusta,* id est multi-
tudo locustarum, *et bruchus cujus non erat*
numerus, id est innumerabiles bruchi :
qui sunt animalia brevia, breviterque vi-
ventia. (33) *Et comedit* locusta et bruchus 35
omne fœnum, id est omnem herbam, *in*
terra eorum, et comedit omnem fructum
terræ eorum, id est segetes Ægyptiorum.
Hæc est octava plaga Ægypti : in qua a
bestiolis istis corrosum est, quod reman-
sit igni et grandini : quæ etiam universam
terræ superficiem sic operuerunt, quod
nihil ejus apparuit, sicut habetur in Exo- *Ibid.* X, 14, 15.
do. (34) *Et percussit omne primogenitum* 36
tam in hominibus, quam in jumentis, *in*
terra eorum ; percussit etiam *primitias om-*
nis laboris eorum, id est primitiva fructu-
um elaboratorum. Hæc est decima plaga
Ægypti. De qua in Exodo legitur : Factum *Ibid.* [illegible]
est noctis medio, percussit Dominus omne
primogenitum in terra Ægypti, a primoge-
nito Pharaonis qui sedebat in solio ejus,
usque ad primogenitum captivæ.

Hic itaque omissæ sunt duæ plagæ Ægy-
pti, videlicet quinta et sexta. Quinta enim
fuit, quod omnia animantia Ægyptiorum *Ibid.* [illegible]
mortua sunt peste ; sexta, quod facta sunt *Ibid.* [illegible]
vulnera vesicarum turgentium in homini-
bus et jumentis.

Consequenter annumerantur bona Ju-
dæis collata. (35) *Et eduxit eos* Deus de 37

Ægypto *cum argento et auro :* quia ut in A
Exod. xi, 2. Exodo scriptum est, Dominus jussit Ju-
dæis ut peterent ab Ægyptiis vasa aurea
atque argentea, vestemque plurimam, et
spoliarent Ægyptum : quod etiam factum
I Par. xxix, 11, 12, 14, 16. est, nec tamen injuste, quia Dei sunt om-
nia, et cui vult, tribuit ea. Ægyptii quo-
que ingrati erant, ideo injuste possede-
rant. Sed et filii Israel remunerati non
erant ab Ægyptiis pro labore gravissimæ
servitutis. *Et non erat in tribubus eorum,*
scilicet Hebræorum, *infirmus.* Omnes enim
incolumes Deo disponente fuerunt, quate- B
38 nus simul egrederentur. (36) *Lætata est*
Ægyptus in profectione eorum, id est de
egressione Hebræorum, *quia incubuit ti-*
mor eorum super eos, id est, pavor invasit
Ægyptios, ne propter retentionem Judæo-
rum omnes occiderentur. Unde in Exodo
Exod. xii, 31-33. Pharao dixit : Surgite et egredimini de po-
pulo meo ; et abeuntes benedicite mihi.
Urgebantque Ægyptii populum de terra
exire velociter, dicentes : Omnes morie-
39 mur. (37) *Expandit* Deus *nubem in prote-*
ctionem eorum, id est in refrigerium po- C
puli sui contra æstum diei, *et ignem,* id
est columnam ignis, *ut luceret eis per no-*
Ibid. xiii, 21. *ctem :* quemadmodum ait Scriptura : Do-
minus præcedebat eos ad ostendendum
viam per diem in columna nubis, et per
noctem in columna ignis.

Deinde recitantur mirabilia Dei facta in
40 deserto : (38) *Petierunt* Hebræi cibum de-
licatum, *et venit,* vento Domini flante,
coturnix, id est multitudo coturnicum :
quæ sunt aves circa terram volantes ac re-
Num. xi, 4. giæ. Unde in Numeris dicitur : Flagrabant D
desiderio carnium, et dicebant : Quis da-
bit nobis ad vescendum carnes ? Et postea
Ibid. 31. sequitur quomodo per gyrum castrorum
volabant coturnices spatio unius diei. *Et*
pane cœli, scilicet manna, *saturavit eos*
Exod. xvi, 35. quadraginta annis, ut dicitur in Exodo.
41 (39) *Dirupit petram,* id est, Moyse percu-
tiente cum virga petram, divino miraculo
rupta seu divisa est petra, *et fluxerunt*
aquæ de petra ; *abierunt in sicco flumina,*
id est, in deserto currebant ex petra rivi
aquarum, ita ut biberet populus et jumen-
ta. Porro hæc petræ diruptio et effluxio
aquæ, facta est bis : primo in petra Horeb, Exod. xvii, 6.
ut in Exodo legitur ; secundo in petra de-
serti Sin, quemadmodum in Numeris scri- Num. xx, 1-13.
ptum est.

Hæc autem beneficia contulit Deus fi-
liis Israel, non propter eorum virtutes aut
merita, quum semper rebelles inventi sint,
sed propter promissionem Abrahæ factam
implendam, et etiam propter Abrahæ me-
rita. Propter quod dicitur : (40) *Quoniam* 42
memor fuit per effectum *verbi sancti sui,*
id est promissionis divinæ, *quod habuit*
ad Abraham puerum suum, promittens
ei quod educeret semen suum ex Ægypto, Gen. xv, 13 et seq.
daretque eis terram Chananæorum.

Deinceps scribuntur bona divinitus data
filiis Israel tempore Josue. (41) *Et eduxit* 43
Dominus *populum suum* post mortem Moy-
sis per Josue, de campestribus Moab per
Jordanem in terram promissionis, *in ex-*
sultatione exteriori, *et electos suos,* id est
populum jam prædictum divinitus præ-
electum, *in lætitia* interiori, ut patet in li- Josue i-iii.
bro Josue. (42) *Et dedit illis regiones gen-* 44
tium, scilicet terram regis Og, terramque
regis Sehon, et terras in quibus habitabant
septem gentes, videlicet Chananæi, Hethæi,
Pherezæi, etc. ; *et labores populorum* isto-
rum, videlicet urbes, villas atque divitias
eorum labore factas seu acquisitas, *posse-*
derunt filii Israel : sicut in pluribus locis Ibid. xii-xxi.
libri Josue legitur. *Ut custodiant justifica-* 45
tiones ejus, id est, observent divina præ-
cepta, hominem justificantia, *et legem ejus*
per Moysen datam *requirant,* id est, dili-
gentius discant, memoriter teneant, et spi-
ritualiter intelligere studeant.

Verumtamen advertendum, quod posses-
sio temporalium rerum non est principale,
neque sufficiens præmium observationis
legis divinæ seu custodiæ mandatorum :
præsertim quum observatio legis sit de
genere boni honesti ; possessio autem seu
remuneratio boni temporalis, de genere
boni utilis vel delectabilis. Bonum vero
honestum omnino excedit in dignitate bo-

Digitized by Google

num utile ac delectabile : ideo non præmiatur finaliter per talia bona, quoniam Deus non præmiat citra, sed ultra condignum. Beatitudo ergo æterna, est principale plenumque præmium vitæ virtuosæ ; remuneratio vero temporalis, est præmium secundarium, et minus principale : quæ tamen populo Israelitico frequenter promissa ac præstita est, propter ruditatem A ipsius, quatenus ex perceptione præsentium sperare inciperet futura et spiritualia bona. Et hoc modo multa intelligenda sunt, quæ Moyses scribit, ut est illud Deuteronomii : Dominus est vita tua et longitudo dierum tuorum, ut habites super terram, quam daturus est tibi ; et illud, Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram. *Deut.* xxx, 20. *Exod.* xx, 12.

ARTICULUS VIII

EXPLANATIO MORALIS EJUSDEM PSALMI CENTESIMI QUARTI.

SECUNDUM divinum et magnum Dio-
nysium, inter statum veteris Testamen-
ti et patriæ, medius est status evangelicæ
legis. Et sicut status Ecclesiæ militantis,
est figura status Ecclesiæ triumphantis
seu Beatorum ; sic status veteris Testamen-
ti erat figura Testamenti novi. Propter
I Cor. x, 11. quod, secundum Apostolum, omnia in fi-
gura contingebant illis. Sicut ergo ad lit-
teram alloquitur Propheta in psalmo isto
Synagogam, ita secundum tropologiam seu
moralitatem affatur Ecclesiam, et ait :
1 *Confitemini Domino,* id est, Christum
non solum ut hominem, sed etiam ut ve-
rum Deum laudate, *et invocate nomen ejus.*
Annuntiate, o sancti Apostoli et successo-
res ipsorum, *inter gentes,* id est omnibus
paganis, *opera ejus,* scilicet Christi. Unde
Act. xiii, 46, 47. in Actibus Paulus : Ecce, inquit, converti-
mur ad gentes ; sic enim præcepit nobis
2 Dominus. *Narrate omnia mirabilia ejus,*
videlicet Christi, quæ in Evangelio scripta
Luc. i, 31, 35 ; ii, 7 ; *Matth.* iv, 11. sunt : qualiter ab angelo est nuntiatus, a
Virgine conceptus et natus, ab angelis mi-
nistratus, et alia ejus magnalia. De ejus
annuntiatione Christus per Isaiam dixit :
Is. lxvi, 19. Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes
longe, ad eos qui non audierunt de me ;
et annuntiabunt gloriam meam gentibus.
5 *Mementote,* o omnes Christifideles, *mi-*
B *rabilium ejus quæ fecit,* assumendo pro
vobis naturam humanam, conversando in
mundo, animam suam ponendo pro im-
piis, lavando pedes discipulorum, institu- *Joann.* xiii, 5 ; *Matth.* xxvi, 26-28.
endo Sacramentum corporis et sanguinis
sui, longanimiter sustinendo ac præsto-
lando peccatores, et vos misericorditer ad
pœnitentiam invitando, gratiose justifi-
cando. Recolite quoque *prodigia ejus :*
quomodo solo verbo mortuos suscitavit, *Joann.* xi, 43 ; *Luc.* vii, 54 ; ix, 14-17 ; *Joann.* ix, 7 ; *Matth.* ix, 6 ; viii, 26 ; *Luc.* xxiv, 5, 7 ; *Joann.* xx, 19 ; *Act.* i, 9 ; ii, 2-4.
quinque millia ex quinque panibus et
duobus piscibus pavit, cæcum natum illu-
C minavit, cordiumque secreta inspexit, ma-
ri, et vento imperavit, tertia die resurre-
xit, ostiis clausis ad discipulos introivit,
cœlos conscendit, Spiritum Sanctum in vi-
sibili specie misit ; *et judicia oris ejus,* id
est, præceptorum, consiliorum, documen-
torum, omniumque evangelicorum Christi
sermonum memores estote. Hæc namque
recordanda sunt semper, eo quod dicat
Salvator : Beati qui audiunt verbum Dei, *Luc.* xi, 28.
et custodiunt illud. Unde et in Deuterono-
mio inducitur : Ne obliviscaris verborum *Deut.* iv, 9.
D Domini, et ne excidant de corde tuo cun-
ctis diebus. Et in Proverbiis : Audi, fi- *Prov.* i, 8.
li, disciplinam patris tui, et ne dimittas
legem matris tuæ, puta Ecclesiæ. *Semen* 6
spirituale *Abraham,* id est, filii fidei et
obedientiæ, qui credendo et obediendo se-

Digitized by Google

clamini Abraham patrem cunctorum cre- A
Gen. xxii, 10. dentium, qui usque ad filii immolationem
paruit Deo, ut dicitur in Genesi. Hujus Pa-
triarchæ filii sumus, plenissime immobili-
terque credendo, atque nos ipsos Deo per
pœnitentiam et obedientiam sacrificando.
Filii spirituales *Jacob,* qui contra vitia
Ibid. xxvii, 36. colluctando, estis filii Jacob, qui interpre-
tatur supplantator.
7 *Ipse* Christus est *Dominus Deus noster:*
Joann. xx, 28. cui Thomas dixit, Dominus meus et Deus
meus; *in universa terra judicia ejus,* id
est, per totum mundum prædicata, scripta B
et divulgata sunt præcepta, consilia, atque
justæ censuræ Domini Salvatoris, secun-
Coloss. i, 23. dum quod ait Apostolus: Nunc prædicatum
est omni creaturæ quæ sub cœlo est.
8 *Memor fuit* ipse Christus *in sæculum,*
id est in perpetuum, *testamenti sui* novi,
quod in novissima Cœna instituit, in cujus
institutione vetus Testamentum implevit
et evacuavit. Hujus novi Testamenti me-
mor fuit Christus in sæculum, quoniam
fecit ipsum prædicari, sicut usque in fi-
nem sæculi permansurum; et talem præ- C
dicationem per certa miracula approbavit,
Marc. xvi, 20. quemadmodum scriptum est: Illi autem
profecti, prædicaverunt ubique, Domino
cooperante, et sermonem confirmante se-
quentibus signis. *Verbi quod mandavit*
in mille, id est in omnes, *generationes:*
ponitur enim hic numerus determinatus
pro indeterminato. Jussit autem Christus
verbum Evangelii omnibus prædicari, at-
que ab omnibus usque in finem mundi
impleri, quemadmodum apud Matthæum
Matth. xxviii, 19, 20. ait Apostolis: Euntes, docete omnes gen- D
tes, docentes eos servare omnia quæ man-
Luc. vi, 46. davi vobis. Propter quod alibi: Quid (in-
quit) dicitis mihi, Domine, Domine, et non
9 facitis quæ dico? *Quod disposuit ad Abra-*
ham, id est ad spirituales filios ejus, sicut
nunc dictum est. *Et juramenti sui,* id est
firmæ promissionis factæ *ad Isaac,* id est
II Cor. x, 17. ad populum christianum, non in se, sed
in Domino gloriantem: qui ab Apostolo
Philipp. iv, 4. didicerunt semper gaudere, et in omnibus
tribulationibus cordialiter exsultare, læ-

tantes de hoc quod Christo per passionem
conformantur, et cum electis in hoc sæ-
culo corriguntur. Ex qua consideratione
certissime sperant se filios esse illius, qui
in Apocalypsi protestatur: Ego quos amo, Apoc. iii, 19.
arguo et castigo. Isaac quippe, risus vel
gaudium interpretatur.
Et statuit illud testamentum *Jacob,* id 10
est Christifidelibus vitia conculcantibus,
in præceptum fideliter observandum; *et*
Israel, id est populo per fidem cœlestia
contemplanti, *in testamentum æternum:*
quatenus non exspectent aliam legem seu
aliud testamentum futurum, sed sciant
ipsum esse novissimum: propter quod
appellatur et Novum, quia post legem
Moysis datum est; et Æternum, quoniam
alia lex ei nunquam succedet. Lex enim
Antichristi erit perversitas atque abusio
legis; nec erit a Deo, nec diu durabit, nec
in toto legem Christi exstinguet.
Dicens Christus populo in se credenti: 11
Tibi dabo terram Chanaan, id est terram
lacte et melle manantem, quæ est omnium
terrarum egregia, Moyse contestante: per Deut. viii, 7-10.
quam designatur terra viventium, patria
Beatorum, ubi inebriantur ab ubertate do- Ps. xxxv, 9.
mus Dei. Unde in Joanne: Vado, inquit, Joann. xiv, 2, 3.
parare vobis locum; et iterum, Veniam
et assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum
ego, et vos sitis. *Funiculum hereditatis*
vestræ, id est partem cuilibet justo traden-
dam, seu per modum sortis cuilibet eve-
nientem. Sic enim dat Christus electis ter-
ram vivorum, quod singulis tribuit certam
mansionem in ea secundum exigentiam
meritorum suorum. Propter quod ait: In Ibid. 2.
domo Patris mei mansiones multæ sunt.
Sicut igitur terra Chanaan data est filiis
Israel per partes, secundum exigentiam Josue xiv, 2.
sortium quas miserunt, sic regio Beatorum
dividitur electis per mansiones, secundum
congruentiam meritorum.
Quum essent Christiani in primitiva Ec- 12
clesia *numero brevi,* scilicet centum vi-
ginti, ut patet in Actibus Apostolorum, Act. i, 15.
paucissimi et incolæ ejus, id est, quum
Christiani valde pauci essent, incolæ exsi-

Digitized by Google

stentes (ad litteram) terræ Chanaan, quia
in Jerusalem et Judæa primo incepit Ec-
clesia. Vel, Paucissimi incolæ ejus, id est
terræ vivorum seu patriæ cœlestis : quia
in principio Ecclesiæ paucissimi erant ;
imo et nunc (proh dolor!) pauci sunt, qui-
Philipp. III, 20. bus illud Apostoli competit : Nostra con-
13 versatio in cœlis est. *Et pertransierunt*
ipsi beati Apostoli, aliique discipuli, *de*
gente in gentem, et de regno ad populum
alterum. Hoc præcipue patet de Paulo,
qui, sicut ipse testatur, perambulabat Ma-
cedoniam, Galatiam, Hispaniam, Italiam.
Sic et Petrus primo prædicavit in Judæa,
Ps. XVIII, 5. deinde in Antiochia, postremo in Italia. In
omnem enim terram exivit sonus eorum.
14 *Non reliquit* Christus *hominem* quem-
quam *nocere eis,* quantum ad interiorem
salutem : quia licet foras corporaliter af-
fligebantur, hoc tamen ad magnum inte-
rioris hominis conferebat profectum, sicut
Rom. VIII, 28. ad Romanos ait Apostolus : Scimus quo-
niam diligentibus Deum omnia cooperan-
tur in bonum. Propter quod S. Paulus per-
secutores suos non reputavit adversarios,
Ibid. 31. sed promotores, dicendo : Si Deus pro
nobis, quis contra nos? Hinc quoque scri-
I *Petr.* III, 13. ptum est : Quis est qui vobis noceat, si
boni æmulatores fueritis ? Ad litteram
etiam Christus multos perversos prohibuit
a corporali Apostolorum ac reliquorum
Sanctorum nocumento, quemadmodum in
Act. V, 18-20. Actibus Apostolorum leguntur Apostoli a
carcere per angelum liberati. *Et corripuit*
pro eis reges. Multos namque reges et prin-
cipes Deus improvisa atque horribili mor-
te occidit propter persecutionem in Chri-
stianos, prout in Actibus Apostolorum de
Ibid. XII, 23. Herode habetur, quem angelus Dei percus-
sit ; et in legendis Sanctorum hoc copiose
narratur. Corripuit autem eos non solum
monendo, sed flagellando ; non sermone,
15 sed opere, dicens : *Nolite tangere* violen-
ter *christos meos,* id est Christianos in
Baptismate unctos : qui etiam corporaliter
unguntur in Confirmatione et Ordinatione.
Spiritualiter vero unguntur Spiritu San-
Galat. IV, 6. cto, juxta illud Apostoli ad Galatas : Misit

A Deus Spiritum Filii sui in corda nostra,
clamantem, Abba (Pater). *Et in Prophetis*
meis, id est in prædicatoribus verbi Dei,
qui de futuro judicio, de venturo sæculo
Beatorum, de æterna quoque damnatio-
ne reproborum aliis sermocinantur, *nolite*
malignari. Talium namque injuriam Deus
districte ulciscitur, in tantum ut per Za-
chariam testetur : Qui tetigerit vos, tanget *Zach.* II, 8.
pupillam oculi mei.
Et vocavit Deus Trinitas *famem super* 16
terram. De qua fame scriptum est : Ecce *Amos* VIII, 11.
B dies veniunt, dicit Dominus, et mittam fa-
mem in terra : non famem panis, neque
sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. Hæc
fames præcessit Christi adventum, quo-
niam tunc multo tempore non erat Pro-
pheta usque ad Joannem Baptistam. Idcir-
co tunc maxima erat penuria spiritualis
alimenti, videlicet prædicationis verbi Dei,
quam boni semper desideraverunt.
Unde propter sublevandam hanc famem,
misit Deus Pater *ante eos* hanc famem pa- 17
tientes, *virum,* scilicet Christum : qui a
C principio suæ conceptionis vir fuit, juxta
illud prophetæ Jeremiæ dictum, Mulier *Jer.* XXXI, 22.
circumdabit virum. Misit enim Pater Fi-
lium suum ad homines, ut eos spirituali-
ter satiaret, secundum quod Christus ait
Judæis : Pater meus dat vobis panem de *Joann.* VI, 32.
cœlo verum ; et denuo, Operamini non *Ibid.* 27.
cibum qui perit, sed qui permanet in vi-
tam æternam. Hunc enim Pater signavit.
In servum venundatus est Joseph. Amabilis
ille sanctusque patriarcha Joseph, in per-
sona, opere ac persecutione, figura exstitit
D Christi. Nam ejus venditio pro triginta ar-
genteis facta, ut dicitur in Genesi, Christi *Gen.* XXXVII, 28.
venditionem præfiguravit pro totidem ar- *Matth.*
genteis factam, ut legitur apud Matthæum. XXVI, 15.
Similiter translatio Joseph in aliam regio-
nem, Christi missionem in mundum ; et
incarceratio Joseph, Christi captivitatem
ac passionem signavit. Itaque, In servum,
id est in ministrum voluntatis impiorum,
venundatus est Joseph, id est Christus per
Joseph signatus. Vendidit namque eum Ju-
das Iscariotes Judæis, ut facerent ei omnia

Digitized by Google

quæ optarent : quod et fecerunt, quemad- A
modum, Luca testante, Christus eis locu-
Luc. xxii, 53. tus est : Hæc est hora vestra et potestas
tenebrarum, id est, jam permittitur vo-
bis dominari in me, et facere mihi quod
vultis.

18 *Humiliaverunt* Judæi *in compedibus,* id
est in vinculis, *pedes ejus,* scilicet Christi,
id est, ipsum Christum vinculis ligave-
runt. Per pedum enim humiliationem, to-
tius corporis ligatio designatur : et forte
in nocte, quando erat in domo pontificis,
ligati erant sanctissimi Salvatoris pedes. B
Miserunt quoque Judæi catenam in collum
Christi, dum eum comprehenderunt : quæ
postea in Jerusalem longo tempore osten-
debatur peregrinis cum devotione ingenti.
Ferrum, id est dolor sensibilis, compassio
magna, vehemensque tristitia, *pertransiit*
animam ejus, scilicet Christi, tempore
Matth. xxvi, 38. passionis. Propter quod dixit, Tristis est
anima mea usque ad mortem ; et, Deus
Marc. xv, 34. meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?
19 *Donec veniret verbum ejus,* id est, quo-
usque impleretur sermo ejus quem dixe- C
Luc. xxii, 37. rat, Etenim ea quæ sunt de me, finem
habent. Vel, Verbum ejus quod dixit :
Joann. xix, 30. Consummatum est; et, Pater, in manus tuas
Luc. xxiii, 46. commendo spiritum meum. Vel, Verbum
ejus, id est, donec implerentur omnia quæ
de Christi passione prophetata fuerunt.

Eloquium Domini inflammavit eum.
Quidquid enim Christus ut homo dixit, ex
divina inspiratione processit. Inflammavit
autem eloquium Dei Christum, quoniam
virtuosissima et ignea verba prædican-
do effudit, eloquentissimus fuit, et quid- D
quid sibi futurum erat, prædixit. Hinc
Matth. vii, 29. enim apud Matthæum scriptum est, Erat
Jesus docens, sicut potestatem habens, non
sicut Scribæ et Pharisæi ; et apud Joan-
Joann. vii, 46. nem, Nunquam sic locutus est homo, sicut
20 hic loquitur. *Misit rex,* id est Deus subli-
Esther xiii, 9. mis : de quo in libro Esther dicitur, Do-
mine, Rex omnipotens ; *et solvit eum,* id
est, Christum de morte et monumento ac
vinculis passibilitatis eduxit, quemadmo-
Act. ii, 24. dum in Actibus Petrus testatus est : Deus
suscitavit Jesum, solutis doloribus inferni.
Princeps populorum, id est, Deus omnium
gentium Dominus misit, virtutem suam
exercendo, *et dimisit eum,* id est, Christum
de limbo inferni reduxit, juxta illud Actu-
um : Neque derelictus est in inferno, ne- Act. ii, 31.
que caro ejus vidit corruptionem.

Constituit eum dominum domus suæ, 21
id est caput Ecclesiæ, *et principem omnis*
possessionis suæ, id est totius creaturæ.
Ideo Joannes de Christo ait : Pater diligit Joann. iii, 35.
Filium, et omnia dedit in manu ejus. Et
apud Matthæum Christus ait : Data est mihi Matth. xxviii, 18.
omnis potestas in cœlo et in terra. Præ-
fecit autem Deus Trinitas Christum homi-
nem non solum militanti, sed etiam trium-
phanti Ecclesiæ, juxta illud Apostoli ad
Ephesios : Deus constituit eum in cœle- Ephes. i, 20, 21.
stibus ad dexteram suam, supra omnem
principatum et potestatem et virtutem et
dominationem. Hujus quoque figura est,
quod Joseph constitutus est dominus uni-
versæ terræ Ægypti, et appellatus est, Sal-
vator mundi, ut legitur in Genesi. Sed his Gen. xli, 44, 45.
obviare videtur quod in libro Job habe-
tur : Quem constituit Deus alium super Job xxxiv, 13.
terram ? aut quem posuit super orbem
quem fabricatus est ? Videtur ergo, quod
Deus Christum non præposuit omni cre-
aturæ in principem. Et respondendum,
quod illa auctoritas vult tantum, quod Deus
non præfecit alium in provisorem ac prin-
cipem universi, ita quod ipse desierit esse
provisor princepsque mundi : et hoc ve-
rum est.

Sic ergo Deus prætulit Christum Ec-
clesiæ, *ut erudiret principes ejus,* id est 22
Apostolos : de quibus dictum est supra,
Principes populorum congregati sunt cum Ps. xlvi, 10.
Deo Abraham ; *sicut semetipsum,* id est
tam fideliter, ac si essent idem cum ipso.
Vel, Sicut semetipsum, id est de rebus di-
vinis atque cœlestibus per illustrationem
Spiritus Sancti, de quibus ipse per Spiri-
tum Sanctum erat edoctus. Hoc autem Chri-
stus eatenus egit, ut diceret : Jam non di- Joann. xv, 15.
cam vos servos, sed amicos meos, quia
omnia quæcumque audivi a Patre meo,

Digitized by Google

nota feci vobis. *Et senes ejus,* id est præ-
dictos principes atque Apostolos et imita-
tores eorum, qui omnes morum gravitate
senes fuerunt, *prudentiam,* id est notitiam
de agendis seu moribus, *doceret.* Hoc Chri-
stus in Evangelio copiosissime fecit : in
quo moralissima documenta, optima con-
silia atque saluberrima mandata proposuit.
23 *Et intravit Israel,* id est Christus Deum
semper per speciem videns, *in Ægyptum,*
id est in mundum, per incarnationem, sic-
Joann. xvi, 28. ut apud Joannem asserit : Exivi a Patre,
et veni in mundum. Per Ægyptum nam-
que mundus signatur, prout in Apocalypsi
Apoc. xi, 8. dicitur : Jacebunt corpora eorum in platea
civitatis magnæ, quæ spiritualiter vocatur
Sodoma et Ægyptus, ubi Dominus eorum
crucifixus est. *Et Jacob,* id est Christus
I Petr. ii, 22. omnium vitiorum supplantator, quia pec-
catum non fecit, sicut de se ipso profite-
Joann. xiv, 30. tur : Venit ad me princeps hujus mundi,
et in me non habet quidquam ; *accola,*
id est viator et peregrinus, *fuit in terra
Cham,* id est in Ægypto seu mundo, sicut
expositum est. Unde Jeremias alloquens
Jer. xiv, 8. Christum : Quare, inquit, quasi colonus
futurus es in terra, et quasi viator decli-
24 nans ad manendum ? *Et auxit* Christus
populum suum fidelem *vehementer* merito
et numero, maxime in primitiva Ecclesia
per prædicationem Apostolorum, totum pe-
ne mundum convertendo ad fidem. Pro-
pter quod in Actibus Apostolorum Lucas
Act. ii, 47. affirmat : Dominus augebat quotidie qui
salvi fierent. *Et firmavit eum,* scilicet po-
pulum christianum, *super inimicos ejus,*
id est mundum, carnem ac dæmonem. De-
Matth. x, 1, 8; Marc. xvi, 17, 18. dit enim ipsis virtutem resistendi atque
prævalendi tentationibus dæmonis, concu-
piscentiis carnis, persecutionibus homi-
num impiorum ; et tandem subjecit Roma-
num imperium fidei christianæ tempore
Mich. v, 9. Constantini. Unde in Michæa dicitur : Ex-
altabitur manus tua super hostes tuos, et
Is. lx, 12. omnes inimici tui peribunt. Et alibi : Gens
et regnum quod non servierit tibi, peribit.
25 *Convertit cor eorum, ut odirent popu-
lum ejus :* id est, Christus justo judicio
A converti permisit corda infidelium et pra-
vorum in odium Christianorum ; *et dolum
facerent in servos ejus,* videlicet Christia-
nos. Hoc odium et dolum hunc habuerunt
primo Judæi contra primitivam Ecclesiam, Act. xiii, 5; xiv, 18; xviii, 12, 13.
ut patet frequenter in Actibus Apostolo-
rum. Deinde imperatores Romani cum sa-
tellitibus suis invidiose atque dolose ege-
runt contra Ecclesiam Christi, multa millia
martyrum occidendo. Postremo hæretici
falsique fratres hoc faciunt. *Misit Moysen* 26
servum suum, Aaron quem elegit ipsum.
B Per Moysen et Aaron ad filios Israel missos
in Ægyptum, designantur Apostoli, in to-
tum orbem destinati ad convertendum po-
pulum electorum. *Posuit* Christus *in eis,* id 27
est in Apostolis et eorum successoribus,
verba signorum suorum et prodigiorum,
quia per eos magna miracula fecit, *in ter-
ra Cham,* id est in toto mundo per terram
Cham significato. Unde in Matthæo dixit
Apostolis : Infirmos curate, mortuos susci- Matth. x, 8.
tate, leprosos mundate, dæmones ejicite.
Misit tenebras, id est cæcitatem mentis 28
C in animas reproborum, *et obscuravit* per-
missive intellectum eorum ; *et non exacer-
bavit sermones suos,* id est, benigne illu-
minavit, ad pœnitentiam quoque recepit
credere et obedire volentes, et ita minas
suas relaxavit. Hæc est prima plaga homi-
num mundanorum, ex qua aliæ sex na-
scuntur sequentes.
Convertit aquas eorum in sanguinem : 29
id est, sapientiam eorum fieri permisit
carnalem, animalem ac diabolicam, ita ut
simplicitatem fidei mente superba con-
D temnerent, sacramque Scripturam perver-
se exponerent : quod ad hæreticos maxime
pertinet. *Et occidit pisces eorum :* id est,
animas discipulorum talium expositorum
ac magistrorum, mori seu sine vera fide
et gratia esse permisit. Discipulos enim
tanquam pisces quosdam colligunt sibi
doctores. *Et dedit terra eorum,* id est, cor- 30
da hominum mundanorum, *ranas,* id est
garrulam loquacitatem et strepitum pec-
catorum, sicut ad Timotheum dicit Apo-
stolus : Sermo eorum ut cancer serpit ; *in* II Tim. ii, 17.

Digitized by Google

penetralibus regum, id est in domibus at-
que palatiis principum, *ipsorum* hominum
jam dictorum. Ipsi enim suis adulationi-
bus et fraudulentis sermonibus sibi alli-
ciunt principes et potentes, atque cum eis
31 conversari laborant. *Dixit, et venit cyno-
myia et scinifes.* Per has muscas et bestias
dire pungentes, intelliguntur detractores
Rom. I, 30. Deo odibiles, et remorsus conscientiæ pec-
catricis, seu stimuli synderesis, quæ sem-
per inclinatur ad bonum, et remurmurat
Is. LXVI, 24. malo. Quapropter Isaias ait: Vermis eorum
non morietur.
32 *Posuit pluvias eorum grandinem :* id
est, pro rore ac refrigerio gratiæ Dei dedit
Deus incredulis graves sollicitudines et
afflictiones cordis multiplices, juxta illud
Job XV, 24. in libro Job : Angustia vallabit impium sic-
ut regem qui paratur ad prælium. Et ite-
Ibid. 21. rum : Sonitus terroris semper in auribus
impii ; et quum pax sit, ille semper insidias
suspicatur. Posuit et *ignem comburentem
in terra ipsorum,* id est concupiscentiam
malam in corpore impiorum, secundum
Rom. I, 26, 24. quod ad Romanos dicit Apostolus : Tradi-
dit illos Deus in passiones ignominiæ, ut
34 contumeliis afficiant corpora sua. *Dixit,
et venit locusta et bruchus, cujus non erat
numerus.* Per locustam et bruchum (quæ
sunt bestiæ parvæ, omnem herbam et fru-
ctum terræ vorantes) intelliguntur reitera-
tores vitiorum deploratorum, seu mentis
elatio et gloria vana. Hæc enim omnem
mentis virorem et gratiam destruunt, et
pristinæ conversationis fructum evacuant.
36 *Et percussit omne primogenitum in terra
Ægypti :* id est, fidem, totius spiritualis
ædificationis principium, abstulit Deus ab
animo perversorum ; sicque percussit *pri-
mitias omnis laboris eorum,* quoniam sine
Hebr. XI, 6. fide nihil acceptum est Deo. Nam qui in-
Is. XXI, 2. credulus est, infideliter agit, ut dicitur in
Rom. XIV, 23. Isaia. Secundum Apostolum quoque, Omne
quod non est ex fide, peccatum est.
37 *Et eduxit* Christus *eos,* id est fideles et
electos de spirituali Ægypto, et commu-
nione malorum, ac tenebris ignorantiæ,
cum argento, id est cum scientia rerum

A creatarum, *et auro,* id est sapientia divi-
norum. Vel, Cum argento, id est cum fide ;
et auro, id est cum caritate : de qua in
Apocalypsi dicitur, Suadeo tibi emere a Apoc. III, 18.
me aurum ignitum, probatum. Vel, Cum
argento et auro, id est cum naturali philo-
sophia et studio, quæ a philosophis accom-
modaverunt, et secum tulerunt ad Christum
conversi. Datum est enim illis philosopha-
ri propter nos, quatenus naturali philoso-
phia utamur ad obsequium fidei christi-
anæ. *Et non erat in tribubus eorum,* id est
B in congregationibus Christianorum, *infir-
mus,* in anima, quia et Paulus ait : Quum II Cor. XII, 10, 9.
infirmor, tunc potens sum. Nam virtus in
infirmitate perficitur. *Lætata est Ægy- 38
ptus in profectione eorum :* id est, homines
sæculares, impii atque increduli, gavisi
sunt de separatione Christianorum ab ip-
sis ; *quia incubuit,* id est cecidit, *timor
eorum,* id est Christianorum, *super eos,* id
est infideles. Hoc interdum ad litteram
contigit, quod Christus infideles evidenter
percussit, propter persecutiones Christia-
C nis illatas, sicut Ambrosius refert in le-
genda S. Agnetis : et tunc infideles op-
tabant Christianos abire a se, ne durius
affligerentur.
Expandit Christus *nubem,* id est gratiam 39
Spiritus Sancti, *in protectionem eorum,*
id est in defensionem et obumbrationem
animarum fidelium contra æstus tentatio-
num et concupiscentiarum carnalium ; *et
ignem,* id est, radium veritatis et sapien-
tiam salutarem, seu caritatis fervorem ex-
pandit, imo infudit cordi eorum, *ut luceret
D eis per noctem,* id est in omni adversitate
atque periculo, ne errarent in via hujus
exsilii, sed gratia duce perducerentur ad
patriam, sicut Apostolus loquitur : Deus Philipp. IV, 7.
custodiat corda vestra et intelligentias ve-
stras. Unde et Christus in Evangelio : Ignem, Luc. XII, 49.
inquit, veni mittere in terram, et quid vo-
lo nisi ut ardeat ?
Petierunt fideles, *et venit,* Deo mitten- 40
te, *coturnix,* id est cogitationum humilitas.
Per coturnicem namque, avem circa ter-
ram volantem, intelligi potest cogitatio

Digitized by Google

humilis circa discussionem propriæ con-
scientiæ occupata, non cœlestia inaniter
scrutans, nec majestatem comprehendere
quærens. *Et pane cœli,* id est sacramento
Eucharistiæ, *saturavit eos* Salvator, sicut
Matth. xxvi, 26. apud Matthæum inducitur : Cœnantibus
illis, accepit Jesus panem, et benedixit,
deditque discipulis, et ait : Accipite et man-
41 ducate, hoc est corpus meum. *Dirupit*
petram, id est, Deus Pater Christum in pas-
sione perforari permisit lancea militari,
Joann. xix, 34. *et fluxerunt aquæ :* exivit enim aqua et
sanguis, ut dicit Joannes. *Abierunt* merito
passionis Christi *in sicco,* id est in sterili
gentilitate ac arido mundo, *flumina* sapi-
entiæ et gratiæ multiformis. Hæc enim flu-
mina Spiritus Sanctus infudit credentibus
per prædicationem Apostolorum. De quibus
Ibid vii, 38. fluminibus ait Christus : Qui credit in me,
sicut dicit Scriptura, flumina de ventre
ejus fluent aquæ vivæ. Quod qualiter in-
telligendum sit, Evangelista subjungit :
Ibid. 39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceptu-
ri erant credentes in eum.

Denique omnia ista dedit Deus populo
42 christiano, *quoniam memor fuit verbi san-*
cti sui, quod habuit ad Abraham puerum
Gen. xii, 3; xxii, 18. *suum,* dicens : In semine tuo benedicen-
tur omnes cognationes terræ. Ad hanc au-
tem promissionem implendam, oportuit
Christum incarnari ac pati, dictaque dona
Christianis largiri. Simili modo dicit Apo-
Rom. xv, 8. stolus : Dico Christum Jesum ministrum
fuisse circumcisionis propter promissio-
nes patrum.

43 *Et eduxit populum suum* christianum de
gentilitate ad Christianitatem, de conver-
satione vitiosa ad vitam angelicam, de via
A ad patriam, *in exsultatione ; et electos su-*
os hoc modo eduxit *in lætitia. Et dedit il-* 44
lis regiones gentium, etc. Terras enim et
regna, in quibus olim habitabant pagani,
postmodum inhabitaverunt Christiani. Vel,
Dedit illis regiones gentium, id est terram
vivorum seu regnum cœlorum, cujus lar-
gitionis typus erat largitio illa regionum
sæculi hujus.

In psalmo præsenti monemur beneficia
Dei recolere, providentiam ejus circa ge-
nus humanum pensare, atque ex his Deum
B laudare, magnalia ejus aliis insinuare, in-
cessabiliter quærere Dominum Creatorem,
ejus desiderando præsentiam, nec aliud
bonum, nisi ipsum æternum, increatum,
supergloriosum, immensumque Deum fi-
naliter velle, atque indesinenter pro san-
ctæ conversationis mercede appetere. Et
quamvis hic psalmus juxta superficialem
litteræ intellectum, non videatur adeo in
quibusdam locis devotus, tamen secun-
dum mysticam expositionem nunc intro-
ductam, omni devotione exuberat. Quæ au-
C tem omissa sunt, in præcedenti expositione
satis patent.

PRECATIO.

Deus, qui conspicis te graviter offensum
malis nostris, ad impetrandam misericor-
diam tuam corda nostra, quæsumus, com-
punge ad pœnitentiam : ut concessa de-
lictorum venia, munda conscientia tibi
confiteamur, et nomen tuum invocemus,
D ac pro acceptis beneficiis mirabilia tua in-
defessi narremus.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI QUINTI : CONFITEMINI DOMINO... QUIS LOQUETUR, ETC.

ASSIGNATUR demum psalmo jam explanando repetitum seu duplex Alleluia, dum dicitur : *Alleluia, Alleluia :* quod fit vel ad evidentiam seu certitudinem ampliorem, vel ad designandam duplicem laudem Dei, scilicet laudem viæ ac patriæ. Unde in Missa in principio versus cantatur Alleluia, atque in fine repetitur. Simili modo
Apoc. xix, 1, 3. in Apocalypsi ait Joannes : Audivi vocem angelorum in cœlo dicentium, Alleluia. Et iterum dixerunt, Alleluia. Præterea sicut Christus in Evangelio interdum dicit semel, Amen, interdum vero reiterat; sic aliqui psalmi pro titulo habent Alleluia unum, aliqui vero duplex.

INVITAT autem hic psalmus ad duplicem confessionem, videlicet laudis divi-
1 næ ac propriæ culpæ, et ait : (1) *Confitemini Domino* bono et justo, ipsum laudando, et vos accusando, peccatores variis vitiis sauciati, et ne retrahamini a confessione hac propter vestram ingratitudinem et pravitatem; *quoniam bonus* est Dominus. Est enim naturaliter, totaliter, et quomodolibet bonus, ejusque natura est bonitas infinita ac pura. Propter quod in Marco scriptum
Marc x, 18. est : Nemo bonus nisi unus Deus. Non ergo desperandum est aliquo modo. Unde secundo Paralipomenon piissimus Ezechias
II Par. xxx, 19. locutus est : Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde suo requirunt
Ibid. 9. eum. Et iterum : Pius et clemens est Dominus Deus vester, et non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum. *Quoniam in sæculum misericordia ejus :* id est, misericordia Dei æterna est, nunquam deficiens, et a principio mundi super electos effusa est; nec cessabit unquam effusio pietatis divinæ, quoniam et in inferno citra condignum miseri affliguntur, in cœlo quoque ultra condignum electi remunerantur.

(2) *Quis loquetur potentias Domini?* id est, quis exprimere poterit, quam potens 2
sit Deus? Et dicit, Potentias, in plurali (quum tamen in Deo non sit nisi una simplex potentia), propter diversos effectus divinæ potentiæ. Vel, per potentias intelliguntur magnalia opera Dei potenter producta. Quum vero sit Deus infinitæ potentiæ atque omnipotens, nulla creatura perfecte comprehendere valet aut explicare potentiam ejus. Propter quod insanissimæ mentis sunt, qui divinam potentiam metiri suo præsumunt ingenio, asserentes Deum non posse supernaturaliter agere, nec aliquid esse credendum quod rationem excedit : quum Deus possit in infinitum plura producere, quam homo consumere. Imo Deus benedictus et sanctus non potest tot tantaque agere, quin possit in infinitum plura atque majora efficere, quantum in se est. Demum impossibile nobis est, intelligere aut exprimere divinæ potestatis effectus. Propter quod Sapiens contestatur : Difficile æstimamus quæ in terra Sap. ix, 16.
sunt, et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore : quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Et quis *auditas faciet omnes laudes ejus?* id est, quis proferre aut aliis annuntiare poterit universa præconia Creatoris, quam laudandus sit ipse? quasi dicat, Nullus. Quum enim Deus laudandus sit propter propriam bonitatem et propter opera sua, quantum a perfecta notitia bonitatis divinæ ac operum ejus deficimus, tantum a plenitudine divinæ laudationis occumbimus. Propterea in libro Job scriptum est : Nos quippe involvimur te- Job xxxvii, 19, 23.

nebris. Digne eum invenire non possu- A
mus; et enarrari non potest. Et Ecclesiasti-
Eccli. XLIII, 34. cus : Exaltantes, inquit, replemini virtute;
ne laboretis, non enim pervenietis. Non
ergo inaniter gloriemur dum Deum lauda-
mus, quasi magnum seu dignum aliquid
operemur, quum nec Cherubim nec Sera-
phim eum laudare sufficiant; sed cum ma-
gno timore atque profunda humilitate ip-
sum laudemus, sicut superius dictum est :
Ps. II, 11. Exsultate ei cum tremore.

3 (3) *Beati* sunt jam in spe, *qui custodiunt*
judicium discretionis et retributionis. Præ- B
lati namque et judices custodire debent
utrumque judicium, quantum ad subditos,
discernendo causas eorum, et debitam pœ-
nam infligendo. Quilibet quoque se ipsum
judicare debet, discutiendo, accusando, ca-
stigando se ipsum, discernendo bonum a
malo, et verum a falso : quod singulis
nobis necessarium est ad salutem, juxta
Job XXXIV, 17. illud : Numquid qui non amat judicium,
I *Cor.* XI, 31. sanari potest ? Et Apostolus : Si nos ipsos,
inquit, dijudicaremus, non utique judica-
remur. Est autem istud judicium valde C
acceptum Deo, sicut per Jeremiam prote-
Jer. XV, 19. statur : Si separaveris pretiosum a vili,
quasi os meum eris. *Et faciunt justitiam,*
sequendo et exsequendo quod recta ratio
judicat, *in omni tempore,* id est perseve-
Matth. X, 22. ranter usque in finem, quia qui perseve-
raverit usque in finem, salvus erit, sicut
apud Evangelistam adstruit Christus judex
noster.

4 (4) *Memento nostri, Domine, in benepla-*
cito populi tui, id est in infusione seu per
infusionem gratiæ tuæ, per quam placet D
tibi populus tuus, quatenus nos tibi place-
amus, quemadmodum illi. Omnium qui-
dem memor est Deus, quum Amos prophe-
Amos VIII, 7. ta dicat : Juravit Dominus, Si oblitus fuero
usque in finem opera eorum. Sed orat Pro-
pheta ut Deus memor sit nostri, sicut me-
mor fuit electorum suorum. Unde etiam
II *Esdr.* V, 19. Esdras deprecatur : Memento mei, Deus,
in bonum. *Visita nos in salutari tuo,* id
est in salubri atque benigna salvatione,
ita ut visitemur a te per piam præsentiam
ad nostram salutem, non per districtam
sententiam ad nostram damnationem, quo-
modo reprobi visitantur. De quibus in So-
phonia a te dicitur : Visitabo super viros *Soph.* I,
defixos in fæcibus suis. Sic enim et dæ-
mones visitantur a te, quemadmodum Isa-
ias affirmat : Visitabit Dominus super Le- *Is.* XXVII
viathan serpentem tortuosum. Vel : Visita
nos in salutari tuo, id est in Christo, mit-
tendo illum ad nos. Ipse est enim sapi-
entia tua æterna et increata, quæ ad ele-
ctos quotidie invisibiliter mittitur, prout
in Sapientiæ libro quidam precatur : Da *Sap.* IX,
mihi, Domine, sedium tuarum adsistricem
sapientiam ; et iterum, Mitte illam de cœ- *Ibid.* 10
lis, ut mecum sit et mecum laboret.

Hæc autem, o Domine, tribue mihi, (5) *Ad* 5
videndum, id est, ut spiritualiter videa-
mus et contemplemur nunc per fidem, et
in futuro per speciem, *in bonitate electo-*
rum tuorum, id est bona electis tuis pa-
rata. De quibus ait Apostolus : Oculus non I *Cor.* II,
vidit, nec auris audivit, nec in cor homi- *Is.* LXIV, 4
nis ascendit, quæ præparavit Deus his qui
diligunt illum. Hæc autem bona aliud ni-
hil sunt, nisi summum bonum, in quo est
omnium bonorum et pulchrorum plenitu-
do immensa, seu ejus visio atque fruitio.
Quid ergo orat Propheta, nisi ut Deum
videamus, in cujus visione beatitudo et
plena merces, præmiumque finale consi-
stit? Vel, In bonitate electorum tuorum, id
est in gloria Beatorum seu in supernatu-
rali illuminatione, qua a te illuminantur
electi, quoniam sine hac illuminatione om-
nis nostra visio atque cognitio vanæ in-
formesque sunt. *Ad lætandum in lætitia*
gentis tuæ, id est, ut lætemur spirituali
lætitia, qua in te jucundatur plebs tua,
nunc in spe futurorum bonorum, in patria
vero in adeptione cœlestium præmiorum.
Vel, In lætitia gentis tuæ, id est, ut læ-
temur cum populo tuo, non cum sæculo
isto. Et omnia hæc fiant ad nominis tui
honorem, videlicet *ut lauderis cum here-*
ditate tua, id est cum Ecclesia electorum,
ita quod si electi tui de bono laudantur,
tu de eodem bono tanquam principalis

Digitized by Google

causa boni lauderis. Vel, Ut lauderis tu in omnibus et præ omnibus, qui per gratiam es cum hereditate tua, id est electis. Vel, Ut lauderis cum hereditate tua, id est ab electis, qui sunt hereditas tua tecum exsistens.

6 (6) *Peccavimus cum patribus nostris,* id est sicut patres nostri, vel pariter cum eis, non declinando, sed imitando eorum delicta. Peccavimus autem præcepta moralia transgrediendo, *injuste egimus,* transgrediendo præcepta judicialia, *iniquitatem fecimus,* non servando præcepta cærimonialia. Vel, Peccavimus contra Deum, injuste egimus contra proximum, iniquitatem fecimus contra nos ipsos.

7 (7) *Patres nostri in Ægypto,* id est, qui olim in Ægypto fuerunt, *non intellexerunt* spiritualiter et prudenter *mirabilia tua,* quæ per Moysen in Ægypto, in mari Rubro, in deserto fecisti : quia ex talibus mirabilibus non consideraverunt omnipotentiam Dei, et quod Deus qui tanta pro eis fecit in Ægypto, postmodum protegeret eos, atque de facili adimpleret quæcumque eis promisit. Non intellexerunt quoque quid mirabilia illa figurabant. Propter quod in Deuteronomii volumine habetur :
...ut. xxix, 4. Dixit Moyses ad filios Israel : Vos vidistis universa magnalia quæ coram vobis Dominus fecit ; et non dedit vobis Dominus cor intelligens et oculos videntes usque in præsentem diem. Unde et rursus Dominus
...um. xiv, ait per Moysen : Quousque multitudo hæc pessima non credet mihi in omnibus mirabilibus meis ? Ecce primum peccatum populi hujus, scilicet peccatum ignorantiæ. Sequitur de ingratitudinis vitio : *non fuerunt memores,* gratias referendo, *multitudinis misericordiæ tuæ,* id est multæ ac magnæ miserationis a te eis impen-
...od. vii- sæ, qui propter eos tam graviter afflixisti Ægyptios decem plagis, a quibus eos piissime præservasti.

(8) *Et irritaverunt* Deum et Moysen servum ejus, *ascendentes* de terra Ægypti *in*
...mare, ...e Ru-... *mari, mari,* inquam, *Rubro* * : quia videntes Pharaonem ipsos insequentem, antequam

A ingrederentur alveum maris Rubri, diffidentes de potestate divina, dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Exod. xiv, 11.
Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti ? Sed nec ipsum mare Rubrum, quamvis divisum, ingredi ausi fuerunt, ut alibi legitur, Hist. schol.
nisi ad monitionem Moysis magnam et longam. (9) *Et salvavit eos* Dominus, quamvis 8
ingratos atque incredulos, de manu Ægyptiorum, non propter eorum virtutes aut merita, sed *propter nomen suum,* id est
B propter se ipsum et nominis sui glorificationem. Unde in Ezechiele scriptum est : Non propter vos ego faciam, dicit Domi- Ezech. xxxvi, 22, 32.
nus, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum. *Ut notam faceret* cunctis hominibus *potentiam suam,* qua Ægyptios debellavit, et Israelem salvavit. Ideo in Exodi libro Dominus ait : Glorificabor in Exod. xiv, 17, 18.
Pharaone et in omni exercitu ejus ; scientque Ægyptii, quia ego sum Dominus.

(10) *Et increpuit* Dominus, id est, incre- 9
pavit, seu imperando divisit, *mare Ru-*
C *brum.* Mutatio enim maris Rubri a suo naturali statu ac motu, vocatur increpatio ejus. *Et exsiccatum est :* non mare, quia aqua non exsiccatur manens aqua : inseparabiliter enim connaturale est aquæ, esse humidum ; sed dicitur mare exsiccatum, eo quod fundus terræ, ubi currebat, siccatus est, aquis sublatis. *Et deduxit eos in abyssis,* id est in itinere maris Rubri, non per aquas, sed per iter in quo paulo ante fluxerat aqua, *sicut in deserto,* id est tam plane et sicco pede, ac si per viam
D deserti transissent, quemadmodum ibidem plenius recitatur. (11) *Et salvavit eos de* 10
manu odientium, scilicet Ægyptiorum eos insequentium cum curribus sexcentis, *et* Ibid. 7.
redemit eos de manu inimici, id est regis Ægypti. Quod quomodo contigerit, subditur : (12) *Et operuit aqua* maris Rubri, rever- 11
tens ad locum priorem ac proprium, *tribulantes eos,* id est Ægyptios, qui afflixerunt Israelitas ; *unus ex eis non remansit :* omnes namque submersi sunt. Unde in Exodo legitur : Reversum est mare primo di- Ibid. 27, 28.

luculo ad priorem locum, fugientibusque A
Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit
eos Dominus in mediis fluctibus; ne unus
quidem superfuit ex eis.
12 (13) *Et crediderunt* filii Israel *verbis ejus,*
scilicet Dei, viso tanto miraculo. Propter
Exod. xiv, 31. quod illic subjungitur : Timuit populus
Dominum, et crediderunt Domino et Moy-
si servo ejus. *Et laudaverunt laudem ejus,*
id est laudabilia opera atque laudabilem
bonitatem Dei hæc facientis, secundum
Ibid. xv, 1. quod ibidem dicitur : Tunc cecinerunt Mo-
yses et filii Israel canticum hoc Domino, B
et dixerunt : Cantemus Domino, gloriose
enim magnificatus est, equum et ascenso-
rem dejecit in mare. Et infra scriptum
Ibid. 20, 21. est : Sumpsit ergo Maria prophetes, soror
Aaron, tympanum in manu sua; egressæ-
que sunt omnes mulieres post eam cum
tympanis et choris, quibus præcinebat, di-
cens : Cantemus Domino, gloriose enim
magnificatus est, etc.
13 (14) *Cito fecerunt,* id est, in opere bono
non diu perseveraverunt. Vel, Cito, post
hanc laudem et gratiarum actionem, fece- C
runt quæ sequuntur : *obliti sunt operum*
ejus, id est, prædicta miracula Dei non
attenderunt mente sagaci grataque. Unde
Ibid. xvi, 1-3. in libro Exodi habetur : Quintadecima die
mensis secundi, postquam egressi sunt de
Ægypto, murmuraverunt contra Moysen
et Aaron in solitudine, dicentes : Utinam
mortui essemus in Ægypto. Cur induxistis
nos in desertum istud, ut occideretis om-
nem multitudinem fame? *Non sustinue-*
runt consilium ejus : id est, patienter non
exspectaverunt tempus, quo Deus decrevit D
eis providere de cibo, secundum consilium
sapientiæ suæ, qua omnia ordinatissime
operatur, juxta illud Apostoli ad Ephesios:
Ephes. i, 11. Omnia operatur secundum consilium vo-
luntatis suæ. Hujus ergo consilii tempus
ex impatientia anticipaverunt.
14 (15) *Et concupierunt concupiscentiam in*
deserto, id est cibum delicatum, videli-
cet carnes, secundum quod alibi legitur :
Num. xi, 4, 6. Flagrabant desiderio carnium, et dicebant :
Quis dabit nobis ad vescendum carnes?

Anima nostra arida est, nihil respiciunt
oculi nostri nisi manna. *Et tentaverunt*
Deum in inaquoso, id est in deserto (in
quo aqua nulla aut modica reperitur), pro-
ut in Exodo scriptum est : Tentaverunt Exod. xvii, 7.
Deum, dicentes : Estne Dominus in nobis,
an non? (16) *Et dedit eis* Deus *petitionem* 15
ipsorum, id est rem postulatam, scilicet
carnes et aquam, *et misit saturitatem in*
animas eorum, id est animalem vitam,
quoniam mense integro dedit eis ad eden- Num. xi, 20.
dum coturnices, donec exibant per nares
eorum, et vertebantur in nauseam, sicut
in Numerorum libro habetur.

Consequenter autem recitatur seditio
ipsius Core atque suorum. (17) *Et irrita-* 16
verunt Core de tribu Levi, et Dathan ac Ibid. xvi, 1, 2.
Abiron de tribu Ruben, aliique proceres
synagogæ ducenti quinquaginta, qui tem-
pore concilii per nomina vocabantur, ut
dicitur in libro Numerorum, *Moysen in*
castris, id est in papilionibus, vel populo
habitante in tentoriis, *Aaron* quoque *san-*
ctum Domini, id est Domino consecratum
in pontificem. Dathan namque et Abiron,
quoniam nati erant de primogenito Jacob,
scilicet de Ruben, ambiebant principa-
tum, vel saltem Moyse et Aaron inferiores
esse ac obedire spreverunt. Core autem
atque Coritæ, quia de tribu Levi erant, sic-
ut et Aaron, parificari volebant et in sacer-
dotio. Irritaverunt ergo Moysen et Aaron,
dicentes illud Numerorum : Sufficiat vobis, Ibid. 3.
quia omnis multitudo sanctorum est, et in
ipsis est Dominus. Cur elevamini super
populum Domini? Propter hanc ergo re-
bellionem et seditionem, (18) *Aperta est* 17
terra, et deglutivit Dathan, et operuit su-
per congregationem, id est præ aliis filiis
Israel, *Abiron* similem Dathan in culpa,
unde et in pœna ei assimilatus est. Absor-
buit etiam terra Core et Hon, tabernacula
quoque et omnem possessionem Dathan et
Abiron, prout in Numeris scribitur. Non Ibid. 31-33.
autem absorbuit filios Core, quoniam non
consenserant patri suo. Propter quod scri-
ptum est : Factum est grande miraculum, Ibid. xxvi, 10, 11.
ut Core pereunte, filii ejus non perirent.

Digitized by Google

18 (19) *Et exarsit ignis in synagoga eorum,* id A
est in congregatione fautorum Core; *flam-*
ma ignis hujus *combussit peccatores,* id
est Coritas, quemadmodum liber Numero-
Num. xvi, rum testatur : Ignis egressus a Domino,
35. interfecit ducentos quinquaginta viros, qui
offerebant incensum.
19 (20) *Et fecerunt* filii Israel *vitulum in*
Horeb, id est juxta montem Horeb, qui
est pars, scilicet pes, montis Sinai : ver-
tex enim montis dicitur Sinai. Hæc forma-
tio vituli diu præcessit seditionem præ-
dictam. Dicuntur vero filii Israel fecisse B
hunc vitulum, quia ad eorum instantiam
projecit Aaron aureas inaures eorum in
ignem, et egressus est opere fusorio vi-
Exod. tulus conflatilis, prout in Exodo narratur.
xxxii, 2-4. *Et adoraverunt sculptile.* Aliqui dicunt,
quod hic ponitur sculptile pro conflatili,
eo quod utrumque sit nomen idoli. Nam
vitulus ille fusus erat, non sculptus. Alii
dicunt, quod primo fusus est; sed quia in
fusura non exstitit plene formatus, post-
modum sculptus est, perfectiusque forma-
tus. Et ergo interdum vocatur sculptile, C
interdum conflatile. Hunc itaque vitulum
adoraverunt. Immolantes namque ei ho-
Ibid. 4. stias, dixerunt : Isti sunt dii tui, Israel, qui
eduxerunt te de terra Ægypti : ut scribitur
20 in Exodo. (21) *Et mutaverunt gloriam su-*
am, id est honorem et cultum legis divinæ,
seu Deum, in quo solo gloriari debebant, *in*
similitudinem vituli comedentis fœnum :
quia pro vero Deo adorabant imaginem
21 vituli. (22) *Obliti sunt Deum qui salvavit*
eos de Ægyptiaca servitute, *qui fecit ma-*
gnalia, id est opera magna, *in Ægypto,* D
Ibid. vii-xii. percutiendo Ægyptios decem principali-
22 bus plagis, *mirabilia* per Moysen *in terra*
Cham, id est in Ægypto, sic dicta propter
causam præhabitam, *terribilia in mari*
Ibid. xiv, *Rubro,* submergendo regem Ægypti cum
28. populo suo.
23 (23) *Et dixit* Dominus ad Moysen, *ut dis-*
perderet eos, propter eorum ingratitudi-
nem ac idololatriam, quemadmodum in li-
Ibid. xxxii, bro Exodi inducitur : Dixit Dominus ad
9, 10. Moysen : Cerno quod populus iste duræ
cervicis sit; dimitte me, ut irascatur furor
meus contra eos, et deleam eos. Et hoc
utique Dominus fecisset, *si non Moyses*
electus ejus stetisset in confractione, id est
in plaga populo imminente, qua erant con-
fringendi, *in conspectu ejus,* id est coram
Deo in monte Sinai, orans indesinenter
pro populo, prout in Exodo scriptum est :
Moyses autem orabat Deum suum. Et se- Exod.
quitur : Placatusque est Dominus. Demum xxxii, 11.
in tantum objecit se medium pro populo, Ibid. 14
ut ex ineffabili caritate diceret Domino :
Aut dimitte populo hanc noxam, aut si Ibid. 31, 32.
non facis, dele me de libro quem scripsisti.
Stetit itaque Moyses in confractione, (24) *Ut*
averteret iram ejus, id est vindictam Dei a
populo, *ne* Deus *disperderet eos.*
Et pro nihilo habuerunt terram deside- 24
rabilem, id est, terram promissionis lacte Num. xiv,
et melle manantem vilipenderunt, quando 8.
territi verbis exploratorum, dixerunt, ut in
Numeris habetur : Constituamus nobis du- Ibid. 4.
cem, et revertamur in Ægyptum. (25) *Non*
crediderunt verbo ejus, id est promissi-
oni Dei per Moysen, qui dixit eis, quod
Dominus pugnaret pro eis, et introduceret
eos in terram promissam; sed ipsi econtra
dixerunt : Utinam non inducat nos Domi- Ibid. 3.
nus in terram hanc, ne cadamus gladio.
Et murmuraverunt in tabernaculis suis : 25
quemadmodum in Numeris legitur : Voci- Ibid. 1-3.
ferans omnis turba nocte illa flevit, et
murmurati sunt contra Moysen et Aaron,
dicentes : Utinam mortui essemus in Ægy-
pto, et utinam pereamus. *Non exaudierunt*
vocem Domini, id est, exhortationibus Mo-
ysis et Caleb ac Josue, hortantium eos ad Ibid. 6-9.
bonum, non acquieverunt, sed lapidare eos Ibid. 10.
volebant.
(26) *Et elevavit* Dominus *manum suam,* 26
id est virtutis suæ vindictam, *super eos, ut*
prosterneret eos in deserto. Tunc enim Deus
absolute dictavit, quod nullus eorum, qui
murmuravit, ingrederetur terram promis-
sionis, sed Caleb et Josue soli eam intra-
rent, de multitudine eorum qui primo nu-
merati fuerunt, prout in libro Numerorum Ibid. 22-35.
dicitur. Elevavit etiam Dominus manum

Digitized by Google

suam super eos, propter hoc peccatum, ut A
prosterneret eos statim omnes simul in
deserto, secundum quod ait ad Moysen :
Num. xiv, 11, 12. Usquequo populus iste detrahet mihi? Feriam ergo eos pestilentia atque consumam. Hæc autem pœna per orationem Moysis mitigata est, ita quod per partes atque paulatim mortui sunt in deserto. Sic
Ibid. 18-20. enim precatus est Moyses pro eis : Domine, patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, dimitte, obsecro, peccatum populi tui hujus, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut pro- B
pitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. Dixitque Dominus :
27 Dimisi juxta verbum tuum. (27) *Et ut dejiceret semen,* id est filios, *eorum in nationibus,* faciens eos cadere in terris diversis, *et disperger et eos in regionibus.* Istam pœnam Dominus minabatur, sed precibus Moysis omnino ablata est, quoniam filii prostratorum in deserto introducti sunt in terram Chanaan.
28 (28) *Et initiati sunt Beelphegor,* id est, cultui idoli sic vocati applicuerunt se ip- C
sos. Istud fuit circa mortem Moysis, quan-
Ibid. xxxi, 16. do ad suggestionem Balaam, Balac rex Moabitarum misit puellas pulchras ac nobiles juxta tentoria filiorum Israel, habentes secum idola sua, quatenus facerent filios Israel Deum suum offendere per idololatriam atque luxuriam : quia (ut dicitur) non permiserunt eos secum misceri, nisi primo adorarent idolum Beelphegor.
Ibid. xxv, 1-3, 18. Quod et factum est, quemadmodum in libro Numerorum plenius continetur. *Et comederunt sacrificia mortuorum,* id est carnes animalium huic idolo immolatas.
(29) *Et irritaverunt eum,* id est, Deum 29
offenderunt, *in adinventionibus suis,* id est in peccatis studiose excogitatis et ex deliberatione patratis, *et* ob id *multiplicata est in eis ruina,* id est, multa et magna plaga eis inflicta, propter hæc scelera. Percussa sunt enim viginti quatuor Num. xxv, 9.
millia hominum. Principes quoque jussi Ibid. 4.
sunt suspendi in patibulis.
(30) *Et stetit Phinees* filius Eleazari fi- 30
lii Aaron sacerdotis, mente constanti contra idololatras, *et placavit* Dominum, perfo- Ibid. 7, 8, 15.
diendo in locis genitalibus Zambri ducem tribus Simeonis, coeuntem cum Cozbi filia nobilissimi principis Madianitarum ; *et cessavit quassatio,* id est plaga prædictæ persecutionis a populo, propter hoc factum et merito zeli Phinees. Unde in Numeris habetur : Dixit Dominus ad Moysen : Phi- Ibid. 10, 11.
nees avertit iram meam a filiis Israel, quia
zelo meo commotus est contra eos. (31) *Et* 31
reputatum est ei a Deo *in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum :* quoniam Deus approbavit hoc opus ipsius ; et in æternum justus vocabitur propter hanc causam. Meruitque sacerdotio fungi in se et in posteris suis, secundum quod Dominus ait ad Moysen : Loquere ad eum : Ecce do ei pacem fœde- Ibid. 12, 13.
ris mei ; et erit tam sibi, quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.

ARTICULUS X

PROSECUTIO EXPOSITIONIS PSALMI CENTESIMI QUINTI, ET EXPOSITIO MYSTICA QUORUMDAM QUÆ IN PSALMO ISTO CONTENTA SUNT.

CONSEQUENTER describitur jurgatio D
filiorum Israel contra Deum, facta ad
aquas Contradictionis, propter penuriam
32 aquæ. (32) *Et irritaverunt eum,* scilicet
Deum, *ad aquas Contradictionis,* impatienter loquendo, secundum quod scriptum est : Convenerunt adversus Moysen et Aa- Num. xx, 2, 3.
ron, et versi in seditionem, dixerunt : Uti-

Digitized by Google

nam perissemus inter fratres nostros coram A
Domino. *Et vexatus,* id est animo pertur-
batus atque lassatus, *est Moyses propter*
eos, id est propter eorum perversitatem,
33 *quia exacerbaverunt spiritum ejus,* scilicet
verbis ingratis et pessimis. (33) *Et distin-*
xit Moyses *in labiis suis :* id est, in hac
cordis sui perturbatione alium modum lo-
quendi habuit, recitando verba Domini,
percutiendoque petram, quam ante habere
solebat. Fuit enim incredulus Deo, atque
in modo loquendi manifeste declaravit cor-
dis sui hæsitationem. Ut enim in Numero- B
rum libro legitur, quum sibi ac Aaron fra-
Num. xx, 8, 10. tri suo Dominus dixisset, Loquimini ad
petram coram eis, et illa dabit aquas ;
Moyses percutiendo petram cum virga, pro-
tulit sermonem ambiguum, Num de petra
hac poterimus vobis aquam ejicere? Pro-
pter quod mox a Domino reprehensus est,
et tam ipse quam Aaron ab ingressu ter-
ræ promissionis prohibitus est, dicente
Ibid. 12. eis Domino : Quoniam non credidistis mi-
hi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel,
non introducetis hos populos ad terram C
quam dabo eis.

Deinde narrantur peccata filiorum Is-
rael commissa post ingressum terræ Cha-
34 naan. *Non disperdiderunt gentes,* id est,
habitatores terræ Chanaan non occiderunt
in toto, *quas dixit Dominus illis,* id est,
quas Dominus jussit occidi, earumque aras
subverti, neque connubia neque familia-
ritatem cum eis habere. Hoc frequenter
præcepit filiis Israel, ne ex cohabitatione
pertraherentur ad idololatriam. Sed filii
Israel ex avaritia permiserunt quosdam de D
gente hac inter se morari, propter tribu-
35 tum quod eis solvebant. (34) *Et commixti*
sunt loco, corpore et opere *inter gentes*
Chananæorum, *et didicerunt opera eorum,*
36 id est ritum gentilitatis, *et servierunt scul-*
Judic. II, 13; 7. *ptilibus eorum,* scilicet Baalim et Astaroth,
ut patet in libro Judicum ; *et factum est*
illis hoc idololatriæ scelus *in scandalum,*
id est in magnam ruinam.
37 (35) *Et immolaverunt filios suos et filias*
suas dæmoniis, quæ in idolis colebantur.

Quomodo autem eos immolaverint, subdi-
tur : (36) *Et effuderunt sanguinem innocen-* 38
tem, videlicet *sanguinem filiorum suorum*
et filiarum suarum, qui propter ætatem
infantilem nondum peccaverant, *quas sa-*
crificaverunt, id est obtulerunt, *sculptili-*
bus Chanaan, id est simulacris Chananæo-
rum. Quamvis alibi in historia canonica
non legantur ista fecisse, credendum est
tamen Prophetæ hæc recitanti. (37) *Et in-*
terfecta est terra* habitationis eorum, id * alias *infecta*
est, habitatores terræ occisi sunt, *in san-*
guinibus tam crudeliter fusis seu impie
factis, *et contaminata est in operibus eo-* 39
rum tam nefandis. Vel, Interfecta est ter-
ra, id est, homines isti terreni effundendo
sanguinem innocentem spiritualiter occi-
si sunt, quoniam animas proprias vita
gratiæ spoliaverunt ; et contaminata est
in operibus eorum, hoc est, ipsi in suis
peccatis polluti sunt. *Et fornicati sunt,*
id est, a Deo per idololatriam recesse-
runt, *in adinventionibus suis,* id est in pec-
catis suis industriose commissis. Merito
autem idololatria in sacra Scriptura forni-
catio appellatur, quia per eam recedit ani-
ma a vero sponso suo, scilicet Deo : cui
per fidem et caritatem desponsatur, et a
quo per gratiam ac dona Sancti Spiritus
fecundatur, quemadmodum Dominus ait :
Sponsabo te mihi in fide. Quoniam vero Osee II, 20.
hoc modo fornicati sunt filii Israel, ideo
dicitur eis : Noli lætari, Israel, et noli ex- Ibid. IX, 1.
sultare, quia fornicatus es a Deo tuo.

(38) *Et iratus est furore Dominus,* id est, 40
vehementer iratus est, non per animi
commotionem, sed vindictæ gravitatem,
in populum suum nomine, et non re ; *et*
abominatus est hereditatem suam, id est
filios Israel : quos ipse specialiter invita-
vit atque vocavit, ut essent hereditas ejus;
sed non obediendo, facti sunt hereditas
dæmonis. (39) *Et tradidit eos in manus* 41
gentium, id est, protectionem et opem di-
vinam eis subtraxit, permittens eos oppri-
mi a Philistæis, Syris, ac aliis multis ; *et*
dominati sunt eorum qui oderunt eos. Nam
sicut in libro Judicum scribitur, quibus- Judic. III, 8, 14; IV, 3.

Digitized by Google

dam servierunt decem et octo annis, ali-
quibus longius, aliquibus brevius. Ecce
quem Deus relinquit, a quo Deus subsi-
dium tollit, inimicorum suorum servituti
subjicitur. Prima quoque pœna culpæ, est
subtractio gratiæ; secunda vero, incursio
42 dominationis malignæ. (40) *Et tribulave-
runt eos inimici eorum,* imponendo eis
graves labores, magna tributa, ingentia
damna; *et humiliati sunt* filii Israel, id
est dejecti, oppressi et victi, *sub manibus
eorum,* id est sub potestate et persecutio-
ne adversariorum suorum. Vel, Humiliati
sunt coram Deo sub manibus hostium, quia
ex gravitate persecutionum confessi sunt
sua peccata, veniamque petebant, et emen-
dationem spondebant.

43 *Sæpe liberavit eos* Deus de potestate in-
fidelium populorum, ut constat ex serie
libri Judicum, in quo scriptum habetur:
Judic. II, 18. Quumque Dominus judices suscitaret, in
diebus eorum flectebatur misericordia, et
audiebat afflictorum gemitus, et liberabat
eos de cæde vastantium. (41) *Ipsi autem exa-
cerbaverunt eum:* id est, post liberationem
suam a Deo misericorditer factam, rursus
reversi sunt ad pristina mala, et Deum of-
fenderunt. Unde in libro Judicum dicitur:
Ibid. 19. Quum mortuus esset judex, fecerunt mul-
to majora quam patres eorum, sequentes
deos alienos; non deseruerunt viam duris-
simam, per quam ambulare consueverant.
Sic autem exacerbaverunt Deum *in consi-
lio suo,* quia ex malo eorum consilio adin-
ventionibusque vanissimis orta sunt tanta
facinora; *et humiliati sunt in iniquitati-
bus suis,* id est, propter peccata sua ab
hostibus oppressi et victi sunt, et etiam
interdum coram Deo per pœnitentiam hu-
miles facti.

44 (42) *Et vidit quum tribularentur,* id est,
Deus clementer adspexit eos, dum taliter
affligerentur, *et audivit orationem eorum,*
qua petebant ab adversariorum jugo libe-
45 rari. (43) *Et memor fuit* per effectum mise-
ricordiæ suæ, *testamenti sui,* id est fœderis
seu promissionis, qua prædixit frequenter
per Moysen, quod liberaret eos, quando-
cumque corde integro reverterentur ad
Dominum Deum patrum suorum. Unde in
Deuteronomio dictum est eis a Moyse: Si Deut. xx
ad cardines cœli fueris dissipatus, inde re- 4, 5.
trahet te Dominus Deus tuus, et assumet
ac introducet in terram quam possederunt
patres tui. Et in eodem Deuteronomii li-
bro: Quum quæsieris, inquit, Dominum Ibid. iv, 2
Deum tuum, invenies eum, si tamen toto
corde quæsieris eum, et tota tribulatione
animæ tuæ. *Et pœnituit eum,* id est, per
modum pœnitentis se eis exhibuit, quia
quos in direptionem captivitatemque de-
dit, iterum pie eripuit, *secundum multi-
tudinem misericordiæ suæ,* id est secun-
dum quod ipse multum misericors est,
et non propter virtutes eorum. Propter
quod rursus in Deuteronomio Moyses ait:
Ne dicas in corde tuo, Propter justitiam Ibid. ix, 4.
meam introduxit me Dominus in terram
hanc, quum populus durissimæ cervicis
sis. (44) *Et dedit eos in misericordias,* id est, 46
suæ divinæ pietatis effectus varios eis im-
pendit, *in conspectu omnium qui ceperant
eos:* quoniam illis videntibus, atque per
experientiam pœnæ graviter sæpe luen-
tibus, liberavit filios Israel de potestate
eorum.

Postremo orat Propheta pro populi sui
liberatione ac adjuvatione, seu reductione
in terram patrum suorum. Et potest esse
oratio Ecclesiæ pro conversione et spiritu-
ali unione fidelium. (45) *Salvos fac nos, Do-* 47
mine Deus noster, ab omni periculo mentis
et corporis, et a malis præteritis, præsen-
tibus et futuris, *et congrega nos de nationi-
bus,* id est, ab infidelibus separa nos atque
recollige, loco vel voto, quatenus separati
a generatione perversa, tibi fideliter mi-
nistremus, nec cum perversis pervertamur. Ps. xv
(46) *Ut confiteamur nomini sancto tuo* no-
stra mala et tua bona, nos accusando, te-
que laudando, et ita duplici confessione
te venerando, videlicet confessione tuæ
laudis, et nostræ iniquitatis; *et gloriemur*
spirituali jucunditate *in laude tua,* ita
quod te laudemus delectabiliter atque fer-
venter, non pigre aut somnolenter.

48 (47) *Benedictus* sit, id est, ab omnibus A
benedicatur, semperque laudatus sit, *Do-
minus Deus Israel, a sæculo et usque in
sæculum,* id est per omnia sæcula ; *et di-
cet omnis populus,* in Christum credens,
non tantum Judæi : *Fiat, fiat,* id est,
Amen, amen. In omni enim orbe terrarum
consentiunt Christiani huic laudi divinæ,
dicentes : Fiat, fiat.

Porro multa in hoc psalmo contenta,
spiritualiter intelligi possunt. Quod enim
patres prædicti in Ægypto non intellexe- B
runt mirabilia Dei, nec memores fuerunt
multitudinis misericordiæ ejus : significat,
quod multi (proh dolor !) Christianorum
in sæculo isto non advertunt miracula
Christi, nec opera ejus sequuntur, nec re-
colunt beneficia ejus, nec intelligere stu-
dent mysteria Salvatoris. Eductio quoque
filiorum Israel de Ægypto, præfiguravit
conversionem gentium ad Christi fidem et
cultum. Hæc namque conversio est spiritu-
alis egressio de veteri vita atque consortio
II Cor. vi, 17. reproborum, de qua ait Apostolus : Exite C
de medio eorum, et immundum ne tetige-
ritis. Figuravit etiam ingressum religioso-
rum ad claustrum. Tunc enim Ægyptum,
id est mundum istum, prorsus relinquunt,
et dæmonum operibus plene renuntiant.

Demum mare Rubrum signavit Bapti-
smum Christi sanguine consecratum. Et
sicut eundo per mare Rubrum, salvati sunt
filii Israel de servitute Ægypti ac manu
Pharaonis, sic fideles per fontem Bapti-
smatis liberantur a servitute peccati ac
potestate diaboli. Et sicut in mari Rubro D
mergebantur Ægyptii, sic in Baptismo : id
est, non suscipiendo Baptismum, spiritua-
liter pereunt infideles, quia baptizari con-
Joann. III, 5. temnunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex
aqua et Spiritu Sancto, non potest videre
regnum Dei, ut apud Evangelistam Chri-
stus testatur. Manna quoque fuit typus Sa-
cramenti corporis et sanguinis Christi. Et
sicut filii Israel post transitum maris Ru-
Exod. XVI, 35. bri manducaverunt manna, sic Christiani
post regenerationem Baptismi accipiunt
Christi sacramenta. Hinc enim ait Aposto-
lus : Nolo vos ignorare fratres, quoniam I Cor x, 1-4, 6.
patres nostri omnes sub nube fuerunt, et
omnes mare transierunt, et omnes in Moyse
baptizati sunt in nube et in mari, et omnes
eamdem escam spiritualem manducave-
runt, et omnes eumdem potum spiritua-
lem biberunt. Biberunt autem de spirituali
consequente eos petra : petra autem erat
Christus. Hæc autem in figura facta sunt
nostri.

Insuper ex eo quod dictum est, *Aperta* 17
est terra, et deglutivit Dathan, monemur
advertere, quam enorme sit seditionis ac
rebellionis peccatum, atque ambitio domi-
nandi. Expavescant igitur ex tam horrenda
Dei vindicta, qui superiores suos contem-
nunt, qui remurmurant, qui obedire de-
spiciunt, qui præesse desiderant. Pensent
quid Christus dicat prælatis suis vicariis :
Qui vos audit, me audit ; et qui vos sper- Luc. x, 16.
nit, me spernit. Unde et in Exodo Moyses
rebellibus dixit : Non contra nos est mur- Exod. XVI, 8.
mur vestrum, sed contra Dominum. Et
alibi : Quid, inquit, est Aaron, ut murmu- Num. XVI, 11.
retis contra eum? Attendant etiam sacer-
dotes carnaliter et indigne viventes, qua-
liter *flamma combussit peccatores,* qui sibi 18
officium sacerdotale indigne usurpaverunt. Lev. x, 2; Num. XVI, 35.
Nempe, ut ait Apostolus, Quicumque man-
ducaverit panem vel biberit calicem Domi- I Cor. XI, 27.
ni indigne, reus erit corporis et sanguinis
Christi. Idcirco æterno igne cremabitur :
cujus figura exstitit flamma illa divinitus
missa, Coritas consumens. *Et mutaverunt* 20
*gloriam suam in similitudinem vituli co-
medentis fœnum.* His assimilantur, qui
tota die circa phantasmata sua occupan-
tur, non contemplantes cœlestia, nec me-
ditantes in lege divina. Unde Joannes in
prima sua Canonica exhortatur : Filioli, I Joann. v, 21.
custodite vos a simulacris.

Præterea ex eo quod dictum est, *Et dixit* 23
*ut disperderet eos, si non Moyses electus
ejus stetisset in confractione in conspectu
ejus, ut averteret iram ejus,* discant alio-
rum rectores, qui inter Deum ac populum
constituti sunt mediatores, pro grege sibi

Digitized by Google

commisso instantissime, fidelissime, ac fer- A ventissime deprecari; nec amaro indiscretoque zelo contra delinquentes moveri, sed compati: nec tamen eos impunitos relinquere, sed in præsenti eos districte corripiant atque flagellent, si fieri potest, et prodesse conspiciunt. Pensent qualiter Moyses
Exod. xxxii, 31, 32. dixit: Aut dimitte populo hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti. Hanc ergo boni pastores caritatem sequantur, et se vita ac prece mediatores exhibeant inter Deum et sibi commissos, ne rei fiant damnationis eorum, perpendant- B que quod in Ezechiele asserit Dominus:
Ezech. xxii, 30, 31. Quæsivi de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; et non inveni, et effudi super eos indignationem meam.

Sed et exemplo Phinees monentur Deum
Num. xxv, 7, 8. amantes, zelare pro Deo suo contra perversos: quemadmodum tertio libro Regum
III *Reg.* xix, 10. dicit Elias, Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. Omnino namque expediens est, delinquentes in hoc sæculo castigari, ne æternaliter pereant, vel ne in vitiis diu- C tius perseverent. Et sicut ait Chrysostomus, quamvis pium sit, propriam injuriam tolerare, impium tamen est Dei injuriam dissimulare. Verumtamen, sicut testatur
Rom. x, 2. Apostolus, Æmulationem Dei quidam habent, sed non secundum scientiam: hi scilicet qui propria vitia negligunt intueri, deplangere, corrigere et vitare; aliorum vero peccata amare dijudicant, sine compassione condemnant, nec aliorum onera caritative supportant. Circa factum autem Phinees sacerdotis hortatur Hiero- D nymus quemlibet Christi sacerdotem, aliorum rectorem, dicendo: Hoc diligenter ausculta, sacerdos, cui animæ commendatæ sunt. Evagina gladium verbi Dei, interi-
II *Tim.* iv, 2. me fornicationem; insta opportune, importune; argue, increpa, obsecra in omni patientia et doctrina, ut tibi reputetur ad justitiam. Unde in Levitico Dominus sa-
Lev. x, 10, 11. cerdotibus ait: Habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea.

Præterea ex eo quod dictum est, *Pro* 24
nihilo habuerunt terram desiderabilem, curandum est nobis, ne Christi promissa parvi pendamus, ne terram viventium, ne regnum cœlorum, ne beatitudinem sempiternam propter hujus mundi amorem, temporalem honorem, vilem carnis delectationem, aut momentaneæ vitæ hujus complacentiam, miserabiliter irrecuperabiliterque perdamus; sed cum divino Apostolo illud ad Philippenses veraciter proferamus: Omnia arbitror ut stercora, ut *Philipp.*
Christum lucrifaciam. — Postremo ex eo 8.
quod dictum est, *Et vidit quum tribula-* 44
rentur, et audivit orationem eorum, pensemus inæstimabilia viscera infinitæ clementiæ piissimi Dei, atque in omni angustia ad eum cum plena fiducia recurramus,
dicentes: *Peccavimus cum patribus no-* 6
stris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Et tunc utique pœnitebit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, dolebit-
que (sicut ait Scriptura) super miseriis *Judic.* x, 16. *Deut.* xxxii, 43.
nostris, et propitius erit.

Ex eo autem quod dictum est, *Et com-* 35
mixti sunt inter gentes, et didicerunt ope-
ra eorum, et servierunt sculptilibus eorum, 36
monemur advertere, quam periculosum atque nocivum sit famulis Christi, et maxime religiosis ac solitariis, cum sæcularibus hominibus conversari, mundi rumores inquirere, facta sæculi recogitare. Hæc namque cordis puritatem inficiunt, stabilitatem animi interrumpunt, divinam caritatem vehementer dirimunt, solitudinem in horrorem ac nauseam vertunt, sæculi falsam dilectionem gignunt ac nutriunt. Summe igitur nobis Cartusiensibus vitanda sunt ista, si digne conversari optamus vo- *Ephes.* iv, 1.
catione, qua nos Spiritus Sanctus vocavit.

PRECATIO.

Memento nostri in beneplacito tuo, Domine, et doce nos justitiam facere in omni tempore; facque nos in laude tua semper gloriari, et a sæculo usque in sæculum, Deus Israel, benedicere tibi.

Digitized by Google

ARTICULUS XI

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI SEXTI : CONFITEMINI DOMINO... DICANT QUI, ETC.

Psalmi insuper jam tractandi titulus, in A
verbis ac sensu idem est cum titulo psal-
mi præcedentis. Nam titulus ejus est :
Alleluia, alleluia. Materia autem psalmi
præsentis, secundum Augustinum, est gra-
tiarum actio pro universali redemptione
generis humani, facta per Christum, quam
sanctus David Spiritu revelante cognovit.
Alii vero grosse procedentes, affirmant
quod psalmus iste sit gratiarum actio, seu
invitatio ad gratiarum actionem, aliquo-
rum Judæorum a diversis malis liberato-
rum, et ex omni parte mundi divinitus B
ereptorum a locis seu periculis in quibus
fuerunt. Sed quoniam prima expositio lon-
ge convenientior est, subtilior atque de-
votior, et textui consona, ideo ei prius
principaliusque immorandum videtur. Alia
vero forsitan tangetur.

Invitans igitur sanctus Propheta ho-
mines omnes ad Christi laudem pro om-
1 nibus beneficiis ejus, ait : (1) *Confitemini
Domino quoniam bonus, quoniam in sæ-
culum misericordia ejus.* Versiculus iste C
in expositione psalmi præcedentis, qui sic
incipit sicut et iste, satis expositus est.
2 (2) *Dicant* (ad quod versus præcedens hor-
tatur), id est, Dominum laudent, *qui re-
dempti sunt a Domino,* id est, quos Chri-
stus sua incarnatione ac passione redemit,
Ephes. v, 2. juxta illud ad Ephesios : Christus dilexit
nos, et tradidit semetipsum pro nobis obla-
tionem et hostiam Deo, in odorem suavi-
tatis. De quo in Apocalypsi ait Joannes :
Apoc. i, 5. Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis
nostris in sanguine suo. *Quos redemit de* D
manu inimici, id est de potestate et capti-
Joann. xii, vitate diaboli. Propter quod in Evangelio
31. ait, Nunc princeps hujus mundi ejicietur
foras; et apud Osee, De manu mortis libe- Osee xiii,
rabo eos, de morte redimam eos. Unde 14.
apud Matthæum angelus dixit de Christo :
Ipse salvum faciet populum suum a pec- Matth. i, 21.
catis eorum.

De regionibus, id est omnibus terminis
mundi, seu quatuor plagis terræ, *congre-
gavit eos :* non motu locali, sed conver-
sione spirituali; non in eumdem corpo-
reum locum, sed in unam fidem, in unam
Ecclesiam, in cultum eumdem. De hac
namque spirituali congregatione creden-
tium, per Apostolos atque eorum coopera-
tores facta, scriptum est in Joanne : Jesus Joann. xi,
moriturus erat pro gente; et non tantum 51, 52.
pro gente, sed ut filios Dei qui erant di-
spersi, congregaret in unum. Et apud Pro-
phetam : Mittam ex eis qui salvati fuerint, Is. lxvi, 19,
etc.; et adducent omnes fratres vestros ad 20.
montem sanctum meum, id est ad Eccle-
siam militantem. Congregavit autem eos
non solum ab uno latere mundi, sed (3) *A* 3
solis ortu et occasu, id est ab oriente et
ab occidente, *ab aquilone et mari,* id est
a parte aquilonari et australi. Per mare
enim Auster exprimitur, quoniam flat ver-
sus Oceanum : qui mare vocatur, quia ce-
teris aquarum congregationibus major est.
Christus ergo ex omnibus partibus mundi
collegit credentes. Propter quod in Marco
Apostolis dicit : Euntes in mundum uni- Marc. xvi,
versum, prædicate Evangelium omni crea- 15.
turæ. Hoc quoque in Isaia de Christo indu-
citur : Videbunt gentes justum tuum, et Is. lxii, 2.
cuncti reges inclytum tuum : quod imple-
ri non poterat, nisi in omnibus regionibus
fides Christi annuntiaretur.

(4) *Erraverunt* credentes, antequam con- 4
verterentur ad Dominum, *in solitudine,* id
est in mundo isto a gratia Dei relicto :

Digitized by Google

quod intelligendum est de mundo damnationis, et societate angelorum privato, dicentium illud : Curavimus Babylonem, et non est sanata ; derelinquamus eam ; *in inaquoso,* id est in infidelitate seu arido corde, non habente rorem gratiæ salutaris, nec pluviam instructionis cœlestis. *Viam civitatis habitaculi,* id est rectum iter perveniendi ad supernam Jerusalem, ad habitationem Beatorum, ad patriam electorum, *non invenerunt* potestate humana aut lumine naturali. Hæc enim via est fides catholica, quia secundum Apostolum, accedentem ad Deum oportet credere. Fidem vero homo sine supernaturali adjutorio adipisci, seu invenire non potuit. Potest quoque per viam hanc intelligi conversatio bona seu observatio præceptorum, quæ sine gratia haberi non potest, quemadmodum Jeremias hoc clare testatur : Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut dirigat gressus suos. Idcirco semper quærenda est nobis hæc via a Deo, ab angelis sanctis animarum nostrarum custodibus, a doctioribus, melioribus ac superioribus nostris, ne deviemus in isto exsilio. Hinc enim rursus in Jeremia habetur : Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea.

Jer. LI, 9. — *Hebr.* XI, 6. — *Jer.* X, 23. — *Ibid.* VI, 16.

5 (5) *Esurientes et sitientes,* id est beatitudinem appetentes, quam omnes naturaliter appetunt. Vel, Esurientes et sitientes justitiam naturalem : quam multi gentilium in tantum optabant, ut se propter eam morti exponerent. Vel, Esurientes et sitientes felicitatem in bonis terrenis, sensibilibus et caducis, in quibus multi summum hominis bonum posuerunt, ut scribit Boetius. Vel, Esurientes et sitientes justitiam legis divinæ, et prædicationem Evangelii postquam fidem receperunt. *Anima eorum in ipsis defecit :* id est, appetitum hujus famis et sitis ad effectum perducere non valebant propria potestate, sed gratia indigebant. Vel, Anima eorum in ipsis defecit, quoniam licet secundum aliquem modum esuriem suam ac sitim ad actum perduxerunt, acquirendo naturalem justitiam seu temporalium rerum copiam, non tamen suffecit hoc eis ad veram salutem. Propterea vani et vacui permanserunt.

6 (6) *Et clamaverunt ad Dominum* pro auxilio gratiæ ejus, *quum tribularentur,* id est, affligerentur in animo, eo quod optatam perfectionem adipisci non possent, sed tentationibus vincerentur, concupiscentiis quoque succumberent : quod est studiosis tanta afflictio mentis, ut ex eorum persona dicat Apostolus ad Romanos : Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum. Idcirco nunc additur : *et de necessitatibus eorum eripuit eos,* id est, de malis seu vitiis atque periculis, a quibus propria virtute liberari non poterant, liberati sunt gratia Dei, quæ eos illuminavit ad fidem : sine qua nullus adultus utens ratione, sine mortali peccato vivere potest, quia secundum Apostolum, quidquid non est ex fide, peccatum est. Tamen nec fidem, nec gratiam habere quis potest, nisi a Deo. Gentes ergo, quamdiu luce fidei privabantur, gratiaque carebant, indesinenter seu nimis
frequenter peccabant. (7) *Et deduxit eos* 7
in viam rectam : id est, per prædicationem Apostolorum et aliorum doctorum convertit corda eorum ad fidem catholicam, quæ est via ad visionem Dei per speciem. Vel, In viam rectam, id est, in Christum, qui in Evangelio Joannis ait : Ego sum via, veritas, et vita ; nemo venit ad Patrem nisi per me. Vel, In viam rectam, id est bonam conversationem seu præceptorum custodiam, sine qua nemo salvatur, juxta illud Matthæi : Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Ut irent in civitatem habitationis,* id est in patriam Beatorum : quam debemus quotidie ingredi contemplatione ac voto, quatenus finita hac vita, intremus eam realiter. Unde ad Hebræos Apostolus : Festinemus, inquit, ingredi in illam requiem.

Rom. VII, 23-25. — *Ibid.* XIV, 23. — *Joann.* XIV, 6. — *Matth.* XIX, 17. — *Hebr.* IV, 11.

8 (8) *Confiteantur Domino misericordiæ ejus :* id est, beneficia pietatis divinæ, seu effectus misericordiæ Dei hominibus præstita, inducant eos ad confitendum Domino confessione laudis et gratiarum actionis ; *et mirabilia ejus filiis hominum,* id est hominibus exhibita, seu pro hominibus facta, provocent eos ad confitendum Domino modo jam dicto. Debemus enim omnia bona Deo adscribere, eumque pro cunctis laudare, amare ac venerari. Misericordiæ Dei sunt, quod nos ad fidem vocavit, longanimiter exspectavit, pie convertit, gratis justificavit, proficere fecit, in bono conservavit. Mirabilia ejus sunt, quod propter
Baruch III, 38. nos incarnatus est, in mundo conversatus, pro hominibus passus, quod resurrexit, ascendit, Spiritum Sanctum paracletum misit, per se ipsum suosque ministros infinita miracula operari dignatus est.

9 (9) *Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.* Singulare ponit pro plurali. Satiavit enim Christus animas, olim idololatriæ deditas ac per hoc ab omni gratia vacuas, spiritualibus donis, videlicet fide, spe, caritate, donis Spiritus Sancti, gratia multiformi. Sic etiam animas peccatorum, quæ inanes, vanæ ac vacuæ sunt quamdiu vitiis serviunt, satiat Christus dum ad pœnitentiam convertuntur. Et animam esurientem, id est vehementer appetentem Deo conjungi, Deo placere, juste conversari, satiavit bonis optatis, dando ei quotidianum in spi-
Matth. XXV, 29. ritualibus divitiis incrementum. Habenti enim dabitur, et abundabit. Has animas seu homines tales satiat Christus, nunc inchoative et secundum modum ac statum vitæ præsentis ; non tamen satiat eas simpliciter. Sed in patria satiat eas perfecte, plene ac absolute, sicut superius dictum
Ps. XVI, 15. est : Satiabor quum apparuerit gloria tua.
Matth. V, 6. Hinc etiam scriptum est in Matthæo : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quantum enim anima esurit, cupit seu vult, tantum recipit a Deo, tam de gratia in præsenti, quam de gloria in futuro, dummodo vere, pure,

A efficaciter, rationabiliter atque instanter desideret. Deus namque universis infundit secundum quod se præparant, et capaces exsistunt. Præparatio autem seu capacitas ista in voluntate consistit, quoniam desiderium aperit voluntatem ad recipiendum quod amat. Idcirco Deus singulis influit quantum desiderant desiderio puro, efficaci ac stabili. Est autem desiderium purum, quando alieno affectui, scilicet terreno aut carnali amori, non commiscetur ; et efficax, dum quidquid valet, pro adeptio-
B ne boni desiderati exsequitur. Hinc quippe in libro Job inducitur : Si direxerit homo Job XXXIV, 14.
ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Et apud Jeremiam : Quis Jer. XXX, 21.
est iste qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi ? ait Dominus. Quod autem animam inanem ac esurientem Deus sic satiet, Isaias fatetur : Deus sempiternus Is. XL, 28, 29.
Dominus, etc., dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat.

Secundum Aurelium Augustinum, in
C psalmo præsenti tanguntur quatuor tentationes seu quatuor mala, a quibus nos eripit Christus. Primum malum seu prima tentatio est, deviatio in hoc mundo a Deo, spiritualisque fames et mentis inopia : a quibus per Christum eripimur, dum in rectam viam perveniendi ad Deum deducimur et spiritualiter satiamur. Secundum malum seu secunda tentatio est, difficultas superandi concupiscentias, propter consuetudinem malam et impetum passionum. Sic laborantes adjuvat Christus. Tertia est
D tentatio tædii, torporis seu acediæ, dum homo spiritualem laborem fastidit, et opera bona aggredi differt et horret. Hunc Christus per gratiam excitat et inflammat. Quarta est difficultas in bene agendo propter varia impedimenta occurentia, quæ sunt velut procellæ ac tempestates atque discrimina hujus maris magni, id est mundi istius, in quo, famulo Christi mille impedimenta inquietudinesque occurrunt, retrahentes a Deo. Ab hoc malo salvat nos Christus, mitigando per gratiam difficul-

Digitized by Google

tates hujusmodi, conferendo videlicet pa-
cem internam, stabilemque quietem inter
omnia turbulenta vitæ præsentis negotia.

Hucusque ergo egit Propheta de libera-
tione a primo malo seu prima tentatione.
Nunc agit de ereptione a malo secundo.
10 (10) *Sedentes in tenebris et umbra mortis,*
vinctos in mendicitate et ferro : id est, hos
quoque Christus satiavit ac liberavit, qui
sederunt aut sedent in tenebris infidelita-
tis aut ignorantiæ, et umbra mortis, id est
vita maligna, quæ est imago mortis æter-
næ ; vinctos jugo peccati ac servitute di-
aboli, in mendicitate, id est in penuria
totius spiritualis boni, et ferro, id est con-
suetudine vitiosa, quæ tam fortiter ligat
hominem in peccato, quam fortiter ligat
catena corpus in nervo. Quod autem Chri-
stus hos redimat, in Isaia ostenditur, ubi
Is. XLII, 6, 7. Deus Pater ait ad Christum : Ego Dominus
vocavi te in justitia, et apprehendi manum
tuam, et servavi te ; et dedi te in fœdus
populi, in lucem gentium, ut aperires ocu-
los cæcorum, et educeres de conclusione
vinctum, de domo carceris sedentes in te-
nebris. Unde in Evangelio Zacharias cla-
Luc. I, 79. mat ad Christum : Illuminare his qui in
tenebris et in umbra mortis sedent. Cur
autem homines tanta mala incurrerint,
11 subditur : (11) *Quia exacerbaverunt,* id est,
acerba et fugienda æstimaverunt, *eloquia*
Dei, obedire nolentes. Vel, Exacerbaverunt
eloquia Dei, id est, Deum per Scripturas
ac prædicationem servorum suorum, le-
gemque naturalem in cordibus omnium
scriptam, eis loquentem, ad iracundiam
provocaverunt ; *et consilium Altissimi,* id
est exhortationem divinam *irritaverunt,* id
est, irritam fecerunt atque spreverunt, ido-
lolatriam aliaque peccata nolentes relin-
Zach. VII, 11, 12. quere, prout in Zacharia Dominus ait : No-
luerunt attendere, et averterunt scapulas
recedentes ; cor suum posuerunt ut ada-
mantem, ne audirent legem.

12 (12) *Et humiliatum est,* id est vile fa-
ctum, confusum, dæmonique subjectum, *in*
laboribus operum malignorum, *cor eorum.*
Sap. V, 7. Unde in libro Sapientiæ dicunt : Lassati su-
A mus in via iniquitatis, et ambulavimus vi-
as difficiles. Peccatori namque dedit Deus *Eccle.* 26.
afflictionem et curam superfluam, ut Ec-
clesiastes testatur. *Infirmati sunt* corde,
non potentes a diaboli laqueis resipiscere
propria potestate, *nec fuit qui adjuvaret*
nisi Deus, qui per Osee testatur, Ego Do- *Osee* XIII.
minus, et salvator non est præter me. Pro-
pterea, (13) *Et clamaverunt ad Dominum* 13
quum tribularentur, quatenus adjutorium
eis impenderet : quod et fecit, quia *et de*
necessitatibus eorum, id est prædictis peri-
B culis, *liberavit eos* sicut subjungitur. (14) *Et* 14
eduxit eos de tenebris infidelitatis et igno-
rantiæ, *et umbra mortis,* id est pristina con-
versatione maligna ; *et vincula eorum,* id
est obligationes vitiorum, quibus a dæmone
capti fuerunt, *dirupit,* ignoscendo eorum
peccatis, et transferendo eos in regnum
atque hereditatem Patris cœlestis. Hinc
enim per Isaiam Christus ait : Deducam *Is.* XLII, 16.
cæcos in viam quam nesciunt, et in semi-
tis quas ignoraverunt, ambulare eos faci-
am. Et in prima Petri Canonica habetur :
C Redempti estis de vana vestra conversatio- I *Petr.* I, 18, 19.
ne paternæ traditionis, pretioso sanguine
quasi Agni immaculati. Dirumpit autem
Christus vincula peccatorum, prout in pri-
ma Joannis epistola scriptum est : In hoc I *Joann.* III, 8.
apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera dia-
boli. Propter tanta igitur beneficia, (15) *Con-* 15
fiteantur Domino misericordiæ ejus, etc.,
secundum sensum expositum.

Advertendum quoque quod hi duo ver-
sus, Et clamaverunt ad Dominum quum
tribularentur, etc., et, Confiteantur Domi-
D no misericordiæ ejus, etc., quatuor vici-
bus repetuntur, secundum quod quatu-
or tentationes in psalmo hoc describun-
tur, a quibus divinitus liberamur, et pro
quarum liberatione Domino regratiari te-
nemur.

(16) *Quia contrivit portas æreas :* id est, 16
habitus malos seu vitia in anima radicata
ex consuetudine prava, Dominus exstirpa-
vit de corde credentium ; *et vectes ferreos,*
quibus portæ muniri solent, id est propri-
arum culparum excusationes, *confregit,* id

Digitized by Google

est, a fidelibus abstulit, ita quod non de- A
fendunt se ipsos, sed culpam suam humi-
liter recognoscunt. Per hæc namque metal-
la designantur peccata durissima, a quorum
vinculis anima difficillime solvitur. Unde
Is. XLVIII, 4. in vitiis habituato dicitur per Isaiam : Sci-
vi quia durus es tu, et nervus ferreus cer-
vix tua, et frons tua ærea, dicit Dominus.
Sicut autem portæ vecte clauduntur, ne
qui intus est, egrediatur; sic per excu-
sationem peccati, anima claudit os suum
a confessione salubri, et peccata intus
latentia non aperiuntur neque sanantur. B
17 (17) *Suscepit eos* ad pœnitentiam salutarem
ac pristinam amicitiam *de via iniquitatis
eorum,* id est de via ac vita eorum ini-
qua, secundum quod per Jeremiam repro-
Jer. III, 12. mittit : Revertere ad me, et non avertam
faciem meam. *Propter injustitias enim
suas humiliati sunt,* id est, propter culpas
suas puniti sunt. Vel, Propter injustitias
suas, id est ex consideratione peccatorum
suorum, humiliati sunt coram te, confi-
tentes se omni pœna condignos propter
suos excessus. C

Deinde describitur tertium malum, quod
18 est fastidium boni. (18) *Omnem escam* spi-
ritualem, id est omnem bonam operatio-
nem, quæ mentem in vita gratiæ conser-
vat, alit, ac perficit, *abominata est anima
eorum* ex tentatione acediæ, ex defectu
fervoris in Deo, et torporis ignavia, *et ap-
propinquaverunt usque ad portas mortis,*
id est, pene consenserunt huic fastidio :
sicque mortalibus peccatis, quæ sunt portæ
mortis atque inferni, appropinquaverunt.
Si enim ex tali abominatione operis boni, D
neglexissent mandata Dei, peccassent mor-
taliter, et ingressi fuissent portas mortis
spiritualis, æternalis ac infernalis; sed di-
vinitus præservati sunt, ne eas intrarent,
19 nam, (19) *Et clamaverunt ad Dominum* pro
infusione sanctæ devotionis, *quum tribu-
larentur,* id est, cordialiter affligerentur
ex tali torpore; *et de necessitatibus eorum,*
id est prædictis angustiis, *liberavit eos,*
fortitudinem, caritatisque fervorem exci-
20 tando in ipsis. (20) *Misit* Deus Pater *verbum
suum,* id est Filium suum unigenitum : de
quo scriptum est, In principio erat Ver- Joann. I, 1.
bum. Hunc misit per incarnationem in
mundum, juxta illud : Verbum caro fa- Ibid. 14.
ctum est, et habitavit in nobis. *Et sanavit
eos* a vulneribus animæ, *et eripuit eos de
interitionibus eorum,* id est a peccatis qui-
bus moritur anima, prout in Ezechiele as-
seritur : Anima quæ peccaverit, ipsa mori- Ezech. XVIII, 20.
etur. Hinc enim in prima Joannis Canonica
ait Scriptura : Pater misit Filium suum I Joann. IV, 14.
salvatorem mundi. Vel, Deus misit verbum
suum, id est effectum Verbi sui, videlicet
gratiam. Vel, verbum, id est prædicatio-
nem verbi cœlestis, qua anima infirma sa-
natur, quemadmodum in libro Sapientiæ
scriptum est : Sermo tuus, Domine, sanat Sap. XVI, 12.
omnia.

(21) *Confiteantur Domino misericordiæ* 21
ejus, etc., sicut jam dictum est. (22) *Et sa-* 22
crificent filii hominum *sacrificium laudis*
Domino : qui bonorum nostrorum non Ps. XV, 2.
eget, sed humili laude et spirituali sacri-
ficio delectatur magis, quam omnibus ho-
locaustis veteris legis. Unde superius di-
xit : Sacrificium laudis honorificabit me. Ps. XLIX, 23.
Et annuntient, id est, aliis prædicent, vel
apud se recitent, *opera ejus,* id est mira-
bilia Christi, beneficia scilicet et miseri-
cordias ejus, *in exsultatione,* id est cum
spirituali lætitia ex divina caritate manan-
te. Qui enim diligit Deum, in annuntiatio-
ne operum ejus corde tenus gloriatur, sic-
ut superius dictum est : Exsultabunt labia Ps. LXX, 23.
mea quum cantavero tibi.

(23) *Qui descendunt mare in navibus,* id 23
est, qui ab exercitiis contemplativæ vitæ
se deponunt ad opera vitæ activæ, consu-
lendo saluti proximorum, et mare, id est
mundum, intrantes, seu homines acceden-
tes, *facientes operationem,* id est piam ex-
hortationem, diligentem inquisitionem, ju-
stam correctionem, *in aquis multis,* id est
in populis plurimis. Aquæ enim multæ, Apoc. XVII, 1, 15.
populi multi sunt, secundum Joannem in
Apocalypsi. Boni namque pastores et alio-
rum cultores, multas adhibent operationes
subjectis, quatenus eos purgent, illumi-

Digitized by Google

24 nent, atque perficiant. (24) *Ipsi* prælati et
contemplativi sic descendentes, *viderunt* oculo fidei *opera Domini,* id est facta Christi in Evangelio clare digesta, seu omnia opera Creatoris in sacris Scripturis expressa; *et mirabilia ejus* spiritualiter viderunt *in profundo,* id est in alto intellectu, per quem historialia mystice intellexerunt: sicut quod connubium Salomonis cum filia Pharaonis, significavit desponsationem Ecclesiæ ex gentilibus congregatæ, cum Christo; et venditio Joseph, Christi venditionem; Jonæ quoque in ventre ceti triduana permansio, Christi sepulturam præfiguravit. Vel, Viderunt mirabilia Dei in profundo, id est in secreto cordis humani : quod dicitur profundum, quia est inscrutabile, juxta illud in Jeremia, Pravum est cor hominis et inscrutabile. (*Jer.* xvii, 9.) Et in hoc profundo vident pastores mirabilia Dei, quando ad exhortationem eorum, corda dura in lacrimas resolvuntur, animæ spiritualiter mortuæ ad vitam gratiæ suscitantur, peccatores indurati ad pœnitentiam convertuntur; incontinentes, et qui interdum vix modico tempore poterant continere, tota vita sua continentiam servant ; superbi humiles fiunt, iracundi mitescunt. Hæc sunt mirabilia Dei, quia secundum Augustinum, major est impii justificatio quam mundi creatio.

Consequenter describitur periculum seu
25 tentatio tempestatis. (25) *Dixit* Deus, cujus
dicere est facere, *et stetit,* id est, stabilis fuit atque invaluit, *spiritus procellæ,* id est persecutio tyrannica in fideles, seu tentatio gravis. Hanc procellam Deus dixit, id est, permisit esse, ad majus meritum electorum suorum. *Et exaltati,* id est firmati et aucti, *sunt fluctus ejus,* id est motus persecutionum istarum : quoniam dum Deus permittit, augentur tribulationes justorum, et invalescit crudelitas perversorum.

26 (26) *Ascendunt usque ad cœlos :* id est, per-
secutores et tentatores eriguntur in altum contra Deum omnipotentem, crudelitasque eorum atque perversitas propter magnitudinem suam penetrat cœlos, quoniam provocat Deum ad vehementem vindictam. Unde secundo Paralipomenon filiis Israel dicitur : Crudelitas vestra usque ad cœlos pervenit. (II *Par.* xxviii, 9.) *Et descendunt usque ad abyssos,* id est, turpiter et carnaliter vivunt, et tandem deficiunt, et in infernum labuntur. Vel, Descendunt usque ad abyssos, id est, quantum se contra Deum extollunt, tantum humiliantur a Deo ac pereunt, juxta illud Job : Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. (*Job* xx, 6, 7.) Unde in Isaia dicitur superbo, qui supra astra cœli solium suum exaltare molitus est : Verumtamen in infernum detraheris in profundum laci. (*Is.* xiv, 15.) *Anima eorum in malis tabescebat,* id est in propriis peccatis contabuit, aruit et defecit, quemadmodum Jeremias fatetur : Unusquisque in iniquitatibus suis tabescet; (*Jer.* xxxi, 30.) et iterum, Omnis qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus. (*Ibidem.*) Qui enim alii nocumentum inferre conatur, primo se ipsum interimit, et uniuscujusque malitia in se ipsum redundat. Propter quod in Proverbiorum libro Salomon fassus est : Iniquitates suæ capient impium, et funibus peccatorum suorum constringetur. (*Prov.* v, 22.)

Vel : *Ascendunt usque ad cœlos :* id est, fideles tam dire afflicti, orando et contemplando cœlos ascendunt, usque ad Christum, quatenus ex consideratione præmiorum cœlestium facilius omnia patiantur. Nam consideratio præmii minuit vim flagelli. *Et descendunt usque ad abyssos :* id est, post tantam contemplationem ex gratia acquisitam, iterum ex humana fragilitate cadunt ad cogitationes carnales, ad phantasmata inutilia, ad occupationes indignas. Nam et Paulus post raptum passus est stimulum carnis. (II *Cor.* xii, 7.) Hoc autem Deus permittit, ut homo perpendat quid habeat ex se ipso, quid item ex Deo. Vel, Descendunt usque ad abyssos, considerando tormenta inferni : ex quorum consideratione tolerabilia fiunt omnia mundi supplicia. *Anima eorum* sic afflictorum, *in malis,* id est in

Digitized by Google

pœnis et culpis, quibus undique circum- A
dantur homines in hac misera vita, in qua
Prov. xxiv, 16. justus septies cadit in die, *tabescebat,* id
est, tædio atque tristitia affecta et lan-
guens effecta est, sicut in Threnis ait Je-
Thren. v, 17. remias : Propterea in dolore mœstum fa-
ctum est cor nostrum ; ideo contenebrati
sunt oculi nostri.
27 (27) *Turbati sunt* animo *et moti sunt* a
recto judicio rationis *sicut ebrius,* sequen-
do impetus passionum, atque irrationabi-
les motus; *et omnis sapientia eorum,* quam
tempore tranquillitatis videbantur habe- B
re, *devorata est* tempore persecutionis seu
tentationis, ita quod actus rationis pas-
sioni succubuit, et insipientia eorum sa-
pientiæ actum impedivit. Multi namque
tempore pacis, quietis, prosperitatis et ju-
cunditatis, virtuosi ac sapientes apparent ;
sed dum adversitas, inquietudo, et tribula-
tio eis supervenit, superantur, ratio cadit,
sensualitas dominatur, virtus succumbit, et
vitia prævalent. Unde et Christus de qui-
Luc. viii, 13. busdam ait in Evangelio : Hi radices non
habent, quia ad tempus credunt, et in tem- C
pore tentationis recedunt. Et rursus alio
in loco ait de eo, qui non facit quod scit
esse agendum, sed ex passione aut perse-
Matth. vii, 26. 27. cutione cadit a medio rationis : Similis erit
viro stulto, qui ædificavit domum suam
supra arenam ; et descendit pluvia, et ve-
nerunt flumina, et flaverunt venti, et ir-
ruerunt in domum illam, et cecidit ; fuit-
que ruina ejus magna. Hæc autem præcipue
jam dicuntur de rectoribus aliorum, qui
propter varias causas atque negotia subdi-
torumque imperfectionem, cadere solent a D
fortitudine mentis et recto judicio ratio-
nis, iræ et impatientiæ motum admitten-
tes. Talibus ergo præsertim, imo omnibus
nobis orandum est ut Deus cor nostrum
quotidie in ipso confirmet, ne in adversis,
atque turbulentiis aliorum frangatur : quia
Hebr. xiii, 9. ut ait Apostolus ad Hebræos, Optimum est
gratia stabiliri cor. Inhonestum namque
ac turpe est viro erudito, et maxime alio-
rum rectori, in adversis deficere. Propter
quod in libro Job dicitur ei, qui videbatur
propter adversa turbatus : Ubi est timor Job iv, 6.
tuus, fortitudo tua, et patientia tua, et per-
fectio viarum tuarum ?
(28) *Et clamaverunt ad Dominum :* qui 28
ut propheta Nahum testatur, Increpat ma- Nahum i, 4.
re et exsiccat illud ; *quum tribularentur*
tantis adversis, dicentes cum Petro, Domi- Matth. viii, 25.
ne, salva nos, perimus. Nec frustra : nam
et de necessitatibus eorum, id est prædictis
periculis, *eduxit eos :* non enim sinit nos I Cor. x, 13.
tentari supra id quod possumus. (29) *Et* 29
statuit procellam ejus, id est, strepitum
persecutionis, asperitatem adversitatis, et
motum tentationis mutavit *in auram,* id
est ventum leniter flantem : ita quod ad-
versitatem mitigavit, et tranquillitatis se-
renitatem menti infudit. Non tamen ten-
tationem penitus abstulit : quia, ut ait
Augustinus, Persevera usque in finem,
quoniam tentatio perseverat usque in fi-
nem. Sic ergo petamus unam auferri, ut
aliam præstolemur. *Et siluerunt fluctus*
ejus, id est, impugnationes tentationum
cessaverunt ad tempus.
(30) *Et lætati sunt* in Domino homines 30
exonerati a jugo tentationum. Unde in li-
bro Tobiæ scriptum est : Non delectaris, Tob. iii, 22.
Domine, in perditionibus nostris, quia post
tempestatem tranquillum facis, et post
fletum exsultationem infundis. Et lætati
sunt, gloriantes in Domino de sua liberati-
one, *quia siluerunt* fluctus persecutionum
istarum. Hinc namque Tobias sanatus ait :
Benedico te, Domine, quoniam tu castigasti Ibid. xi, 17.
me, et tu sanasti me. Apostolus quoque :
Benedictus Deus, qui consolatur nos in II Cor. i, 3, 4.
omni tribulatione nostra. *Et deduxit eos in*
portum voluntatis eorum, id est in pacem
omnibus mortalibus desideratam, in perfe-
ctionem optatam, ad conscientiæ securita-
tem, ad tranquillitatem dulcissimam, et
post hujus vitæ decursum ad patriam ele-
ctorum. Qui enim adversa fortiter tolerat,
et in tristibus causis Christo fidelis ac stabi-
lis permanet, ad hunc portum pacis ac con-
solationis perduci meretur. Propter quod
dicit Salvator discipulis : Amen, amen di- Joann. xvi, 20.
co vobis, quia plorabitis et flebitis vos,

Digitized by Google

mundus autem gaudebit; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et Apostolus ad
II Cor. I, 7. Corinthios ait : Scitote, quoniam sicut socii passionum estis, sic eritis et consola-
Ibid. 5. tionis. Itemque : Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

31 (31) *Confiteantur Domino misericordiæ ejus,* etc., eo quod post tantam persecutio-
32 nem, tantam pacem largitus sit. (32) *Et exaltent eum,* id est, magnifice verbo et opere eum honorent, *in ecclesia plebis,* id est in congregatione fidelium; *et in cathedra seniorum,* id est in loco ac sede superiorum, *laudent eum,* qui sedent in cathedra tali. Vult ergo Propheta, ut omnes Deum unanimiter laudent, magni et parvi, superiores et inferiores, quemadmodum
Apoc. XIX, 5. in Apocalypsi dicitur : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. Et Apostolus ad Ro-
Rom. XV, 5, 6. manos : Deus patientiæ et solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum.

33 (33) *Posuit flumina in desertum,* id est, Deus fluenta gratiæ atque doctrinæ in corda gentilium derivavit. Gentilitas namque
Is. XXXV, 1. desertum vocatur, juxta illud Isaiæ : Lætabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo. Demum, dum Deus mentem nostram cœlitus gratia sua perfundit, flumina ponit in desertum. *Et exitus aquarum,* id est Synagogam Judæorum, quæ aliis pluviam prædicationis influere consuevit, posuit *in sitim,* quoniam propter incredulitatem ipsorum privati sunt vera sapientia Christi. Et huic simile est quod Christus
Joann. IX, 39. testatur : In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant. In Christi namque adventu cœpit Judæa excæcari, quæ ante videbat; gentilitas quoque illuminari, quæ ante caligabat. Nam quem Judæi futurum credebant, præsentem non noverant; gentiles vero per prædicationem Christi et Apostolorum radio sapientiæ illustrati
Is. LII, 15. sunt. Ideoque in Isaia habetur : Quibus
A non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierunt, contemplati sunt.

Posuit etiam Deus (34) *Terram fructiferam in salsuginem :* id est, Judæam seu 34
Synagogam olim doctrina et vita fecundam, fecit siccam et sterilem, abstrahendo a populo Judæorum gratiæ infusionem, quemadmodum in Osee vaticinio induci-
tur : Radix eorum exsiccata est, fructum Osee IX, 16.
nequaquam facient. Hoc autem fecit *a malitia inhabitantium in ea,* id est propter peccata populi hujus, secundum quod rur-
B sus Osee testatur : Abjiciet eos Dominus Ibid. 17.
Deus meus, quia non audierunt vocem ejus.
Et per Jeremiam Dominus ait : Computre- Jer. VIII, 9, 10.
scere faciam superbiam populi hujus pessimi, qui nolunt audire verba mea, et ambulant in pravitate cordis sui.

(35) *Posuit desertum,* id est gentilitatem, 35
in stagna aquarum, id est in stabilem exuberantiam spiritualium gratiarum at-
que cœlestium doctrinarum : nam ubi Rom. V, 20.
abundavit iniquitas, superabundavit et gratia; *et terram sine aqua,* id est gentes
C quondam sine divina illuminatione et gratia exsistentes, posuit *in exitus aquarum,* id est, tam copiosam gratiam eis per prædicationem Apostolorum infudit, quod etiam ipsi alios docere atque convertere potue-
runt. Unde ad Ephesios Apostolus : Reve- Ephes. III, 5, 6.
latum est, inquit, sanctis Apostolis et Prophetis in spiritu, esse gentes coheredes et concorporales promissionis Dei in Christo
Jesu. (36) *Et collocavit* Deus *illic,* id est in 36
prædicta affluentia gratiæ atque doctrinæ cœlestis, *esurientes* justitiam, qui avide
D receperunt fidem catholicam, et verbi cœlestis prædicationem, quemadmodum in Actibus Apostolorum de Thessalonicensi-
bus scriptum est : Nobiliores ex eis cum Act. XVII, 11.
omni aviditate susceperunt verbum Domini, quotidie scrutantes Scripturas. *Et constituerunt civitatem habitationis,* id est Ecclesiam militantem : quæ est civitas Dei et domus Christi, ex fidelibus collecta atque constructa.

(37) *Et* ipsi Apostoli, ac successores et 37
imitatores eorum, *seminaverunt agros,* id

Digitized by Google

est, homines in mundo morantes fecunda- A
verunt et impleverunt verbo Dei, mitten-
do in corda ipsorum Evangelium Salva-
toris. Ut enim apud Matthæum Christus
Luc. VIII, asseruit, Semen est verbum Dei, ager vero
11; Matth. est mundus. Apostoli autem hoc semine
XIII, 38. mundum impleverunt, quemadmodum in
Is. XXVII, 6. Isaia dictum est : Florebit et germinabit
Israel, et implebit faciem orbis semine.
Hujus seminis fructum non protulerunt
Judæi, sed gentes : et ideo Christus apud
Matth. XXI, Matthæum eis locutus est, Auferetur a vo-
43. bis regnum Dei, et dabitur genti facienti B
fructus ejus. *Et plantaverunt vineas,* id
est, Ecclesias particulares fundaverunt in
Christo. Nam Petrus plantavit vineam Chri-
sti in Italia, Joannes in Asia, Thomas in
India. Quod autem Ecclesia appelletur vi-
nea, constat ex eo quod in Isaiæ habetur
Is. V, 7. vaticinio : Vinea Domini exercituum, do-
mus Israel est. *Et fecerunt fructum nativi-
tatis,* id est, multos genuerunt in Christo,
I Cor. IV, quemadmodum ait Apostolus : In Christo
15. Jesu per Evangelium ego vos genui. Tot
enim spiritualiter genuerunt, quot ad Chri- C
stum converterunt.

38 (38) *Et benedixit eis* Deus, id est, gratiam
copiosam contulit eis, prout in Actibus
Act. XIII, 52. Apostolorum legitur : Discipuli repleban-
tur gaudio et Spiritu Sancto ; *et multipli-
cati sunt nimis* merito et numero, secun-
Ibid. II, 47. dum quod Lucas in Actibus dicit : Dominus
quotidie augebat qui salvi fierent. *Et ju-
menta eorum,* id est idiotas et simplices,
jugum Domini super se humiliter bajulan-
tes, *non minoravit :* nam talium plures a
Deo electi sunt, quam nobilium et sapien- D
tium. Unde ad Corinthios dicit Apostolus :
I Cor. I, 26. Videte vocationem vestram, fratres, quia
non multi sapientes secundum carnem,
non multi potentes, non multi nobiles sunt
inter vos; sed quæ stulta et abjecta sunt
mundi, elegit Deus, ut confundat sapi-
entes.

39 (39) *Et pauci facti sunt* fideles in aliqui-
bus locis atque Ecclesiis, per occisionem
eorum a tyrannis ac impiis ; *et vexati sunt
a tribulatione malorum,* qui pios affli-
gunt, *et dolore* eis inflicto a tyrannis et
perfidis. Sæpe namque infideles urbes et
villas, terras atque Ecclesias Christiano-
rum vastaverunt, destruxerunt, et fideles
occiderunt. (40) *Effusa est contentio su- 40
per principes :* id est, majores persequen-
tium Christianos, in contentionem versi
sunt, vel contra se invicem, vel contra ve-
ritatem fidei christianæ, vel contra prin-
cipes christianos ; *et errare fecit,* id est
permisit, *eos* Deus *in invio,* id est in infi-
delitate, in qua nulla est via perveniendi
ad ultimum finem, *et non in via,* id est
in fide vera, quia nec fidem habuerunt.
(41) *Et adjuvit pauperem de inopia :* id 41
est, populum gentilem, spiritualibus divi-
tiis destitutum, sublevavit de ista penu-
ria, ditans eum spiritualibus bonis ; *et po-
suit* eos *sicut oves familias :* id est, sic eos
in domo sua (quæ est Ecclesia) collocavit,
pavit et custodivit, quemadmodum pastor
oves suas custodit, locat et alit. Unde apud
Joannem Christus : Alias, inquit, oves ha- Joann. X,
beo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas 16.
oportet me adducere. Vel, Adjuvit paupe-
rem, id est humilem, de inopia, exaudien-
do precem ipsius. Deus enim superbis re- Jacob. IV, 6.
sistit, humilibus autem dat gratiam. Porro
in tantum adjuvat eum de inopia, ut dicat
in Evangelio : Beati pauperes spiritu, quo- Matth. V, 3.
niam ipsorum est regnum cœlorum. Quid
ergo hoc paupere ditius, cui promissa est
cœlestis regni possessio? Merito igitur ait
Tobias : Noli timere, fili mi : pauperem Tob. IV, 23.
quidem vitam gerimus, sed habebimus
multa bona, si timuerimus Deum. Et Apo-
stolus ad Corinthios : Altissima paupertas II Cor. VIII,
eorum, abundavit in divitias simplicitatis 2.
eorum.

(42) *Videbunt recti,* id est, prædictas 42
misericordias Dei justi intelligent, *et læta-
buntur* in Deo propter beneficia ejus tam
copiosa ; *et omnis iniquitas,* id est omnis
iniquus contra veritatem et contra justos
impudenter insolenterque garriens, scili-
cet dæmon, tyrannus, falsus frater, atque
hæreticus, *oppilabit,* id est claudet, *os
suum,* quoniam ab ipsa veritate vincetur,

Digitized by Google

et confundetur, et tandem a Christo reprobabitur atque damnabitur. Propter quod apud Isaiam Dominus ait superbo : Ponam circulum in naribus tuis, et frenum in maxillis tuis. (*Is.* xxxvii, 29.) Sæpe etiam impii qui justis detrahunt, dum conversationem eorum sanctam conspiciunt, silent a malo, eosque interdum commendant quibus detrahebant. Hinc enim princeps Apostolorum ait : Hæc est voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. (I *Petr.* ii, 15.)

43 (43) *Quis sapiens, et custodiet hæc?* id
est, qui vere sapiens est, ista memoriter
retinebit, spiritualiter sumet, seque inopem reputabit ; *et intelliget misericordias Domini?* id est, multiplicem gratiam sibi ac ceteris præstitam diligenter pensabit, per experientiamque cognoscet, quam pius et clemens sit Dominus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis. (II *Par.* xxx, 9. II *Cor.* i, 3.) Et huic simile est quod Osee propheta dicit : Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? (*Osee* xiv, 10.) Sed videtur contrarium quod in Evangelio Veritas adstruit : Confiteor, inquiens, tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus. (*Matth.* xi, 25; *Luc.* x, 21.) Et respondendum, quod Christus loquitur ibi de sapientibus hujus mundi, quorum sapientiam Deus stultam facit. (I *Cor.* i, 20.) Nunc autem fit sermo de vere sapientibus, a Spiritu Sancto illuminatis.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO LITTERALIS EJUSDEM PSALMI CENTESIMI SEXTI.

QUIDAM autem hunc psalmum ad litteram exponunt de solis Judæis, corporalibusque periculis, a quibus divinitus liberati sunt : et est expositio ista satis infructuosa, nec litteræ consonat in quibus-
1 dam. Ait itaque : *Confitemini Domino,* etc.,
2 sicut expositum est. *Dicant qui redempti*
sunt a diversis periculis, *a Domino* Deo
Israel, *quos redemit de manu inimici* et
tyranni, eos qualitercumque affligentis. *De*
regionibus in quibus erant dispersi, *congregavit eos,* reducendo eos in terram patrum suorum, sicut per Ezechielem dixit : Tollam vos de gentibus, et congregabo vos de nationibus, et inducam vos in terram (*Ezech.* xxxvi, 24.)
3 vestram ; *a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari,* id est a terris Judææ vicinis ex omni latere ejus, secundum quod quædam terræ respectu ejus sunt orientales, quædam occidentales, etc., in quibus quidam Judæorum fuerunt dispersi, et a quibus reducti sunt.

4 *Erraverunt in solitudine,* id est in deserto, *in inaquoso,* id est in loco sicco, quia in desertis nullæ aut modicæ aquæ reperiuntur. *Viam civitatis habitaculi,* id est iter tritum ac certum ad civitatem aliquam ducens, in qua secure habitare possent, *non invenerunt,* quia in locis deserti non inveniuntur itinera strata. Et quia ex tali deviatione sequitur fames ac sitis,
ideo subditur : *Esurientes et sitientes* panem et potum corporeum, *anima eorum* 5
in ipsis defecit a naturali vigore. *Et clamaverunt ad Dominum* pro recto meatu. 6
Et deduxit eos in viam rectam, ut irent 7
in civitatem habitationis, in qua tuto manerent. Propterea, *Confiteantur Domino* 8
misericordiæ ejus, etc. *Quia satiavit animam inanem,* id est hominem, vacuum 9
ventrem habentem, *et animam,* id est hominem, *esurientem satiavit bonis* cibi ac potus.

Deinde ponitur liberatio a captivitate :
Sedentes in tenebris, id est in carceribus 10
tenebrosis, *et umbra mortis :* nam talia loca sunt morti similia, propter afflictiones gravissimas; *vinctos in mendicitate,* id est

parco victu, *et ferro,* id est catenis : captis
enim datur modicus cibus. Hos ergo rede-
11 mit, qui ideo capti erant, *Quia exacerba-*
14 *verunt eloquia Dei,* etc. *Et eduxit eos de*
tenebris, id est prædictis ergastulis, *et um-*
bra mortis, id est misera vita captivitatis,
quæ morti est similis, *et vincula eorum,*
16 quibus erant ligati, *dirupit, quia contrivit*
portas æreas, quibus erant conclusi.
18 *Omnem escam* corporalem *abominata est*
anima eorum, ex gravi corporis infirmita-
te, *et appropinquaverunt usque ad portas*
mortis, id est ad agonem, quia sanari se
20 posse desperaverunt. *Misit verbum suum,*
id est, dicendo præcepit, *et sanavit eos, et*
eripuit eos de interitionibus eorum, id est
de languoribus mortem inducentibus.

Consequenter agitur de liberatione a
23 tempestatibus atque periculis maris. *Qui*
descendunt mare in navibus, ad navigan-
dum in eo, *facientes operationem in aquis*
multis, id est in mari diversos labores
24 exercentes. *Ipsi viderunt opera Domini,*
quæ natant in mari, scilicet pisces et alia
quædam insolita, quæ frequenter appa-
rent in mari. Unde subjungitur, *et mira-*
bilia ejus viderunt *in profundo* maris, vi-
25 delicet monstra, belluasque marinas. *Dixit*
Deus, *et stetit,* id est, surrexit atque in-
valuit, *spiritus procellæ,* id est ventus et
motus tempestatis, *et exaltati sunt fluctus*
ejus, id est, in altum ascenderunt, et intu-
26 muerunt gurgites maris. *Ascendunt usque*
ad cælos, id est, mari sic intumescente, na-
ves et nautæ in eis exsistentes, ascendunt
in magnam altitudinem aeris, *et descendunt*
usque ad abyssos, id est in magnam maris
profunditatem, secundum quod fluctus de-
scendunt ; *anima eorum,* id est nautarum,
in malis pœnæ *tabescebat,* propter pericu-
27 la imminentia. *Turbati sunt* corde, *et moti*
sunt corpore, timore atque tremore, *sicut*
ebrius qui stare et ratione uti non potest
perfecte ; *et omnis sapientia eorum devo-*
rata est, quia in tantis periculis nesciunt
sibi consulere : quoniam magnæ passiones
actum rationis impediunt, eo quod virtu-
29 tem phantasticam multum deordinent. *Et*

A *statuit procellam ejus,* id est, Deus tem-
pestatem maris convertit, *in auram,* id
est in ventum suavem et statum* quietum ; * flatum
et siluerunt fluctus ejus, id est, fluctus ma-
ris a suo strepitu cessaverunt. *Et lætati* 30
sunt nautæ, *quia siluerunt* hi fluctus ; *et*
deduxit eos Deus *in portum voluntatis*
eorum, id est in portum optatum.

Posuit Deus *flumina in desertum,* id 33
est, aquas fluviorum fecit deficere, ita
quod terra ante aquis irrigua, siccata est
tanquam desertum ; *et exitus aquarum in*
B *sitim,* id est, terram aquis fluentem, fecit
sitibundam et sterilem. *Terram fructife-* 34
ram posuit *in salsuginem,* id est, sterilem
fecit, *a malitia inhabitantium in ea,* id
est propter incolarum ejus peccata. *Posuit* 35
desertum in stagna aquarum, id est, ter-
ram aridam fecit aquosam, *et terram si-*
ne aqua posuit *in exitus aquarum,* id est
abundantem in aquis. Hæc omnia agit pro-
videntia Dei secundum exigentiam divinæ
justitiæ et meritorum vitæ humanæ. *Et* 36
collocavit illic, id est in terra aquosa et
C uberi, *esurientes,* id est fructibus terræ in-
digentes ; *et constituerunt civitatem habi-*
tationis, id est, loca habitabilia construxe-
runt juxta terram tam fertilem, quatenus
eam colere, ejusque fructus percipere pos-
sent. *Et seminaverunt agros,* pro cibo ac- 37
quirendo, *et plantaverunt vineas,* pro potu
habendo, *et fecerunt fructum nativitatis,*
id est, terram et vineas sic coluerunt, quod
fructum convenientem protulerunt. *Et be-* 38
nedixit eis, id est, hominibus dona suæ
pietatis donavit ; *et multiplicati sunt ni-*
D *mis,* in terra tam bona ex benedictione di-
vina ; *et jumenta eorum non minoravit,*
id est, pecora multiplicavit.

Et iterum propter sua peccata recen- 39
tia, *pauci facti sunt* numero, quia partim
occisi sunt, aut alias perierunt, eo quod
Deum venerati non sunt ; *et vexati sunt a*
tribulatione malorum et dolore, ex pœna
eis inflicta a pravis hominibus, et propter
dolorem intrinsecum, quem conceperunt
ex morte propinquorum suorum : per quo-
rum interitum pauci effecti sunt. *Effusa* 40

Digitized by Google

est contentio super principes, id est, prin- A
cipes inter se discordes fuerunt; *et errare*
fecit eos in invio, id est, Deus justo judicio
permisit eos a recta ratione deficere, *et*
non in via, quia nec in bona via dirigi
41 meruerunt. *Et adjuvit pauperem de ino-*
pia, ipsum ditando, *et posuit sicut oves*
familias, id est, principibus inter se dis-
cordantibus, multiplicavit filios subdito-
rum. Cetera patent in præcedenti articulo.

Si autem iste esset sensus a Propheta intentus, nescio cur in fine psalmi præsentis tam specialiter ac noviter diceret, B Quis sapiens, et custodiet hæc? In quo utique innuit, psalmum præsentem aliquid singulariter mysticum, fructuosum, atque profundum continere. Idcirco non puto sensum istum tam superficialem ac rudem, a sancto Propheta finaliter aut principaliter fuisse intentum; sed quemadmodum asserit Augustinus, præcedentis articuli expositio vere exprimit sensum litteralem psalmi præsentis.

PRECATIO.

Te, Domine, præcipiente, sileant fluctus tempestatum vitæ nostræ, et statue procellam nostram in auram tranquillitatis et lætitiæ: ut in portum salutis te gubernatore deducti, nos misericordiæ tuæ opera confiteamur tibi.

ARTICULUS XIII

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI CENTESIMI SEPTIMI : PARATUM COR MEUM, DEUS.

1 Titulus psalmi præsentis est: *Canti-* C
cum, psalmus ipsi David: id est, scriptura
hæc seu iste tractatus, est canticum, quia
spiritualem lætitiam continet; et psalmus,
quoniam ad operationem bonam nos admonet: et convenit ipsi David secundum triplicem modum. Convenit enim sancto David prophetæ sicut auctori; et sicut ex circumstantia litteræ tangitur, psalmus iste est exsultatio David regis in Domino gloriantis, et ei de suis beneficiis gratias referentis, scilicet de victoria sibi a Deo concessa et restitutione regni Israel in statum D bonum. Convenit etiam ipsi David, id est Christo per David significato: et hoc, secundum allegoricum intellectum. Multa namque contigerant sancto David in figura Domini Salvatoris. Convenit quoque David, id est Ecclesiæ seu unicuique Christiano pulchro interius ac manuforti in Domino. Sed quoniam expositio illa de Christo dulcior, fructuosior, devotiorque consistit, idcirco eam in primis introducere expedit.

Christus ergo secundum quod homo,
Deo Patri in cunctis obediens, ait ad
Patrem seu totam superbeatissimam Tri-
nitatem: (1) *Paratum cor meum,* id est, 2
voluntas mea tibi parere parata est, *Deus*
Pater. Et resumit ad confirmationem ejus,
quod dixit: *paratum cor meum:* paratum,
inquam, ad agenda tibi placentia, paratum
ad sustinendum humanæ redemptioni ne-
cessaria, paratum ad laudem, et paratum
ad opus. Hinc enim apud Joannem Christus
testatur: Descendi de cœlo, non ut faciam *Joann.* vi,
voluntatem meam, sed ejus qui misit me. 38.
Et apud Matthæum ait ad Patrem: Non sic- *Matth.*
ut ego volo, sed sicut tu. *Cantabo et psal-* xxvi, 39.
lam, id est, verbis atque operibus te laudabo, et tibi gratias agam, *in gloria mea,* id est in clara notitia laudibus mixta: quam notitiam mihi dedisti de tua bonitate ac majestate. Nisi enim quis Deum cognoscat, eum laudare non valet: propterea, sicut Christus homo seu anima Christi Deum excellentissime noverat in hac vita, sic per-

Digitized by Google

fectissime Deo decantavit, psalmumque dixit. Vel, Psallam in gloria mea, id est in omni dignitate gratiæ mihi infusæ, ita quod omnia bona meæ humanitati collata, in tuis præconiis occupabo, nec unquam a tuo honore cessabo, secundum quod apud
Joann. VIII, 29. Evangelistam professus sum, Ego quæ placita sunt ei, facio semper; et, Ego non
Ibid. 50, 49. quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum. Vel, In gloria mea, id est in beatitudine animæ meæ et glorificatione corporis mei.

3 (2) *Exsurge,* ad notitiam hominum et ad actum venerationis divinæ, *psalterium,* id est Evangelium seu doctrina mea evangelica, in qua divinæ majestatis sublimia decantavi, seu docui (quæ doctrina instar psalterii sonat suaviter in auribus Dei), *et cithara,* id est doctrina mea moralis, vita exemplaris, et passio mortis meæ. Hoc modo exsurge, quatenus hominibus hæc innotescant, eosque ad imitationem inducant. *Exsurgam* de loco sepulturæ *diluculo,* id est valde mane, secundum quod Lucas
Luc. XXIV, 1-3. scriptum reliquit : Una sabbati valde diluculo venerunt mulieres, et invenerunt lapidem revolutum ab ostio monumenti; et ingressæ, non invenerunt corpus Domini
Marc. XVI, 9. Jesu. Unde et Marcus refert : Surgens Jesus mane prima sabbati.

4 (3) *Confitebor tibi,* id est, laudabo te, *in populis* Judæorum, *Domine* Pater : quibus per me ipsum prædicavi, et inter quos te semper laudavi, præcipue inter discipulos meos, qui erant Judæi; *et psallam tibi* per Apostolos et ceteros meos ministros *in nationibus,* id est in gentilibus ad fidem per illorum prædicationem conversis. Psallebat Christus in his gentibus Deo, dum mi-
Matth. XXVIII, 19, 20. sit Apostolos prædicare Evangelium regni inter gentiles. In Evangelio namque Deus summe laudatur. Hinc enim (referente
Joann. XVII, 4, 6. Joanne) ait Patri unigenitus Filius : Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem, et notum feci hominibus nomen tuum. Sic au-
5 tem laudavi te, (4) *Quia magna est super cœlos misericordia tua,* id est, copiose effusa est miseratio tuæ bonitatis super cives cœlestes. Et in ipsis refulget pietas tua, quoniam sola gratia sunt præservati a malo, et confirmati in bono. *Et usque ad nubes veritas tua,* id est, illuminatio evangelicæ veritatis seu infusio sapientiæ salutaris, sanctis Apostolis et prædicatoribus bonis (qui cœli dicuntur) impressa est, quemadmodum in Evangelio promisisti : Quum venerit, inquiens, ille Spiritus Joann. XVI, 13.
veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Deinde Propheta Christum alloquitur.
(5) *Exaltare super cœlos, Deus :* id est, tu, 6
Christe, verus Deus exsistens, qui in passione tantum conculcatus et humiliatus es, ascende super omnes cœlos, et redi unde venisti ; *et super omnem terram gloria tua :* id est, per totum mundum divulgetur excellentia tua, prædicetur divinitas tua, et agnoscatur gloria tua, quemadmodum apud Isaiam prædictum est : Ecce ex- Is. LII, 13.
altabitur servus meus, et elevabitur, et sublimis erit valde. Unde et rursus Isaias dicit : Ponent Domino gloriam, et laudem Ibid. XLII, 12.
ejus in insulis nuntiabunt. Hoc etiam Christus commisit implere, post resurrectionem dicens Apostolis : Eritis mihi testes Act. I, 8.
in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. *Ut libe-* 7
rentur per fidem et observantiam legis tuæ *dilecti tui,* id est omnes a te ab æterno electi. Ideo enim Christus misit Apostolos prædicare ubique, ut salvarentur electi, juxta illud Apostoli : Omnia propter II Tim. II, 10.
electos. (6) *Salvum* me *fac dextera tua,* id est in dextera tua, ita ut in dextera tua in cœlo resideam in bonis tuis potioribus atque cœlestibus, *et exaudi me* ista precantem.

Deus locutus est in sancto suo : id est, 8
Pater locutus est nobis in Filio, qui est Hebr. I, 2.
Sanctus Sanctorum. Quæ autem sequuntur, possunt esse verba Christi seu Dei Patris, vel totius superfelicissimæ Trinitatis. (7) *Exsultabo,* id est, in electis meis lætabor, quia beneplacitum est Domino in Ps. CXLIX, 4.
populo suo. Et apud Jeremiam testatur : Jer. XXXII, 41.
Lætabor super eis quum benefecero eis. *Et*

Digitized by Google

dividam Sichimam, id est gentilitatem, A
quosdam gentilium convertendo clemen-
II Thess. III, 2. ter ad fidem, alios juste relinquendo. Non
enim omnium est fides. Et in Actibus Apo-
Act. XVI, 6. stolorum legitur Paulus a Spiritu Sancto
prohibitus loqui verbum Dei in Asia. *Et
convallem Tabernaculorum dimetiar,* id
est, populum Judæorum discernam, quos-
dam eorum convertendo, et ceteros de-
Rom. XI, 5. serendo. Reliquiæ enim per electionem
salvæ factæ sunt, secundum Apostolum.
Joann. XIII, 18. Et apud Joannem dixit Christus : Non de
omnibus vobis dico ; ego scio quos elege-
rim. Per Sichimam autem intelliguntur
gentiles, quia in terra Sichimorum mora-
bantur pagani ; per convallem vero Taber-
naculorum designantur Judæi, quoniam
Gen. XXXIII, 17. (sicut in Genesi legitur) Jacob de Syria re-
diens, in hoc loco fixit tentoria, propter
quod vocavit eum Socoth, id est taberna-
cula.

9 (8) *Meus est Galaad,* id est congregatio
martyrum, qui proprii sanguinis effusione
testimonium præbuerunt fidei christianæ.
Galaad nempe interpretatur, acervus testi-
monii. *Et meus est Manasses :* id est, po-
pulus temporalium atque carnalium obli-
viscens, et divina contemplans ac cœlestia
appetens, ad gregem pertinet electorum
meorum. Manasses namque interpretatur
Philipp. III, 13. oblivio. Et Apostolus ait : Quæ posteriora
sunt obliviscens, in anteriora extendo me
ipsum. *Et Ephraim,* id est populus in bo-
nis operibus fertilis, est *susceptio capitis
mei,* id est, a me suscipitur, quia acceptus
est mihi. Ephraim enim interpretatur fer-
tilitas. (9) *Juda rex meus :* id est, populus D
confessorum, est rector corporis mei my-
stici, puta Ecclesiæ. Per confessores enim,
qui vita et verbo Dominum profitentur ac
laudant, alii gubernantur. Propter quod
Jer. III, 15. Dominus per Jeremiam loquitur : Dabo vo-
bis pastores secundum cor meum, et pa-
10 scent vos scientia et doctrina. *Moab lebes
spei meæ.* Moab interpretatur, ex patre.
Per quod intelliguntur electi, de quibus
Joann. I, 13. dicit Evangelista : Non ex sanguinibus, ne-
que ex voluntate carnis, etc., sed ex Deo
nati sunt. Unde et Christus : Omnis, in- Matth. XV, 13.
quit, plantatio quam non plantavit Pater
meus cœlestis, eradicabitur. Hi ergo sunt
lebes seu olla spei ipsius Christi, quia per
eos impletur illud, propter quod ipse san-
guinem proprium fudit. Ipsi namque sal-
vantur, et ita per eos Christus reparat glo-
riam et glorificationem Patris, per lapsum
primorum parentum amissam.

(10) *In Idumæam,* id est in terram gen-
tilium, *extendam calceamentum meum,* id
est naturam meam humanam, quæ erat
B velut calceamentum divinitatis. Hoc calce-
amentum Christus in Idumæam extendit,
dum per totum orbem se ipsum prædica-
ri, et ad aliorum notitiam ferri fecit, sicut
de Paulo in Actibus ait : Vas electionis est Act. IX, 15.
mihi iste, ut portet nomen meum coram
regibus et principibus. *Mihi alienigenæ,*
id est gentiles olim alieni a Deo et fide,
qui aliquando non populus, *amici facti* I Petr. II, 10.
sunt, per prædicationem Apostolorum cre-
dendo in me. Propter quod ad Ephesios
talibus scripsit Apostolus : Jam non estis Ephes. II, 19.
C hospites et advenæ, sed estis cives Sancto-
rum et domestici Dei. Et rursus ait : Vos Ibid. 13.
qui eratis longe, nunc facti estis prope in
sanguine ejus. Unde et Balaam in Numero-
rum libro prædixit : Erit Idumæa posses- Num. XXIV, 18.
sio ejus.

Sed quoniam ista facta sunt, non virtute
humana et naturali, sed divina et superna-
turali, ideo Christus ut homo subjungit :
(11) *Quis deducet me in civitatem muni-* 11
tam ? id est in urbem Romanam (quæ erat
caput et domina mundi : de qua per Isa-
iam prædictum est, Civitatem sublimem Is. XXVI, 5.
humiliabit). Quasi dicat : Hoc humana vir-
tute fieri nequit, ut civitas ista converta-
tur ad me. Verumtamen divina virtute fa-
ctum est per prædicationem Petri et Pauli,
sicut Isaias disseruit : Conculcabit eam pes Ibid. 6.
pauperis, id est Petri piscatoris, gressus
egenorum, id est introitus Petri et Pauli.
Quis deducet me usque in Idumæam, ut
tota terra recipiat super se jugum me-
um, et credat in me ? (12) *Nonne tu, Deus,* 12
hæc facies, *qui repulisti nos ?* id est, qui

Digitized by Google

corpus meum mysticum ex gentibus con-
gregatum, multo tempore deviare permi-
sisti, antequam converterentur, quando et
nondum erant corpus mysticum actualiter,
sed per prædestinationem : quemadmodum
Act. xvii, 30. in Actibus Apostolorum asserit Paulus, Pri-
oris ignorantiæ tempora despiciens Deus.
Vel, Repulisti nos, id est, corpus meum et
animam, quoad vires inferiores, in passio-
ne quodammodo dereliquisti, ita ut pro-
Matth. xxvii, 46. clamarem : Deus meus, Deus meus, ut quid
dereliquisti me? *Et non exibis, Deus, in
virtutibus nostris :* id est, ista non facies
in nostra virtute, seu viribus creaturæ, sed
potestate divina. Dicitur autem Deus exi-
re, non motu aut loco, sed operatione.
Deinde orat Christus, in quantum passi-
bilis fuit, pro reunione corporis sui ac
animæ. (13) *Da nobis auxilium de tribula-* 13
tione, id est, de morte mihi in passione
illata resuscita me : quod a te solo petere
debeo, *quia vana salus hominis,* id est,
homo purus veram salutem conferre non
potest, nec aliquem liberare. Imo qui spe- Jer. xvii, 5.
rat ab eo salutem, vanus et stultus est.
(14) *In Deo faciemus virtutem,* id est, divina 14
potestate iterum uniemur, et de sepulcro
egrediemur, atque in cœlos ascendemus,
o anima mea et corpus meum ; *et ipse*
Deus *ad nihilum deducet inimicos nostros,*
id est populum Judæorum, privando eum
gratia in præsenti, et gloria in futuro,
atque per Romanos pro magna parte eum
interimendo.

ARTICULUS XIV

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI CENTESIMI SEPTIMI TROPOLOGICA, IN QUA BREVITER TANGITUR LITTERALIS EXPOSITIO EJUS.

PSALMUS iste contextus est ex duorum psalmorum particulis. Prima enim pars psalmi hujus usque ibi, Salvum fac dextera tua, accepta est ex psalmo quinquagesimo sexto, qui incipit : Miserere mei, Deus, miserere mei. Reliqua vero pars ejus accepta est ex psalmo quinquagesimo nono, cujus exordium est : Deus, repulisti nos.

Moraliter autem competit psalmus iste
Ecclesiæ, cuilibetque devoto, grato et fervi-
do amatori, qui ex sanctæ caritatis fervore
modum ignorante, et de dilecto plenissi-
2 me confidente, ait ad Dominum : *Para-
tum* est *cor meum, Deus, paratum* est *cor
meum,* ut agam et patiar omnia tibi pla-
tth. vi, centia. Oro ut fiat voluntas tua in me :
quidquid placuerit tibi, hoc erit optimum
mihi cunctis diebus, quibus subsisto. Com-
mendo me tibi, tuæ voluntati relinquo et
offero me totum. Ecce in isto consistit to-
ta nostra perfectio. Quo enim cor nostrum
paratius est ad omnia Deo placentia, tan-
to Deo similiores carioresque sumus, et
omnia quæ postulamus, facillime acquire-
mus. Hæc namque cordis promptitudo ex
fervida dilectione procedit, et tanto sunt
opera nostra interiora et exteriora vehe-
mentius meritoria, quanto ex corde para-
tiore seu promptitudine ampliore nascun-
tur ; et tanto est ista præparatio major,
quanto fuerit amor privatus minor, atque
divina dilectio major. Hinc namque ad Co-
rinthios dicit Apostolus : Non ex tristitia II Cor. ix, 7.
aut necessitate ; hilarem enim datorem di-
ligit Deus. Et in libro Paralipomenon Da-
vid locutus est : Tu autem, fili mi, scito I Par. xxviii, 9.
Deum patris tui, et servi ei corde perfecto
et animo voluntario. *Cantabo,* verba divini
præconii proferendo ; *et psallam,* opera
sancta prosequendo, *in gloria mea,* id est
in spirituali lætitia. Vel, In gloria mea, id
est in conscientia pura. Nam gloria nostra II Cor. i, 12.

Digitized by Google

hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, A
secundum Apostolum. Ista ad litteram con-
veniunt sancto David, qui propter benefi-
II Reg. xxii. cium restitutionis regni sui in bonum sta-
tum, gratias agit Deo, offerens se paratum
ad universa Deo accepta.

3 *Exsurge, psalterium et cithara.* In his
enim musicis instrumentis laudavit Deum.
Exsurgam diluculo, id est, mane consurgam
de lecto, ut Domino psallam et obsequar.
— Spiritualiter vero per psalterium, quod
habet decem chordas, atque a superiori
parte reddit sonum, intelligitur custodia B
Exod. xx. præceptorum Decalogi, quæ a cœlo donata
et jussa sunt nobis : quorum utique obser-
vatio dulcius sonat in auribus Dei, quam
omnia musica instrumenta. Per citharam
vero, quæ sex chordas habet vel septem,
et ab inferiori parte efficit sonum, intelli-
guntur opera misericordiæ, quæ circa cor-
poris indigentiam occupantur, atque ad
vitam spectant activam. Est igitur sen-
sus : *Exsurge, psalterium,* id est, obser-
vatio præceptorum Altissimi, excitare et
esto in me, ut per te Deum collaudem. Sic C
quoque exsurge, *et cithara,* id est operum
Prov. xi, 17. misericordiæ exsecutio. Nam, Benefacit ani-
Matth. v, 7. mæ suæ vir misericors ; et, Beati miseri-
cordes, quoniam ipsi misericordiam con-
sequentur. Et ideo in Tobia habetur :
Tob. iv, 8. Quo modo potueris, ita esto misericors; et
Job xxxi, 18. in libro Job, Ab infantia crevit mecum
miseratio. *Exsurgam* a lecto, a peccato, ab
acedia, *diluculo,* id est in principio au-
roræ, in infusione illuminationis divinæ.
Hinc enim in Ecclesiastici libro inducitur:
Eccli. xxxix. 6. Justus cor suum tradet ad vigilandum di- D
Is. xxvi, 9. luculo ad Dominum. Isaias quoque, De
mane, inquit, vigilabo ad te.

4 *Confitebor tibi in populis, Domine,* id
est, coram aliis te laudabo, *et psallam tibi*
in nationibus, id est, præsentibus aliis te
honorabo. Non erubescam nomen tuum
coram hominibus, quoniam tu dixisti :
Matth. x, 32; Luc. xii, 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus,
confitebor et ego eum coram Patre meo.
Matth. v, 16. Et in Matthæo : Sic luceat lux vestra co-
ram hominibus, ut videant bona facta
vestra, et glorificent Patrem vestrum qui
in cœlis est. Interdum etiam debemus Do-
mino confiteri nostra peccata in populis,
quando videlicet peccata manifesta sunt.
Quia magna est super cœlos, id est super 5
omnes qui in terra cœlestem atque ange-
licam vitam ducunt, quorum conversatio Philipp. iii, 20.
est in cœlis, *misericordia tua :* quidquid
enim boni in eis est, ex tua ordinatione et
bonitate manavit, dependet, et conserva-
tur. Vel, Super cœlos, id est Beatos in pa-
tria, quoniam ipsi per misericordiam bea-
titudinem suam adepti sunt. *Et usque ad*
nubes, id est angelos sanctos, *veritas tua,*
id est illuminatio tua, pertingit. Nam se-
cundum Dionysium capitulo 15 Cœlestis
hierarchiæ, per nubes sacra Scriptura in-
telligit angelos, quoniam ipsi primo et im-
mediatius, copiosiusque summæ lucis ra-
dios suscipiunt, eosque transfundunt in
alios.

Exaltare super cœlos, Deus, id est, ab 6
omnibus civibus patriæ cœlestis, adore-
ris, magnificeris, atque lauderis, *et super*
omnem terram, id est in tota militanti Ec-
clesia, augeatur et semper exsistat *gloria*
tua, id est clara nominis tui notitia, lau-
datio gloriosa, venerationque præclara, qua-
tenus omnes convertantur ad te, et tibi
obediant, gloriamque persolvant ; *ut libe-* 7
rentur dilecti tui ab omni periculo. *Sal-*
vum fac me *dextera tua,* id est per be-
nignam tuam subventionem ac gratiosam
præsentiam, *et exaudi me* ista precantem.

Deus locutus est per inspirationem in- 8
ternam seu angelicam revelationem, *in*
sancto suo Propheta, scilicet me, seu alio
quocumque, hoc quod sequitur : *Exsulta-*
bo et dividam Sichimam, etc., cujus expo-
sitio in præcedenti articulo posita est. Deus
enim divisit atque dimensus est Sichimam
et convallem Tabernaculorum per prædi-
cationem primitivæ Ecclesiæ, et ita Ec-
clesia aliquo modo divisionem hanc fecit
electorum a reprobis, juxta sensum exposi-
tum. Similiter ipsa dicere potest : *Meus est* 9
Galaad, et meus est Manasses, et Ephraim
susceptio capitis mei : quoniam populi

Digitized by Google

sancti et christiani per Galaad et Manassen
ac Ephraim designati, prout in præceden-
ti articulo dictum est, ad unitatem et my-
sticum corpus Ecclesiæ pertinent, scilicet
martyres significati per Galaad, oblitores
temporalium rerum figurati per Manas-
sen, operatores idonei per Ephraim deno-
tati. Et de Ephraim ait Ecclesia, quod sit
susceptio capitis sui, id est, a Christo capi-
te suo populus fecundus in bono suscipi-
tur. *Juda,* id est populus Domino confi-
tens verbo ac opere, est *rex meus,* id est
rector membrorum Ecclesiæ, quia a tali-
10 bus inferiores regendi sunt. *Moab,* id est
populus ex patre genitus, scilicet filii sum-
mi Patris, *lebes spei meæ :* quia in tali-
bus confidit Ecclesia quod salvabuntur, eo
quod scriptum sit in prima Canonica Jo-
I Joann. III, 9. annis : Omnis qui natus est ex Deo, non
peccat, quoniam semen Dei manet in eo.

Deinde Ecclesia ait : *In Idumæam ex-
tendam calceamentum meum,* id est, pedes
meos ad gentiles extendam, prædicando
per totum mundum, quemadmodum dicit
Act. XIII, 46. Apostolus : Ecce convertimur ad gentes.
Mihi alienigenæ amici facti sunt, id est,
gentiles per caritatem unum facti sunt
mecum in Christo. Omnes namque fideles
per caritatem uniuntur in Deo, quia (ut ait
Ephes. II, 14. Apostolus) Christus est pax nostra, qui fe-
cit utraque unum. Unde et in Zacharia
Zach. VI, 13. prædictum est : Consilium pacis erit inter
duos illos. In Ecclesia equidem Christi,
duo populi caritative adunati sunt, utpote
Judæi et gentiles. Et ecce quam amicis-
simi atque carissimi facti sint conversi
ex gentibus, primitivæ Ecclesiæ quæ ex
Judæis constabat. Paulus enim Philippen-
Philipp. IV, 1. sibus scribens : Fratres, inquit, mei ca-
rissimi et desideratissimi, gaudium meum
II Cor. XII, 15. et corona ; et alibi, Libentissime impen-
dam et superimpendar ipse pro animabus
I Thess. III, 8. vestris ; rursusque, Tunc nos vivimus, si
vos statis in Domino.

Sed quia ista progressio et prædicatio
Ecclesiæ per universum mundum facta
est, non virtute humana, sed potestate di-
vina, ideo subdit Ecclesia in persona præ-

A dicatorum suorum : *Quis deducet me in* 11
civitatem munitam ? Et patet sententia
ex prædictis. *Da nobis auxilium de tribu-* 13
latione, id est adversus omnes persecutio-
nes et adversitates, ne opprimamur a ma-
lis, sed patientiam conservemus, atque per
eam omnia dura vincamus. *In Deo,* id est 14
per gratiam Dei, *faciemus virtutem,* re-
sistendo mundo, carni ac dæmoni, atque
divina mandata servando. *Et ipse ad nihi-
lum deducet,* id est, conteret ac deficere
faciet, *inimicos nostros* visibiles et invisi-
B biles : secundum quod ad Romanos scri-
ptum est, Deus conteret Satanam sub pe- Rom. XVI, 20.
dibus vestris velociter.

Demum omnia ista conveniunt sancto
David, sicut et ceteris Sanctis, secundum
sensum jam explanatum usque ad id, Deus
locutus est in sancto suo. Hæc ergo de Da-
vid litteraliter exponenda sunt.

Ait itaque : *Deus locutus est in sancto* 8
suo : id est per Samuelem et Nathan prophe-
tam. Dixit et promisit mihi, quod ego Da-
vid *exsultabo et dividam,* id est, cum læti-
C tia metiar, *Sichimam,* id est spolia terræ
Sichimorum, servis et adjutoribus meis
mecum contra illam pugnantibus ; *et con-
vallem Tabernaculorum,* id est locum qui
dicitur Socoth juxta Jordanem, *dimetiar,*
id est, filiis Israel restituam, dando uni-
cuique debitam partem. De hac namque
convalle expulit David Philistæos, qui eam II Reg. VIII, 1.
injuste possederant. Sed quoniam David
hæc fecit adjutorio populi sui, eorum præ-
cipue qui magis bellicosi ac fortes fuerunt;
idcirco nominat tribus illas, quæ ei adjuto-
D rium præbuerunt. *Meus est Galaad,* id est 9
populus habens terram Galaad in posses-
sionem trans Jordanem : qui erant nomi-
nati in robore propter Jair et Jephthe de Judic. X, 3; XI, 1.
illa terra exortos ; *et meus est Manasses,*
id est populus ex filio Joseph dicto Ma- Gen. XLI, 51.
nasses progenitus : qui populus erat famo-
sus propter Gedeonem ex illa progenie na- Judic. VI, 15.
tum. *Et Ephraim susceptio capitis mei :* id
est, populus ex Ephraim genitus, a me
principaliter acceptatur : quoniam nume-
rosus atque fortissimus erat, et Josue de Num. XIII, 9, 17.

Digitized by Google

[Gen. xlviii, 17-20.] hac tribu fuit, prætulitque Jacob Ephraim ipsi Manassæ. *Juda rex meus :* quia de
10 Juda principes erant ; *Moab lebes spei meæ :* id est, per adjutorium Dei confido Moabitas expugnare ac possidere, quemadmodum possidetur olla a patrefamilias.
[II Reg. viii, 2.] Hoc etiam factum est : nam Moabitæ servierunt David sub tributo. *In Idumæam,*
[Gen. xxxvi, 8.] id est in terram Edom, in qua moratus est Esau, *extendam calceamentum meum,* id est, illam intrabo et calceatus per eam meabo, subjiciens eam imperio meo. *Mihi alienigenæ,* id est gentes in circuitu Judææ manentes, *amici facti sunt,* id est confœderati, postulantes sibi pacem dari a me.

Quoniam vero David cognovit ista se non posse implere propria potestate, sed
11 adjutorio Dei, ideo subdit : *Quis deducet me in civitatem munitam* muris ac portis ? *quis deducet me usque in Idumæ-*
12 *am,* ut eam mihi subjiciam ? *Nonne tu, Deus, qui repulisti nos,* id est, qui præteritis temporibus permisisti populum Israel graviter multipliciterque affligi ? Cetera elucescunt ex præinductis.

Ecce psalmum in exordio sui spirituali lætitia plenum, et fervido amatori suavem audivimus. Et omnino conandum est nobis taliter in divino amore succrescere, ut vere dicamus : Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Decet namque rationalem creaturam Creatori suo perfecte esse subjectam, et toto desiderio ad ipsius beneplacitum promptam. Debet quoque quilibet nostrum se ipsum hortari, excitare et inflammare ad Dei præconia atque obsequia dicendo : Exsurge, psalterium et cithara. Unde ad Hebræos dicit Apostolus :
[Hebr. iii, 13.] Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Debemus insuper omni hora firmum habere propositum indesinenter laudandi ac venerandi Altissimum, dicentes intra nos : Exsurgam diluculo, et, Confitebor tibi in populis, Domine. In omnibus vero et super omnia decet, imo oportet nos Dei honorem intendere, in ejus laudibus exsultare, ejus beatitudini congaudere, secundum quod caritas divina efflagitat.

Demum, ut nos pertineamus ad gregem dominicum, studeamus spiritualiter esse Galaad, Manasses, Ephraim et Judas. Galaad namque efficimur, dum fidem nostram operibus attestamur, in tantum ut nullus dicere possit, quin bona sit fides illa, quæ talem conversationem suggerit et requirit. Manasses autem efficimur temporalia obliviscendo, cœlestiumque bonorum affectuose reminiscendo, quatenus sicut hortatur Apostolus, revelata facie gloriam [II Cor. iii, 18.] Domini speculemur, nuncque quotidie in christiana sapientia illustremur, quam in tantum concupivit Apostolus, ut ad Philippenses dixerit : Existimo omnia detrimen- [Philipp. iii, 8.] tum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. Et omnino decet ut victum et quibus tegamur habentes, [I Tim. vi, 8.] temporalium sollicitudinem relinquamus, atque in cœlestibus bonis totaliter occupemur. Efficimur autem et Ephraim in spiritualibus operibus fructificando, et opera spiritus efficaciter exercendo. Judas autem efficimur, Domino ore ac opere confitendo.

Postremo commemorandum est, quod circa illud, In Deo faciemus virtutem, dicit sanctissimus Hieronymus noster : Non habemus, inquit, spem nisi in Deo tantum. Non dicamus : Si istud aut illud mihi evenerit, unde habeo vivere ? Si senuero, si infirmus factus fuero, unde vivo ? Christum habes, et times ? Si volatilia pascit, [Matth. vi, 26.] dubitas quod possit te pascere ? Nos ergo omnem sollicitudinem projiciamus de cordibus nostris, et dicamus, In Deo faciemus virtutem : et ipse erit virtus nostra, et rector noster.

PRECATIO.

Deus, qui omne quod sincerum et mundum est amas, et castas fidelium mentes inhabitas, benignitatis munificentia ab omni nos contagione expurga : ut et in te semper paratum cor habeamus, et digni in gloria tua tibi cantemus et psallamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

EXPLANATIO LITTERALIS PSALMI CENTESIMI OCTAVI : DEUS, LAUDEM MEAM NE TACUERIS.

Est autem psalmi præsentis titulus iste:
1 *In finem, psalmus David:* id est, psalmus iste in finem qui Christus est, nos erigens, quia de eo conscriptus est, est ipsius David tanquam auctoris. Quod enim hic psalmus de Christo ad litteram loquatur, apostolica auctoritate probatur. Nam Petrus, referente Luca in Actibus, allegat scripturam hujus psalmi loquentem de Juda proditore, et pœna sibi inflicta propter peccatum quo tradidit Christum. Sic enim ait in Actibus: [Act. I, 15, 16.] Exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit : Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David, de Juda qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum. Et post pauca : [Ibid. 20.] Scriptum est, inquit, in libro Psalmorum : Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea ; et episcopatum ejus accipiat alter. Hujus auctoritatis prima pars habita est in psalmo sexagesimo octavo ; [Ps. LXVIII, 26.] alia vero pars ejus continetur in psalmo præsenti. Petrus autem utramque scripturam conjungit, quoniam psalmus uterque de Christi loquitur passione. Prima quoque pars auctoritatis istius explicat pœnam Judæorum, qui ad Christi emptionem et occisionem ex invidia moti sunt; [Matth. XXVII, 18.] secunda vero pars ejus exprimit pœnam Judæ, qui ad Christi venditionem ex avaritia motus est. [Ibid. XXVI, 15.] Et sicut verba ementium atque vendentium commixtim narrantur ac describuntur, ita in psalmo hoc verba Judæ proditoris ac Judæorum ementium simul referuntur atque concurrunt.

Christus igitur, secundum quod aliquo modo viator erat, et passibilis, Patrem orat, dicendo :
2 (1) *Deus, laudem meam ne tacueris,* id est, eam non celes, neque taceri permittas ; sed tu qui vides me a Judæis vituperari et occidi, nec propriam gloriam quærere, [Joann. VIII, 50.] sed omnia ad tuum honorem referre, fac mihi sicut facio tibi, ita ut gloriam meam et laudem atque justitiam aliis manifestes, eosque ad me laudandum convertas. Hoc est quod Christus deprecatur : [Ibid. XVII, 1.] Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Hæc autem, o Pater, te postulo, *quia os peccatoris,* id est populi sacerdotalis, *et os dolosi,* id est Judæ proditoris, *super me,* id est contra me, *apertum est.* Sacerdotes enim concitaverunt plebem contra Christum, et multas blasphemias contra Christum locuti sunt ipsi cum suis fautoribus, dicentes : Insanit, quid eum auditis? [Ibid. X, 20.] Et alibi apud eumdem Evangelistam : [Ibid. VIII, 48.] Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? Judas quoque contra Christum os suum aperuit : [Matth. XXVI, 15.] Quid, inquiens, vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? Et quod Marcus refert : [Marc. XIV, 44.] Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute.

(2) *Locuti sunt* Judæi et sacerdotes *adversum me lingua dolosa,* proferendo adulatoria, ut me caperent in sermone. 3
Sic enim apud Matthæum dicunt : [Matth. XXII, 16.] Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. *Et sermonibus odii circumdederunt me,* dicentes ad me in die Palmarum : [Ibid. XXI, 16.] Audis quid isti dicunt? Et apud alium Evangelistam : [Joann. VIII, 13.] Tu de te ipso testimonium perhibes ; testimonium tuum non est verum. Et alibi : [Ibid. IX, 24.] Nos scimus quia hic homo peccator est. Unde per Osee ait Salvator : [Osee VII, 13.] Prævaricati sunt in me, et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendacia. Et in Je-

Digitized by Google

Jer. xx, 10. remia : Audivi contumelias multorum, et A terrorem in circuitu : Persequimini et persequamur eum. *Et expugnaverunt,* id est, usque ad mortem persecuti sunt, *me gratis,* id est sine rationabili causa. Propter
Luc. xxiii, 14, 15. quod Pilatus Judæis dicebat : Nullam causam invenio in homine isto; sed neque Herodes.

4 (3) *Pro eo ut me diligerent,* id est pro beneficiis meis a me collatis, propter quæ me tenebantur diligere, *detrahebant mihi,*
Joann. vii, 12. dicentes, Seducit turbas; et, Ecce homo
Matth. xi, 19. vorax, potator vini, publicanorum et pec- B catorum amicus; et, Non est hic homo a
Joann. ix, 16. Deo, qui sabbatum non custodit. *Ego autem orabam* pro conversione eorum. Nam
Luc. xxiii, 34. in cruce suspensus, dixit : Pater, ignosce
Is. liii, 12. illis. Unde in Isaia scriptum est : Et pro transgressoribus oravit. Christus enim im-
Act. i, 1. plevit quod docuit, quoniam cœpit facere et docere. Docuit autem pro adversariis
Matth. v, 44. esse orandum : Orate, inquiens, pro persequentibus et calumniantibus vos. Ipse igitur pro inimicis suis obtulit precem.

5 (4) *Et posuerunt adversum me mala pro bo- C nis,* id est, injurias verborum ac verberum intulerunt mihi, pro informatione qua eis regnum Dei annuntiavi, et multa coram eis miracula feci, ut converterentur ad fidem.
Joann. x, 32. Unde locutus sum eis : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo : propter quod horum me lapidatis ? Et per Jeremiam :
Jer. xviii, 20. Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? *Et odium pro dilectione mea,* id est, pro dilectione mea rependerunt mihi rancorem : quem-
Osee vii, 15. admodum in Osee legitur, Ego erudivi eos, D et roboravi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam. Hinc quoque apud
Matth. xxiii, 37. Matthæum Christus ait : Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?

6 (5) *Constitue super eum,* id est populum Judæorum, *peccatorem,* id est principem malum, propter demerita populi hujus :
Job xxxiv, 30. quemadmodum in libro Job habetur, Regnare facit hypocritam propter peccata populi. Hoc impletum est, quando Caiphas pontifex fuit anni illius : qui merito appellatur peccator, quoniam dedit finale consilium de occisione Christi, dicendo : Expedit vobis ut unus moriatur homo pro Joann. xi, 50.
populo. Ab illo ergo die cogitaverunt in- Ibid. 53. terficere eum, ut dicit Joannes. Vel, Constitue super eum, id est populum istum, et etiam super Judam proditorem, peccatorem, id est diabolum, cujus voluntati deserviant perseverantes in malo. Hinc Christus apud Joannem asseruit : Vos ex patre Ibid. viii, 44.
diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere. Merentur enim dæmoni subdi, qui nolunt acquiescere Salvatori. Unde de Juda apud Lucam habetur : Intravit Sa- Luc. xxii, 3.
tanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes. *Et diabolus stet a dextris ejus,* id est, cooperetur et in malo adsistat per suggestionem occultam, tam populo Judæorum quam proditori. Ex dæmonum enim suggestione concitati sunt persequi Christum. Hæc dicuntur non optando, sed prædicendo, et quid illi mereantur ostendendo. Ipsi enim meruerunt sic possideri a dæmone.

(6) *Quum judicatur* ipse Judas a Chri- 7
sto, *exeat condemnatus.* Hoc fuit impletum in Cœna. Protulit namque Christus judicium contra Judam, dum dixit in Cœna : Væ homini illi, per quem Filius ho- Matth. xxvi, 24.
minis tradetur; bonum ei esset, si natus non esset homo ille. Hoc autem judicio prolato, dedit Christus Judæ buccellam, Joann. xiii, 26, 27, 30.
qua sumpta, introivit in eum Satanas; et exivit continuo de felicissimo illo Christi atque Apostolorum collegio ad filios tenebrarum, et tunc damnatus erat sententia Christi. Vel sic : *Quum judicatur* populus Judæorum seu proditor particulari judicio tempore mortis, vel universali judicio in die novissimo, *exeat* a conspectu judicis, *condemnatus* in ignem æternum. *Et oratio ejus,* id est sermo Judæ : oratio enim dicitur quasi oris ratio; *fiat in peccatum,* id est, imputetur ei in culpam : sicut dum dixit, Ave, Rabbi, et, Quemcumque osculatus fue- Matth. xxvi, 49.
ro, ipse est. Imo pœnitentia ejus versa est ei Ibid. 48.

Digitized by Google

in desperationis peccatum. Quum enim di- A
Matth. xxvii, 4, 5. xisset, Peccavi, tradens sanguinem justum,
desperavit, et laqueo se suspendit : quod
fuit peccatum in Spiritum Sanctum. Nam
secundum Hieronymum, magis peccavit de-
sperando, et se ipsum occidendo, quam
Christum tradendo. Vel, Oratio (id est pe-
titio Deo oblata) fiat in peccatum, id est,
Deo displiceat, et vitiosa exsistat ; vel sal-
tem occasio fiat culpæ majoris, eo quod
contra formam a Christo præfixam oret.
Christus namque, in oratione quam docuit,
Ibid. vi, 12. dixit : Et dimitte nobis debita nostra, sicut B
et nos dimittimus debitoribus nostris. Sic
autem Judas non fecit : idcirco secundum
Cassiodorum peccavit, dicendo, Dimitte no-
bis debita nostra, sicut et nos, etc., quo-
niam in fraterno fuerat odio.
8 (7) *Fiant dies ejus,* scilicet Judæ, *pauci.*
Nam statim se ipsum peremit ex despera-
Ibid. xxvii, 5. tione, Christo dijudicato. Nam laqueo se
suspendit, ut dicitur apud Matthæum ; et
Act. i, 18. suspensus crepuit medius, et diffusa sunt
omnia viscera ejus, ut in libro Actuum in-
ducitur. *Et episcopatum ejus,* id est apo- C
Ibid. 23-26. stolatum, *accipiat alter,* puta Matthias, qui
pro eo in Apostolum est electus, prout in
Actibus Apostolorum plenius recitatur. Un-
de episcopi dicuntur et sunt successores
9 Apostolorum. (8) *Fiant filii ejus orphani,*
et uxor ejus vidua. Horum utrumque si-
mul factum est, eo suspenso : et merito.
Nam, ut fertur, pro filiis et conjuge susten-
tandis atque ditandis furabatur ea quæ
Christo dabantur, cujus ipse procurator
fuit. Et huic consonare videtur, quod a
Joanne scriptum est, ubi post verba Judæ D
Joann. xii, 5, 6. quibus dixit, Quare unguentum hoc non
veniit trecentis denariis, et datum est ege-
nis ? subdit Evangelista : Hoc autem dice-
bat, non quia de egenis ad eum pertine-
bat, sed quia fur erat, et loculos habens, ea
quæ mittebantur, portabat.

Deinde describitur pœna populi Judæo-
rum, qui dici possunt filii Judæ, quoniam
malitiam ejus imitati sunt. De quibus sub-
10 jungitur : (9) *Nutantes,* id est gressu titu-
bantes, et certum locum quo ire debeant,
ignorantes, *transferantur* de propria terra
filii ejus, id est Judæi, *et mendicent,* tan-
quam ab adversariis suis, scilicet Roma-
nis, spoliati bonis immobilibus atque mo-
bilibus ; *et ejiciantur de habitationibus*
suis ad terras alienas. Hæc omnia facta
sunt eis a Tito atque exercitu Romano-
rum, quemadmodum per Osee prophetam
Christus prædixit : Exosos habui eos. Pro- Osee ix, 15, 17.
pter malitiam adinventionum ipsorum, de
domo mea ejiciam eos, et erunt vagi in
nationibus. (10) *Scrutetur fœnerator,* id 11
est exactor, scilicet Titus, *omnem substan-*
tiam, id est divitias, *ejus,* id est populi
Judæorum. Titus namque fecit substan-
tiam Judæorum diligenter inquiri ac tolli.
Et diripiant alieni, id est Romani ministri
Titi, *labores ejus,* id est divitias Judæorum
labore adeptas.

(11) *Non sit illi,* populo Judæorum, *ad-* 12
jutor contra Romanos. Nullus enim ausus
erat eos juvare : imo, ut Josephus scribit, De Bello
Agrippa rex quamvis esset Judæus, adhæ- Jud., lib. II, c. 16.
sit tamen Romanis. *Nec sit qui misereatur*
pupillis ejus, id est filiis Judæorum oc-
cisorum. Romani enim sine misericordia
eos vel occiderunt, vel vendiderunt, vel
graviter afflixerunt. (12) *Fiant nati ejus* 13
in interitum, id est, filii populi hujus
gladio, fame, et pestilentia pereant : quod
factum fuit in obsidione Jerusalem a Ro-
manis. *In generatione una deleatur no-*
men ejus, id est, populus ille cum filiis
suis infra tempus unius generationis defi-
ciat. Hoc plane impletum est, quia post
quadraginta circiter annos a Christi pas-
sione destructa est Jerosolyma, et populus
ejus deletus est a principe et exercitu Ro-
manorum, quemadmodum in Daniele pro-
phetatum agnoscimus : Post hebdomadas, Dan. ix, 26.
inquit, sexaginta duas occidetur Christus, et
non erit ejus populus qui eum negaturus
est ; et civitatem et sanctuarium dissipabit
populus cum duce venturo.

(13) *In memoriam redeat iniquitas pa-* 14
trum ejus, id est, peccatum in Christum
commissum a patribus Judæorum, qui erant
tempore Titi, recolatur *in conspectu Domi-*

Digitized by Google

ni, id est coram Deo : ita quod puniatur A
non solum in patribus qui Christum occi-
derunt, et tempore Titi pro majori parte
defuncti fuerunt, sed etiam in filiis, pa-
trum infidelitatem et culpas sectantibus,
quatenus impleatur quod patres horum fi-
Matth. xxvii, 25. liorum coram Pilato clamabant : Sanguis
ejus super nos et super filios nostros. *Et*
peccatum matris ejus, id est infidelis Sy-
nagogæ, *non deleatur.* Quoniam ipsa non
pœnitet, idcirco in præsenti vita punitur
temporaliter, et in inferno æternaliter. Un-
Osee ix, 15. de Christus de eis ait per Osee : Non ad- B
dam ut diligam eos.

Sed quum in Ezechiele Dominus dicat,
Ezech. xviii, 2. 3. Non erit vobis istud in proverbium, Patres
comederunt uvam acerbam, et dentes fi-
Ibid. 20. liorum obstupuerunt ; et iterum, Anima
quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non
portabit iniquitatem patris, et pater non
portabit iniquitatem filii : quæri potest,
quomodo peccatum Judæorum vindicatur
in filiis. Et respondendum, quod duplex
est pœna, videlicet temporalis et æterna.
Iterum, quædam est pœna inferens dam- C
num in spiritualibus bonis, alia vero est
pœna damni corporalis. Dum ergo filii non
imitantur peccata parentum, non puniun-
tur pro peccato illorum pœna æternali aut
spirituale nocumentum inferenti, videlicet
gratiæ subtractionem in præsenti, aut glo-
riæ in futuro; dum vero peccatum paren-
tum sequuntur, puniuntur tali, quali et il-
li, et interdum graviori. Porro dum filii
non imitantur peccata parentum, puniun-
tur quandoque pro peccato parentum pœ-
na temporali et corporale nocumentum in- D
ferenti, eo quod filius sit aliquid suorum
parentum, tanquam de eorum substantia
natus : quemadmodum pomum pendens
in arbore, est aliquid arboris. Nec hoc in-
justum putetur, præsertim quum secun-
dum leges humanas unus hoc modo pu-
niatur pro culpa alterius : sicut propter
crimen læsæ majestatis a patre commis-
sum, filius ejus hereditate privatur. Et
ex hoc innotescit, quomodo intelligendum
Exod. xx, 5. sit quod in Exodi libro Dominus ait : Ego
sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, vi-
sitans iniquitatem patrum in filios, in ter-
tiam et quartam generationem eorum qui
me oderunt. Quod in eodem libro Moyses
clarius dicit, loquens ad Dominum : Domi- *Exod.*
nator Domine, nullus apud te per se inno- *xxxiv, 6, 7.*
cens est, qui reddis iniquitatem patrum
filiis ac nepotibus in tertiam et quartam
progeniem. Unde et apud Jeremiam indu-
citur : Domine Deus, tu reddis iniquita- *Jer. xxxii,*
tem patrum in sinum filiorum post eos. *17. 18.*

(14) *Fiant contra Dominum semper,* id 15
est, Judæi omni tempore contra Christum,
Regem regum et Dominum dominorum,
superbiant, et infideles permaneant. Hoc
videmus impletum, quoniam pene omnes
obstinati sunt. Propter quod Propheta te-
statur : Domus Israel cecidit, non adjiciet *Amos v, 1.*
ut resurgat. *Et dispereat de terra* Ecclesiæ
militantis ac triumphantis *memoria eo-*
rum, scilicet Judæorum, eo modo quo sa-
cra Scriptura multoties perhibet perire me-
moriam malignorum, videlicet quantum ad
bonum et utilitatem. Sic enim perit impi-
orum memoria, quia non est eorum com-
memoratio revolvenda in bonum eorum.
Nihilo minus quosdam fecit famosos sin-
gularis ac summa eorum malitia, sicut
Judæos qui Christum occiderunt. Justo-
rum autem memoria manet in bono. Unde
in libro Proverbiorum scriptum est : Me- *Prov. x, 7.*
moria justi cum laudibus, et nomen im-
piorum putrescet. *Pro eo quod non est* 16
recordatus populus iste et Judas, *facere*
misericordiam cum Domino Salvatore :
imo maximam crudelitatem fecerunt in
eum, secundum quod sequitur.

(15) *Et persecutus est hominem inopem* 17
et mendicum, id est Christum qui duxit in
hoc mundo vitam pauperrimam, juxta quod
ipsemet ait apud Matthæum : Vulpes fo- *Matth. viii,*
veas habent, et volucres cœli nidos ; Fi- *20.*
lius autem hominis non habet ubi caput
suum reclinet. Et sicut Lucas testatur,
quædam religiosæ mulieres ministrabant *Luc. viii, 3.*
ei de facultatibus suis. Unde Jeremias,
Christum in primo suo adventu in omni
paupertate fuisse victurum, Spiritu Sancto

Digitized by Google

revelante cognoscens, miratus est valde, A
Jer. xiv, 8. alloquens eum his verbis : Quare quasi co-
lonus futurus es in terra, et quasi viator
declinans ad manendum ? Sic quoque de-
scribit eum Zacharias primo fuisse futu-
Zach. ix, 9. rum : Exsulta, inquiens, filia Sion, quia
rex tuus venit tibi justus et salvator, ipse
pauper et ascendens super asinam. Mul-
tum igitur errant Judæi, qui præstolantur
Messiam in primo suo adventu in tanta
majestate venturum, quod totius mundi
monarchiam obtineat, universaque regna
eis subjiciat. *Et compunctum corde morti-* B
ficare : id est, populus Judæorum perse-
quendo conatus est occidere Christum men-
te afflictum ex compassione errantium,
et propter ingratitudinem Judæorum, ad
Matth. xv, 24. quorum salutem specialiter missus fuit.
Joann. xix, 7. Unde apud Joannem dicunt : Nos legem
habemus, et secundum legem debet mori,
quia Filium Dei se fecit.
18 (16) *Et dilexit* tam Judas quam populus
sibi consentiens, *maledictionem,* non sub
ratione maledictionis : nullus enim respi-
ciens ad malum operatur, secundum Dio- C
De Divinis nom. cap. 4. nysium, nec malum sub ratione mali ap-
petitur. Sed dilexit maledictionem, id est
causam pro qua maledictio eis superindu-
cta est, scilicet culpam, et facto suo osten-
dit se id amare, quod vel maledictio est,
vel maledictionis origo. *Et veniet ei* maledi-
ctio concupita : nam a Romanis atrocissime
opprimebantur. *Et noluit* populus iste et
Judas, *benedictionem,* id est fidem, doctri-
nam et gratiam Christi, *et elongabitur ab*
eo, quia non infundetur cordi eorum. (17) *Et*
induit maledictionem sicut vestimentum : D
id est, peccatum pro quo infligitur ma-
ledictio, circumdedit populum istum ac
Judam, atque operuit eum, sicut vestis
circumdat operitque vestitum. Propterea
Osee vii, 2. Osee : Circumdederunt, inquit, eos adin-
ventiones suæ, coram facie mea factæ sunt.
Et intravit sicut aqua in interiora ejus :
id est, peccatum istud per consensum in-
gressum est corda populi hujus ; vel ipsa
maledictio, scilicet dolor inflictus, intravit
sicut aqua, id est copiose atque faciliter,

in interiora ejus, quia non solum corpore,
sed etiam mente affligebantur ab æmulis ;
et sicut oleum in ossibus ejus : id est, sicut
oleum ossa corporis refocillat, lenit, atque
delectat ; sic isti in suo peccato gloriati
sunt, et propria malignitate nutriti. (18) *Fi-* 19
at ei sicut vestimentum quo operitur : id
est, undique cadat super eos persecutio
dura, et peccatum ipsorum vertatur ipsis
in pœnas gravissimas ; *et sicut zona qua*
semper præcingitur : id est, maledictione
sua capiatur hic populus, et usque in fi-
nem sæculi captivitate sua ligetur.
(19) *Hoc opus eorum,* id est, ista est pœ- 20
na et maledictio Judæorum, *qui detrahunt*
mihi apud Dominum, id est Deo sciente
et attendente, quem nil latet ; *et qui lo-*
quuntur mala adversus animam meam,
id est, qui mala culpæ mihi imponunt, et
mala pœnæ mihi inferre deposcunt, dicen-
tes illud Lucæ, Hunc invenimus subver- Luc. xxiii, 2.
tentem gentem nostram, et prohibentem
tributa dari Cæsari, et dicentem se Chri-
stum regem esse ; illud quoque quod apud
Joannem clamant, Tolle, tolle, crucifige Joann. xix, 15.
eum.
Deinde Christus orat Patrem. (20) *Et tu,* 21
Domine, Domine, fac mecum, id est, da mi-
hi quod postulo, *propter nomen tuum,* id
est propter te ipsum et nominis tui hono-
rem, resuscitando me a mortuis ; *quia su-*
avis est misericordia tua, id est, dulciter
sapit electis misericordia tua, qua tot,
tanta ac talia pro hominum salute fecisti.
Ecce quam dulcis, decorus, industriosus
ac sententiosus versiculus : in quo nomen
Domini iteratur, ut accendatur affectus ;
in quo Deus rogatur, propter se ipsum age-
re id pro quo oratur, non propter merita
alicujus. Et ad hoc adjicitur ratio : quia
suavis est misericordia ejus. Justitia nam- II Mach. i, 24.
que ejus terribilis est. (21) *Libera me* per
resurrectionem beatam ab omni corporis
passibilitate ac persecutione, *quia egenus,* 22
id est opem a te requirens, secundum quod
homo sum, *et pauper ego sum :* sicut nunc
patuit. Unde Apostolus : Scitis, inquit, gra- II Cor. viii, 9.
tiam Domini nostri Jesu Christi, quia quum

Digitized by Google

dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos inopia illius divites essemus. *Et cor meum* humanum, non mens divina, *conturbatum est intra me,* id est vehementer affectum dolore, timore, tristitia, ita Matth. xxvi, 38. ut dicerem : Tristis est anima mea usque ad mortem. Hinc enim, ut est apud Joan- Joann. xii, 27. nem, dixit : Nunc anima mea turbata est, et quid dicam ? Sed quæri potest, quomodo turbatio Christo conveniat, quum ipse apud eumdem Evangelistam Apostolis di- Ibid. xiv, 27. xerit, Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Et respondendum, quod turbatio interdum importat deordinationem, seu immoderatam cordis affectionem : et ita in Christo non fuit ; sicque reprobatur ab eo. Interdum vero designat vehementem animi affectionem, ex aliqua præcipua consideratione aut causa : et ita fuit in Christo, tamen sponte assumpta ex prævia ra- Ibid. xi, 33. tione, juxta illud Joannis : Jesus infremuit spiritu, et turbavit se ipsum.

23 (22) *Sicut umbra quum declinat* ad occasum ac tenebras, cito aufertur ac deficit ; ita ego *ablatus sum* de vita corporali et consortio discipulorum, affixus cruci, moriensque in ea velociter : prout in Mar- Marc. xv, 44. co scriptum est, Mirabatur Pilatus si jam obiisset. *Et excussus sum* de manu et persecutionibus Judæorum, in die resurrectionis meæ : quia tunc in corpore immortali surrexi, atque ab omni pœnalitate me ipsum excussi ; *sicut locustæ,* quæ evolant, ne detineantur ab aliquo. Vel, Excussus sum, fugiendo de loco ad locum propter persecutiones adversariorum meorum. Nam in Matth. ii, 13-15. Joann. viii, 59 ; xi, 54 ; xii, 36. infantia a facie Herodis ingrediebar Ægyptum, Judæorum quoque persecutionem subinde declinavi, sicut locustæ, quæ de loco ad locum transiliunt.

24 (23) *Genua mea infirmata sunt a jejunio.* Quamvis quidam existiment, hoc ad litteram non competere Christo, et ideo exponendum esse de membris ejus hoc modo, Genua mea, id est Apostoli qui alios sustentare debuerant suo exemplo, infirmata sunt tempore passionis meæ, a jejunio, id est ex defectu spiritualis refectionis, quoniam donum fortitudinis nondum perfecte gustaverunt aut receperunt, sed omnes (ut Evangelista narrat) dispersi sunt Matth. xxvi, 56. atque fugerunt ; videtur tamen non esse absurdum, si asseramus Christum ex jejunio in genibus proprii corporis infirmatum seu debilitatum. Jejunavit enim con- Ibid. iv, 2. tinuo quadraginta diebus et noctibus, et postea esuriit, ex attenuatione corporis. Esuries autem fatigationem facit in corpore, quæ sentiri de facili solet in genibus. Denique, cur inconvenientius est, dicere Christum ex jejunio genibus infirmatum, quam ex aliis laboribus corpore fatigatum ? Est autem ex laboribus fatigatus, juxta illud : Jesus fatigatus ex itinere, se- Joann. iv, 6. debat super fontem. Assumpsit namque indetrahibiles defectus, secundum Damascenum, quales sunt fames, sitis, fatigatio, timor et dolor naturales atque consimiles. *Et caro mea immutata est* a naturali vigore ad famis defectum, seu maciem quamdam, *propter oleum,* id est ex defectu cibi conditi. Unde translatio Hieronymi talis est : Caro mea macilenta est absque oleo. Veritas autem Hebraica habet sic : Caro mea macilenta est a pinguedine, id est ex defectu pinguedinis. Christus namque in juventute habuit corpus convenienter carnosum et plenum, quoniam sanguineæ et optimæ fuerat complexionis, tanquam ex purissimis sanguinibus sanctæ Virginis habens corpus sumptum, atque a Spiritu Sancto formatum ; sed postmodum propter diversos labores vigiliarum, jejuniorum, viarum, attenuatum erat in tantum, ut Christus videretur senior quam erat. Propter quod dixerunt ad eum Judæi : Quin- Ibid. viii, 57. quaginta annos nondum habes. Licet enim non haberet ultra triginta tres annos, videbatur tamen satis plus habere de senio. Hæc dicta sint non pertinaciter asserendo, sed pie opinando.

(24) *Et ego factus sum opprobrium illis.* 25 Sæpe enim deriserunt Christum Judæi, præsertim in passione, secundum quod dictum est supra : Ego autem sum vermis Ps. xxi, 7. et non homo, opprobrium hominum et ab-

Digitized by Google

jectio plebis. *Viderunt me* pendentem in A
cruce, *et moverunt capita sua,* congratu-
lantes de mea miseria, sicut scriptum est:
Matth. xxvii, 39, 40. Prætereuntes autem blasphemabant eum,
moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui
destruis templum Dei.
26 (25) *Adjuva me :* in passione, secundum
quod homo sum, et humanitati meæ adsi-
ste, eique in omnibus cooperare. Petiit au-
tem se Christus homo juvari a Deo, non
quod timeret se posse peccare, sed ut di-
vina virtute prævaleret in prælio. Propter
Is. l, 7. quod ait: Dominus Deus auxiliator meus; B
Jer. xx, 11. itemque, Dominus mecum est quasi bella-
tor fortis. *Salvum me fac* a morte ac morta-
litate, *secundum misericordiam tuam.* Cur
non ait, Secundum justitiam tuam? Potuit
utique utrumque dicere : sed ut nos suo
exemplo doceret nunquam de propria per-
fectione præsumere, magis autem in Dei
pietate incessanter sperare ; ideo dixit,
Salvum me fac secundum misericordiam
tuam; et item, quia in omni opere Dei mi-
sericordia commiscetur; itemque, quoniam
omnis virtus et gratia Christi sola miseri- C
27 cordia Dei concessa est animæ ejus. (26) *Et
sciant* adversarii mei per experientiam
suæ damnationis ; boni quoque per an-
nuntiationem evangelicæ veritatis, *quia
manus tua hæc,* id est, quod ista salvatio
ac resurrectio mea, est effectus tuæ divi-
næ virtutis, quæ sola potest mortuos su-
scitare, *et tu, Domine, fecisti eam,* id est
prædictum effectum, scilicet resuscitatio-
nem meam.
28 (27) *Maledicent illi, et tu benedices.* In-
creduli namque Judæi Christum blasphe- D
maverunt ante passionem, in passione,
et post passionem. Deus autem benedixit
Christo homini, quantum ad præmium ac-
cidentale, et quantum ad mysticum cor-
pus ipsius. *Qui insurgunt in me,* id est
persecutores mei, *confundantur,* vel con-
fusione temporali, erubescendo de suis
sceleribus; vel confusione æterna, sentien-
do tormenta, si modo non pœnitent. Unde
Id. xvii, per Jeremiam ait Salvator : Confundan-
tur qui me persequuntur, et non confun-
dar ego. *Servus autem tuus lætabitur :* id
est, ego Filius tuus, qui formam servi ac- Philipp. ii,
cepi, et ut homo servus tuus sum, læta- 7.
bor in te, erubescentibus atque pereunti-
bus illis.
(28) *Induantur,* id est, undique operian- 29
tur, *qui detrahunt mihi, pudore :* ita quod
erubescant de sua detractione, vel ad pœ-
nitentiam salutarem, vel per damnationem
æternam ; *et operiantur sicut diploide,* id
est velut duplici veste, *confusione sua :* ita
quod coram Deo atque hominibus erube-
scant; imo sic, quod nunc eorum confusio
ac pœna incipiant, et in futuro æternaliter
durent. Quorumdam enim pœna nunc in-
choatur, in futuroque sæculo sine fine con-
tinuatur; electorum vero castigatio modo
incipit, et postea finem sortitur. Hæc au-
tem in Judæis manifeste implentur. Nam
a tempore destructionis et expulsionis eo-
rum tempore Titi, usque in præsentem
diem, vagi et exsules sunt, et adversario-
rum suorum ditioni subduntur, variisque
pœnis ac confusionibus afficiuntur : nec
tamen emendantur ex hoc ; sed pœna eo-
rum nunc incipit, et postmodum in per-
petuum perseverat. Propter quod de eis
conscriptum est : Duplici contritione con- Jer. xvii,
tere eos, Domine Deus noster. Porro pro- 18.
phetia ista de confusione Judæorum tunc
summe implebitur, quando videbunt in
quem compunxerunt, puta in die judicii. Apoc. i, 7.
Tunc enim judicabuntur a Christo quem
judicaverunt, et conspicient quem occi-
derunt.
(29) *Confitebor Domino nimis,* id est de- 30
votissime, *in ore meo,* ipsum laudando de
omnibus bonis mihi collatis ; *et in medio
multorum,* id est inter fideles seu in Ec-
clesia, *laudabo eum* de bonitate ipsius et
propria perfectione ejus in semetipso. Hoc
Christus post resurrectionem fecit, quan-
do discipulis suis apparuit, stansque in
medio eorum dixit: Pax vobis; sicut misit Joann. xx,
me vivens Pater, et ego mitto vos. Et : 21.
Non est vestrum scire tempora vel mo- Act. i, 7.
menta, quæ Pater posuit in sua potestate.
Sed et per se ipsum Christus ut homo, in

Digitized by Google

cœlo empyreo incessabiliter nunc laudat
Deum, seu sanctam Trinitatem, cum in-
excogitabili reverentia cordis. In Ecclesia
quoque militanti laudat Deum per suos
ministros, quos ad divinam laudem indu-
31 cit. (30) *Quia adstitit a dextris pauperis,*
id est, mihi pauperi in omni tribulatione
paternaliter adfuit, nec unquam me dere-
liquit, sicut in Evangelio Joannis locutus
Joann. VIII, 29. sum : Non reliquit me Pater solum, quia
ego quæ placita sunt ei, facio semper ; *ut
salvam faceret a persequentibus animam
meam,* id est, quatenus me ipsum seu vi-
tam meam corporalem, salvaret de manibus
Judæorum et crucifixorum meorum, resu-
scitando me tertio die a mortuis.

In expositione psalmi præsentis, S. Hie-
ronymus contra Judæos sic argumenta-
tur : Respondete mihi, o Judæi. Fuistis in
Babylonia, habuistis ibi Prophetas, Danie-
lem, Ezechielem ; septuaginta annis fuistis
in captivitate illa, et postea venistis in
propria. Ecce nunc quadringenti anni sunt
(computa annos a Christo usque Hierony-
mum) : quare non est missus ad vos Pro-
pheta, et quare dereliquit vos Dominus?
Tunc dereliquistis Dominum, et idola co-
lebatis, et miserebatur vestri. Nunc quum
non colitis idola, quare dereliquit vos Do-
minus ? Hucusque Hieronymus.

Sed ecce nunc amplius quam mille et
quadringenti anni sunt, ex quo in ista ca-
ptivitate fuerunt. Nec ad eos invenitur mis-
sus Propheta, nec aliquod signum certum,
divinum ac evidens eis monstratum est,
quo scire possint se pertinere ad populum
Dei : imo non obstante quod apertissime
demonstramus eis ad oculum hanc esse fi-
nalem captivitatem eorum propter pecca-
tum eorum in Christum commissum, quem-
Dan. IX, 26, 27. admodum per Danielem inducitur : Non
erit ejus populus qui eum negaturus est ;
et finis ejus vastitas, et usque in finem
perseverabit desolatio. Et per Osee : Dies *Osee* III, 4, 5.
multos sedebunt filii Israel sine rege, et
sine principe, et sine sacrificio, et sine
altari, et sine ephod, et sine theraphim ;
et post hæc revertentur filii Israel, et quæ-
rent Dominum Deum suum, et David re-
gem suum (id est Messiam, ut omnes ex-
ponunt), et pavebunt ad Dominum, et ad
bonum ejus in novissimo dierum. In hoc
autem quod sanctus Osee perhibet eos
postea reversuros ad Deum, et quæsituros
Messiam, dat palam intelligere, quod illis
multis diebus de quibus ipse loquitur, se-
dent sine Deo et Christo, id est sine vera
fide et digno cultu Dei atque Messiæ. Vel
ergo per dies illos multos, de quibus tra-
ctat Osee, intelligendi sunt dies hujus ca-
ptivitatis, vel non. Si sic, constat quod
modo sedeant sine Deo et Christo, tan-
quam infideles ac reprobi ; si non, tunc re-
stat una alia captivitas longior ista, quam
nec ipsi exspectant. Quamvis ergo sit ita,
non tamen volunt informari, credere, aut
converti, quatenus sancti Prophetæ, qui eo-
rum excæcationem et obstinationem præ-
dixerunt, in hoc quoque inveniantur vera-
ces. Vere enim pervenit super eos ira Dei *I Thess.* II, 16.
usque in finem, et verificatur in eis quod
Salomon dicit : Quem despicit Deus, hunc *Eccle.* VII, 14.
nullus corrigere potest. Optime quoque no-
bilis noster Cassiodorus loquitur : Virgo
peperit, Messias venit, Agnus immaculatus
occisus est, Redemptor surrexit a mortuis,
mundus audita credit : et adhuc Judæus
simulat se nescire quod totus mundus
agnovit. Præsta, Domine, obstinatis con-
versionem, obscuris lumen, incredulis fi-
dem, ut pro quibus in cruce orasti, peri- *Luc.* XXIII, 34.
clitantibus subvenire digneris. Nam quibus
suadere justa non possumus, recte pro il-
lis tibi, Domine, supplicamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO MORALIS SEU TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI CENTESIMI OCTAVI.

Luc. IX, 23. QUUM Christus dicat, Qui vult venire A
post me, abneget semetipsum, et tol-
lat crucem suam quotidie, et sequatur me :
mirum non est, si psalmi qui ad litteram
de Christi passione loquuntur, de ejus
Ecclesia seu quocumque fideli moraliter
exponantur. Ecclesia igitur seu quilibet
homo Christi vestigia digne sequens, con-
temnendo laudes humanas, et sustinendo
persecutiones diversas, in propria persona
2 Domino dicere potest : *Deus, laudem me-
am ne tacueris :* id est, tu propter quem
honores et laudes temporales despicio, at- B
que diversa sustineo, me in judicio ap-
Matth. XXV, 21, 23. proba, lauda et salva, dicendo : Euge, serve
bone et fidelis, intra in gaudium Domini
tui. Nec permittas ab aliis laudem meam
taceri, quando ad ædificationem fit proxi-
mi, atque ad gloriam nominis tui. *Quia
os peccatoris et os dolosi super me aper-
tum est,* id est, verba superba et dolosa
adversus me dicta sunt.
3 *Locuti sunt* homines pravi *adversum
me lingua dolosa,* proponendo mala sub
specie boni, ut quem manifesta malitia C
fallere nequeunt, palliata æquitate deci-
piant : quod valde iniquum est, secundum
Is. XXXII, 7. quod per Isaiam inducitur : Fraudulenti
vasa (id est verba) pessima sunt; ipse enim
cogitationes concinnabit ad perdendos mi-
tes in sermone mendacii. Et Malachias :
Malach. I, 14. Maledictus, inquit, dolosus. Verumtamen
vitium istud, proh dolor ! nimis commune
Jer. IX, 4, 5. est. Propter quod Jeremias ait : Unusquis-
que se a proximo suo custodiat, et in om-
ni fratre suo non habeat fiduciam, quia
omnis frater supplantans supplantabit, et D
omnis amicus fraudulenter incedet, et vir
fratrem suum deridebit. Hinc quoque scri-
Mich. VII, 2, 5, 6. ptum est : Vir fratrem suum venatur ad
mortem. Ab ea quæ dormit in sinu tuo,
custodi claustra oris tui : quia inimici ho-
minis, domestici ejus. Quum ergo sit ita,
merito dicit Scriptura : Ne omni homini Eccli. VIII, 22.
cor tuum reveles ; et, Beatus qui inve- Ibid. XXV, 12.
nit amicum verum. *Et sermonibus odii
circumdederunt me,* quærentes me a sum-
mo bono avertere : quod est odium pessi-
mum. Sed non est nobis timendum ob hoc,
quoniam Christus locutus est : Beati eri- Luc. VI, 22.
tis, quum oderint vos homines, et quum
separaverint vos, et exprobraverint, et eje-
cerint nomen vestrum tanquam malum
propter Filium hominis. *Et expugnave-
runt me gratis.* Hoc maxime Christi marty-
ribus convenit, qui propter justitiam occi-
di digni fuerunt : sed et omnis qui propter
justitiam patitur atque opprimitur, gratis,
id est sine suo demerito, expugnatur.
Pro eo ut me diligerent, detrahebant mi- 4
hi. Hoc convenit bonis prælatis et fratribus,
qui commissos seu proximos caritative ac
juste corripiunt : propter quod amari debe-
rent, quemadmodum scriptum est, Argue Prov. IX, 8.
sapientem, et diliget te. Sed ipsi econtra-
rio ab illis odio habentur, et oblocutiones
patiuntur, prout dicit Scriptura : Odio ha- Amos V, 10.
buerunt corripientem, et loquentem per-
fecte abominati sunt. *Ego autem orabam*
pro ingratis et æmulis. Hoc est quod dicit
Apostolus : Maledicimur, et benedicimus ; I Cor. IV, 12, 13.
blasphemamur, et obsecramus. Unde et
alibi monet : Noli vinci a malo, sed vince Rom. XII, 21.
in bono malum. Hoc est scutum patientiæ
famulorum Christi, in omni injuriatione
ad orationem recurrere : primo, pro semet-
ipsis orando, ne a proprio animo supere-
mur, et ad impatientiam moveamur, sed
in omni adversitate constantes reddamur ;
secundo autem, orando pro adversariis, ut

Digitized by Google

Deus eis ignoscat, gratiamque melioris vi-
tæ infundat. De taliter patientibus Petrus
1 Petr. iv, 19. ait : Qui patiuntur, inquit, secundum vo-
luntatem Dei, fideli Creatori commendant
Matth. v, 46, 47. animas suas. Unde et Christus ait : Si eos
diligitis, qui vos diligunt, quam mercedem
habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt?
Et si salutaveritis fratres vestros tantum,
quid amplius facitis? Nonne et ethnici (id
est gentiles et infideles) hoc faciunt?
6 *Constitue super eum peccatorem, et dia-*
7 *bolus stet a dextris ejus. Quum judicatur,*
exeat condemnatus, etc. Mirum videtur,
quomodo nunc tanta imprecentur adver-
sario justi, ab ipso justo, qui immediate
prædixit se orasse pro æmulo. Sciendum
ergo, quod verba ista atque similia, qui-
bus videtur malum optari inimico, tripli-
citer intelliguntur : Primo, per modum
propheticæ prænuntiationis, non per mo-
dum imprecationis alicujus nocivi. Secun-
do, per modum demonstrationis, quid im-
pius mereatur. Tertio, per modum zeli, quo
se homo conformat divinæ justitiæ, im-
precans impiis mala secundum ordinem
æquitatis divinæ, nisi pœniteant : et hoc
Jer. xviii, 23. modo Jeremias dicit, Domine, ne propiti-
eris iniquitati eorum, et peccatum eorum
non deleatur.

Ait ergo Ecclesia seu fidelis : *Constitue*
super eum, id est, super populum præva-
ricatorem constitues, et constitui decet,
et oro ut statuas ad laudem justitiæ tuæ,
nisi resipiscat, *peccatorem,* id est diabo-
lum seu indignum prælatum, quatenus qua-
les servi, tales sint domini; *et diabolus*
stet a dextris ejus, inducendo eum ad
8 omnia opera mala. *Fiant dies ejus pauci,*
id est, in vita gratiæ non persistat, vel
dies suæ naturalis vitæ brevientur propter
peccata ipsius, quemadmodum Ecclesia-
Eccle. viii, 13. stes dicit : Non sit bonum impio, nec
prolongentur dies ejus. *Et episcopatum*
ejus accipiat alter. Hoc contra indignos
prælatos inducitur : qui utinam suo offi-
cio privarentur. Sicut enim bono prælato
nihil est utilius, sic indigno prælato nihil
9 nocentius. *Fiant filii ejus orphani :* id

A est, imitatores populi tam maligni priven-
tur Patre cœlesti, ne sint filii adoptivi Pa-
tris æterni, sed servi diaboli, cujus vo-
luntati consentiunt; *et uxor ejus,* id est
ecclesia malignantium, cum qua ipse spi-
ritualiter aut corporaliter fornicatur, fiat
vidua, id est, desinat esse Christi sponsa,
eo quod fornicetur cum amatoribus mul- Jer. iii,
tis; nec fecundetur luce et gratia Spiritus
Sancti, sed in omnibus bonis sterilis fiat.
Nutantes transferantur filii ejus : id 10
est, imitatores plebis perversæ transferan-
B tur de regno Christi ad potestatem diabo-
li, de statu salutis ad statum damnationis,
de morte temporali ad perpetuam mortem
inferni : et hoc nutantes, id est instabiles
facti, vagi ac dissoluti, sicut supra dictum
est : Filii alieni inveterati sunt, et claudi- Ps. xvii,
caverunt a semitis suis. Impius namque Prov. xi,
facit opus instabile, sicut scriptum est. *Et*
mendicent, tanquam omnibus spirituali-
bus bonis privati eo modo, quo fatuæ vir-
gines mendicabant, dicentes ad sapientes:
Date nobis de oleo vestro. *Ejiciantur de* Matth. xx
C *habitationibus suis,* id est de locis Eccle- 8.
siæ, tanquam indigna et putrida membra
ipsius; vel, De habitationibus suis, id est
de cœlestibus mansionibus, eis (si bene
vixissent) paratis. *Scrutetur fœnerator,* id 11
est exactor, scilicet dæmon tentator, a quo
peccator peccata velut pecuniam mutuat,
dum ejus suggestione et cooperatione con-
cupiscentiis satisfacit, *omnem substantiam*
ejus, id est omnes interiores divitias im-
pii, scilicet dona naturæ et gratiæ sibi col-
lata; et ea suo dominio subdat, auferat aut
D inficiat. *Et diripiant alieni,* id est dæmo-
nes de particularibus vitiis tentantes, *la-*
bores, id est virtutes et merita *ejus,* spoli-
ando eum donis Dei. Quemadmodum enim
exactor domum debitoris non potentis de-
bita reddere, percepta licentia, intrat, et
bona ejus tollit; sic dæmon cor peccatoris
in vitiis persistentis, Deo permittente in-
greditur, atque in eo bonis spoliato, domi-
nationem sortitur. *Non sit illi adjutor.* 12
Qui enim adjutorio Dei juste privatur, ab
alio nullo valet salvari, aut salubriter ad-

Digitized by Google

juvari. *Nec sit qui misereatur pupillis ejus,* A
id est qui prava opera ejus sequuntur, sed
justa pœna plectantur, vel in hoc sæculo,
Judic. v, 31. aut in futuro, prout scriptum est : Sic per-
eant inimici tui, Domine ; qui autem dili-
gunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita
13 rutilent. *Fiant nati ejus in interitum* spi-
ritualem, perdendo vitam animæ, scilicet
caritatem et gratiam.
15 *Fiant contra Dominum semper,* id est,
omni tempore Deo displiceant, sicut scri-
Sap. xiv, 9. ptum est : Odio sunt Deo impius et impie-
tas ejus ; *et dispereat de terra* viatorum ac B
comprehensorum, id est de præsenti Ec-
clesia et regione vivorum seu patria, *me-
moria eorum,* quantum ad bonum, ita quod
16 nesciantur a Deo per approbationem ; *pro
eo quod non est recordatus* conventus eo-
rum, seu ipsi, *facere misericordiam* cum
17 proximo suo ; *et persecutus est hominem
inopem et mendicum :* quod est peccatum
clamitans ante Deum ; *et compunctum corde*
ex contritione peccati sui et aliorum, co-
nati sunt *mortificare.* Merito ergo populus
tam crudelis æternæ oblivioni traditur, C
nec ullam misericordiam consequitur, sicut
Job xxiv, 20. Job ait : Obliviscatur ejus misericordia ;
et dulcedo illius, vermis. Unde et Chri-
Luc. vi, 38. stus : Eadem, inquit, mensura qua mensi
fueritis, remetietur vobis. Et alibi legi-
Eccli. xxviii, 3-5. tur : Homo in hominem sibi similem non
habet misericordiam : et de peccatis suis
deprecatur Altissimum ? quis exorabit pro
peccatis illius ? quasi dicat, hoc pene irre-
missibile esse.
18 *Et dilexit maledictionem, et veniet ei.* Ma-
ledictionem diligit, qui opera amat propter D
quæ Christus in fine dicturus est reprobis:
Matth. xxv, 41. Ite, maledicti, in ignem æternum. Maledi-
ctionem diligit, qui amat quod sibi non ex-
Prov. ii, 14. pedit, qui lætatur quum malefecerit, et ex-
sultat in rebus pessimis. Maledictionem
Job xxi, 14. diligunt, de quibus Job asserit : Dixerunt
Deo, Recede a nobis, scientiam viarum tu-
Is. xxx, 10. arum nolumus. Et Isaias : Dicunt videnti-
bus, Nolite videre ; et adspicientibus, Noli-
te adspicere nobis ea quæ recta sunt. *Et
noluit* populus reprobus *benedictionem,* id
est gratiam Dei, quoniam sprevit legem
Altissimi, *et elongabitur ab eo,* quia non
dabitur ei. *Et induit maledictionem sicut
vestimentum,* id est, peccato repletus est.
Hinc enim Sapientia ait : Quia vocavi, et Prov. i, 24-27.
renuistis ; extendi manum meam, et non
fuit qui adspiceret ; despexistis omne con-
silium meum, et increpationes meas ne-
glexistis : ego quoque in interitu vestro
ridebo, et subsannabo, quum vobis id
quod timebatis advenerit, quum irruerit
repentina calamitas. *Fiat ei sicut vesti-* 19
mentum quo operitur, id est, maledictio,
scilicet culpa et debita pœna, operiat im-
pium, sicut vestis operit veste indutum.
Hoc accidit impœnitenti, quemadmodum
Isaias dicit : Veniet super te malum atque Is. xlvii, 11.
calamitas, et nescies ortum ejus ; et veniet
super te miseria repente. In Job quoque
legitur : Propter malitiam tuam circumda- Job xxii, 5, 10.
tus es laqueis, et conturbat te formido su-
bita. *Et sicut zona qua semper præcingi-
tur :* id est, maledictione perversus ligetur,
ne exeat rete diaboli, sicut ligatur corpus
cum cingulo. Hoc est quod Salomon fas-
sus est : Iniquitates suæ capient impium, Prov. v, 22.
et funibus peccatorum suorum constrin-
getur.

Deinde Ecclesia, seu quilibet justus sub-
jungit : *Hoc opus eorum,* id est, ista erit 20
merces illorum, *qui detrahunt mihi apud
Dominum.* Terribile ergo est, detrahere
justis. *Et tu, Domine, Domine, fac mecum* 21
misericordiam tuam *propter nomen tuum,*
id est propriam tuam bonitatem et glo-
riam, non propter justitias meas. Hoc modo
Deus propter se ipsum dimittit nobis pec-
cata, et dona gratiæ impertitur. Ait enim
per Isaiam : Ego sum qui deleo iniquita- Is. xliii, 25.
tes tuas propter me ; et alibi, Propter me Ibid. xlviii, 11.
ego faciam, ut non blasphemer. *Quia sua-
vis est* nobis *misericordia tua.* Melior est Ps. lxii, 4.
enim misericordia tua super vitas. *Libera
me* ab omni periculo et malo pœnæ et cul-
pæ, *quia egenus,* propter imperfectionem 22
naturæ, *et pauper,* propter carentiam gratiæ,
*ego sum ; et cor meum conturbatum est intra
me* ex recordatione divini judicii, æterni

Digitized by Google

tormenti, proprii quoque peccati, et pro- A
pter diversa pericula, quibus expositus
sum, ita ut cum sancto Job dicere possim :
Job III, 24. Antequam comedam, suspiro ; et quasi
23 inundantis aquæ, sic rugitus meus. *Sicut*
umbra quum declinat, ablatus sum: id est,
quemadmodum umbra ad occasum pro-
grediens, statim aufertur ac deficit; sic
ego repente defeci et cecidi, vel a pristina
gratia, vel a flore juventutis, vel a forti-
tudine corporis. *Et excussus sum* a statu
perfectionis, stabilitateque mentis, a con-
templatione ad phantasmata inutilia cor- B
ruendo, *sicut locustæ* excutiuntur de loco
suo. Est autem quædam ablatio bona, sicut
quum homo aufertur mundo, ut serviat
Christo, aufertur diabolo, ut vivat virtuti-
bus. Sic quoque est quædam excussio bo-
Is. LII, 2. na : de qua Isaias, Excutere (inquit) de
pulvere, id est, a terrenis ad cœlestia
per contemplationem et dilectionem as-
cende.

24 *Genua mea infirmata sunt a jejunio.*
Hoc secundum sensum præhabitum com-
petit his, qui cum Apostolo dicere pos- C
I *Cor.* IX, 27. sunt, Castigo corpus meum et in servitutem
redigo. Sunt tamen quædam genua cordis:
Oratio Manassæ. de quibus in sua oratione ait Manasses, Et
nunc flecto genua cordis mei. Sic etiam
est quoddam spirituale ac malum jeju-
nium, dum a cibo animæ homo jejunat,
spirituali scilicet refectione gratiæ Dei pri-
vatus. Ab hoc ergo jejunio genua cordis
(id est virtutes) infirmantur, quia debiliter
et sine fervore procedunt in actum. Gratia
namque crescente, omnes virtutes robo-
rantur, et fortius atque ferventius operan- D
tur; gratia vero decrescente, infirmantur
virtutes. *Et caro mea immutata est,* id est
hilaris facta et roborata, *propter oleum,* id
est propter consolationem internam, et ex
promptitudine animi omnia libenter agen-
tis ac sustinentis. Debemus enim in jeju-
nando vitare exteriorem hypocritarum ap-
parentiam. Propter quod Christus locutus
Matth. VI, 17, 18. est : Tu autem quum jejunas, unge caput
tuum, et faciem tuam lava, ne videaris
hominibus jejunans.

Et ego factus sum opprobrium illis. Ju- 25
sti enim ab impiis deridentur et contem-
nuntur. Propter quod dicit Salvator : Si *Joann.* XV, 20.
me persecuti sunt, et vos persequentur :
quia non est servus major domino suo. *Vi-*
derunt me, et moverunt capita sua, insul-
tando illudendoque mihi : quemadmodum
Apostolus dicit, Tanquam purgamentum I *Cor.* IV, 13.
hujus mundi facti sumus, omnium peri-
psema usque adhuc; et iterum, Spectacu- *Ibid.* 9. 10
lum facti sumus Deo et angelis et homini-
bus, et nos stulti propter Christum.

Adjuva me, Domine Deus meus, ne in 26
tantis adversitatibus per impatientiam vin-
car. Adjuva me, ut fortiter pro tuo amore
cuncta sustineam. *Salvum me fac,* modo
per spem et gratiæ multiplicationem, in
futuro autem per rem et gloriæ infusio-
nem, *secundum misericordiam tuam,* id
est cito et copiose, sicut tu copiosus, ple-
nus et velox es in misericordia. *Et sciant,* 27
id est, experimentaliter videant hostes mei
invisibiles atque visibiles, *quia manus tua*
hæc, id est, quod ista mea confortatio at-
que salvatio sit effectus seu opus tuæ pote-
statis divinæ; *et tu, Domine, fecisti eam,* id
est, hoc quoque agnoscant, quod hæc ope-
ratio sit in me ex tua virtute, ita quod a
te salvata est anima mea. *Maledicent illi* 28
mihi ex sua malignitate; *et tu benedices,*
id est, gratiam magnam mihi præstabis
pro hac injuria, quam æquanimiter patior.
Quanto enim conspexerit Deus fideles suos
majora sustinere opprobria et flagella, tan-
to liberalius eis succurrit, sicut supra di-
xit : Cum ipso sum in tribulatione. *Qui* *Ps.* XC, 15
insurgunt in me, confundantur, id est,
de sua malitia erubescant, seque victos in-
veniant; *servus autem tuus lætabitur* in
te : prout Apostolus monet, Qui gloriatur, II *Cor.* X, 17.
in Domino glorietur.

Deinde sequitur vox gratias Domino re-
ferentis : *Confitebor Domino* benefactori 30
meo *nimis,* id est toto affectu, devotione
præcipua, et ultra naturalium virium po-
testatem, *in ore meo,* ipsum laudando :
juxta illud, Semper laus ejus in ore meo; *Ps.* XXXIII, 2
et in medio multorum, id est inter alios et

Digitized by Google

in Ecclesia, *laudabo eum,* propter bonita-
31 tem ejus et beneficia mihi concessa. *Quia adstitit a dextris pauperis,* id est, mihi pauperi favorabiliter adfuit : adstare namque est adjuvantis; *ut salvam faceret a persequentibus,* id est malis et importunis hominibus atque dæmonibus, *animam meam,* præservando eam a læsione peccati, conservandoque eam in statu salutis.

Ecce psalmum mysterialem audivimus : in quo Capitis nostri diram persecutionem et admirandam patientiam intuemur. Discamus ergo Christi exemplo pro adversariis et persecutoribus cordialiter exorare, odientibus affectum sanctæ dilectionis rependere, et Christi vestigia in omnibus imitari.

PRECATIO.

Tu, Domine, qui suavis in misericordia, cor nostrum peccatis exigentibus perturbatum intra nos, spiritu tuo bono lætificas, adjuva nos misericorditer et salva : lætentur in te servi tui, et fac nos in perpetuum tibi Domino nimis confiteri.

ARTICULUS XVII

ELUCIDATIO LITTERALIS PSALMI CENTESIMI NONI : DIXIT DOMINUS DOMINO MEO.

Psalmi nunc declarandi titulus talis est:
1 *Psalmus David.* Convenit namque hic psalmus David prophetæ tanquam auctori, et Christo per David significato tanquam materiæ seu subjecto : quia ad litteram loquitur de Christo, quemadmodum ipsemet Christus apud Matthæum testatus est. Alloquens enim Pharisæos : Quid vobis, inquit, videtur de Christo? Cujus filius est? Quibus respondentibus, David, adjecit : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? Apostolus quoque ex ista scriptura ostendit Christum angelis majorem, et Patri æqualem. Ad quem, inquiens, angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Loquitur itaque psalmus iste de Christo secundum utramque ejus naturam, et de magnificentia ejus in ascensione, de coæternitate ejus, et substantiali identitate cum Patre, de generali ejus dominio, sacerdotioque æterno, atque finali judicio.

Matth. xxii, 42-44. Hebr. i, 13.

Ait ergo beatissimus David, cui incerta et occulta sapientiæ suæ revelavit Deus : (1) *Dixit Dominus Domino meo :* id est, Deus Pater locutus est Filio suo unigenito, vero Deo ac Domino meo : qui est Dominus meus secundum divinitatem, et filius meus secundum humanam, quam ex semine meo suscepit, naturam. Dixit autem non verbo foris sonanti ac transeunti, sed intellectualiter ei innotuit, imo ab æterno ita disposuit. Quid autem dixit, subjungitur : *Sede a dextris meis :* id est, tu, Fili carissime, qui propter meum honorem, hominumque salutem, sub omnibus creaturis humiliatus es, factus opprobrium hominum, in ascensione tua super omnes creaturas exaltare, et usque ad thronum majestatis ac gloriæ meæ conscende, illicque ad dexteram meam æternaliter reside, habita, et quiesce.

Ps. l, 8. Ps. xxi, 7. Hebr. ii, 7, 8.

(2) *Donec ponam inimicos tuos,* id est omnes incredulos et iniquos, præsertim Judæos, *scabellum pedum tuorum,* id est sic tuæ potestati ac dominationi subjectos, sicut substernitur scabellum pedibus se-

Digitized by Google

dentis. Hæc subjectio jam aliquo modo impleta est. Christus enim post resurrectionem dixit : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. (*Matth.* xxviii, 18.) Imo ante passionem ait de se ad Patrem : Dedisti ei potestatem omnis carnis. (*Joann.* xvii, 2.) Denique qui aliquando Christo repugnabant, post conversionem ad fidem ei subjecti fuerunt. Sed ista subjectio maxime apparebit, et plene implebitur in die finalis judicii, quia tunc Christus omnes adversarios suos dejiciet et damnabit. Nam et tunc implebitur, quod in Isaia de Christo prædictum est : Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. (*Is.* xlv, 25.)

Interim ergo Christus sedebit ad dexteram Patris. Sed numquid postea non sedebit? Sedebit utique postea. In divina enim Scriptura solet hæc dictio, Donec, in oratione affirmativa omnia tempora ponere et includere, sicut dum et infra dicitur : Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri. (*Ps.* cxxii, 2.) Sicque tenetur hoc loco, quoniam Christus in æternum sedebit ad dexteram Patris. In oratione vero negativa solet omnia tempora abnegare et tollere, sicut in Matthæo de Joseph et Virgine benedicta asseritur : Non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum. (*Matth.* i, 25.) Et istud rationabiliter fit. Dum namque Scriptura affirmat aut negat aliquid pro illo tempore quando minus sic esse videtur, tunc certum est quod ipsa velit insinuare illud aliis temporibus sic se habere : sicut dum Matthæus affirmat S. Joseph non cognovisse Mariam donec peperit Christum, certum est quod postmodum eam non cognovit. Quomodo enim Matrem Filii Dei unigeniti tentaret accedere, cui se cohabitare scivit indignum? Simili modo dum Propheta asserit Christum ad dexteram Dei sessurum, donec subjiciantur sibi adversarii sui, certum est quod illis subjectis sedebit.

Advertendum autem, quod sessio Christi ad dexteram Patris dupliciter intelligi potest. Uno modo secundum divinam ipsius naturam : sicque per dexteram Patris A designatur æqualitas ejus, ut sit sensus : Sede a dextris meis, id est, residendo mecum, esto mihi æqualis. Et hoc modo dixit Pater Filio ab æterno, ut ad dexteram suam sederet : imo generando eum, dixit et contulit ei hoc ipsum, quum ipsa generatio non sit nisi Verbi prolatio. Dicitur enim Pater Filio, secundum divinitatem ejus, demonstrare et dicere, quoniam generando Filium, dedit ei divinam essentiam, quæ est ipsa sapientia, quam recipiendo dicitur Filius a Patre audire atque cognoscere. B Non est ergo in Patre dextera corporalis; neque in Filio, secundum quod Deus est, sessio situalis. Sed sicut per dexteram Patris designatur ejus æqualitas, ita per sessionem Filii exprimitur summa dominatio ejus. Sedere enim convenit regi ac judici. Secundo intelligitur Christus secundum humanam naturam sedere, id est esse et permanere ad dexteram Patris, id est in summis ac potioribus bonis sui Genitoris, videlicet in summitate cœli empyrei, atque perfecta participatione increatæ C beatitudinis Dei Patris. Plus siquidem de beatitudine Dei recepit anima Christi, quam universi simul electi. Et hoc modo dixit Pater Christo homini, Sede a dextris meis, ab exordio creationis animæ Christi, quantum ad intellectualem revelationem. Revelavit etenim sibi, statim ut condita est, quod ipsa cum corpore suo elevanda esset super omnes cœlos; sed quantum ad exsecutionem et complementum, dixit Pater Christo, Sede a dextris meis, in ascensione. Tunc enim dicendo, id est intellectualiter D causaliterque jubendo, exaltavit Christum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. (*Philipp.* ii, 9.) Et de hac Christi sessione dicit Evangelista : Dominus Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. (*Marc.* xvi, 19.) Unde et scriptum est : Adspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum. (*Dan.* vii, 13.)

Consequenter Propheta alloquitur Christum. (3) *Virgam virtutis tuæ,* id est evan- 2

gelicæ legis doctrinam, qua corriguntur A
injusti, seu dominationis ac regiæ tuæ dignitatis potentiam, o Christe, *emittet Dominus* Pater seu Deus Trinitas per servos suos Apostolos, *ex Sion,* id est ex hoc loco sic dicto, in Jerusalem sito. Sion namque mons fuit in Jerusalem, in quo constructum erat templum; itemque conclave
Marc. XIV, 15. vel cœnaculum, in quo Christus Cœnam novissimam celebravit, in quo post resur-
Joann. XX, 19, 26. rectionem discipulis suis apparuit, in quo
Act. II, 1-4. Apostoli aliique cum eis congregati, Spiritum Sanctum receperunt. Ex hoc ergo cœ- B
naculo et ex templo in monte Sion posito, et ex Jerusalem emisit Deus per Apostolos virgam virtutis Christi, id est evangelicam legem, et Christi magnificentiam per totum mundum. Quum enim Apostoli Spiri-
Ibidem. tum Sanctum recepissent in die Pentecostes, statim omnes cum suo collegio, velut examen apum de conclavi, in quo paulo
Joann. XX, 19. ante ex timore Judæorum clausi residebant, eruperunt, ingressique templum, Christum prædicare cœperunt. Et exinde derivata est prædicatio eorum in totum orbem, C
secundum quod Christus eis prædixit :
Act. I, 8. Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Quod etiam Isaias prophetavit, di-
Is. II, 3. cens : De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Ad hanc autem emissionem et prædicationem, secuta est conversio mundi ad Christum. Ideo subditur :

Dominare, o Christe, *in medio inimicorum tuorum,* id est in regnis et populis infidelium : qui tempore infidelitatis inimici tui fuerunt, sed conversi ad fidem, D
amici effecti sunt; et tu dominaris in eis per te ipsum ac tuos vicarios Ecclesiarum prælatos. Subjiciuntur etenim tibi per fidem atque divinæ legis custodiam, quoniam quæ præcepisti eis, observant. De hoc Christi dominio dictum est per Michæ-
Mich. V, 4. am : Et nunc magnificabitur in medio uni-
Zach. IX, 10. versæ terræ. Et item Zacharias : Potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. Unde et in Da-
Dan. VII, 14. niele scriptum est : Dedit ei Antiquus dierum potestatem, honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguæ servient ei.

Quæ autem sequuntur, possunt esse verba Prophetæ ad Christum. (4) *Tecum prin-* 3
cipium, id est, cum te, o Christe, est Pater exsistens principium tuum, de quo dicis apud Joannem : Omnia mea abs te sunt. Joann. XVII, 7.
Est enim Pater cum Filio, et Filius cum Patre, quia inseparabiles sunt Pater et Filius. Licet namque personaliter distinguantur, essentialiter tamen identificantur. Propter quod Joannes inquit : In principio Ibid. I, 1.
erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Tecum ergo, o Fili, est principium, id est Deus Pater, *in die virtutis tuæ,* id est in die æternitatis, quæ est ipsa æternitas. In hoc die est tecum Pater, quia æternaliter tecum est, et tu coæternus es ei : et in hoc non est prius neque posterius. Propter quod apud Michæam inducitur : Egressus ejus ab initio, a diebus æternita- Mich. V, 2.
tis. Et in Proverbiis Sapientia Dei, quæ est Christus Dominus, protestatur : Ab æterno Prov. VIII, 23-25.
ordinata sum; necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram; ante colles ego parturiebar. Sic autem est tecum principium in die virtutis tuæ, *in splendoribus Sanctorum,* id est in splendidis cognitionibus Beatorum in patria, quoniam eis a principio mundi innotescit ista coexsistentia et coæternitas tua cum Patre : semper quippe vident faciem Patris, ergo et Filii, Matth. XVIII, 10.
quoniam Filius (ut est apud Joannem) ait : Qui videt me, videt et Patrem. Dicitur au- Joann. XIV, 9.
tem æternitas, dies virtutis, id est potentiæ Christi, quia in eo invariabiliter et omnipotenter subsistit. Et ipsa æternitas proprie sumpta, aliud nihil est, nisi Deus æternus; nec æternitas est mensura aut dies divinæ durationis, nisi secundum rationem.

Alii exponunt aliter, ut sint verba Patris ad Filium : *Tecum principium,* id est, una eademque principandi auctoritas est mihi tecum, quoniam ego et tu unum sumus in essentia, unus omnium Conditor, unusque universorum Creator. Hinc enim Christus se dixit esse principium, respondens Ju-

Digitized by Google

Joann. VIII, 25. dæis : Principium, qui et loquor vobis. A Istud vero sic esse innotescit *in die virtutis tuæ,* id est in claritate patriæ, ubi in lumine tuo vident Beati quomodo una sit auctoritas creandi et gubernandi in me atque in te; *in splendoribus Sanctorum,* id est in plena illustratione electorum in patria. Nam tunc Sancti ista conspiciunt, quando divino lumine perfunduntur, ita *Matth.* XIII, 43. ut fulgeant sicut sol in regno Patris eorum. Nunc enim, secundum Apostolum, *I Cor.* XIII, 12; II *Cor.* V, 7. videmus per speculum in ænigmate : quia per fidem ambulamus, non per speciem. B Tunc vero cognoscemus, sicut et cogniti *I Joann.* III, 2. sumus. Unde Joannes in sua Canonica : Similes, inquit, ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

In hoc igitur verbo declarantur coæternitas atque æqualitas Patris et Filii.

Ex utero, id est ex proprio corde, *ante luciferum,* id est ante productionem omnis lucis creatæ, et ante productionem astrorum, quæ nomine Luciferi designantur, *genui te* generatione æterna, intellectuali, pura et actualissima. Filius namque ex substantia Patris natus est, ita quod C immediate procedit a substantia Patris per intellectum emanatione naturali, sicut procedit splendor a lumine. Ipsa quoque generatio Filii a Patre, aliud non est, nisi processus lucis a luce, actus ab actu, et Dei a Deo. In Patre equidem idem sunt essentia, potentia et operatio. Et ita Pater intelligendo se ipsum, intra se profert Verbum sibi simillimum, in hoc solo ab eo distinctum, quia procedit ab eo. Et sicut Pater se ipsum uno intuitu, et omnia alia creanda et creata et creabilia plene cognoscit; D sic æternaliter una conceptione interna unicum Verbum intra se gignit, in quo tota sua natura atque perfectio omnino plenissime continetur ac splendet, et in quo omnia alia comprehenduntur ac lucent. Idcirco hoc Verbum est imago Patris, et omnis creaturæ exemplar, proceditque immediate ab intellectu Patris, secundum Thomam in diversis locis. Christus itaque secundum quod Deus, ab æterno est genitus : sicut si sol ab æterno fuisset, splendor ab æterno ab eo manasset et ortus fuisset. Propter quod in Ecclesiastico testatur : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. *Eccli.* XXIV, 5. Et in Sapientiæ libro ait : Sapientia tua, Domine, novit opera tua : quæ et adfuit tunc *Sap.* IX, 9. quum orbem terrarum faceres, et sciebat quid placitum esset oculis tuis. In his verbis evidenter ostenditur duplex esse sapientia in Deo, videlicet genita et ingenita.

Insuper agit Propheta de sacerdotio Christi.
(5) *Juravit Dominus,* id est, irretracta- 4
biliter affirmavit, firmiterque spopondit, *et non pœnitebit eum* ita jurasse, quod sequitur : *Tu,* Christe, in quantum homo, *es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Christus non obtulit sacrificia legis, quæ sacerdotibus filiis Aaron incumbebat offerre; sed fuit sacerdos offerendo se ipsum Deo, et reconciliando mundum *Ephes.* II, 16. Patri æterno, per crucem dissolvens inimicitias in semetipso, secundum Apostolum ad Ephesios. Qui iterum ait : Christus *Ibid.* V, 2. tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam in odorem suavitatis; et ad Hebræos : Christus adsistens pontifex futuro- *Hebr.* IX, 11, 12. rum bonorum, per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. De excellentia autem sacerdotii Christi dicit Apostolus : Talis *Ibid.* VII, 26. decebat ut esset nobis pontifex, sanctus, innocens, impollutus et excelsior cœlis factus. Unde in Zacharia dicitur : Ipse *Zach.* VI, 13. portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur, et erit sacerdos super solio suo. Denique, quomodo Christus dicatur sacerdos in æternum, declarat Apostolus ad Hebræos, dicens : Christus eo quod maneat in æter- *Hebr.* VII, 24, 25. num, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare potest in perpetuum, accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Sacerdotis quippe officium est, inter Deum *Ibid.* V, 1. ac populum mediatorem et advocatum exsistere, preces populi Deo offerre, Deum placare, populo benedicere. Omnia autem

Digitized by Google

hæc congruunt Christo. Propter quod in A
I Joann. II, 1, 2. Canonica Joannis inducitur: Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Dicitur quoque Christus, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:
Gen. XIV, 18. Primo, quoniam sicut Melchisedech obtulit Deo panem et vinum, ut legitur in Genesi;
Matth. XXVI, 26-28. sic Christus sub formis panis et vini, corpus suum et sanguinem obtulit seu dedit discipulis, convertendo panem in corpus, et vinum in sanguinem. Secundo, quo- B
Hebr. VII, 1, 3. niam sicut Melchisedech sine patre et matre ac genealogia fuisse asseritur, non quia non habuit, sed quia Scriptura propter mysterium ea subticuit; sic Christus sine humanæ generationis naturali ordine natus est, et vere fuit æternus. Hinc nam-
Ibid. VI, 20. que dicit Apostolus: Præcursor pro nobis introiit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum. Et de-
Ibid. VII, 1-3. nuo: Melchisedech rex Salem (quod est, rex pacis) sine patre, sine matre, assimilatus Filio Dei. C

Hæc ergo juravit Deus Christo homini. In ipso enim momento, quo animam ejus creavit, revelavit ei hoc ipsum. Et non pœnitebit eum. Pœnitentia namque proprie dicta, in Deo locum non habet, prout in
I Reg. XV, 29. libro Regum scriptum est: Porro Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. Et tamen eodem capitu-
Ibid. 11. lo Dominus ait ad Samuelem: Pœnitet me quod constituerim Saul regem; sed hoc dicitur propter similitudinem operis, non D propter veritatem affectus. Loquitur enim Deus frequenter in Scripturis sanctis more humano.

5 (6) *Dominus a dextris tuis.* Hoc dupliciter accipi potest. Primo sic: Dominus Pater seu Deus trinus, exsistens a dextris tuis, o Christe, sicut de te ipso in præce-
Ps. CVIII, 30, 31. denti psalmo dixisti, Confitebor Domino nimis in ore meo, quia adstitit a dextris pauperis (quod illic expositum est); supra
Ps. XV, 8. quoque, Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Vel sic: Dominus
Christus qui est omnium Dominus, exsistens et residens a dextris tuis, o Deus Pater, sicut paulo ante dixisti, Sede a dextris meis. *Confregit in die iræ suæ,* id est tempore suæ vindictæ: de quo per Isaiam dicit, Dies ultionis in corde meo; *reges* infideles, privando eos in hoc mundo vita gratiæ, vel etiam vita corporali, et postmodum æternaliter eos damnando. Potissimum autem loquitur nunc de illorum regum confractione, de quibus supra dictum est: Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Hi enim reges (sumendo nomen regis communiter pro præsidente), videlicet Herodes, Pilatus, et principes Judæorum, prædicto modo ex divina ultione confracti sunt: quæ confractio adscribi potest cuilibet Personæ in divinis, quoniam effectus supergloriosissimæ Trinitatis sunt indivisi. Unde per Isaiam Christus testatus est: Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.

(Act. X, 36. — Is. LXIII, 4. — Ps. II, 2. — Is. LXIII, 3.)

(7) *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.* Duplex est Christi adventus. Primus fuit ut judicaretur, secundus erit ut judicet. Propter quod ait Apostolus: Christus semel passus est ad multorum exhaurienda peccata. Secundo autem sine peccato apparebit exspectantibus se in salutem. Secundum hoc duplex est judicium, scilicet judicium discretionis, et judicium remunerationis. Primum judicium fecit Christus in primo suo adventu, et usque ad finem mundi hoc faciet, quosdam vocando ad fidem et gratiam, quosdam vero deserendo occulto quidem, sed justo judicio: de quo ante passionem dixit, Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Christus ergo in primo suo adventu, et usque in præsens, judicabit in nationibus, id est ipsas nationes, faciendo in gentibus judicium discretionis, quasdam misericorditer adjuvando, ceteras juste derelinquendo. In secundo autem ad- 6

(Hebr. IX, 28. — Joann. XII, 31.)

ventu judicabit in nationibus, justas salvando, impiasque damnando, quemadmodum *Joann.* v, 28, 29. apud Joannem locutus est : Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ ; qui vero mala, in resurrectionem judicii, id est damnationis. In primo autem adventu et in judicio quod nunc agitur, implet Christus ruinas, id est defectus humanos, gratiam infundendo cordibus vacuis, mentesque inanes ditando spiritualibus bonis. In futuro vero judicio, de his qui salvantur implebit ruinas angelorum, restaurando mansiones cœlestes, angelorum casu evacuatas.

Conquassabit capita, id est corda humiliabit, *in terra multorum,* id est in multis locis et habitaculis hominum. In omni enim terra fidelium humiliavit quosdam superbos. In finali autem judicio conquassabit, id est, æternaliter condemnabit, capita in terra multorum, id est capitaneos in multis terris cum elatione regnantes. *Is.* xxiii, 9. Unde in Isaia scriptum est : Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ. Præterea Christo, secundum quod Deus est, competit judiciaria potestas auctoritative ; sed prout homo est, convenit ei instrumentaliter, et sic meruit eam per suam humiliationem et passionem. Propter quod ait lo- *Joann.* v, 27. quens de Patre atque se ipso : Dedit ei potestatem et judicium facere, quia Filius hominis est. Et hoc est, quod modo subjungitur :

7 (8) *De torrente in via bibet :* id est, Christus in hoc mundo pœnas, tribulationes et mortem acerbissimam patietur, sicque de torrente tribulationum bibet, gustando adversa. De hujus torrentis potatione dixit *Matth.* xx, 22. Joanni et Jacobo : Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Quod autem nomine torrentis, tribulationis magnitudo *Is.* xxx, 28. designetur, patet per illud Isaiæ : Spiritus ejus velut torrens inundans ad perdendas gentes in nihilum. *Propterea,* id est meri-

A to hujus potationis, *exaltabit* Christus *caput* suum, id est, glorificabit et eriget semetipsum, resurgendo in corpore glorioso, et ascendendo ad Patrem, quatenus sedeat secum, tanquam universorum judex ac Dominus. Christus enim ut Deus, suscitavit, exaltavit et glorificavit se ipsum ut homo est. Et ideo apud Joannem profitetur : Po- *Joann.* x, 18. testatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Et quoniam opera sanctæ Trinitatis sunt indivisa, idcirco exaltatio ista attribui po- B test unicuique divinæ Personæ. Christus namque apud eumdem Evangelistam : Quæ- *Ibid.* v, 19. cumque (inquit) facit Pater, hæc et similiter Filius facit. Et de Spiritu Sancto dicit Apostolus : Hæc omnia operatur unus at- *I Cor.* xii, 11. que idem Spiritus. Opera igitur superbenedictæ Trinitatis sunt indivisa.

Porro in expositione hujus psalmi circa illud, Juravit Dominus, dicit Hugo, quod Deus legitur tribus locis jurasse : videlicet in Genesi, dicens ad Abraham, Per memet- *Gen.* xxii, 16. ipsum juravi ; item hoc loco ; infra quo- C que in psalmo centesimo tricesimo primo, ubi scriptum est, Juravit Dominus David *Ps.* cxxxi, 11. veritatem. Sed istud non est intelligendum præcise, quia multo frequentius quam ter, legitur in Scriptura canonica Deus jurasse. In Isaia namque ait Pater : In memetipso *Is.* xlv, 23. juravi, Egredietur de ore meo justitiæ verbum. Et in propheta Amos scriptum est : Juravit Dominus Deus in anima sua, De- *Amos* vi, 8. testor ego superbiam Jacob. Supra quoque in psalmo octogesimo octavo qui incipit, Misericordias Domini, Dominus loquitur: D Juravi David servo meo, Usque in æter- *Ps.* lxxxviii, 4, 5. num præparabo semen tuum. Et apud Lucam ait Zacharias : Jusjurandum quod *Luc.* i, 73. juravit ad Abraham patrem nostrum. Et ad Hebræos Apostolus : Deus (inquit) in- *Hebr.* vi, 17. terposuit jusjurandum. Et alibi quoque legitur Deus jurasse.

Ecce psalmus iste verbo brevis, quam infinitus est sensu. Ostenditur enim in eo duplex Christi natura, simplexque seu una persona. Describitur in eo Christi ad Patrem locatio, inimicorum ejus dejectio, christi-

Digitized by Google

anæ fidei promulgatio, coæternitas quoque A et consubstantialitas Patris ac Filii. Declaratur etiam sacerdotium Christi, et judicialis ejus potestas, ac finale judicium, in psalmo præsenti. Quem decet nos cum multa reverentia, cum devotione præcipua, cum contemplatione profunda proferre, propter dignitatem, dulcedinem, et altitudinem sensuum ejus.

PRECATIO.

Jesu salvator sæculorum, secundum ordinem Melchisedech rex et sacerdos factus in æternum, ineffabili tua miseratione, a dextris tuis in judicio nos constitue; atque inter benedictos Patris tui deputatos, regnum cœleste fac possidere : qui cum eodem Patre, etc.

ARTICULUS XVIII

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI DECIMI : CONFITEBOR TIBI, DOMINE.

Hujus psalmi titulus est : *Alleluia,* quod B significat, Laudate Deum : de cujus præconiis perpulchre atque jucunde tractat hic psalmus, præsertim de admirabilissimo opere Dei in consecratione corporis et sanguinis Christi. Sicut enim psalmus præcedens tractat de sacerdotio Christi, sic iste determinat de institutione sacrificii hujus, et efficacia Sacramenti altaris.

Loquens itaque sanctus Propheta in propria, atque Ecclesiæ omniumque
1 fidelium persona, dicit : (1) *Confitebor tibi,* C
id est, laudabo te, *Domine, in toto corde meo,* id est ex toto intellectu et affectu, mente collecta et fixa. Cor hoc loco non pro organo corporis, sed pro anima ponitur. Anima autem immaterialis est, nec partes habet : quomodo ergo perhibet se Domino confiteri toto corde, tanquam posset ei confiteri pro parte cordis? Et respondendum, quod anima non habet partes quantitativas, quum sit incorporalis; nec essentiales, quum sit forma simplex; sed potestativas, id est vires distinctas. Vires D autem seu partes potestativæ animæ rationalis, in quantum est rationalis, sunt tres, in quibus summæ Trinitatis imago consistit in anima, scilicet intellectus, memoria, et voluntas. Ad intellectum spectat cognitio, ad voluntatem dilectio, ad memoriam in utroque firma inhæsio. Toto igitur corde Domino confitetur, qui intellectu, voluntate atque memoria eum collaudat : ita quod intellectu advertit, voluntate diligit, memoria retinet verba divina, quibus Domino confessionem laudis sacrificat. Qui autem Deum ore laudat, et mente illicita amat aut cogitat, non toto corde Domino confitetur. Unde de quibusdam animo vagabundis ac vagis scriptum est : Divisum est cor eorum, nunc inter- *Osee* x, 2.
ibunt. Et in Jeremia Dominus loquitur : Si *Jer.* iv, 1.
reverteris, convertere, id est, si tu, o homo, cor tuum ad Deum convertere optas, toto corde ad eum convertere, adhærendo ei perfecte, eique totis viribus ministrando, ne sis tepidus ac divisus. Confitebor *Apoc.* iii, 16.
autem tibi, o Domine, non inconsulte, indiscrete, aut vana intentione, sed *in consilio justorum,* id est eo modo quo justorum consilium est, te laudare. Justorum namque consilium est, te laudare corde a vitiis expurgato, quum non sit speciosa *Eccli.* xv, 9.
laus in ore peccatoris; et propter nominis tui amorem atque honorem, non propter temporale emolumentum aut laudem humanam. *Et congregatione* justorum, id est, non in conventiculis hæreticorum, sed in Ecclesia fidelium tibi confitebor.

Digitized by Google

Cur autem Domino confiteatur, subjun-
2 git : (2) *Magna opera Domini,* id est, magnifice facta, seu laude admirationeque digna sunt : ut patet de creatione cœli et terræ, de gubernatione universi, de operibus recreationis, glorificationis ac ceteris Dei effectibus. Effectus quippe proportionatur et correspondet suæ causæ. Quum ergo Deus sublimis et benedictus sit infinitæ magnitudinis, sapientiæ et dignitatis, decuit magna ab eo opera fieri. *Exquisita,* id est exquisite producta, *in omnes voluntates ejus,* id est secundum omne desiderium seu beneplacitum Creatoris. Singula namque produxit tunc, taliter, ideo, ubi, et secundum quod voluit. Propter quod per
Is. XLVI, 10. Isaiam testatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Et Apostolus
Ephes. I, 11. ait : Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Sed quum in Deo non sit nisi una, æterna, simplex, invariabilisque voluntas, cur nunc pluraliter dictum est, In omnes voluntates ejus? Et respondendum, quod sicut in Deo dicuntur plures ideæ seu multæ notitiæ, per respectum ad creaturas ; sic dicuntur plures voluntates, secundum rationem nostram, per comparationem ad volita creata, quæ multa sunt.

3 (3) *Confessio,* id est Dei laudatio, seu propriæ culpæ prolatio, *et magnificentia,* id est magnifica operatio ad Dei honorem exhibita, sunt *opus ejus,* id est opera Deo placentia, et nobis ab eo concessa. Omne enim bonum ab ipso procedit, et hæc duo opera Deo præcipue placent, nec nobis insunt nisi ex gratia Dei : ideo Deo magis quam nobis attribuuntur. *Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Justitia namque in Deo exsistens, quæ est ipsemet Deus, æterna est, sicut divina essentia, a qua sola ratione distinguitur. Justitia quoque, quæ est effectus divinæ æquitatis, in perpetuum perseverabit, quoniam electorum gloria et impiorum miseria nunquam cessabunt.

4 (4) *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus,* etc. Versiculus iste nec melius nec litteralius valet exponi, quam de institutione ac alimonia Sacramenti altaris, ut sit sensus : Dominus Christus qui est misericors in natura et miserator in actu, fecit memoriam, id est, memoriale instituit, mirabilium suorum, id est incarnationis, dilectionis, conversationis ac passionis suæ. In Cœna enim novissima, recessurus a suis corporali præsentia, volens nos jugiter memores esse eximiæ suæ dilectionis atque amarissimæ passionis, imo omnium quæ pro nostra salute tam dignanter assumpsit, fecit, ac pertulit, Sacramentum corporis ac sanguinis sui instituit, panem convertens in corpus, et vinum in sanguinem. Sicque
sub speciebus panis et vini, *escam dedit* 5
timentibus se, id est, corpus et sanguinem dedit Apostolis, et per eos ac successores eorum dari commisit universis fidelibus :
propter quod dixit, Hoc facite in meam *Luc.* XXII, 19.
commemorationem. Unde Apostolus : Quo- *I Cor.* XI, 26.
tiescumque, inquit, manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. De hac etiam esca Christus apud Joannem locutus est :
Caro mea vere est cibus, et sanguis meus *Joann.* VI, 56.
vere est potus.

(5) *Memor erit* ipse Christus *in sæculum,* id est indesinenter, *testamenti sui,* id est hujus Sacramenti, quod dicitur testamen-
tum, juxta illud Apostoli : Hic calix novum *I Cor.* XI, 25.
testamentum est in meo sanguine. Hujus testamenti seu Sacramenti erit Christus in perpetuum memor, per hoc quod omnibus hoc Sacramentum devote fideliterque sumentibus confert gratiam in præsenti, et vitam æternam in futuro, sicut promisit
dicens : Qui manducat meam carnem et *Joann.* VI, 57.
bibit meum sanguinem, in me manet et
ego in eo ; rursusque, Qui manducat hunc *Ibid.* 59.
panem, vivet in æternum. Vel dicitur Christus semper memor futurus hujus testamenti, quoniam facit nos memores ejus, conservabitque fidem hujus Sacramenti in cordibus hominum usque ad sæculi con-
summationem. *Virtutem operum suorum,* 6
id est fructum et efficaciam hujus Sacra-

Digitized by Google

menti, videlicet corporis et sanguinis sui, quæ sunt opera Creatoris; vel, Virtutem operum suorum, id est potentiam sacramentalium effectuum corporis sui et sanguinis; *annuntiabit* Christus *populo suo,* id est discipulis suis, atque per eorum prædicationem cunctis fidelibus. Horum operum suorum virtutem Christus discipulis annuntiavit, dicendo : Joann. vi, 50. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur in æternum; Ibid. 58. et, Qui manducat me, et ipse vivet propter me.

Possunt quoque hæc generalius explanari: eritque sensus : *Memoriam fecit mirabilium suorum :* quoniam per Spiritum Sanctum edocuit sanctos Prophetas atque Apostolos ad conscribendum et annuntiandum mirabilia sua, quæ utique in veteri ac novo Testamento copiose narrantur, et a fidelibus recoluntur. *Escam* spiritualem *dedit timentibus se,* reficiendo mentes eorum pane vitæ et intellectus, et verbo et Eccli. xv, 3. gratia Spiritus Sancti. De esca quoque corporali providit Deus famulis suis timoratis, quibus apud Matthæum ait : Matth. vi, 33. Quærite primo regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Propter quod iterum dicit : Ibid. 25, 32. Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini : scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis. *Memor erit in sæculum testamenti sui,* id est novæ atque evangelicæ legis, corroborando conservandoque eam usque ad terminum mundi. Memor etiam erit testamenti sui, id est promissionis suæ factæ in novo Testamento, quoniam eam implebit, dummodo nos agamus quod ipse nobis præcepit. Promissio novi Testamenti est : Ibid. xiii, 43. Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum; et, Ibid. xxii, 30. In futuro sæculo neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei. Illud quoque quod Christus clarissime loquitur : Joann. xvii, 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Hæc omnia implebuntur in nobis, si

A impleverimus illud quod ad Corinthios ait Apostolus : II Cor. vii, 1. Has promissiones habentes, carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. *Virtutem operum suorum,* id est miraculorum potentiam seu opera sua virtuosa ac sancta, *annuntiabit populo suo.* Christus enim per se ipsum prædicavit opera Dei Patris, et subinde conversationis suæ innocentiam ac miraculorum suorum excellentiam annuntiavit Judæis : sicut apud Joannem,
B Quis, inquit, ex vobis arguet me de peccato? Joann. viii, 46. et, Ego non quæro gloriam meam; Ibid. 50. et alibi, Ibid. v, 36. Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Hæc autem opera, id est vita et signa Christi, annuntiata sunt nobis per Apostolos, imo quotidie annuntiantur nobis in Scriptura canonica novi Testamenti, præsertim in Evangeliis.

Omnia autem hæc fecit Deus fidelibus
suis, (6) *Ut det illis hereditatem gentium,* id 7
est regnum cœlorum et vitam æternam, ho-
C minibus ab origine mundi paratam, quemadmodum apud Matthæum dicit Salvator : Matth. xxv, 34. Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Specialiter tamen regnum cœlorum appellatur hereditas gentium, quia Judæis propter incredulitatem juste ablatum est, et gentibus humiliter credentibus datum. Propter quod Christus ait : Ibid. xxi, 43. Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Et denuo ait : Ibid. viii, 11, 12. Multi ab oriente et occidente venient, et recum-
D bent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno Dei; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Merito itaque regnum cœlorum nuncupatur hereditas gentium, quibus ait Apostolus : Ephes. ii, 19. Estis cives Sanctorum et domestici Dei. Itemque ad Romanos : Rom. viii, 16, 17. Filii Dei sumus. Si autem filii, et heredes : heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur ei, ut et conglorificemur.

Opera manuum ejus, id est effectus divinæ potestatis, sunt *veritas et judicium,*

Digitized by Google

id est salvatio et damnatio. Veritas enim A
vocatur, vera impletio promissionis divi-
næ, factæ de hereditate cœlesti electis do-
nanda, quibus et datur. Hæc impletio est
eorum salvatio, et ipsa est opus Christi.
Judicium autem frequenter accipitur pro
reprobatione malorum. Unde apud Joan-
Joann. III, 18. nem dicitur : Qui credit in Filium Dei, non
judicatur ; qui autem non credit, jam ju-
dicatus est, id est reprobatus. Et Aposto-
I *Cor.* XI, 31. lus : Si nos ipsos, ait, dijudicaremus, non
utique judicaremur. Hinc quoque Christus
Joann. V, 24. apud Joannem clarius loquens : Qui audit B
(inquit) verbum meum, et credit ei qui mi-
sit me, habet vitam æternam, et in judi-
cium non venit. Judicium ergo, id est
reproborum justa damnatio, est opus Dei.
Vel sic : Veritas et judicium, id est quæ-
libet veritas quodlibetque judicium, est
opus Dei. Est enim veritas naturæ, veritas
vitæ, et veritas orationis. Est quoque judi-
cium discretionis, et judicium remunera-
tionis. Et omnia hæc opera sunt manuum
divinarum. Vel sic : Opera manuum ejus
veritas et judicium, id est vera et justa seu C
discreta. Dum enim aliquid convenit rei
excellenter, enuntiatur de eo non solum in
concreto, sed etiam in abstracto : sicut ait
Matth. V, 14. Christus Apostolis, Vos estis lux mundi ; et
Ephes. V, 8. Apostolus, Fuistis aliquando tenebræ, nunc
autem lux in Domino, id est, fuistis ali-
quando vitiis tenebrosi, nunc autem per
gratiam lucidi. Unde de homine multum
dilecto ac dulci dicimus : Iste est amor
meus, et dulcedo seu consolatio mea. Quo-
niam ergo omnia opera Dei sunt valde ju-
sta, vera atque discreta, idcirco non solum D
vera et justa, sed veritas et judicium no-
minantur. Potest quoque referri ad Sacra-
mentum altaris, in cujus consecratione
opera Dei sunt *veritas,* quia in hoc Sacra-
mento non solum figuraliter, sed vere ac
substantialiter Christus continetur, *et ju-*
I *Cor.* XI, 29. *dicium* mortis sumenti indigne : qui enim
manducat indigne, judicium sibi man-
ducat.

8 (7) *Fidelia omnia mandata ejus :* id est,
divina præcepta non sunt fallacia, sed fir-
ma et certa, ita quod observatores eorum
fidelem ac veram mercedem recipient ;
confirmata in sæculum sæculi, id est per
divina miracula et cetera quibus fides in-
nititur, in æternum roborata, ita quod cer-
tum est ista mandata esse a Deo, et per
consequens sancta atque salubria ; *facta,*
id est nobis jussa et exhibita, *in veritate*
et æquitate, ita quod ipsa sunt vera et
æqua ; vel, In veritate, id est in sapientia,
et æquitate, id est justitia præcipientis
Dei, qui secundum suam sapientiam atque
justitiam, seu in sua sapientia et justitia
nobis ista mandata fecit et contulit. Vel
dicuntur facta seu data in veritate angeli-
cæ illustrationis, et æquitate angelicæ ad-
ministrationis. Præcepta namque legalia,
data sunt Moysi ministerio angelorum, sic-
ut Stephanus ait Judæis : Accepistis legem *Act.* VII, 53.
in dispositione angelorum.

(8) *Redemptionem,* id est salutem et sal- 9
vatorem, videlicet Christum, *misit* Pater,
populo suo, id est electis, in hunc mundum
Christum transmittens. Non enim misit *Joann.* III, 17.
Deus Filium suum in mundum, ut judicet
mundum, sed ut salvetur mundus per ip-
sum, sicut apud Joannem scriptum est.
Unde in Isaia Pater dicit ad Christum : De- *Is.* XLIX, 6.
di te in lucem gentium, ut sis salus mea
usque ad extremum terræ. Vel ipse Chri-
stus misit, id est, per prædicationem Apo-
stolorum annuntiavit, redemptionem, id
est humani generis salvationem sua pas-
sione adeptam, populo suo, id est univer-
sis fidelibus, secundum quod in Marco
dicit ad eos : Euntes in mundum univer- *Marc.* XVI, 15.
sum, prædicate Evangelium omni creaturæ.
Mandavit in æternum testamentum suum,
id est, evangelicam legem præcepit usque
in finem sæculi custodiri : quod de veteri
Testamento non jussit, quoniam illi suc-
cessit novum Testamentum in illo præfi-
guratum. Novo autem Testamento aliud
non succedet : propterea usque ad sæculi
consummationem jubetur servari. Quod
tamen de Sacramento altaris præsertim
nunc dicitur, quoniam hoc usque in finem
mundi frequentandum est.

Digitized by Google

(9) *Sanctum et terribile nomen ejus :* id A est, ipse Deus est sanctus in se ipso, quoniam substantialiter purus atque perfectus Deut. x, 17, 21. est; et terribilis, ratione sui effectus. Omnibus autem est Deus terribilis, formidandus timore filiali et casto : sic enim Beati in patria timent Deum. Impiis vero terribilis est timore servili, quo Deus timetur non ex amore secum exsistendi, sed ex pavore tormenta sustinendi. *Initium sapientiæ timor Domini.* Timor enim servilis incipit ad sapientiam recipiendam animam præparare, in quantum facit a malo recedere. Timor vero initialis magis propinque disponit ad sapientiæ infusionem seu potius perfectionem : timor enim initialis, sine caritate et sapientia haberi non potest. Hoc autem quod dictum est, Initium Eccli. i, 16; Prov. i, 7; ix, 10. sapientiæ timor Domini, in Ecclesiastico et alibi scriptum est. Sed videtur huic contrarium quod idem Ecclesiasticus testatur: Eccli. i, 20. Plenitudo sapientiæ, timere Dominum. Et Job xxviii, 28. Job inquit : Ecce timor Domini ipsa est sapientia. Et respondendum, quod ista intelligenda non sunt de timore servili, sed casto et filiali, quem perfecta caritas non expellit, sed exerit et diffundit seu causat. Hoc enim timore Christus exstitit plenus, Is. xi, 3. juxta illud Isaiæ : Replebit eum spiritus timoris Domini. Verumtamen iste timor non est sapientia, aut sapientiæ plenitudo essentialiter, quia realiter ab ea distinguitur; sed dicitur sapientia secundum resplendentiam quamdam, quia in hoc quod aliquis timet Deum casto timore, maxime liquet eum veraciter esse sapientem. Et hoc modo sapientia de multis virtutibus virtutumque actibus prædicatur, sicut quum dicitur : Nolle præesse, sed velle subesse, est sapientia; homines fugere, est sapi- Act. v, 41. entia; propter Christum despici velle, est sapientia.

(10) *Intellectus bonus omnibus facientibus eum :* id est, cognitio fructuosa et utilis est his qui agunt quod sciunt agendum. II Petr. ii, 21. Nam, ut dicitur in secunda Petri, Melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti. Et Jacobus affirmat : Scienti bonum et non facienti, Jacob. iv, 17. peccatum est illi. Unde et Christus in Evangelio : Servus, inquit, qui scit voluntatem Luc. xii, 47. domini sui, et non facit, plagis vapulabit multis. Qui ergo putat se eruditum, qui se illuminatum a Deo exsultat, et se sapientem confidit, advertat et impleat quod Jacobus præcipit : Quis sapiens et discipli- Jacob. iii, 13. natus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Alioqui audiet a Christo illud Isaiæ : Sapientia tua et scientia tua dece- Is. xlvii, 10. B pit te. Vel sic : *Intellectus bonus,* id est vis intellectiva, habitus intellectualis et operatio intellectiva, sunt sana laudeque digna *omnibus facientibus eum,* scilicet timorem, seu timentibus Deum : qui scilicet vivunt secundum quod suggerit timor, de quo per Ecclesiasticum inducitur, Timor Eccli. i, 27. Domini expellit peccatum; et alibi, Qui Eccle. vii, 19. timet Deum, nihil negligit. *Laudatio ejus* qui ita intelligit, et intellecta adimplet, *manet in sæculum sæculi :* quia et ipse Deum sine fine laudabit, et a Deo æternam C laudem pro mercede recipiet, atque cum Sanctis laudabitur, sicut Ecclesiasticus testatur : Collaudabunt multi sapientiam Eccli. xxxix, 12. ejus, et usque in sæculum non delebitur.

Expositio anagogica.

DENIQUE psalmus iste anagogice exponi potest : nam Beatis in patria congruunt, quæ in eo dicuntur. Ecclesia ergo triumphans, seu quilibet Beatorum dicere potest : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* 1
Sancti enim in patria Deum sine aliqua interruptione jugiter laudant : et D hoc, toto corde, id est in omnibus viribus suis. Sicut enim præceptum caritatis perfectissime implent Deum amando toto corde, tota fortitudine, et omnibus viribus suis, quia totaliter, actualiter et indesinenter feruntur in Deum; sic Domino confitentur confessione laudis toto corde, quemadmodum per Isaiam Dominus contestatur: Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione Is. lxv, 14. cordis. *In consilio justorum,* id est secundum actum prudentiæ electorum in patria. Sancti namque in regno Deum collau-

Digitized by Google

dant, secundum quod donum consilii eis a
Spiritu Sancto influxum suggerit et sua-
det. *Et congregatione,* id est in unione
Beatorum seu triumphanti Ecclesia. Beati
enim Deum concorditer atque generaliter
laudant, glorificantes nomen ejus in id
ipsum.
2 *Magna opera Domini,* ea præsertim quæ
facit in cœlo empyreo circa Beatos : quos
sua per speciem visione beatificat, et in
quibus mirabilissima efficit opera, nobis
3 prorsus occulta. *Confessio,* qua Deum in-
cessantissime laudant, *et magnificentia,*
qua ei reverenter obsequuntur ac parent,
opus ejus, id est, sunt opera Dei, placita
4 Deo. *Memoriam fecit mirabilium suorum.*
Deus facit in cordibus Beatorum memori-
am mirabilium suorum, admittendo eos ad
beatificam suæ essentiæ visionem, in qua
splendidissime contemplantur, quæ, quan-
ta et qualia fecerit Deus pro eorum salute.
5 *Escam dedit timentibus se :* id est, nobis
Beatis, qui eum timore casto timemus,
quantum ad reverentialem subjectionem,
non quantum ad affectionem pœnalem,
præstitit suæ divinitatis fruitionem, qua
feliciter hilariterque intus reficimur, sus-
tentamur, atque perficimur. *Memor erit
in sæculum testamenti sui,* id est, pro-
missionem suam in æternum verificabit,
I *Joann.* III, 2. qua nobis promisit pro præmio sui ipsius
visionem, ita quod nunquam relabemur
ad miserias pristinas, sed cum Deo sine fi-
6 ne manebimus. *Virtutem operum suorum
annuntiabit populo suo.* Deus namque San-
ctis in patria revelat suos divinos atque
potentes effectus, et per angelos superio-
res illuminat inferiores de operibus tali-

A bus. Cetera ex præinductis faciliter elucescunt.

Postremo psalmum præsentem, laudibus Creatoris dulcissime redolentem, affectum psallentis mirabiliter inflammantem, spirituali hilaritate perfusum, quis digne laudare prævaleat? In quo homo fidelis Deum tam fiducialiter, tamque affectuose alloqui orsus est ; in quo Deus in suis effectibus tam præclare extollitur, divina justitia commendatur, sacramenti Eucharistiæ institutio prophetatur, novi Testamenti B perpetuitas annuntiatur, vitæ æternæ remuneratio commemoratur, Christi missio tangitur, et alia multa pulcherrima continentur. Si ergo Deum vere diligimus, nequaquam psalmum hunc tam mysterialem ac sententiosum, sine piæ devotionis fervore cantemus. Qui enim Deum veraciter amat, quanto eum ardentiori affectu complectitur, tanto in ejus præconiis atque obsequiis vehementius delectatur. Quod ut nobis quoque conveniat, enitamur semper cor purum Domino repræsentare, in ejus II *Petr.* III, 3, 9; II *Tim.* II, 22.
C gratia quotidie crescere, et debita nostra Officia cum omni diligentia ordinate persolvere. Tunc namque poterimus in spiritualibus gratiis abundare, si conemur opus Dei non negligenter, sed reverenter exsolvere.

PRECATIO.

Misericors et miserator Domine, qui diu nobis peccantibus solita pepercisti bonitate, intellectu tandem bono nos reple, et initium sapientiæ timorem tuum menti-
D bus nostris infunde ; atque deinceps fac nos sobrie et juste vivendo tibi placere.

Digitized by Google

ARTICULUS XIX

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI UNDECIMI : BEATUS VIR QUI TIMET DOMINUM.

HABET psalmus iste pro titulo, *Alleluia.* A
Quod autem adjungitur, Reversionis Aggæi
et Zachariæ, non habetur in Hebræo, neque
in translatione Hieronymi juxta Hebræum;
nec debet ita intelligi, quasi hic psalmus
sit editus ab his Prophetis, aut eorum tem-
poribus. Sed hoc ideo additur, quia sic-
Agg. I, II; ut Aggæus et Zacharias prophetaverunt de
Zach. II. ædificatione materialis templi in Jerusa-
lem, post reditum a captivitate Babylonis;
sic in psalmo præsenti tractatur de virtu-
tibus, per quas fideles ædificant Christo
immateriale templum in cordibus suis, B
post reditum a misera servitute peccati,
seu captivitate diaboli. Specialiter vero lo-
quitur psalmus iste de operibus miseri-
Matth. XXV, cordiæ, de quibus et Christus specialiter
34-46. perhibet se facturum judicium in die no-
vissimo.

1 AIT itaque : (1) *Beatus vir,* id est, felix
homo nunc in spe, et postmodum fe-
lix erit in re, *qui timet Dominum,* timore
casto et filiali, vel saltem initiali. Timor
namque servilis non est meritorius, quo- C
niam non procedit ex caritate, sine qua
nihil est meritorium vitæ æternæ. Hinc
Eccli. I, 13. enim Ecclesiasticus contestatur : Timen-
ti Deum bene erit in extremis, et in die
defunctionis suæ benedicetur; et alibi,
Ibid. XXV, Beatus homo cui donatum est habere ti-
15. *Eccle.* XII, morem Dei. Et Ecclesiastes ait : Finem lo-
13. quendi pariter omnes audiamus : Deum
time, et mandata ejus observa. Denique,
quum nihil separet nos a Deo nisi pec-
Eccli. I, 27. catum, eo ipso quo timor peccata expel-
lit, ad omne bonum disponit, omniumque D
bonorum quodammodo causa est. *In man-
datis ejus volet nimis,* id est, iste Deum
timens, valde optabit implere divina man-

data. Timor enim filialis, quoniam ti-
met offensam dilecti et separationem ab
eo, maxime studet vitare quibus dilectus
offenditur et aufertur, videlicet peccata
omissionis et commissionis : et per conse-
quens nimis cupit facere quæ placent di-
lecto, quod est obedire præceptis animo
prompto ac fervido. Nam istud *nimis,* non
designat vitiosum excessum, sed ferven-
tem affectum. Insuper timor iste facit ni-
mis velle in præceptis Dei implendis, quia
delectat cor, et parit lætitiam, juxta illud
in Ecclesiastico : Timor Domini delecta- *Eccli.* I, 12.
bit cor, et dabit lætitiam et gaudium in
longitudine dierum.

(2) *Potens in terra erit semen ejus :* id 2
est, fructus bonæ conversationis hominis
timorati, erit fortis ac stabilis in Ecclesia
tam militanti quam triumphanti. Nam fru-
ctus iste æterno præmio fulcietur, juxta
illud : Bonorum laborum gloriosus est fru- *Sap.* III, 15.
ctus. *Generatio rectorum,* id est populus
justus, *benedicetur* a Deo, recipiendo grati-
am ejus, et ab hominibus qui eis bona im-
precantur. Scriptum est enim : Benedictio *Prov.* X, 6.
Domini super caput justi ; et, Qui recti *Ibid.* II, 21.
sunt, habitabunt in terra, et simplices per-
manebunt in ea. (3) *Gloria,* id est spiritua- 3
lis lætitia, bona fama, vitæ excellentia, *et
divitiæ,* id est spiritualium bonorum af-
fluentia, *in domo ejus,* id est in corde viri
Deum timentis : sicut in Ecclesiastico le-
gitur, Nihil melius quam timere Deum. *Et* *Eccli.* X, 27.
justitia, id est justa conversatio, *ejus ma-
net in sæculum sæculi.* Homo enim timo-
ratus perseverat usque in finem, et tunc
æternaliter coronatur. Unde rursus in Ec-
clesiastico dicitur : Timenti Deum non oc- *Ibid.* XXXIII,
current mala; sed Deus in tentatione illum 1.
conservabit, et liberabit a malis. Salomon

Digitized by Google

Prov. xxiii, 17, 18. quoque ait : In timore Domini esto tota A
die, et habebis spem in novissimo.
4 (4) *Exortum est in tenebris,* id est in-
ter peccatores, seu in hoc sæculo tenebris
ignorantiæ atque caligine vitiorum reple-
to, *lumen* divinum, æternum et increatum,
rectis corde, id est justis hominibus. Et quid
sit lumen hoc, subditur : *Misericors et mi-
serator et justus,* id est Deus qui dicitur
misericors in natura, miserator in opere,
justus in retributione. Dicitur autem Deus
justis oriri per hoc, quod lumen gratiæ ab
ipso recipiunt, per quod Creatorem suum B
contemplantur et diligunt. Propter quod
Malach. iv, 2. per Malachiam ait : Orietur vobis timenti-
bus nomen meum Sol justitiæ. Potest quo-
que hic versus de Christi adventu intelli-
gi, ut sit sensus : Exortum est in tenebris
lumen, videlicet Christus, rectis corde.
Nam per incarnationem invisibile lumen
justis visibiliter apparuit, et ad salutem
eorum ipsis exortum est, prout in Isaia ait
Is. ix, 2. Scriptura : Populus qui sedebat in tene-
bris, vidit lucem magnam ; habitantibus
in regione umbræ mortis, lux orta est eis. C
Joann. viii, 12. Et apud Joannem ipsemet Christus : Ego,
inquit, sum lux mundi ; qui sequitur me,
non ambulat in tenebris, sed habebit lu-
men vitæ.
5 (5) *Jucundus homo,* id est spiritualiter
in Domino gaudens, aliisque causam læti-
tiæ præbens, *qui miseretur,* id est, opera
misericordiæ proximis exhibet. Quod non
solum de corporalibus eleemosynis, sed de
spiritualibus quoque operibus pietatis in-
telligendum est : sicut sunt ignorantem in-
struere, peccanti ignoscere, errantem cor- D
rigere, etc. *Et commodat,* id est, de suo
aliis mutuat sine usura. Vel, Commodat,
id est, aliis temporalia donat, quatenus a
Deo æterna recipiat. Unde in Proverbiorum
Prov. xix, 17. libro dicitur : Fœneratur Domino, qui mise-
retur pauperis. *Disponit sermones suos,* id
est, verba sua profert, *in judicio* discretio-
nis, ne loquendo excedat, quemadmodum
Coloss. iv, 6. ad Colossenses monet Apostolus : Sermo
vester semper in gratia sale (id est discre-
tione) sit conditus. Nam, ut in Ecclesiastico

scriptum est, Qui multis utitur verbis, læ- Eccli. xx
dit animam suam ; et alibi, Qui inconside- Prov. xiii
ratus est ad loquendum, sentiet mala. Ideo-
que in Proverbiis Salomon loquitur : Qui Ibid. x 23.
custodit os suum, custodit ab angustiis
animam suam. Sic autem disponit in judi-
cio rectæ rationis sermones suos, ut sciat
se non posse hoc ipsum implere sine sin-
gulari et magno auxilio gratiæ Dei. Nam,
ut Jacobus testatur, Si quis in verbo non Jacob. iii,
offendit, hic perfectus est vir. Propterea
iterum Salomon dicit : Hominis est ani- Prov. xvi,
mam præparare, et Dei est gubernare lin-
guam. *Quia in æternum non commovebi-* 6
tur a statu salutis et gratiæ, quia ut dictum
est, Justitia ejus manet in sæculum sæcu-
li. Unde in Proverbiorum libro scriptum
est : Via justorum absque offendiculo. Ibid. xv, 1
(6) *In memoria æterna erit justus :* id 7
est, Deus per effectum pietatis suæ et gra-
tiæ, æternaliter memor erit ipsius : nam
scriptus est in libro vitæ, et Deus per ap-
probationem eum cognoscit ; eritque sine
fine in conspectu majestatis divinæ in re-
gno felicitatis æternæ. *Ab auditione mala*
malitia pœnæ, non culpæ, videlicet a ver-
bo illo asperrimo, Ite, maledicti, in ignem Matth. xxv 41.
æternum, *non timebit* in die judicii, quam-
vis modo eam vehementer formidet. Erunt
enim tunc securi, qui modo sunt pavidi ;
tuncque pavebunt, qui modo timorem non
habent. Dies nempe judicii, judicisque du-
ra sententia, sicut perversis sunt metuen-
di, sic electis sunt ratio exsultandi. Pro-
pter quod Christus dixit : His autem fieri Luc. xxi, 28.
incipientibus, respicite, et levate capita
vestra, id est, mentes lætificate, quia ap-
propinquabit redemptio vestra.
(7) *Paratum cor ejus sperare in Domino :*
quia per spem in se exsistentem, quæ est
habitus virtuosus, promptus et facilis est,
ut actualiter speret in Deo, non in aliquo
bono creato, caduco et vano. Unde in Ec-
clesiastico habetur : Qui timent Dominum, Eccli. ii, 20.
præparabunt corda sua, et in conspectu il-
lius sanctificabunt animas suas. *Confirma-* 8
tum est cor ejus in Deo per gratiam, eo modo
quo dicit Apostolus ad Hebræos : Optimum Hebr. xiii, 9.

Digitized by Google

est gratia stabiliri cor. Et in Proverbiis A
Prov. x, 25. scriptum est : Justus quasi fundamentum æternum. *Non commovebitur* a stabilitate justitiæ, *donec despiciat inimicos suos,* id est, quousque vitam seu viam hujus exsilii finiat, atque de beatitudine securus exsistat. Quum enim justus ad Deum pervenerit, omnes adversarios suos visibiles et invisibiles pro nihilo reputabit, non ex superbia, sed ex vera justitia, quia illorum vitia despicit, et eos, in quantum iniqui sunt, pro nihilo æstimat, sicut superius de viro justo inductum est : Ad ni- B
Ps. xiv, 4. hilum deductus est in conspectu ejus malignus.

9 (8) *Dispersit,* id est, undique diffudit, et *dedit pauperibus* sua temporalia bona, seu spiritualia dona, sicut in prima sua Canonica Petrus adhortatur : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. *Justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Hoc jam in psalmo isto dictum atque expositum est. *Cornu ejus,* id est dignitas seu sublimitas gratiæ, quam habuit in præsenti, *exaltabitur,* id est, perficietur C et consummabitur, *in gloria* Beatorum, quia tunc plenum præmium sortietur, et lumen gratiæ per lumen gloriæ erigetur. I Petr. iv, 10.

Propter quod Salomon dicit : Qui miseretur pauperis, beatus erit. Prov. xiv, 21.

(9) *Peccator* impœnitens *videbit* felicitatem justorum, quam modo habent inchoative, et in futuro judicio habebunt perfecte, *et irascetur* contra eos ex impatientia, vel contra se ipsum, quod tanta tormenta promeruit ; *dentibus suis fremet :* quia ex interiori furore corpus ejus concutitur, et motu dentium impetum iræ suæ ostendit ; vel, Dentibus suis fremet in inferno, ubi erit fletus et stridor dentium ; *et tabescet* in se ipso ex invidia. *Desiderium peccatorum peribit,* id est, suo effectu seu re optata privabitur. Quemadmodum enim justi desiderant Deo æternaliter frui, et in hac vita spiritualibus bonis ditari ; sic impii cupiunt rebus temporalibus et caducis jugiter frui, quoniam eis finaliter inhærent. Tale autem desiderium penitus perit post mortem, quia tunc amplius frui non possunt temporalibus rebus, sed pro earum delectationibus compelluntur sentire æterna tormenta. Desiderium vero justorum post hanc vitam impletur. Propter quod in Proverbiis scriptum est : Desiderium suum justis dabitur ; quasi tempestas transiens non erit impius. 10 Matth. viii, 12 ; xiii, 42, 50, etc. Prov. x, 24, 25.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO ALLEGORICA EJUSDEM PSALMI CENTESIMI UNDECIMI DE CHRISTO.

DENIQUE psalmus iste de Christi perso- D na convenientissime explanatur ; eritque sensus : 1 *Beatus vir,* scilicet Christus, qui ab exordio suæ conceptionis in Virgine, et *beatus* erat, Deum videndo per speciem, et *vir,* propter omnium virtutum ac sapientiæ perfectionem. Anima enim Christi, a primo suæ creationis instanti Deum per speciem vidit, omnibusque virtutibus (imperfectionem in sua ratione non includentibus) atque scientiis plena fuit. Unde de eo ut nondum nato, sed adhuc infantulo in materno utero consistenti, scriptum est per Jeremiam : Novum creavit Dominus super terram : mulier circumdabit virum. Hic ergo beatus est vir *qui timet,* in quantum homo, *Dominum* timore filiali, illo præcipue qui est unum septem donorum Spiritus Sancti, quemadmodum per Isaiam dicitur : Replebit eum spiritus timoris Domini. *In mandatis ejus volet nimis.* Quanto enim Christus præ ceteris universis Deum amavit ferventius, tanto in ejus mandatis implendis voluit plenius, Jer. xxxi, 22. Is. xi, 3.

Digitized by Google

quoniam ardentissimo appetitu optavit in
omnibus Deo parere : nec solum voluit,
sed etiam volita plenissime adimplevit,
quia præcepta moralia et duo caritatis
mandata perfecte implevit. Propter quod
Joann. XIV, 31. apud Joannem ait : Sicut mandatum dedit
mihi Pater, sic facio ; et apud eumdem,
Ibid. VIII, 29. Ego quæ placita sunt ei, facio semper. Imo
tam desiderabile, tamque delectabile fue-
rat Christo homini, Patris præcepta serva-
Ibid. IV, 34. re, ut dicat : Meus cibus est, ut faciam
voluntatem Patris mei, qui misit me, ut
perficiam opera ejus.
2 *Potens in terra erit semen ejus.* Semen
Christi, est populus christianus, de quo
Is. LIII, 10. apud Isaiam dicitur : Si posuerit pro pec-
cato animam suam, videbit semen longæ-
vum. Hoc semen potens est in terra hujus
exsilii, quoniam populus christianus ma-
gnus, multus, et fortis est in spiritualibus
et corporalibus bonis. Potentius tamen est
semen istud in patria Beatorum, ubi pari-
ficatum est angelis Dei. Potest quoque per
semen Christi, intelligi prædicatio evan-
gelicæ legis, quemadmodum Christus ait :
Luc. VIII, 11. Semen est verbum Dei. Hoc autem semen
Christi potens fuit, quia ut dicit Marcus,
Marc. I, 22. Erat docens sicut potestatem habens, non
sicut Scribæ. *Generatio rectorum,* id est
Joann. III, 5. congregatio Christianorum, ex aqua et Spi-
ritu Sancto renata, *benedicetur* a Deo, se-
Ephes. I, 3. cundum quod ait Apostolus : Benedictus
Deus, qui benedixit nos in omni benedi-
ctione in cœlestibus in Christo Jesu. Et
Luc. XXIV, 50, 51. Lucas de Christo dicit : Elevatis manibus,
benedixit eis, et ferebatur in cœlum. Unde
Is. LXV, 23. apud Isaiam Dominus protestatur : Electi
mei non laborabunt frustra, quia semen
3 benedictorum Domini est. *Gloria,* id est
æterna felicitas, *et divitiæ,* id est omnium
bonorum sufficientia, *in domo ejus,* id est
in regno cœlorum, in triumphanti Eccle-
sia, in patria Beatorum, quæ est domus
Christi. Præterea in Ecclesia militanti sunt
gloria atque divitiæ, secundum sensum in
præcedenti articulo introductum : et ista
I Tim. III, 15. Ecclesia est domus Christi, juxta illud ad
Timotheum : Scias quomodo oportet te
conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia
Dei vivi. *Et justitia ejus manet in sæcu-
lum sæculi :* divina namque et increata
justitia Christi æterna est ; creata vero
justitia ejus nunquam deficiet. *Exortum* 4
est in tenebris lumen rectis, etc. Versicu-
lus iste, in præcedenti articulo de Christo
expositus est.
Jucundus homo, videlicet Christus, de 5
quo Isaias asserit : Non erit tristis neque *Is.* XLII, 4.
turbulentus. Nam anima Christi semper
erat in gaudio beatæ fruitionis. *Qui misere-
tur.* Ipse enim in tantum compassus atque
misertus est nostri, quod animam suam
pro nobis posuit, et proprio sanguine libe-
ravit ; omnibus etiam ad se clamantibus
miseretur, veniam gratiamque præstando.
Et commodat. Omnia quæ a Christo rece-
pimus, ipse nobis quodammodo commo-
davit, quoniam rationem de eis requiret et
fructum, quemadmodum apud Lucam di- *Luc.* XIX, 15 *et seq.*
citur in parabola de talentis. *Disponit ser-
mones suos in judicio* veræ prudentiæ. Nam
Christus nihil inordinate aut indiscrete lo-
cutus est : imo, ut Lucas testatur, Mira- *Ibid.* IV, 22.
bantur omnes in verbis gratiæ, quæ proce-
debant de ore ejus. *Quia in æternum non* 6
commovebitur, quia anima Christi a suæ
creationis exordio confirmata erat in bono.
Paratum cor ejus sperare in Domino. 7
In Christo non erat spes, quæ est virtus
theologica, quoniam illa est exspectatio
futuræ beatitudinis : quam Christus nun-
quam exspectavit, sed a principio conce-
ptionis fuerat comprehensor tam perfe-
ctus, ut modo. Speravit tamen in Deo per
quamdam fiduciam, qua certissime confi-
debat, omne bonum quod cupiebat, se re-
cepturum a Deo. *Confirmatum est cor ejus,* 8
per gratiam consummatam, ita quod nun-
quam peccare valebat, sicut nec Sancti in
patria. *Dispersit* spiritualia dona Spiritus 9
Sancti, *dedit* ea *pauperibus,* id est humili-
bus. Propter quod Evangelista fatetur : De *Joann.* I, 16.
plenitudine ejus accepimus omnes gratiam
pro gratia. Misit enim Spiritum Sanctum
Apostolis ; et sicut in prima Joannis Cano-
nica dicitur, Quidquid petierimus, accipie- *I Joann.* III, 22.

Digitized by Google

mus. *Cornu ejus,* id est regia Christi potestas, quæ latebat quamdiu inter homines vixit, *exaltabitur in gloria* resurrectionis, ascensionis, et claritatis cœlestis. In resur-
Matth. xxviii, 18. rectione namque data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, quantum ad manifestationem ac usum; et in patria sedet ad dexteram Patris, tanquam Rex regum et Dominus dominorum.

Peccator, id est omnis hæreticus, paganus, Judæus et reprobus Christianus, et maxime Antichristus, *videbit* in die judicii majestatem et gloriam Christi, *et irascetur,* id est corde turbabitur, juxta illud :
Sap. v, 2. Videntes turbabuntur timore horribili ; *dentibus suis fremet* adversus se ipsum, quod evadendi locus non erit. Cetera ex præcedenti articulo clara sunt.

Ecce psalmum doctrinalem ac pulchrum audivimus : in quo ad opera misericordiæ præcipue invitamur, ad quam sacra Scriptura frequenter nos allicit. Unde in Pro-
Prov. iii, 3, 4. verbiis Salomon : Misericordia, inquit, et veritas non te deserant, et invenies gratiam coram Deo et hominibus. Et apud
Matth. v, 7. Matthæum dicit Judex noster : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam con-
Eccli. xxix, 2. sequentur. Et Ecclesiasticus : Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis; item-
Ibid. 13. que, Perde pecuniam propter amicum et
A fratrem. Dicit autem Gregorius, quod misericordia aptius potest dici justitia, quam misericordia : quoniam dum pauperibus aliquid erogamus, non nostra largimur, sed quæ eorum sunt, eis præstamus. Et ideo S. Ambrosius atque excellens ille Basilius : Esurientium (inquiunt) panis est quem tu tenes, nudorum vestis quam recludis, captivorum redemptio pecunia quam sub terra tu fodis. Hinc Augustinus quoque disseruit : Quære quantum tibi Deus dederit, et ex eo tolle tibi quod sufficit ; cetera
B quæ superfluunt, pauperum sunt. Res alienæ possidentur, quum superflua non erogantur. Erogari sibi vult Deus ex eo quod dedit. Quid enim das, quod ille non dedit? Quid habes quod non accepisti? Itaque 1 Cor. iv, 7.
non sunt retinenda superflua, neque divitibus et satis habentibus, sed indigentibus eroganda : alioqui tam retinens, quam recipiens, timeant de rapina.

PRECATIO.

C Operatione tibi placita effice nos, Domine, potentes in terra, et vivat te præstante in justitia tua anima nostra : tribue nobis, quæsumus, ut in mandatis tuis semper curramus, cujus gratia totum quod rogamus, impetremus.

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI DUODECIMI : LAUDATE, PUERI, DOMINUM.

ASSIGNATUR autem psalmo præsenti pro titulo, *Alleluia,* quia in toto psalmo offertur laus Deo : ad cujus præconia nos invitans sanctus Propheta, ait :

1 (1) LAUDATE, *pueri,* id est puri et innocentes, *Dominum :* tales enim pueri digni sunt Deum laudare. Ad quam
1 Cor. xiv, 20. pueritiam invitamur ab Apostolo : Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia
D parvuli estote, sensibus autem perfecti. Et Christus apud Matthæum : Nisi conversi Matth. xviii, 3.
fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Sunt vero nonnulli pueri non ætate, sed sensu, juxta illud Isaiæ : Puer centum annorum morietur. Is. lxv, 20.
Laudate nomen Domini. Frequenter hortatur nos sacra Scriptura laudare et benedicere nomen Domini; sed hoc de nomine nominato, videlicet de re significata

Digitized by Google

per nomen, et non de nomine nominante, A
intelligendum est. Semper autem debemus
Deum laudare, quoniam hoc est prorsus
angelicum opus, quo homo efficitur ami-
cus et filius Dei. Unde apud Isaiam quoque
Is. XLIII, 7. Dominus ait : Omnem qui invocat nomen
meum, in gloriam meam creavi eum. Et
Ephes. V, 18-20. ad Ephesios dicit Apostolus : Implemini
Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in
hymnis et psalmis et canticis spirituali-
bus, cantantes et psallentes in cordibus
vestris Domino, gratias agentes pro omni-
bus semper.
2 Sic autem laudantes dicite : (2) *Sit no-
men Domini benedictum,* id est, ipse Deus
ab omnibus laudetur et benedicatur, *ex
hoc nunc et usque in sæculum,* id est in-
desinenter, continue atque perpetue. Qui
diligit Deum ferventer, zelo divini hono-
ris frequenter accenditur, Deumque ab
omnibus laudari, benedici et omnibus mo-
3 dis honorari desiderat. (3) *A solis ortu us-
que ad occasum,* id est de mane usque ad
vesperum. Vel, A solis ortu, id est a terra
ac populo orientali, usque ad occasum, id
est usque ad terram ac populum occiden-
talem, est *laudabile nomen Domini :* quia
ubique terrarum apparet, operatur ac in-
venitur bonitas Dei. Propter quod ubique
et semper laudandus est, prout per Mala-
Malach. I, 11. chiam testatur : A solis ortu magnum est
nomen meum in gentibus.
4 (4) *Excelsus super omnes gentes Dominus,*
id est, cunctis hominibus dignior est atque
Is. XL, 17. sublimior, juxta illud Isaiæ : Omnes gen-
tes quasi non sint, sic sunt coram illo, et
quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.
Job XXXII, 21. Et in libro Job : Non accipiam personam
viri, et Deum homini non æquabo. Sapiens
Sap. XI, 23. quoque dicit : Tanquam momentum state-
ræ, sic ante te est orbis terrarum, et tan-
quam gutta roris antelucani, quæ descen-
dit in terram. *Et super cœlos gloria ejus :*
id est, gaudium Beatorum, quod ipsi a Deo
pro mercede recipiunt, est super omnes
cœlos volubiles, scilicet in cœlo empyreo,
quod est locus gloriæ Dei et electorum.
Vel, Super cœlos, id est super omnes ci-
ves et incolas curiæ cœlestis, est gloria
ejus, id est excellentia Dei creatoris, quo-
niam angelicis spiritibus Deus præstantior
est, secundum quod in libro Job inducitur:
Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad *Job* XXVI, 11.
nutum ipsius ; et alibi, Ecce qui serviunt *Ibid.* IV, 18.
ei, non sunt stabiles, et in angelis suis
reperit pravitatem.
(5) *Quis sicut Dominus Deus noster,* vide- 5
licet Trinitas benedicta? quasi dicat : Nullus
ei similis est similitudine æqualitatis, quam-
vis similitudine imitationis multi sint si-
B miles ei. Unde apud Jeremiam habetur :
Quis similis mei? et quis sustinebit me? *Jer.* XLIX, 19.
ait Dominus. *Qui in altis habitat,* id est in
cœlis, de quibus quotidie dicimus, Pater *Matth.* VI, 9.
noster qui es in cœlis : ubi per cœlos intel-
liguntur sanctæ contemplativæque mentes
(vel cœlum empyreum, quod pluraliter
dicitur, Cœli, quia hoc nomen, cœlum, in
Hebræo caret numero singulari, secundum
Chrysostomum). In his habitat Deus incir-
cumscriptus per gratiam, *et humilia* corda 6
respicit per approbationem et conservatio-
C nem, *in cœlo et in terra,* imo in omni loco
et tempore. Humilibus enim dat gratiam. *Jacob.* IV, 6.
Et in Isaiæ libro secundum aliam transla-
tionem testatur : Ad quem respiciam, nisi *Is.* LXVI, 2.
ad quietum et humilem, et trementem ser-
mones meos? Qui ergo a Deo respici cupit,
spiritum suum humiliet, perpendens illud
Virginis gloriosæ : Quia respexit humilita- *Luc.* I, 48.
tem ancillæ suæ. Quanto enim se ipsum
homo profundius deprimit, tanto a Deo
altior judicatur.
(6) *Suscitans* Deus per gratiam suam *a* 7
D *terra,* id est a vita carnali, ab amore re-
rum terrenarum, a cogitatione tempora-
lium rerum, *inopem,* id est in spirituali-
bus vacuum et egenum, ditans eum donis
divinis, amore cœlestium, contemplationi-
bus divinorum ; *et de stercore,* id est de
habitatione hujus corruptibilis corporis,
*elevans** ad habitationem regni cœlestis, * erigens
pauperem spiritu, scilicet humilem : quia
qui se humiliat, exaltabitur, juxta illud, *Ibid.* XIV, 11.
Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Pro- *Job* XXII, 29.
pter quod subditur : (7) *Ut collocet eum* in 8

Digitized by Google

patria *cum principibus,* id est cum angelis A sanctis, *cum principibus populi sui,* id est cum majoribus electorum, videlicet cum Apostolis et Prophetis. Ecclesia namque triumphans una est, ex hominibus bonis et angelis sanctis unita. Vel, Ut collocet Matth. xxv, 33. eum in die judicii ad dexteram suam, cum principibus, de quibus ab Isaia scriptum Is. iii, 14. est : Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus. Horum autem duorum versuum sententia in cantico Annæ continetur, primo Regum li- I Reg. ii, 8. bro, ubi de Deo sic legitur : Suscitat de B pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.

9 (8) *Qui habitare facit sterilem,* id est congregationem gentilium, olim omni spirituali fecunditate carentem, *in domo,* id est in Ecclesia militanti per gratiam, et postmodum in Ecclesia triumphanti per gloriam. Facit, inquam, eam habitare *matrem filiorum lætantem,* id est taliter, quod habitando est mater jucunda spiritualium filiorum, quos ex aqua et Spiritu Sancto C regenerat, Synagoga Judæorum, quæ quondam erat fecunda, sterili facta. Et ad hunc Galat. iv, 27; Is. liv, 1. sensum allegat Apostolus illud Isaiæ : Lætare, sterilis quæ non paris, erumpe et clama, quæ non parturis, quia multi filii desertæ, id est gentilitatis, magis quam ejus quæ habet virum, id est Synagogæ : cujus sponsus et vir fuerat Deus, sed eam propter incredulitatem suam reliquit, quemadmodum per Jeremiam protestatur : Re- Jer. xii, 7, 8. liqui domum meam, dimisi hereditatem meam ; facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva. Appellat autem Propheta gentilitatem seu plebem gentilem, sterilem atque desertam : quoniam diu deserta erat a Deo propter idololatriam, ita quod nullum fructum Spiritus Sancti produxit, nec aliquos filios Christo generavit. Unde primo libro Regum Anna prophetice est locuta : Sterilis peperit plurimos, et quæ multos I Reg. ii, 5. habebat filios, infirmata est.

Ecce hunc psalmum jucundum ac brevem decet nos cum ingenti hilaritate cantare, eo quod totus ad Domini Dei creatorisque nostri laudem pertineat. Et omnino satagendum est nobis, ut tales pueri, id est tam puri, innocentes ac humiles simus, ut Deum digne laudare, atque ab eo pie respici mereamur, quoniam non est speciosa Eccli. xv, 9. laus in ore hominis vitiosi.

PRECATIO.

Deus noster, qui in altis habitas, et de stercore inopem suscitas, nos humiles tuos in terra clementer respice ; atque ad sublimia virtutum attolle, in quibus in dies proficientes, in his perseveremus non deficientes.

ARTICULUS XXII

EXPOSITIO LITTERALIS PSALMI CENTESIMI TERTIIDECIMI : IN EXITU ISRAEL.

Titulus psalmi est : *Alleluia.* Ad litte- D ram enim laudatur Deus in psalmo præsenti, ex consideratione mirabilium quæ fecit circa populum Judæorum in Ægypto, in mari Rubro, atque deserto.

1 Ait ergo : (1) *In exitu,* id est, dum exiret, *Israel,* id est populus Israeliticus, *de Ægypto, domus Jacob,* id est in exitu familiæ seu populi hujus, qui dicitur domus Jacob patriarchæ, tanquam natus ex semine ejus, *de populo barbaro,* id est plebe Ægyptiaca : quæ dicitur populus barbarus, quoniam barbaram linguam habet. Omnia enim idiomata, barbara appellantur, præter Hebræum, Græcum et Latinum : ideo

Digitized by Google

que omnes populi dicti sunt barbari, præ- A
ter Hebræos, Græcos et Latinos.

Dum itaque populus iste de Ægypto
Exod. XII, 41 *et seq.*; XIII, etc. exiret, secundum quod in Exodo recitatur,
tunc (2) *Facta est Judæa,* id est populus
2 Judæorum, *sanctificatio ejus* (videlicet Dei),
id est res sanctificata, seu populus sancti-
ficatus a Deo, quia ad unius Dei cultum
electus et deputatus est. Sæpe quoque in
Ibid. XIII, 2; XXII, 29; *Num.* III, 13, etc. Exodo et alibi dixit Dominus Moysi : San-
ctifica mihi omne primogenitum filiorum
Israel. Tunc quoque factus est *Israel,* id est
populus natus ex Jacob, qui alio nomine B
Gen. XXXII, 28; XXXV, 10. *Exod.* XXXII, 11. dictus est Israel, *potestas ejus,* id est id in
quo Deus potestatem suam ostendit, libe-
rando eum de Ægyptiis in manu robusta.
Quamvis autem in præcedenti versu non
sit nomen Dei expressum, convenienter ta-
men pronomen relativum, Ejus, refertur ad
Deum : quoniam in divinis Scripturis pro-
nomina sæpe demonstrant et referunt, non
quod exprimitur, sed quod intelligi datur :
quemadmodum apud Lucam angelus di-
Luc. I, 17. xit de Joanne, Ipse præcedet ante illum
in spiritu et virtute Eliæ : ubi per Illum, C
Christus monstratur, qui ante expressus
non fuit. Alii ita exponunt : Facta est Ju-
dæa sanctificatio ejus, id est, sanctifica-
tus est populus ille in Judæa, scilicet in
terra promissionis ; Israel potestas ejus,
id est, populus ille potens effectus est in
terra prædicta. Sed quoniam ista sancti-
Num. XIV, 34. ficatio post quadraginta annos secuta est
exitum de Ægypto, secundum hoc aptius
dici potuisset : Post exitum Israel de Ægy-
pto. Denique sicut gentilitas significat
populum gentilem, sic Judæa populum D
Judæorum.

3 (3) *Mare vidit et fugit,* id est, mare Ru-
brum, Deo jubente, ita divisum est, sicque
Deo obedivit, ac si fuisset intellectualis
naturæ. Fuit enim pro muro ex utraque
Exod. XIV, 21, 22. parte filiis Israel, donec sicco pede trans-
irent, ut in Exodo legitur. *Jordanis conver-
sus est retrorsum,* id est, aliquæ partes
aquæ Jordanis redierunt versus suam ori-
ginem, quia non descenderunt, sed in mo-
dum montis intumuerunt, prout in Josue
libro dicitur : Ingressis filiis Israel Jorda- *Josue* III, 15-17.
nem, steterunt aquæ descendentes in uno
loco, et instar montis intumescentes, ap-
parebant procul ; quæ autem inferiores
erant, in mare Solitudinis descenderunt,
quousque omnino deficerent. Omnisque
populus per arentem alveum transibat sal-
vus. (4) *Montes exsultaverunt ut arietes, et* 4
colles sicut agni ovium.

Deinde sanctus Propheta, jubilando in
Domino de mirabilibus ejus, alloquitur at-
que interrogat inanimata, non ut illa intel-
ligant et respondeant, sed ut homines in
admirationem et Dei præconium exciten-
tur. Dicit enim : (5) *Quid est tibi, mare,* 5
quod fugisti? secundum modum jam di-
ctum. *Et tu, Jordanis,* quid est tibi, *quia
conversus es retrorsum?* quasi dicat : Unde
et qua potestate facta sunt mirabilia ista ?
Quid etiam vobis est, o (6) *Montes,* quia 6
exsultastis sicut arietes, qui ex gaudio sal-
tant ? *Et* quid vobis, o *colles,* quia exsulta-
stis *sicut agni ovium,* qui ad ubera matrum
hilariter currunt ? Potest quoque hic versus
non interrogative, sed assertive legi atque
exponi, et ita est idem cum versu quo di-
ctum est, Montes exsultaverunt ut arietes.
Dicuntur autem montes exsultare, quem-
admodum terra dicitur Domino benedi-
cere, scilicet metaphorice, materialiter et
occasionaliter, in quantum dederunt filiis
Israel occasionem gaudendi. Quidam hanc
exsultationem montium exponunt de sco-
pulis, id est arduis rupibus, quæ erant
juxta fluvium Arnon : quæ (ut asserunt)
inclinaverunt se usque ad aliam partem
fluvii hujus, præbentes filiis Israel iter
per fluvium. Unde in Numerorum libro
habetur : Sicut fecit in mari Rubro, sic fa- *Num.* XXI, 14, 15.
ciet in torrentibus Arnon : scopuli torren-
tium inclinati sunt.

Consequenter respondet ad quæstionem
factam de exsultatione terræ. (7) *A facie* 7
Domini mota est terra : id est, ab adspe-
ctu divini imperii contigerunt miracula
ista, sicut quod terra deglutivit Dathan et *Ibid.* XVI, 28-33 ; XXI, 15.
Abiron, inclinatique sunt montium scopu-
li ; *a facie Dei Jacob* patriarchæ, cui tan-

Digitized by Google

quam omnipotenti Creatori, omnia anima- A
ta et inanimata nutu citius parent. Propter
Eccli. xvi, 18. 19. quod in Ecclesiastico dicitur : Ecce cœlum
et cœli cœlorum, abyssus et universa ter-
ra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu
Dei commovebuntur; et quum conspexerit
8 illa Deus, tremore concutientur. (8) *Qui
convertit petram in stagna aquarum,* id
est, de petra fecit effluere aquas, sicut ex
aqua stagnali rivi aquarum erumpunt fa-
cto meatu. Hæc erat petra Horeb, quam
Exod. xvii, 6. quum Moyses percussisset, egressæ sunt
aquæ largissimæ, prout in Exodi libro scri- B
ptum est. Convertit quoque *et rupem,* id
est silicem, *in fontes aquarum :* quia, ut
Num. xx, 11. in Numerorum volumine legitur, quum
percussisset Moyses virga bis silicem, aqua
copiosa effluxit.

Quoniam igitur ista non nostris meritis
aut viribus, sed divina virtute ac mise-
1 (sec. Hebr.) ratione peracta sunt, ideo (9) *Non nobis,
Domine, non nobis, sed nomini tuo da
gloriam :* id est, fac ut omnes qui ista
cognoscunt, non nos, sed te gloriose col-
laudent, et tibi totum adscribant. Da, in- C
2 quam, gloriam nomini tuo. (10) *Super mi-
sericordia tua et veritate tua,* id est de
istis effectibus ex tua pietate et æquitate
productis. Hæc namque prodigia miseri-
corditer facta sunt, quoniam sine meritis
hominum præviis agebantur. Sunt etiam
Gen. L, 23; Exod. iii, 7 et seq.; et alibi. juste facta, in quantum Deus promisit Pa-
triarchis sanctis, quod semen eorum ex
Ægypto educeret, et sua divina virtute eos
protegeret. — Dum ista oramus, divinæ
voluntati nostrum affectum conformamus,
quoniam Deus per Isaiam testatus est : D
Is. xlii, 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum ; glo-
riam meam alteri non dabo. Et Apostolus :
I Tim. i, 17. Soli (inquit) Deo honor et gloria. Qui autem
ista ex corde postulant, a Deo glorificari
I Reg. ii, 30. merentur, qui in libro Regum ait : Qui-
cumque glorificaverit me, glorificabo eum ;
qui autem contemnunt me, erunt ignobi-
les. Quoniam ergo de opere bono soli Deo
gloria danda est et debetur, mirum non
est, si veris et humilibus famulis Christi
molestissimum est, dum ab hominibus glo-
riam sibi attribui cernunt : quia quod Dei
est, usurpare non audent.

Hæc autem age, o Domine, *nequando,*
id est ne aliquo tempore, *dicant gentes*
idololatriæ deditæ : *Ubi est Deus eorum,*
videlicet Hebræorum ? id est, nunc apparet
quod non sit verus et omnipotens Deus,
quoniam nomen suum non glorificat, de-
monstrando suam virtutem atque implen-
do quod spopondit. Hanc causam exau-
ditionis Moyses sæpe commemorat, Deum
sic alloquens : Ne, quæso, dicant Ægyptii, Exod.
Callide eduxit eos, ut interficeret in mon- xxxii, 12; Num. xiv,
tibus. Josue quoque dixit : Mi Domine Deus, 13-16.
quid dicam videns Israelem hostibus suis Josue vii, 8, 9.
terga vertentem ? Et quid facies nomini tuo
magno ? Ob hanc etiam causam Dominus
perhibet se exaudire preces nostras : Pro- Is. xlviii,
pter me (inquiens) ego faciam, ut non bla- 11.
sphemer. (11) *Deus autem noster in cœlo* 3
est, id est in corde devoto, quod est imma-
teriale cœlum ; vel, in cœlo empyreo, in
quo specialiter esse censetur, quoniam il-
lic excellentius operatur, clariusque vide-
tur. *Omnia quæcumque voluit, fecit,* quum
sit omnipotens. Et ideo in libro Job legi-
tur : Cogitationem Dei nemo avertere po- Job xxiii,
test, et anima ejus quodcumque voluit, 13.
hoc fecit.

(12) *Simulacra gentium,* id est idola 4
paganorum, substantialiter aliud non sunt,
nisi *argentum et aurum :* quod intelligen-
dum est de pretiosioribus earum simula-
cris. Habent namque simulacra cuprea,
ænea, lignea, in quibus materia est tota
substantia : quia secundum Philosophum,
in artificialibus tota substantia est mate-
ria. Hæc autem simulacra artificialia, sunt,
sicut subjungitur, *opera manuum homi-
num.* Formata sunt namque manu et arte
humana. (13) *Os habent,* non vere neque 5
univoce, sed similitudinarie, eo modo quo
homo defunctus dicitur habere pedes seu
oculos; *et non loquentur,* quia non vivunt,
neque intelligunt. *Oculos habent,* eo modo
quo os, *et non videbunt* per eos. Et simili
modo in duobus sequentibus versibus di- 6, 7
cuntur habere organa sine officiis, scilicet

Digitized by Google

aures sine auditu, nares sine odoratu, ma- A
nus sine palpatione, pedes sine ambulatio-
ne, guttur sine clamore.

Sed videtur contrarium : nam idola gen-
tium dant suis cultoribus responsa, imo
futura prædicunt. Advertendum ergo, quod
sicut Valerius Maximus refert, quidam Ro-
manorum, et præsertim antiqui Romani,
non colebant simulacra propter se, tan-
quam essent viva aut animata, sed in ho-
norem eorum quos repræsentabant. Alii
vero Romani coluerunt ea, tanquam per
se honoranda, videlicet ut viva, animata B
et rationalia : quorum insania ex errore
Hermetis originem sumpsit. Quemadmo-
dum enim octavo de Civitate Dei Augusti-
nus describit, Hermes Trismegistus asse-
ruit, quod sicut summus Deus est factor
deorum cœlestium, sic homo fictor est de-
orum, qui in templis venerantur, et huma-
na proximitate contenti sunt. Statuas enim
dixit sensu et spiritu plenas, futurorum
præscias, de somniis ac aliis multis prædi-
centes, hominibus imbecillitatem facientes,
eosque curantes, lætitiam atque tristitiam C
dantes pro meritis. Hæc autem positio non
solum theologicæ veritati, sed etiam natu-
rali rationi discordat, sicut in Summa con-
tra gentiles S. Thomas pulchre efficaci-
terque demonstrat. Contra hunc quoque
Sap. XIII, 10-19; Is. XLIV, 9-20. errorem in libro Sapientiæ plenissime dis-
putatur. Unde etiam Seneca dixit idola
nec animata esse, neque colenda : quam-
vis ipse propter aliquos videretur ea cole-
re foris. De qua tamen simulatione B. Au-
gustinus graviter arguit Senecam.

8 (16) *Similes illis fiant qui faciunt ea :* id D
est, omnes qui idola formant aut fieri pro-
curant, similes fiant idolis suis : quatenus
sicut illa corporaliter cæca, surda, muta, et
sine naturali vita exsistunt, sic isti spiri-
tualiter cæci, surdi, muti, et mortui fiant,
carendo vita gratiæ ; *et omnes qui confi-
dunt in eis,* non in Deo vero, similes illis
fiant. Hoc autem non optando, sed præ-
nuntiando, et quid illi mereantur osten-
dendo asseritur, nisi intelligatur de ob-
stinatis.

(17) *Domus Israel,* id est populus fidelis 9
ex Jacob ortus, *speravit in Domino,* non in
simulacris. Propter quod Balaam dixit :
Non est idolum in Jacob, nec simulacrum Num. XXIII, 21.
in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est,
et clangor victoriæ regis in illo est. Et hoc
est quod subditur : *adjutor eorum et pro-
tector eorum est,* id est, Deus adjuvit eos in
bonis, et protexit in adversis. Submersit Exod. XIV, 24-28; Deut. I, 30; Josue III, 10; XII.
enim Ægyptios, et Chananæos propter eos
occidit. (18) *Domus Aaron,* id est posteri-
tas ejus, videlicet sacerdotes veteris Te- 10
stamenti, *speravit in Domino.* Et quamvis
domus Aaron includatur in domo Jacob, ut
pars in toto, fit tamen de eis mentio spe-
cialis, propter sacerdotii dignitatem. *Ad-
jutor eorum et protector eorum est,* et fuit,
ut patet in libris legis ac Prophetarum.
(19) *Qui timent Dominum* timore filiali, vel 11
saltem initiali, *speraverunt in Domino :*
alias desperassent. Speraverunt ergo in Do-
mino, quod daret eis virtutem et gratiam
omnia mala evadendi, cunctaque bona adi-
piscendi : nec frustra, quia *adjutor eorum
et protector eorum est.* Unde scriptum est :
Respicite, et scitote quia nullus speravit Eccli. II, 11.
in Domino et confusus est. Et ideo illic
monet Scriptura : Qui timetis Dominum, Ibid. 9.
sperate in illo, et in oblectationem vobis
veniet misericordia.

(20) *Dominus memor fuit nostri,* scili- 12
cet populi Israelitici, ostendendo nobis per
effectum, quod curam et dilectionem ha-
beret circa nos ; *et benedixit nobis,* dan-
do nobis abundantiam spiritualium tem-
poraliumque bonorum, quamdiu in ejus
cultu permansimus. Quod clarius subditur :
(21) *Benedixit domui,* id est familiæ, *Is-
rael; benedixit domui Aaron,* id est sacer-
dotibus. (22) *Benedixit omnibus qui timent* 13
Dominum, scilicet *pusillis,* id est parvis
et subditis, *cum majoribus,* id est præla-
tis. Non enim est personarum acceptor Act. X, 34, 35.
Deus, sed in omni gente, qui timet eum et
operatur justitiam, acceptus est illi, ut di-
citur in Actis.

(23) *Adjiciat Dominus super vos* bona 14
majora, quatenus indeficienter proficia-

tis in spiritualibus : quia non proficere, A
est deficere. Hoc etiam orat pro nobis Apo-
1 Thess. III, 11, 12. stolus ad Thessalonicenses : Deus dirigat
viam vestram ; et abundare faciat carita-
tem vestram in invicem et in omnes. Et
Ibid. IV, 1. alibi : Oro ut abundetis magis. *Super vos*
et super filios vestros carnales et spiri-
tuales, dando vobis et eis quotidianum
Ps. LXXXIII, 8. profectum, ut ambuletis de virtute in vir-
15 tutem. (24) *Benedicti* estis *vos,* o patres
et filii, *Domino,* id est a Domino, vel ad
honorem et gloriam Dei, qui contulit vo-
bis bona exteriora et interiora, tempora- B
lia et æterna, *qui fecit cœlum et terram,*
cum omnibus intermediis. Creavit autem
16 (25) *Cœlum* supremum atque empyreum
cœli Domino, id est sibi ipsi pro suo pala-
tio, ut in eo cum Beatis æternaliter demo-
retur : non quod ipse loco indigeat, sed ad
gloriam electorum paravit sibi hanc do-
mum. *Terram autem dedit filiis hominum*
ad inhabitandum atque colendum eam,
prout vitæ humanæ necessarium est, sicut
Jer. XXVII, 5. per Jeremiam testatur : Ego creavi terram,
et dedi eam ei qui placuit in oculis meis. C

(26) *Non mortui* in peccatis mortalibus 17
laudabunt te, Domine, laudatione merito-
ria, quoniam sine caritate et gratia nul-
lus meretur bonum divinum, *neque omnes*
qui descendunt in infernum damnato-
rum : tales enim Deum blasphemant. Un-
de Ecclesiastes hortatur : Quodcumque po- Eccle. IX, 10.
test manus tua, instanter operare : quia
nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec sci-
entia erunt apud inferos. Baruch quoque
ait : Non mortui qui sunt in inferno, quo- Baruch II, 17.
rum spiritus acceptus est a visceribus eo-
rum, dabunt honorem tibi Domino. (27) *Sed* 18
nos qui vivimus spiritualiter habendo ca-
ritatem, quæ est animæ vita, *benedici-*
mus Domino, id est, Deum laudamus, *ex*
hoc nunc, id est ex instanti jam præsen-
ti, *et usque in sæculum,* id est sine fine.
Nunc enim laudatio ista incipitur, et us-
que ad mortem continuatur, atque cum
anima a corpore separatur, et simul in
ea manet in regno cœlorum in sempiter-
num, secundum quod per Isaiam Dominus
ait : Gaudebitis et exsultabitis usque in Is. LXV, 18.
æternum.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO TROPOLOGICA SEU MORALIS EJUSDEM PSALMI CENTESIMI TERTIIDECIMI.

1 Cor. X, 11. QUEMADMODUM ad Corinthios dicit Apostolus : Hæc omnia in figura contingebant illis ; scripta sunt autem propter eruditionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Debemus ergo prædicta ad nostram moralem instructionem convertere. Denique, sicut subinde prætactum est, per Ægyptum intelligitur hoc præsens sæculum seu mundus, qui (secundum Joannem in sua Canonica) totus in maligno positus est. (1 Joann. V, 19.) Quapropter Jacobus dicit : Quicumque voluerit amicus hujus mundi fieri, inimicus Dei constituetur. (Jacob. IV, 4.) Ubi per mundum non significatur machina mundialis, ex elementis et ceteris irrationalibus constans, sed populus mundanus, sæculariter vivens : de quo ait Apostolus, Si hominibus placerem, Christi servus non essem (Galat. I, 10) : quia, ut Jacobus scriptum reliquit, Amicitia hujus mundi, inimica est Deo. (Jacob. IV, 4.) Per Israel quoque, qui interpretatur, vir videns Deum, intelligitur plebs fidelis, Deum per fidem contemplans. Per Jacob vero, qui dicitur supplantator, intelligitur quilibet contra vitia luctans. Exitus autem D filiorum Israel de Ægypto, significat exitum Christianorum de hoc mundo, vel potius de vita mundana ac vitiosa, quoniam

Digitized by Google

mundum egredimur, non motu et loco, sed
conversatione et merito.
1 Ait ergo : *In exitu Israel,* id est populi
christiani, *de Ægypto,* id est de conversa-
tione sæculari, *domus Jacob,* id est ejusdem
populi, *de populo barbaro,* id est congrega-
tione reproborum : qui barbari appellan-
tur, quia ut ait Augustinus, Non nostra
lingua est, sed barbara, quæ Deum lauda-
2 re non novit. In hoc exitu *Facta est Ju-
dæa,* id est plebs confitens Deo (Judæa
namque confessio interpretatur), *sanctifi-
catio ejus,* id est res seu gens sanctificata
a Domino. Dum enim mundum, vitam mu-
tando, egredimur, Dei gratia nobis præsta-
tur, per quam sanctificamur. *Israel pote-
stas ejus :* id est, in exitu isto, qui aliud
non est, nisi aversio mentis a rebus illici-
tis et conversio ejus ad Deum, homo seu
populus contemplativus factus est specu-
lum potestatis divinæ, quia in eo relucet
divina potestas, quasi in speculo, quum
majus sit peccatorem justificare, quam
cœlum creare. Itaque Israel factus est po-
testas ejus, id est potens Dei effectus. Vel
sic : *Facta est Judæa sanctificatio ejus,* id
est, in ipsa confessione qua purgatur, san-
ctificatur. *Israel,* id est Deum cognoscens,
divina judicia fide contemplans, se ipsum
coram Deo ubique constituens atque exa-
minans, factus est *potestas ejus,* id est po-
tens in Deo, quia per hæc potens efficitur
ad resistendum tentationibus universis.
3 *Mare,* id est populus inquietus, turbu-
lentus, vitiisque amarus, de quo in Isaia
Is. LVII, 20. scriptum est : Impii quasi mare fervens,
quod quiescere non potest. Hoc igitur ma-
re *vidit* prædictum exitum electorum de
caligine vitiorum, *et fugit,* id est, imitari
eos non voluit. Fugiunt namque et a Deo
recedunt, qui converti despiciunt. Propter
Jer. II, 5. quod per Jeremiam Dominus : Elongave-
runt, inquit, a me, et ambulaverunt post
vanitatem, et vani facti sunt. In Prover-
Prov. II, 13. biis quoque dicitur : Relinquunt iter re-
ctum, et ambulant per vias tenebrosas.
Jordanis, id est homo humilis se ipsum
dijudicans : Jordanis quippe interpretatur
A descensus seu rivus judicii, sicque desi-
gnatur per eum homo ab alto elationis ad
profundum humilitatis descendens, atque
se ipsum discutiens. Hic ergo Jordanis vi-
dit sicut et mare, sed non fugit, imo *con-
versus est retrorsum,* id est, a cœpto itine-
re malo se retraxit, a prava consuetudine
rediit, et ad fontem suæ salutis, videlicet
Deum, reversus est. Ecce quomodo quidam
ex bono opere aliorum deteriores fiunt et
fugiunt, alii ædificantur atque proficiunt.
Ideo namque Apostolus de se et sibi simi-
B libus ait : Christi bonus odor sumus Deo *II Cor.* II,
in omni loco : aliis quidem odor vitæ ad 15, 16.
vitam, aliis vero odor mortis ad mortem.
Ex hac autem conversione Jordanis, *Mon-* 4
tes, id est sancti Apostoli, sanctitate, sa-
pientia, et miraculorum operibus elevati
præ ceteris, *exsultaverunt* in Domino, gra-
tias referendo, *ut arietes* ducentes ad ovi-
le oviculas. Ideo namque Joannes in sua
Canonica profitetur : Majorem horum gra- III *Joann.*
tiam non habeo, quam ut audiam filios 4.
meos in veritate ambulare. Et Paulus sæpe
C in suis epistolis, de conversione gentium *Rom.* XV, 15
ineffabiliter se gloriari testatur. Et certe 19; II *Cor.*
sicut bono prælato nihil adeo grave est, I, 14; I *Thess.*
sicut perversitas et incorrigibilitas sui gre- II, 19, 20.
gis ; sic nihil ei jucundius est, quam pro-
fectus et emendatio subditorum. *Et colles,*
id est inferiores prælati, successores et
imitatores Apostolorum, exsultaverunt, ob
hanc causam, in Domino, nihil suis viri-
bus tribuentes, *sicut agni ovium.*
Quid est tibi, mare, id est popule sæcu- 5
laris, *quod fugisti* a Deo, nolens converti ?
D *Et tu, Jordanis,* id est popule humilis,
quid est tibi, *quia conversus es retrorsum,*
cessans a malo inchoato ? de quo, scilicet
quod quidam recte conversi sunt, vos,
o *Montes, exsultastis sicut arietes,* etc. Qua- 6
si dicat : Quæ est causa hujus discretionis,
quod unus corrigitur, alius induratur ?
Et respondet : *A facie Domini mota est* 7
terra : id est, ex respectu divinæ præsen-
tiæ ista contingunt, quod unus misericor-
diter tangitur a Spiritu Sancto et emen-
datur, alius juste despicitur, et obstinatus

Digitized by Google

efficitur. Propter quod clamat Apostolus : A
Rom. xi, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ
Dei ! quam incomprehensibilia sunt judi-
Ibid. 22. cia ejus ! Et iterum : Vide bonitatem et
severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt,
severitatem ; in te autem bonitatem
8 Dei, si tamen permanseris in bonitate. *Qui
convertit petram,* id est mentes duras, *in
stagna aquarum,* id est lacrimas largas,
ut defleant sua et aliorum delicta ; qui
etiam convertit *et rupem,* id est cor in malo
habituatum, *in fontes aquarum,* ita
quod copiose defluant lacrimæ sanctæ ex B
Ibid. v, 20. eo. Nam sicut Apostolus dicit, Ubi abundavit
delictum, superabundat et gratia. Potest
quoque exponi de Salvatore, de quo
I Cor. x, 4. legitur : Petra erat Christus. Ipse est etiam
rupes, propter immobilem mentis suæ in
Deo constantiam. Hanc petram, istamque
rupem convertit Deus in stagna et fontes
aquarum, quando pro omnibus nobis tradidit
Ps. xxi, 17. illum, ita ut foderentur manus ejus,
pedes ac latus, ex quibus fluxerunt quinque
limpidissimi fontes sanguinis sacri :
qui aqua dicitur non substantialiter, sed C
propter effectum, quoniam sicut aqua abluit
corpus, sic sanguis Christi abluit corda,
secundum quod in Apocalypsi Joannes
Apoc. i, 5. dicit : Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis
nostris in sanguine suo.

De his autem beneficiis tuis, seu nostris
profectibus, qui sunt dona tuæ pietatis,
1 *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomi-
2 ni tuo da gloriam. Super misericordia tua,*
id est de gratia nobis pie indulta, *et veritate
tua,* qua nos pie informas, veraciter
corrigis, et de lege tua nos doces. *Nequan-* D
do dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? id
est, nomen tuum in nobis clementer glorifices,
nosque magnifice salves, ne blasphemeris
ab impiis dicentibus te vel nolle,
vel non posse salvare.

4 *Simulacra,* id est dii et idola, *gentium,* id
est bestialiter criminaliterque viventium,
sunt *argentum et aurum, opera manuum
hominum,* id est humano artificio ad formam
deducta. Avari enim pecuniam colunt
pro deo. Propter quod dicit Apostolus,
quod avaritia est idolorum servitus. Coloss. iii, 5.
Uniuscujusque equidem deus est quod
amplius cogitat, amat et colit, secundum
Augustinum. Et ergo luxuriosi deus atque
simulacrum est femina ; gulosi, venter.
Sed hæc longe ab eo sunt, qui cum sancto
Job dicere potest : Si putavi aurum robur Job xxxi, 24.
meum, et obryzo dixi, Fiducia mea. Unde
Apostolus in prima ad Timotheum ait :
Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime I Tim. vi, 17.
sapere, nec sperare in incerto divitiarum,
sed in Deo vivo, qui præstat omnia
nobis abunde. Quidam etiam in phantasmatibus
suis atque vanissimis phantasiis,
Deo relicto, occupantur. Homines autem,
quorum sunt ista simulacra, dii et opera,
Os habent, et non loquentur salubria, Deum 5
laudando, et propria vitia confitendo ;
oculos habent apertos ad vana et sæcularia,
et non videbunt bona æterna atque
cœlestia. *Aures habent* ad inutilia verba 6
intentas, *et non audient* per obedientiam
divina eloquia ; *nares habent* ad discernendum,
et non odorabunt bonæ vitæ fragrantiam
et virtutum dulcedinem. *Ma-* 7
nus habent extentas ad opera vitiosa, *et
non palpabunt,* id est, digitis suis non
tangent quæ dicunt, ut bona quæ docent
aut sciunt exsequantur ; *pedes habent* currentes
ad mala, *et non ambulabunt* viam
mandatorum Dei ; *non clamabunt in gutture
suo,* personando devote præconia Creatoris.
Similes illis fiant qui faciunt ea : 8
id est, qui illos ad idola facienda aut veneranda
inducunt, illis assimilentur in
malis culpæ et pœnæ : quia non solum qui Rom. i, 32.
faciunt, sed etiam qui consentiunt, aut
cooperantur facientibus, digni sunt morte,
secundum Apostolum.

Ecce qualiter peccatores impii et ingrati,
omnibus donis Dei, videlicet membris
corporis et viribus animæ abutuntur. Nam
quibus uti debuerant in Dei obsequio,
utuntur in operibus tenebrarum ; talenta
sibi commissa non solum abscondunt, sed Matth. xxv, 18.
inique dilapidant. Propter hoc Romanos
hortatur Apostolus : Sicut exhibuistis mem- Rom. vi, 19.
bra vestra servire immunditiæ et iniquitati

Digitized by Google

ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

9 *Domus Israel,* id est Ecclesia Christi, Deum per fidem amorose contemplans: de
Hebr. III, 6. qua domo dicit Apostolus ad Hebræos: Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos; *speravit in Domino,* sciens
Jer. XVII, 7. scriptum esse, Benedictus vir qui confidit in Domino. Huic enim domui ait Christus
Luc. XII, 32. apud Lucam: Nolite timere, pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Adjutor eorum et protector* B *eorum est.* Christus namque, ut in Matthæo
Matth. XXVIII, 20. legitur, promittit Ecclesiæ: Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumma-
10 tionem sæculi. *Domus Aaron,* id est congregatio fidelium sacerdotum: de quibus
I *Tim.* V, 17. Apostolus loquitur, Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Quibus
Is. LXI, 6. apud Isaiam dicitur: Vos Sacerdotes Domini vocabimini; Ministri Dei nostri dicetur vobis. *Speravit in Domino,* quod ejus auxilio sacerdotaliter vivat, et aliis digne præsit. Quanto enim ad perfectio- C rem vitam tenentur, et graviori periculo subjiciuntur, si indigne se habeant, tanto indigent firmius pleniusque sperare in Domino. Sed, proh dolor! multi jam sacerdotes inveniuntur, non in Domino confidentes, nec sacerdotaliter conversantes, sed
Baruch III, 18. thesaurizantes sibi argentum et aurum, in quo confidunt homines, Veneremque colentes. Quibus convenit illud Jeremiæ:
Jer. II, 8. Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Domi- A nus? Et tenentes legem, nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me. Illud quoque Ezechielis: Sacerdotes inter mun- *Ezech.* XXII, 26.
dum et pollutum non intellexerunt. Impletumque cernimus, quod per prophetas Isaiam et Osee prædictum est: Erit sicut *Is.* XXIV, 2. *Osee* IV, 9.
populus, sic sacerdos. Cetera patent ex præcedenti articulo.

Egrediamur itaque spiritualiter ex Ægypto, festinando ad patriam, et odientes (se- *Judæ* 23.
cundum monita Judæ apostoli) eam quæ carnalis est, maculatam tunicam. Nam, ut scribit Corinthiis Paulus, Quæ societas lu- II *Cor.* VI, 14, 15.
ci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Denique non compingamus animas nostras simulacris sensibilium rerum aut imaginibus transitoriorum bonorum; sed mundo corde et mente theoricis contemplationibus adornata, Domino ministrare, placere, et semper adsistere enitamur, implentes illud Judæ: Superædificantes *Judæ* 20, 21.
vosmetipsos sanctissimæ fidei vestræ, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

PRECATIO.

Fortissime Deus creaturarum, qui convertis petram in stagna aquarum, a facie tua ad pœnitentiam moveatur corporis nostri terra, unde sit nomini tuo gloria pro nobis misericorditer salvandis in beatitudine perpetua.

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI QUARTIDECIMI : DILEXI, QUONIAM EXAUDIET DOMINUS.

TITULUS psalmi est: *Alleluia.* Loquitur D autem Propheta in psalmo hoc in persona
II *Cor.* V, 6. cujuscumque fidelis, peregrinantis a Domino in hoc sæculo nequam, quod est regio vitiorum.

TALIS igitur homo gratias agens Deo de sua liberatione, partim jam facta seu inchoata, postmodum vero complenda, ita exorsus est: (1) *Dilexi* summum bonum, 1
quod solum in se et propter se summe

Digitized by Google

amandum est. Et non dixit quid diligeret, A ad insinuandum quod Deus solus propter se amandus sit, et alia tantum in eo. *Quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Hoc est verbum bonæ spei. Omnino enim sperare debemus, quod Deus preces nostras inanes esse non sustinet, dummodo postulemus sicut petendum est ; alias
Jacob. IV, 3. convenit nobis quod Jacobus asserit : Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis. Talis autem petitio nec vere, nec proprie dici potest oratio, quoniam oratio (secundum Damascenum) est petitio de- B centium a Deo. Hic autem dicit se diligere Deum propter beneficium exauditionis. Nam propter beneficia sua Deus amandus est, et tanto plus ceteris, quanto plura atque majora dona ab eo recepimus. Magis tamen amandus est Deus propter se ipsum ac propriam bonitatem, quæ vere pura et infinita est. Debemus autem Deum propter utramque causam simul ac summe amare : ad quod pertinet, quod in Canonica
I Joann. IV, 19. Joannis scriptum est, Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Quod C autem Dominus exauditurus sit me, hinc
2 confido, (2) *Quia inclinavit aurem suam mihi,* id est, misericordiam suam obtulit mihi, asserens se paratum infirmanti succurrere, miserum exaudire, periclitantem salvare. Propterea *et in diebus meis,* id est cunctis diebus quibus subsisto, et non solum ad horam seu modico tempore, *invocabo,* id est, ex intimo cordis affectu Deum orabo : secundum quod apud Lucam Chri-
Luc. XVIII, 1. stus testatur, Oportet semper orare, et non deficere. D
3 (3) *Circumdederunt,* id est, copiose et undique invaserunt, *me* in medio laqueorum positum, *dolores mortis,* id est pœnæ mortales, vehementes tentationes, inordinatæ affectiones, quæ mortem perpetuam animæ ingerunt, nisi pietas Dei succurrat ; *et pericula inferni,* id est peccata mortalia, vel saltem via facile incidendi ea, *invenerunt me,* quando gratiam perdidi, consentiendo malignis affectibus. Dicuntur autem peccata mortalia, inferni pericula : quia per ea perit anima in æternum, projicienda in infernum. Possumus quoque per dolores mortis accipere pœnas ex originali peccato secutas, et propter illud nobis inflictas, sicut sunt languores et moriendi necessitas, rebellio sensualitatis et reliqua vulnera animæ. Pericula vero inferni, sunt omnia illa quæ hominem trahunt ad spiritualem interitum. Hos dolores, hæcque pericula, non ignorabat beatus Job, qui ait :
Sagittæ Domini in me sunt, quarum indi- Job VI, 4.
gnatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me.

(4) *Tribulationem* in corpore *et dolorem* in anima *inveni* per experientiam earumdem. Quemadmodum dicit Apostolus :
Nullam requiem habuit caro nostra, sed II Cor. VII, 5.
omnem tribulationem passi sumus : foris
pugnæ, intus timores ; et : Supra modum Ibid. I, 8.
gravati sumus. Ecce quomodo præelecti Dei viventis, flagellis præsentis vitæ purgantur, circumciduntur, et poliuntur, ut fiant lapides apti, ex quibus ædificentur muri Jerusalem. Ideoque in Proverbiis
scriptum est : Disciplinam Domini, fili Prov. III, 11, 12.
mi, ne abjicias, et ne deficias quum ab illo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi. Hinc quoque angelus Raphael
dixit Tobiæ : Quia acceptus eras Deo, ne- Tob. XII, 13.
cesse fuit ut tentatio probaret te. Non ergo frangamur adversis ; sed quo pluribus malis vallamur, eo fiducialius pleniusque speremus nos ad electorum ac filiorum numerum pertinere. Sed pro gratia inconcussæ patientiæ indesinenter oremus, sic-
ut subjungitur : *et nomen Domini invoca-* 4
vi, ut mecum esset per gratiam, meque erueret, si utile esset animæ meæ. Unde
scriptum est : Clamavi ad Dominum de Jonæ II, 3, 8.
tribulatione mea, et exaudivit me. Quum angustiaretur in me spiritus meus, Domini recordatus sum.

(5) *O Domine, libera animam meam* ab
omni periculo, qui es *misericors Domi-* 5
nus, quoniam peccatori pœnitenti statim indulges ; *et justus,* quoniam nullum malum impunitum relinquis, et me propter

peccata mea in hac vita tantis castigatio- A
Job xxiv, 12. nibus percussisti. Unde Job ait : Deus in-
ultum abire non patitur. *Et Deus noster*
miseretur : prout liber Sapientiæ testatur :
Sap. xi, 24. Misereris omnium, quoniam omnia potes,
et dissimulas peccata hominum propter
Joel ii, 13. pœnitentiam ; et in Joele : Convertimini
ad Dominum, quia benignus et misericors
est, patiens et multæ misericordiæ, et præ-
6 stabilis super malitia. (6) *Custodiens par-*
vulos, id est humiles a peccatis gratiose
Jacob. iv, 6. præservans, est *Dominus.* Superbis enim
resistit, humilibus autem dat gratiam. Qua- B
Prov. ii, 7. propter in Proverbiis legitur : Sapientia
protegit gradientes simpliciter, id est hu-
Is. lvii, 15. militer; et apud Isaiam : Dominus excelsus
et sublimis, habitans æternitatem, et san-
ctum nomen ejus, in excelso et in sancto
habitans, et cum contrito ac humili spiri-
tu : ut vivificet spiritum humilium, et vi-
vificet cor contritorum. *Humiliatus sum,*
descendens a monte superbiæ, et agens
Eccli. iii, 20. quod Ecclesiasticus consulit : Quanto ma-
gnus es, humilia te in omnibus; *et liberavit*
me a malis pœnarum multarum ac variis C
vitiis. Propter quod in prima Petri monet
I *Petr.* v, 6. sermo divinus : Humiliamini sub potenti
manu Dei, ut vos exaltet in tempore visi-
tationis.
7 (7) *Convertere, anima mea,* a turbulentis
cogitationibus, a supervacuis sollicitudini-
bus, ab impetuosis inordinatisque moti-
bus passionum atque facinorum, *in re-*
quiem tuam, id est ad pacem internam, ad
contemplationem quietam, ad stabilitatem
mentalem, ad tui ipsius vacationem, ad
conscientiæ securitatem. Et quoniam ista D
reperiri non valent nisi in Deo, idcirco
convertere, o anima mea, a multis in re-
Luc. x, 42. quiem tuam, videlicet ad unum quod so-
lum necessarium est, a creaturis ad Cre-
atorem, de quo in Isaia scriptum est :
Is. lviii, 11. Requiem dabit tibi Dominus semper, et
implebit splendoribus animam tuam. *Quia*
Dominus benefecit tibi : id est, merito in
Deum converti debes, quiescendo in eo,
sicut in ultimo fine summoque bono, pro-
pter beneficia ejus, quibus te a malis eri-
puit, a periculis præservavit, gratiaque
implevit. Hæc autem beneficia specifican-
tur, dum subditur :
(8) *Quia eripuit animam meam de mor-* 8
te peccati, in qua fuit; de morte quoque
inferni, in qua nisi Deus misericorditer
pepercisset, fuisset; *oculos meos a lacri-*
mis, id est a causa plangendi : quia enim
de peccato eum eripuit, abstulit ei causam
lacrimandi. Vel, A lacrimis, quas pro pec-
catis effudi, dando mihi consolationem in-
ternam de spe remissionis, et ita mitigavit
in me dolorem ac fletum. Vel sic, et me-
lius, ut videtur : Eripuit oculos meos a
lacrimis, quæ solent venire ex pusillani-
mitate, seu inordinata tristitia, aut alia
qualibet irrationabili causa. Has lacrimas
expedit nobis auferri, non autem lacrimas
ex recordatione peccati, seu desiderio Dei
ac patriæ emanantes, nisi forte ad tempus,
quum ipsæ sint maximum donum Spiri-
tus Sancti. De illarum vero cessatione la-
crimarum Dominus ait per Jeremiam : Qui- *Jer.* xxxi, 16.
escat vox tua a ploratu, et oculi tui a
lacrimis, quia est merces operi tuo. De
his autem lacrimis Dominus ait apud Mat-
thæum : Beati qui lugent, quoniam ipsi *Matth.* v, 5.
consolabuntur. *Pedes meos,* id est affectus
meos, cogitationes et opera, eripuit *a la-*
psu, id est a ruina peccati.
Hinc ergo, ut spero, (9) *Placebo Domino* 9
plene atque perfecte, *in regione vivorum,*
id est in patria Beatorum qui veraciter vi-
vunt, in tantum, ut nostra vita, illorum
vitæ comparata, mors sit potius dicenda,
quam vita. In hac vita, in qua justus sep- *Prov.* xxiv, 16.
ties cadit in die, in qua omnes nostræ
justitiæ sunt quasi pannus menstruatæ, *Is.* lxiv, 6.
Deo perfecte placere non possumus, quo-
niam videt in nobis venialia mala, quæ
sibi nullatenus placent, et aliqualiter dis-
plicent. In patria vero perfecte ei place-
bimus, quoniam nihil impuritatis inerit
nobis, sed erimus ei, ratione perfectæ mun- I *Joan.* iii, 2.
ditiæ, similes.
Specialiter autem convenire possunt tres
isti versiculi viro devoto in extremis agen-
ti, qui videns mortem sibi jam esse pro-

Digitized by Google

pinquam, alloqui potest animam suam, di- A
7 cendo : *Convertere, anima mea,* de corpore
Rom. vii, 24. mortis hujus, de præsentibus istis pressu-
ris, de gravi isto exsilio, *in requiem tuam,*
id est in paradisum cœlestem, in vitam
æternam, *quia Dominus benefecit tibi* in
vita ista per gratiam. Idcirco redi ad Cre-
atorem tuum, per ferventem amorem, ut
benefaciat tibi per gloriam. De hac etenim
requie accipi potest quod Dominus per
Is. xxxii, 17, 18. Isaiam testatur : Erit, inquiens, securitas
usque in sempiternum; et sedebit populus
meus in pulchritudine pacis, et in taber-
naculis fiduciæ, et in requie opulenta.
8 *Quia eripuit animam meam de morte :*
sicut expositum est. Vel ideo ista dicun-
tur, quoniam sanguine suo eripuit Christus
animas nostras a morte æterna, de qua in
Apoc. ii, 11. Apocalypsi scriptum est : Qui vicerit, non
lædetur a morte secunda. *Oculos meos a
lacrimis,* quas in inferno habuissem, in
Luc. xiii, 28 et alibi. quo erit fletus stridorque dentium, nisi
Christus me liberasset; *pedes meos a lapsu,*
quia in se stabilivit vota et opera mea.

Ecce psalmus hic brevis sententiarum C plenitudine decoratur : in quo pulchre instruimur, quid nobis in adversis agendum sit, ubi intentionem ac desideria nostra figere debeamus, et beneficia Dei in ipso compendiose recolimus. Merito etiam psalmus iste in defunctorum Officio caput est, quia in eo multa dicuntur, quæ vel in persona defunctorum vel pro ipsis defunctis dici possunt. Defuncti enim (pro quibus oramus) qui sunt in purgatorio, diligunt Deum, et sciunt se a tormentis liberandos : pro qua tamen liberatione ipsi orare non possunt oratione meritoria, quamvis eam inæstimabiliter cupiant. Denique certi sunt se nunquam damnandos : de quo, proh dolor! nos certi non sumus. Propter B quod necesse est nos timorate atque sollicite ambulare cum Deo nostro, illudque (Mich. vi, 8.) Apostoli adimplere : Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini. (Philipp. ii, 12.) Ob hanc etiam causam sanctus Job dixit : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. (Job xxxi, 23.) Nec mirum, quum nemo nostrum sciat, an amore dignus sit an odio. (Eccle. ix, 1.)

PRECATIO.

Deus cœli et terræ, vocem orationis te diligentium benignus admitte, aurem clementiæ precibus te invocantium inclina : ab omni tribulatione et dolore nos libera, et ab hac transeuntibus vita, redde nobis bona sempiterna.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI QUINTIDECIMI : CREDIDI, PROPTER QUOD.

Hujus quoque psalmi, sicut præceden- D tium, titulus est : *Alleluia.* Et sicut præcedentem psalmum quidam exponunt ad litteram de David constituto in persecutione Saulis, ita quod in psalmo illo petit liberari ab illa persecutione injusta; sic psalmum præsentem exponunt ad litteram de David constituto in persecutione Absalonis filii sui, ut sit sensus primi versiculi : *Credidi* Sibæ dicenti mihi de domino (I Reg. xvi, 4.) suo Miphiboseth verba mendacia ; *propter quod locutus sum* ad Sibam : Omnia quæ erant domini tui, tua sint; *ego autem humiliatus,* id est contemptus et exprobratus, *sum nimis,* quia propter Absalonem inii fugam. (II Reg. xv, 14.) Secundum hanc expositionem loquitur David hic de sua credulitate mala et levi atque decepta (nam credidit pessimo detractori, sine debita inquisitione), et de locutione sua injusta, qua ex falsa cre-

Digitized by Google

dulitate contulit Sibæ omnia bona pii viri, puta Miphiboseth.

Hæc autem expositio non videtur consonare expositioni seu allegationi Pauli apostoli, qui Sancto Spiritu plenus, et mentem David plenissime sciens, allegat hæc verba in secunda epistola ad Corinthios, tanquam dicta de bona credulitate fidei sanctæ, et sancta confessione veritatis cre-
Rom. x, 10. ditæ, de quibus ad Romanos ait : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sic enim allegat versum
II *Cor.* iv, 13. præsentem : Sicut scriptum est : Credidi, propter quod locutus sum ; et nos credimus, propter quod et loquimur. Unde certum est, quod Apostolus innuit istam scripturam ad litteram loqui de bona credulitate atque salubri locutione. Et ita David non fecit hunc psalmum de se ipso ad sensum prætactum. Dicendum itaque, quod materia psalmi istius, est constantia fidelium, et maxime sanctorum martyrum, in fide et fidei publica professione. In quorum persona ait Propheta :

10 (sec. Hebr.) (1) CREDIDI quæcumque fides catholica exigit esse credenda ; *propter quod locutus sum,* publice confitendo coram infidelibus et tyrannis, seu aliis quibuscumque, ea quæ credo. Primo autem creditur, deinde vera confessio sequitur, quæ ex fide originatur : nec sufficit unum sine alio in certo casu. Quod enim sine fide non sufficiat locutio seu confessio, certum est,
Rom. i, 17. quum justus ex fide vivat. Quod vero necesse sit fidem confiteri coram hominibus, quando rationabilis causa occurrit, videlicet ne alii scandalizentur, vel Deus blasphemetur, liquet ex eo quod Christus
Luc. ix, 26. ait : Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in regno suo. Et ad Timotheum ait Apo-
II *Tim.* i, 8. stolus : Noli erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi. Hoc martyres sancti eminentissime impleverunt. Nos quoque in pace Ecclesiæ credimus, et proximis nostris credita loquimur et confitemur. *Ego autem* propter veram fidem et sanctam confes-

A sionem, *humiliatus,* id est vexatus, contemptus et passus, *sum nimis* ab adversariis veritatis : quemadmodum Christus in Evangelio ait, In mundo pressuram habe- *Joann.* xvi, 33.
bitis ; et iterum, Odio eritis omnibus ho- *Matth.* x, 22.
minibus propter nomen meum. Vel, Ego humiliatus sum nimis, id est, de vera fide et confessione constanti non superbivi, nec aliquid boni viribus meis adscripsi, sed me ipsum coram Deo profundissime humiliavi, idcirco ab eo merui conservari.

(2) *Ego dixi in excessu meo,* id est in su- 11
B blimi consideratione seu contemplatione ecstatica, qua speculatus sum distinctionem inter divinam essentiam atque humanam naturam : *Omnis homo mendax,* id est, quilibet homo per comparationem ejus ad Deum, et consideratus secundum se ipsum, est mendax, verbo vel opere, vel patientia, vel comparatione : ita quod sicut Deus est ens et veritas, sic homo est nihil et mendax, si referatur ad veritatem, essentiamque divinam. Dicitur ergo omnis homo mendax, non ab habitu falsitatis,
C sed quia interdum mentitus est verbo vel actu, loquendo aut operando non recte, non juste, non vere, et per consequens mendaciter et oblique. Unde ad Romanos scribit Apostolus : Est autem Deus verax, *Rom.* iii, 4.
omnis autem homo mendax. Et apud Jeremiam dicitur Deo : Ad te gentes venient *Jer.* xvi, 19.
ab extremis terræ, et dicent : Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit. Quemadmodum namque verum multipliciter dicitur, ita et mendax. Nam alia est veritas vitæ, alia veri-
D tas entis, alia veritas propositionis. Iterum alia est veritas vitæ, alia veritas doctrinæ, alia justitiæ. Similiter aliud est mendacium vitæ, quod simulatio appellari posse videtur, vel injustitia ; aliud est mendacium entis, sicut dicimus, Istud est falsum et sophisticatum aurum ; aliud vero est mendacium orationis. Et certum est, quod omnis homo viator, sit aliquo horum modorum mendax, quum non sit homo super *Eccle.* vii, 21.
terram, qui faciat bonum et non peccet, ut dicit Ecclesiastes. Imo Jacobo teste, In *Jacob.* iii, 2.

Digitized by Google

multis offendimus omnes. Vel dicitur om-
nis homo secundum se mendax, id est in-
stabilis, fragilis, ad peccata proclivus.
Quum ergo omnis homo ex se sit mendax,
ego autem ex gratia Dei verax sum, ideo
12 (3) *Quid retribuam Domino,* id est, quid
dignum restituam ei, et quam ei vicissitu-
dinem reddam, *pro omnibus quæ retribuit*
mihi, id est pro omnibus donis gratiæ suæ,
quæ sæpe contulit mihi? quia in primo
parente dedit ea mihi, et peccavi in illo
amisique ea. Rursus dedit mihi ea in Ba-
ptismo, sed iterum peccans, perdidi dona
gratiæ Dei; ipse vero in sacramento Pœ-
nitentiæ ea mihi retribuit. Quis autem om-
nia beneficia Dei generalia et specialia,
naturalia atque gratuita, numerare vel ex-
primere poterit? Omnia condidit propter
nos, ad nostram custodiam deputat atque
transmittit angelos sanctos. Tandem ipse-
Baruch III, 38. met venit ad nos, et in terris visus est, et
cum hominibus conversatus est, corpore
suo et sanguine alit nos, propter nos mori
dignatus est. Versiculus iste cum ingenti
devotione dicendus est, quatenus tota men-
te optemus Deo esse grati, ejus beneficia
memoriter atque frequenter recolendo, ea-
que Domino humiliter confitendo, ipsum
pro eis ferventer amando, reverenter co-
lendo.
Ps. XV, 2. Sed quoniam Deus bonorum nostrorum
non eget, sicut primo Paralipomenon Scri-
I *Par.* XXIX, 14. ptura affirmat, Tua, Domine, sunt omnia,
et quæ de manu tua accepimus, dedimus
tibi; idcirco nil dignius ei rependere pos-
sum, nisi ut sequar vestigia ejus, et offe-
ram ei me ipsum, passionem ac mortem
seu alia dura sustinendo libenter pro ejus
13 amore: sicut subjungitur. (4) *Calicem salu-*
taris, id est passionem, persecutionem, seu
mortem salutis, id est per quam ad salu-
tem pertingitur: per calicem namque ve-
nitur ad gloriam; *accipiam,* id est, æqua-
nimiter feram. Vel: Calicem salutaris,
id est vitam pœnitentialem, mei ipsius
districtam castigationem, quotidianamque
mortificationem, accipiam, bajulando cru-
cem meam quotidie, et Christum sectan-
do. Nam, ut ait Apostolus ad Romanos, si *Rom.* VIII, 13.
spiritu facta carnis mortificaverimus, vi-
vemus. *Et nomen Domini invocabo,* ne in
adversis deficiam, aut in propriis meri-
tis sperare incipiam, aut mihi aliquid tri-
buam.
(5) *Vota mea,* id est desideria mea, *Do-* 14
mino reddam, nihil inordinatum aut Deo
contrarium cupiendo, sed cœlestia acqui-
rendo, atque pro eis rogando, *coram om-*
ni populo ejus fideli præsente, ut ipsi
quoque desideria sua Domino reddant, et
meo exemplo cœlestia appetant. Vel: Vota
mea Domino reddam, id est, promissiones
meas ad laudem Domini adimplebo: juxta
illud Ecclesiastæ: Si quid vovisti Deo, ne *Eccle.* V, 3.
moreris reddere; displicet enim ei infide-
lis et stulta promissio. Et Jonas: Quæcum- *Jonæ* II, 10.
que (inquit) vovi, reddam Domino pro salu-
te. In Baptismo promisimus abrenuntiare
omnibus pompis et actibus Satanæ; in reli-
gionis professione spopondimus pauperta-
tem, castitatem et obedientiam: et utinam
vota ista Domino persolvamus! Reddam
ergo Domino vota hæc non solum in oc-
culto, sed coram omni populo, non propter
inanem gloriam, sed ad Dei honorem et
proximorum ædificationem, quatenus illud
Matthæi perficiam: Sic luceat lux vestra *Matth.* V, 16.
coram hominibus, ut videant bona facta
vestra, et glorificent Patrem.
Pretiosa in conspectu Domini mors san- 15
ctorum ejus: id est, coram Deo digna at-
que accepta est decessio hominum perfe-
ctorum, quoniam mors hæc, janua est vi-
tæ æternæ. Homines autem ubertim parvi
pendunt mortem vel occisionem Sancto-
rum; sed Deus judicat eam æterno præmio
munerandam. Hinc nempe ab Isaia dici-
tur: Justus perit, et non est qui recogitet *Is.* LVII, 1.
in corde suo; et viri misericordiæ tollun-
tur, et non est qui intelligat. Et in libro
Sapientiæ: Justus si morte præoccupatus *Sap.* IV, 7.
fuerit, in refrigerio erit.
(6) *O Domine,* id est, merito te Domi- 16
num voco, *quia ego servus tuus,* tibi obe-
diens in credendo, *ego servus tuus* ope-
rando, *et filius ancillæ tuæ,* id est natus

Digitized by Google

de matre fideli te colente ; vel, Filius ancillæ tuæ, id est Ecclesiæ tibi ministrantis. (7) *Dirupisti vincula mea,* id est consuetudines malas et opera vitiosa, quæ hominem stringunt, ne ad Dei obsequium libere vadat. Hæc enim ligant, captumque tenent peccatorem sub potestate diaboli. Hæc vincula rumpit in nobis Deus, dum peccata dimittit, gratiam influit, et de servis peccati efficit filios adoptionis. Propter quod
Galat. iv, 6. ait Apostolus : Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba (Pater). Vel, Dirupisti vincula mea, id est omnia impedimenta, quibus a tua contemplatione impedior, scilicet pœnalitates et obligationes pœnarum. Hoc Deus non facit perfecte, nisi in morte hominum perfectorum qui evolant, quales præsertim sunt martyres. Alii enim quamvis sint sancti, et miracula maxima operati, non tamen vadunt ad Dominum securi, sed horrescit eorum conscientia, secundum Hieronymum : quod secundum communem legem accipi potest. Aliqui tamen ex speciali gratiæ

A dono certificati fuerunt de sua salvatione, imo et evolatione, qui martyres non fuerunt.

Tibi sacrificabo hostiam laudis : id est, 17
pro istis beneficiis te laudabo, et me ipsum
seu alia quælibet munera tibi cum laudibus immolabo : quemadmodum scriptum
est : Ego autem in voce laudis immolabo *Jonæ* ii, 10.
tibi ; et rursus : Quid dignum offeram Do- *Mich.* vi.
mino? Curvabo genu Deo excelso. *Et nomen Domini invocabo,* pro conservatione
atque profectu in omni bono. O quanta
B est virtus hujus versiculi! (8) *Vota mea Do-* 18
mino reddam in conspectu omnis populi
ejus : sicut nunc dictum atque expositum
est; *in atriis domus Domini,* id est in lo- 19
cis Ecclesiæ, quæ est domus orationis, *in* *Matth.* xxi, 13.
medio tui, Jerusalem, id est in medio universalis Ecclesiæ, per totum mundum diffusæ, ita quod perseverabo in ecclesiastica unitate atque catholica fide, scissuras hæreticorum devitans. Interdum enim per Jerusalem significatur anima fidelis, et Ecclesia militans.

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI CENTESIMI QUINTIDECIMI DE CHRISTO, ET QUOMODO A SACERDOTE CELEBRATURO DICENDUS SIT.

OMNIA insuper verba psalmi istius, de Christo convenienter satis intelligi possunt, excepto primo verbo, quo dicitur, Credidi. Quum enim Christus a principio creationis suæ animæ, fuerit comprehensor, non convenit ei fides, quæ est theologica virtus : sed sicut in superioribus frequenter attributum est Christo sperare seu spes, non prout spes est virtus theologica, sed in quantum accipitur pro quadam præstolatione boni futuri ; sic Christo attribui potest actus credendi, sumendo hunc actum pro quacumque cognitione fi-

C deli. Sicut enim interdum accipit Scriptura Scire pro Credere, ut quum sanctus Job
dicit, Scio quod Redemptor meus vivit, et *Job* xix, 25.
in novissimo die de terra surrecturus sum (futuram namque resurrectionem non scivit nisi per fidem); ita econtra quandoque sumit Scriptura Credere pro Scire. Sicque convenit Christo, de quo psalmus iste exponi potest hoc modo :

Credidi, id est, de veritate eorum quæ 10
Deus mihi (ut homo sum) revelavit, non
dubitavi ; *propter quod locutus sum* doctri-
D nam evangelicæ legis, asserendo me esse

Digitized by Google

Christum, et veritati testimonium exhiben- A
Joann. xviii, 37. do : sicut in Evangelio dixi, Ego in hoc
natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut
testimonium perhibeam veritati. *Ego autem humiliatus sum nimis* a Judæis, qui
me contempserunt, blasphemaverunt, et
turpissima atque amarissima morte occi-
Is. liii, 4. derunt. Unde in Isaia scriptum est : Nos
putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Vel, Humiliatus sum nimis, id est, in proprio corde humillimus fui : secundum quod dixi
Matth. xi, 29. apud Matthæum, Discite a me quia mitis B
Joann. viii, 50. sum et humilis corde ; et alibi, Ego non
11 quæro gloriam meam. *Ego dixi in excessu meo,* id est in contemplatione qua Deum
vidi per speciem : *Omnis homo,* præter
me, *mendax :* sicut in præcedenti articulo
plenius est dictum. Et quia hoc dixi, cognovi quod omnes indigerent liberari per
Rom. iii, 23. me, sicut fatetur Apostolus : Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. Et hoc modo
Mich. vii, 2. in Michæa dicitur : Periit sanctus de terra,
et rectus in hominibus non est.

12 *Quid retribuam Domino pro omnibus* C
quæ retribuit mihi, id est pro incomparabilibus gratiis mihi concessis? quia non
Joann. iii, 34. ad mensuram dedit mihi Deus spiritum,
et sine præviis meritis assumpsit meam
humanitatem ad suum esse divinum Dei
Verbum, imo plus dedit mihi, quam toti
universo. Sicut Christus Deo gratissimus
fuit, sic ista affectuosissime dixit. Et re-
13 spondet : *Calicem salutaris accipiam :* id
est, passionem salvificam, et mortem qua
mundus vivificetur, sustinebo, quatenus
Dei honorem recuperem, moriendo pro D
omnibus, ut reducantur ad Deum. Hoc est
Ibid. xviii, 11. quod Christus passione instante dixit : Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam
Matth. xxvi, 42. illum? Et alibi : Pater, si non potest hic
calix transire a me, nisi bibam illum, fiat
Ibid. xx, 22. voluntas tua. Et filiis Zebedæi : Potestis,
inquit, bibere calicem quem ego bibiturus
sum? *Et nomen Domini invocabo.* Frequenter Christus Patrem invocavit. Unde
Luc. vi, 12. scriptum est : Erat Jesus pernoctans in
oratione Dei. Passione quoque instante
oravit, quemadmodum ad Hebræos dicit
Apostolus : Jesus cum clamore valido et Hebr. v, 7.
lacrimis preces supplicationesque fundens
ad eum, qui possit illum a morte salvum
facere, exauditus est pro sua reverentia.
Vota mea Domino reddam, id est, desi- 14
deria mea Deo offeram, orando atque docendo pro ejus honore et mundi salute,
coram omni populo ejus præsente. Nam
apud Joannem Christus dixit coram disci-
pulis atque Judæis : Ego honorifico Patrem Joann. viii, 49.
meum. Et in cruce suspensus, oravit : Pa- Luc. xxiii, 34.
ter, ignosce illis.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Hoc est quod Christus in 15
Evangelio ait : Capillus de capite vestro Ibid. xxi, 18.
non peribit ; et rursus, Nolite timere eos Matth. x, 28.
qui corpus occidunt. Quasi dicat : Tam
pretiosa erit mors vestra Domino, quam
pro nomine ejus suffertis, ut merito debeatis appetere eam.

O Domine, quia ego servus tuus, in quan- 16
tum homo. Unde dixi : Pater major me Joann. xiv, 28.
est ; et : Sicut mandatum dedit mihi Pa- Ibid. 31.
ter, sic facio ; in Isaia quoque : Dominus Is. xlix, 5.
formans me ex utero servum sibi. Et ipse
Dominus ait de me : Ecce ego adducam Zach. iii, 8.
servum meum Orientem. *Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ,* videlicet Virginis be-
nedictæ, quæ ait : Ecce ancilla Domini. Luc. i, 38.
Dirupisti vincula mea : id est, passibilitatem et omnes naturales defectus, quos
sponte assumpsi, abstulisti a me, resuscitans me in corpore glorioso. Vel, Dirupisti
vincula mea : id est, corpus meum et corporis membra tempore passionis rumpi,
vulnerari ac lacerari permisisti, ita ut a
planta pedis usque ad verticem capitis non Is. i, 6.
esset in me sanitas. *Tibi sacrificabo hosti-* 17
am laudis, id est, me ipsum in cruce offeram ad gloriam tuam pro redemptione
humana : quemadmodum ad Hebræos ait
Apostolus : Christus per Spiritum Sanctum Hebr. ix, 14.
semetipsum obtulit immaculatum Deo. *Vo-* 18
ta mea Domino reddam in conspectu omnis
populi ejus : sicut jam patuit ; *in atriis* 19
domus Domini, in medio tui, Jerusalem. Ad
litteram Christus oravit et prædicavit in

Digitized by Google

templo Dei quod erat in Jerusalem, prout
Malach. III, 1. per Malachiam fuit prædictum : Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.

Porro quum psalmus iste sit unus eorum qui a sacerdotibus ante celebrationem dici solent, tangendum est breviter, qualiter ab eis applicandus sit sensus psalmi istius ad sacrosanctum officium Missæ, Sacramentumque altaris. Dicat ergo fidelis ac devotissimus Christi sacerdos :

10 *Credidi,* id est, firmissime tenui et tenebo ac teneo, quod in hoc Sacramento sit totus Christus, eo modo quo ipse testatur, et ipsa Ecclesia profitetur ; *propter quod locutus sum* confessionem meam, et sermonem ad populum, seu alia quælibet bona ad hanc fidem spectantia, meique præparatoria ad tantum officium. *Ego autem humiliatus sum nimis,* id est, omnino indignum me reputavi ac reputo ad accedendum Christi altare, et immolandum sacrificium tam divinum : ad quod dignus non essem, considerata dignitate Sacramenti, quamvis totius mundi virtutes ac
11 merita possiderem. *Ego dixi in excessu meo,* id est in alta consideratione eorum quæ circa hoc Sacramentum pensanda sunt : *Omnis homo mendax,* id est, nullus vere dignus est ipsum consecrare aut sumere, quoniam omnes fragiles sunt et caduci.

12 *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi,* præsertim pro sacrosancta communione corporis et sanguinis
13 sui ? *Calicem salutaris,* id est calicem Salvatoris, in quo sanguis ejus consecratur et

A continetur, *accipiam* manibus meis in altari ; *et nomen Domini invocabo,* orando pro me ipso ac aliis, pro vivis et mortuis, atque pro omnibus causis pro quibus Ecclesia statuit, aut mihi incumbit. *Vota* 14
mea, id est desideria mea, *Domino reddam coram omni populo ejus,* id est coram universis adstantibus, offerendo, eis præsentibus, vota et preces Deo. *Dirupisti* 16
vincula mea, o Christe, id est, tuo pretiosissimo sanguine abstulisti peccata mea : imo quotidie rumpis vincula vitiorum me-
B orum, per saluberrimam hostiam corporis tui et sanguinis ; *tibi,* o Deus Pater, seu 17
Trinitas superbenedicta, *sacrificabo hostiam laudis,* offerendo ad laudem tuam corpus et sanguinem Salvatoris : per quam oblationem, laus, honor, et gloria tibi impenditur. Cetera patent.

Ecce psalmum vere ineffabili laude dignum audivimus : in cujus principio fidem veram et sanctam confessionem homo devotus et martyr invictus fatetur ; deinde, respectu divinæ veritatis, ceteros omnes
C arbitratur mendaces ; insuper sollicitatur ne Deo inveniatur ingratus, perhibens se multa opera bona acturum ad gloriam Creatoris, ne ingratus exsistat. Cum præcipua igitur devotione decet nos psalmum tam dulcem, decorum, et sententiosum cantare, quatenus vim ejus mereamur gustare.

PRECATIO.

Preces populi in te credentis, Domine, suscipe, et concede nos sacrificium laudis
D tibi semper offerre : dirumpe peccatorum nostrorum vincula, ut tibi digne reddamus fidei christianæ vota.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVII

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI SEXTIDECIMI : LAUDATE DOMINUM, OMNES GENTES.

EST autem titulus psalmi præsentis, *Alleluia*, quia Propheta in hoc psalmo omnes gentes omnesque populos, id est homines universos, Judæos videlicet atque gentiles, invitat ad laudem Dei pro beneficio incarnationis Christi, et pro adimpletione eorum quæ prophetata erant de Christo gentiumque conversione. Et quod iste sit litteralis sensus psalmi hujus, constat ex eo quod Apostolus ad Romanos allegat scripturam psalmi istius, tanquam de gentium conversione prædictam : Dico, inquiens, Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis ; gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est, Propterea confitebor tibi in gentibus ; et iterum, Laudate, omnes gentes, Dominum, et magnificate eum, omnes populi. Christus enim est lapis angularis, in quo gentes et Judæi conjuncti sunt : unam constituens ex utrisque Ecclesiam, in qua non est distinctio Judæi et Græci. Nam, sicut ait Apostolus, In Christo Jesu neque circumcisio est aliquid, neque præputium, sed nova creatura.

Rom. XV, 8, 9, 11. — *Ps.* XVII, 50. — *Is.* XXVIII, 16 ; *Ephes.* II, 20. — *Rom.* X, 12. — *Galat.* V, 6 ; VI, 15.

QUONIAM vero plures de gentibus quam de Judæis ad Christum conversi sunt, idcirco Propheta hoc prævidens, primo in-
1 vitat gentes, dicendo : (1) *Laudate Dominum, omnes gentes*, ad fidem vocatæ. De
Luc. XXIV, 46, 47. quibus Christus ait : Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. *Laudate eum, omnes populi*, ex judaismo conversi. Causa autem hujus invitationis
2 annectitur. (2) *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus :* id est, effectus pietatis divinæ, seu gratia Dei copiose et

A plenius quam ante, effusa et roborata est super totum genus humanum, videlicet super gentes et populos omnes. Quando utique, nisi in Christi adventu ? Tunc enim (sicut Joannes testatur) gratia per Christum *Joann.* I, 17. facta est. Loquebatur ergo Propheta de futuro per modum præteriti, propter certitudinem prophetiæ. De hac confirmatione misericordiæ Dei super nos, quæ facta est in Christi adventu, non ante, dicit Apostolus : Tempora prioris ignorantiæ despi- *Act.* XVII, 30. ciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut B omnes ubique pœnitentiam agant. *Et veritas Domini*, id est impletio divinarum promissionum mysteriorumque Christi, *manet in æternum*, quantum ad fructum ex ea consecutum, qui est liberatio generis humani. De hac veritate habetur apud Joannem : Veritas per Christum facta est. *Joann.* I, 17. Ipse namque omnia de se prædicta implevit. Unde pendens in cruce, dixit : Consum- *Ibid.* XIX, 30. matum est. Vel, Veritas Domini, id est doctrina et prædicatio Christi atque evangelicæ legis, manet in æternum, quemad- C modum Christus testatur : Cœlum et terra *Luc.* XXI, 33. transibunt, verba autem mea non transibunt. Vel, Veritas Domini, id est Christus Filius Dei qui ait, Ego sum via, veritas et *Joann.* XIV, 6. vita ; manet in æternum : quod Judæi quoque confessi sunt, dicentes ad Salvatorem, Nos audivimus ex lege, quia Christus ma- *Ibid.* XII, 34. net in æternum.

Psalmum hunc verbis permodicum, et sensibus plenum ac magnum, sancti doctores vehementer commendant. Continet enim summatim, quod in aliis psalmis D sparsim tractatur. Denique, quid desperatis gentibus jucundius, quid miseris, cæcis et perditis dulcius dici potuit, quam quod super eas confirmata esset misericordia

Dei, atque ob hoc Deum laudarent? Cum quadam igitur flamma sanctæ devotionis pronuntietur a nobis hic psalmus.

PRECATIO.

Omnipotens Pater Domine, condignas majestati tuæ laudes fac nos tibi semper offerre ; confirma super nos misericordiam tuam, ne aliqua corruptela criminum inficiat animam nostram : ut Veritas tua tibi consubstantialis, nobiscum maneat in æternum.

ARTICULUS XXVIII

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI SEPTIMIDECIMI : CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS.

Assignatur psalmo huic pro titulo, *Alleluia*. Invitatur enim populus electorum ad laudem divinam in hoc psalmo. Secundum Hieronymum, psalmus iste de Christi primo adventu manifeste conscriptus est, sicut in processu patebit. Quod enim inferius dicitur, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, etc., dixit Christus Judæis de se ipso prædictum : Nunquam, inquiens, legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, etc.? (*Matth. xxi, 42.*) Petrus quoque loquens principibus sacerdotum de Christo, probansque eis Christi glorificationem, ait : Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli ; et non est in alio aliquo salus. (*Act. iv, 11, 12.*) Probatio autem non valet, nisi ex sensu litterali, præsertim Judæis, qui (ut fertur) non recipiunt nisi sensum litteralem. Multi ergo dicunt hunc psalmum ab illo loco, Aperite mihi portas justitiæ, usque ad finem, loqui de Christo. Ceteri vero dicunt eum loqui de invitatione Judæorum ad laudem Dei, propter liberationem David a multis periculis, ita quod David usque in illum locum, loquitur in propria persona de suis periculis. Hæc autem non videntur congruere. Petrus namque in Actibus Apostolorum allegat illum versiculum, (*Act. ii, 33.*) Dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem, de exaltatione Christi divinitus facta : et tamen ille versiculus præcedit versum, Aperite mihi portas justitiæ. Totus ergo hic psalmus, quantum fieri potest, de Christo exponendus videtur.

Loquens ergo sanctus David in persona Christi sive Ecclesiæ, ait : (1) *Confitemini Domino* confessione laudis, id est, Deum laudate, *quoniam bonus*, id est propter se ipsum, quoniam naturaliter, quomodolibet, incircumscriptibiliter et superessentialiter bonus est, in tantum ut in Marco Christus affirmet, Nemo bonus nisi unus Deus (*Marc. x, 18.*) : quod apud Lucam ita disseruit, Nemo bonus nisi solus Deus. (*Luc. xviii, 19.*) Et non solum debetis Domino confiteri quoniam bonus in se ipso, sed etiam quoniam bonus per comparationem ad vos, sicut subjungitur : *quoniam in sæculum misericordia ejus*, id est, semper paratus est vobis misereri, et ejus misericordia æterna est, sicut et ipse, quum idem sit ei esse, et misericordem esse. Effectus quoque divinæ misericordiæ manet in sæculum, quoniam indesinenter dat gratiam saltem aliquibus in præsenti, et in omni opere Dei misericordia admiscetur : imo, Miserationes ejus super omnia opera ejus. (*Ps. cxliv, 9.*) Propter quod apud Jacobum scriptum est : Superexaltat autem misericordia judicium. (*Jacob. ii, 13.*) — Sed repugnare videtur quod ab eodem dicitur, Judicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam (*Ib.*) : cui concordat

Digitized by Google

Job xxiv, 20. illud Job, Obliviscatur ejus misericordia. A
Et respondendum, quod in aliquibus operibus Dei, justitia præponderat, clariusque refulget, ut in damnatione æterna malorum. Idcirco dicitur eis fieri judicium sine misericordia, et quod misericordia Dei eorum non meminit : non quod omnino nulla misericordia eis impendatur, quum citra condignum patiantur ; sed quia misericordiam evidentem non consequuntur, eo quod æternaliter puniantur.
2 (2) *Dicat nunc,* id est in Christi adventu
præcipue, *Israel : Quoniam bonus* est Deus, B
quoniam in sæculum misericordia ejus :
dat enim gratiam in præsenti, gloriamque
3 æternam in futuro. (3) *Dicat nunc domus*
Aaron : Quoniam in sæculum misericordia ejus. Ista intelligi possunt tam de populo Israelitico ex Jacob patriarcha orto, et sacerdotibus ex semine Aaron natis, quam de populo christiano, et sacerdotibus Christi per illos significatis. Populus enim christianus dicitur Israel, id est Deum fide per dilectionem operante contemplans. Domus autem seu familia Aaron, figurali- C ter est congregatio sacerdotum Ecclesiæ : qui sunt filii sacerdotis magni, videlicet Christi, qui est sacerdos et pontifex noster, quemadmodum Petrus in prima sua Cano-
I Petr. II, 25. nica protestatur : Eratis aliquando sicut oves errantes, sed conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.
4 (4) *Dicant nunc qui timent Dominum* timo-
re sancto et filiali : *Quoniam in sæculum misericordia ejus :* sicut etiam ait Virgo
Luc. I, 50. beata, Et misericordia ejus a progenie in
progenies timentibus eum. Unde in Exodo D
Exod. xx, 5, 6. Dominus ait : Ego sum Dominus Deus, faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

Deinde Christus de se ipso testatur :
5 (5) *De tribulatione invocavi Dominum.*
Hoc est quod nunc ex verbis Apostoli commemoratum est, quia Christus passi-
Hebr. v, 7. one instante cum clamore valido et lacrimis preces fecit ad Deum. Propter quod
Luc. xxII, 43. Lucas dicit, quod factus in agonia, prolixius orabat. *Et exaudivit me in latitudine* suæ dilectionis et pietatis, *Dominus* Pater omnipotens. Ideo Apostolus addidit, quod
exauditus est pro sua reverentia. Et ipse Hebr. v, 7.
ait ad Patrem : Gratias ago tibi, Pater, Joann. XI, 41, 42.
quoniam audisti me ; ego autem sciebam
quoniam semper me audis. (6) *Dominus* 6
mihi, secundum quod homo sum, *adjutor* fuit et est, cooperando mihi, et protegendo me semper dum eram in via, quemadmodum apud Jeremiam ait de me sermo
divinus : Dominus mecum est tanquam Jer. xx, 11.
bellator fortis. Idcirco *non timebo* timore inordinato, *quid faciat mihi homo* perversus, quicumque sit ille : juxta quod in
Isaia scriptum est de me : Quis est adver- Is. L, 8.
sarius meus ? Accedat ad me. (7) *Dominus* 7
mihi adjutor : quemadmodum idem Isaias
ait : Dominus Deus auxiliator meus ; *et ego* Ibid. 9.
despiciam inimicos meos me persequentes, non despiciendo eorum naturam, sed malitiam, ita quod eorum malignitatem non formidabo, nec eos aliquid esse reputabo, in quantum iniqui sunt.

Præterea quilibet Christianus de se ipso hæc dicere potest. Debemus enim de tribulatione clamare ad Dominum, sicut su-
perius dictum est : Invoca me in die tri- Ps. XLIX, 15.
bulationis. Et tunc utique si perseveranter clamemus, exaudiet nos Deus noster in latitudine, id est late et copiose : prout ipse pius et bonus est, et nostra merita exi-
gunt. Quis enim invocavit eum, et despe- Eccli. II, 12.
xit illum ? Cuilibet quoque fideli adjutor
est Dominus, quia non sumus sufficientes II Cor. III, 5.
aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ideo non timet veraciter Christianus, quid faciat sibi homo perversus : imo in adversis lætatur, et propter amorem Christi præmiique cœlestis paratus est mori, quoniam
scriptum est : Nolite timere opprobrium Is. LI, 7, 12.
hominum ; et blasphemias eorum ne metuatis. Quis tu ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescit ? Propterea Salomon protestatur :
Qui timet hominem, cito corruet ; qui au- Prov. XXIX, 25.
tem sperat in Domino, sublevabitur. Dominus mihi adjutor, per gratiam suam in

Digitized by Google

prosperis atque adversis conservans me;
et ego despiciam inimicos meos, visibiles
et invisibiles, confidendo in adjutorio Dei,
non innitendo viribus meis. Certus sum
enim, quod mihi Domino adhærenti noce-
re non poterunt. Ex quo sequitur, quod
8 (8) *Bonum,* id est melius, *est confidere in*
Domino, quam confidere in homine. Nam
Jer. XVII, 7. benedictus homo qui confidit in Domino;
Ibid. 5. maledictus vero qui confidit in homine,
et ponit carnem brachium suum, et a Do-
9 mino recedit cor ejus. (9) *Bonum,* id est
melius, *est sperare in Domino,* qui solus
potest salvare, *quam sperare in principi-*
bus, qui neque se ipsos, nec alios valent
salvare.

10 Insuper Christus ait : (10) *Omnes gentes,*
id est aliqui de omni genere hominum,
scilicet viri et mulieres, superiores et sub-
diti, antiqui et juniores, Judæi atque
gentiles, *circumierunt me,* tempore passio-
nis, consentientes in mortem meam. Nec
mirum si propter hos Christus universali-
ter dicat, Omnes gentes, quum Lucas scri-
Act. II, 5. pserit : Erant autem in Jerusalem habitan-
tes viri religiosi, ex omni natione quæ sub
Matth. XXVII, 25. cœlo est. Et alibi legitur : Exclamans uni-
versus populus, dixit, Sanguis ejus super
nos et super filios nostros. Ecce qualiter
omnes gentes circumierunt Christum in
malo. Interdum quoque omnes gentes cir-
cumierunt eum in bono, eo modo quo
Pharisæi et principes Judæorum dixerunt :
Joann. XII, 19. Videtis quia nihil proficimus? Ecce totus
mundus post eum abiit. *Et in nomine Do-*
mini, id est ad gloriam Dei, factum sit is-
tud, *quia ultus sum in eos* ex zelo justitiæ,
non ex impatientia aliqua. Unde Christus
Is. LXIII, 4. loquitur : Dies ultionis in corde meo. Ul-
tus quippe est Christus in Judæos, excæ-
cando cor eorum, auferendo eis gratiam
in præsenti, et gloriam in futuro, traden-
do etiam eos in manus Romanorum, atque
in hac captivitate gravissima eos tenen-
do, in qua jam ultra mille et trecentos an-
nos fuerunt. Hanc ultionem fecit Christus
ut Deus, sed ut homo oravit pro ea, apud
Jer. XI, 20. Jeremiam dicens : Tu autem, Domine Sa-
A baoth, qui judicas juste, et probas corda
et renes, videam ultionem tuam ex eis;
tibi enim revelavi causam meam.

(11) *Circumdantes circumdederunt me,* 11
id est, cum magno malignitatis affectu
ambierunt me, coram Pilato clamantes :
Tolle, tolle, crucifige eum. *Et in nomine* *Joann.* XIX, 15.
Domini, quia ultus sum in eos. Istud in
versu [præcedenti exponitur et in versu]
sequenti repetitur, et est sensus idem. Ter-
que ponuntur hæc verba, ad designandum
magnitudinem zeli justitiæ, quem habuit
B Christus, qui semper erat divinæ justitiæ
unitus et conformatus. (12) *Circumdede-* 12
runt me sicut apes, quæ pungunt aculeo :
sic Judæi verbis et ictibus me pungebant,
dicendo contra me verba blasphemiæ ple-
na. Unde et scriptum est : Videbunt in quem *Ibid.* 37;
compunxerunt. *Et exarserunt sicut ignis* *Zach.* XII, 10; *Apoc.* I, 7.
in spinis, etc., id est, igne furoris et ve-
hementissima iracundiæ flamma accensi
sunt contra me, sicut in spinis ignis ac-
cenditur. Quapropter ex eorum persona
scriptum est : Circumveniamus virum ju- *Sap.* II, 12, 15.
C stum, quoniam contrarius est operibus no-
stris; gravis est nobis etiam ad videndum.

(13) *Impulsus,* id est a Judæis captus, et 13
usque ad locum Calvariæ crucem bajulans *Joann.* XIX, 17.
ductus, *eversus sum* a vita corporali, *ut*
caderem, id est, omnino mortuus remane-
rem, nec amplius memoria esset nominis
mei in terra, prout scriptum est : Dicunt *Jer.* XI, 19.
adversarii de me, Eradamus eum de ter-
ra viventium, et nomen ejus non memo-
retur ultra. *Et Dominus suscepit me :* id
est, ab ista ruina præservavit me ; imo
D ejus oppositum fecit, quoniam ipsi pe-
nitus perierunt, et ego resuscitatus sum,
et ubique glorificatus. Propter quod ait
Pater de me : Ecce servus meus, susci- *Is.* XLII, 1.
piam eum. Potest etiam istud intelligi de
impulsione illa Christi, de qua in Luca di-
citur : Duxerunt eum ad supercilium mon- *Luc.* IV, 29, 30.
tis, ut præcipitarent eum ; ipse autem
transiens per medium illorum, ibat.

Quoniam ergo Dominus ita suscepit me,
ideo (14) *Fortitudo mea,* id est causa totius 14
fortitudinis meæ creatæ, *et laus mea,* id

Digitized by Google

est quem laudo, videlicet res laudata a A
me, est *Dominus* Pater seu Deus Trinitas.
Joann. v, 19. Hinc enim ait Salvator : Non potest Filius
Ibid. VIII, 50, 49. a se facere quidquam ; et alibi, Ego non
quæro gloriam meam, sed honorifico Pa-
trem meum. *Et factus est mihi in salu-
tem,* id est in causam totius salutis animæ
meæ et corporis, quia ab eo est glorifica-
15 tio mea in mente et corpore. (15) *Vox ex-
sultationis,* id est laudatio spiritualis læ-
titiæ, *et salutis,* id est laudatio beata et
salutaris, videlicet laus jucunda atque sa-
lubris, atque ex interiori jucunditate ac B
salute procedens, est *in tabernaculis justo-
rum,* id est in patria Beatorum, in cordibus
electorum, in Ecclesiis Christifidelium :
Is. LI, 3. juxta illud, Gaudium et lætitia invenietur
in ea, gratiarum actio et vox laudis. Unde
Ps. LXXXIII, 5. supra dictum est : Beati qui habitant in
domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum
laudabunt te.
16 (16) *Dextera Domini,* id est pia et gratiosa
adsistentia seu magna potentia Patris æter-
ni, *fecit virtutem* in me, conservando me
tempore passionis, et faciendo mirabilia C
quæ tunc fiebant in sole et luna, in terra
Matth. XXVII, 45, 51-53; XXVIII, 6. et templo, cujus scissum est velum ; me
quoque ac alios multos resuscitando ter-
tia die a mortuis : sicut habetur apud Mat-
thæum. *Dextera Domini exaltavit me* in
die ascensionis super omnes cœlos ; exalta-
vit etiam me, clarificando me in toto mun-
do per doctrinam et signa Apostolorum,
Joann. XVII, 1. sicut rogavi passione instante : Pater, venit
hora, clarifica Filium tuum. De hac enim
Is. LII, 13. exaltatione prædixit Deus : Ecce intelliget
servus meus, et exaltabitur et elevabitur, D
et sublimis erit valde. *Dextera Domini fe-
cit virtutem* in corpore meo mystico, quod
est Ecclesia, mittendo ei in die Pentecostes
Spiritum Sanctum, dansque gratiam mira-
culorum discipulis meis. Unde legitur :
Act. XIX, 11. Virtutes non modicas faciebat Deus per
manus Pauli.
17 (17) *Non moriar* eo modo sicut vos,
o Judæi, putastis, quia nec spiritualiter
moriar, quasi blasphemus et impius, ne-
que imperio corporalis mortis subjiciar :

quin imo mox ad immortalem vitam resur-
gam, sicut in Evangelio sæpe prædixi. Ideo
sequitur : *sed vivam,* factus impassibilis,
et narrabo opera Domini. Nam, sicut in
Actibus Apostolorum et in omnibus Evan- Act. I, 3 ; Matth. XXVIII, 17, 18 ; Marc. XVI, 9 et seq. ; Luc. XXIV ; Joann. XX, XXI.
gelistis narratur, Christus post passionem
et resurrectionem discipulis suis frequen-
ter apparuit per dies quadraginta, intrans
et exiens atque manducans cum eis, et dis-
putans de regno Dei. Tunc ergo narravit
eis opera Domini, scilicet suam resurrecti-
onem, futurum judicium, et vaticinia Pro-
phetarum, multaque alia quæ scripta non
sunt, quia, ut dicitur in Evangelio Joannis,
Multa alia fecit Jesus, quæ si scribantur Joann. XXI, 25.
per singula, nec ipsum arbitror mundum
capere posse eos qui scribendi sunt, li-
bros. (18) *Castigans castigavit me Domi-* 18
nus, non propter proprias culpas, sed pro-
pter delicta eorum, pro quibus mori me
voluit : sicut scriptum est : Dominus po- Is. LIII, 6, 5.
suit in eo iniquitatem omnium nostrum ;
ipse autem vulneratus est propter iniqui-
tates nostras, attritus est propter scelera
nostra. Et alibi : Spiritus oris nostri, Chri- Thren. IV, 20.
stus Dominus, captus est in peccatis no-
stris. *Et morti non tradidit me,* ita quod
mortis imperio subjacerem, sed statim ad
vitam corporalem reduxit me, sicut supra
dictum est : Quoniam non derelinques ani- Ps. XV, 10.
mam meam in inferno, nec dabis Sanctum
tuum videre corruptionem.
(19) *Aperite mihi portas justitiæ.* Hæc 19
sunt verba Christi ascendentis ad cœlos,
imperantis angelis sanctis : Aperite mihi
ascendenti et venientibus mecum, portas
justitiæ, id est aditus regni cœlestis. Has
portas angeli sancti aperire dicuntur pro-
pter duplicem causam. Prima est, quoniam
tollunt impedimenta ingrediendi regnum
cœleste, per hoc quod ad eorum offici-
um spectat aerias potestates coercere, quæ
semper nituntur ascendentes impedire ; se-
cunda, per hoc quod se ipsos disponunt ad
recipiendum devote ascendentes ad socie-
tatem angelicam. Et ita nunc Christus ju-
bet ut se ipsos disponant ad occurrendum
sibi reverenter, et ut eum cum debita ser-

Digitized by Google

vitute, laude ac veneratione, introducant A in regnum suum cœleste. *Ingressus in eas,* videlicet portas ac mansiones regni cœlestis, *confitebor Domino* confessione laudationis perfectæ. Christus enim sedens ad dexteram Patris, incessabiliter Dominum laudat per se ipsum, secundum quod homo est, et per alios, quos ad hoc inducit.
20 *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Ante dixit pluraliter, Portas; nunc singulariter ait, Hæc porta: quoniam quamvis tot sint portæ justitiæ quot virtutes, nulla tamen portarum introducere potest, B nisi per caritatem; et ideo caritas porta est, virtualiter omnes portas comprehendens. Justi intrabunt in eam, quemadmodum monet Apostolus : Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. (Ephes. v, 2.)

21 (20) *Confitebor tibi,* id est, laudabo te, Domine Pater, *quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem :* sicut nunc dictum est.

PRÆTEREA ista jam de Christo exposita, exponi etiam possunt de Ecclesia seu fideli, C quorum est sequi vestigia Christi. *Omnes gentes circumierunt me :* id est, aliqui de omni genere hominum persecuti sunt me, vel blandimentis aut minis me tentaverunt, et fallere nisi sunt. Unde et Christus loquitur : Si me persecuti sunt, et vos persequentur, quia non est servus major domino suo; (Joann. xv, 20.) et alibi, Odio eritis omnibus hominibus propter me. (Matth. x, 22.) *Et in nomine Domini, quia ultus sum in eos,* secundum ordinem justitiæ. Vel, Ultus sum in eos, a Domino, qui ait : Mihi vindictam, et ego retribuam. (Hebr. x, 30.) De quo in Deuteronomio inducitur : Quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum. (Deut. xxxii, 43.) *Circumdantes circumdederunt me,* quatenus suis peccatis animam meam inficiant et occidant. *Circumdederunt me sicut apes,* quæ gerunt mel in ore, aculeum vero in cauda. Sic isti blandiuntur ut fallant, quemadmodum scriptum est : Sagitta vulnerans lingua eorum. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. (Jer. ix, 8.) *Et exarserunt* igne libidinis, flamma rancoris, fervore iræ fumantis, quatenus me aliquo modo subvertant, *sicut* exardescere solet *ignis* materialis *in spinis* siccis, quæ facillime inflammantur.

Impulsus tentatione seu persecutione, *eversus sum* a rectitudine perfectionis, *ut caderem,* id est, omnino deficerem, peccato mortali consentiendo, aut perseverando in malo; *et Dominus suscepit me* in ulnis misericordiæ suæ, non sinens me tentari ultra vires, sed faciens cum tentatione proventum. (I Cor. x, 13.) Quamvis enim Deus sanctus et benedictus, cujus judicia prorsus imperscrutabilia sunt, permittat interdum electos suos graviter tribulari, dire impelli, venialiter peccare, aut etiam mortaliter, non tamen sinit eos penitus cadere. Unde dictum est supra : Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. (Ps. xxxvi, 24.) Et apud Michæam : Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi : consurgam. Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. (Mich. vii, 8.) Quod ergo tentationi resistimus, quod a peccato resurgimus, quod non penitus disperimus, non nisi Domino adscribamus, dicentes corde sincero quod sequitur : *Fortitudo mea,* id est causa et dator totius firmitatis meæ atque victoriæ, *et laus mea,* est *Dominus,* cui in omnibus gratias ago, omneque bonum adscribo. Unde scriptum est : Dominus fortitudo mea et refugium meum, et robur meum in die tribulationis. (Jer. xvi, 19.) *Et factus est mihi in salutem,* id est, salvator effectus est mihi, dando mihi constantiam in adversis, D et humilitatem in prosperis. Propter quod Moyses dicit : Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea et robur manus meæ hæc omnia præstiterunt mihi; sed recordare Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit. (Deut. viii, 17, 18.) Quicumque hoc modo totam spem suam ponit in Deo, eum appellans fortitudinem suam et laudem, illi fit Deus in salutem.

Dextera Domini, id est Christus Filius Dei : qui dicitur brachium, dextera et virtus Dei Patris, sicut de eo scriptum est :

Digitized by Google

Is. LIII, 1. Brachium Domini cui revelatum est? Et A
Ibid. LII, 10. rursum clarius dicitur : Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium. Cui concordat quod Simeon
Luc. II, 30, 31. cecinit : Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Vel, *Dextera,* id est potentia, *Domini fecit virtutem,* faciendo de impio justum : quod est majus quam creatio hominis. *Dextera Domini exaltavit me* de vita ignobili, vitiosa, carnali, ad vitam nobilem, virtuosam, spiritualem ac humilem; *dextera Domini fecit virtutem,* conservan- B do me in bono, et pugnando ac expugnando pro me adversarios meos. Huic consonat
Exod. XV, 6, 7. quod in Exodo legitur : Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; dextera tua, Domine, percussit inimicum ; et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios meos.

Quoniam igitur tanta bona largitus est mihi Creator, fiducialiter dicere possum : *Non moriar* morte peccati et damnationis æternæ, *sed vivam* vita gratiæ in præsenti, vitaque gloriæ in futuro. Et juxta hunc C
Joann. VIII, 51. sensum ait Christus : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. *Et narrabo opera Domini,* id est, beneficia Dei mihi collata, apud me commemorabo, et aliis intimabo, ad gloriam largitoris, sicut et Christus in Evan-
Luc. VIII, 39. gelio dixit cuidam : Vade, et narra quanta tibi fecit Deus. *Castigans castigavit me Dominus,* id est, propter peccata mea paternaliter me corripuit atque afflixit in sæculo isto, ne pereum in æternum. Ideo additur : *et morti* æternæ *non tradidit me.* D
Hebr. XII, 7, 8. Unde dicit Apostolus : Quis filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis.
Prov. III, 11, 12. Et Salomon loquitur : Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, et non deficias quum ab eo corriperis; quem enim diligit Dominus, corripit. Quidquid igitur adversitatis et pœnæ accidit nobis, nostris adscribamus demeritis, illudque patienter, imo hilariter toleremus, pensantes illud
Judith VIII, 26, 27. Judith : Non ulciscamur nos pro his quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. Hinc namque scriptum est : Filii, patienter sustinete Baruch IV, 25, 29.
iram quæ supervenit vobis, etc. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursus adducet vobis sempiternam jucunditatem cum vestra salute.

Deinde David in persona Ecclesiæ seu cujuscumque fidelis ait : *Aperite mihi portas justitiæ :* id est, o vos, Apostoli Christi et prædicatores sancti, per vestram doctrinam ostendite mihi mandata Christi, sacramenta novæ legis, evangelica consilia, operationes virtutum : quæ omnia appellantur portæ justitiæ, quia per ea intratur ad vitam justam. *Ingressus in eas, confitebor Domino.* Qui enim has portas ingreditur, laudabiliter conversatur, et ita dignus efficitur Deum laudare. Propter quod non ingredientibus portas has, Dominus ait : Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et Luc. VI, 46.
non facitis quæ dico? *Hæc,* id est confessio ista, est *porta Domini,* quia per eam itur ad Deum ; *justi intrabunt in eam,* id est, confessionem istam laudis divinæ as- Jer. VII, 16.
sument.

(21) *Lapidem,* id est Christum, de quo 22
scriptum est : Lapis qui abscissus est de Dan. II, 45.
monte sine manibus. De quo Petrus testatur : Ecce pono in Sion lapidem summum, I Petr. II, 6; Is. XXVIII, 16.
angularem, electum, pretiosum, in fundamento fundatum; et qui crediderit in eum, non confundetur. Hic igitur lapis, videlicet Christus, *quem reprobaverunt ædificantes,* id est principes sacerdotum, Scribæ et Pharisæi, quorum erat alios in fide et moribus prædicando et bene vivendo ædificare, *hic factus est in caput anguli :* ita quod in ipsum concurrunt duo populi, sicut duo parietes concurrunt in lapidem angularem. Christus enim ex Judæis atque gentilibus constituit unam Ecclesiam, cujus ipse est caput, influens eis motum virtutum et vitam gratiæ. Propterea Christus

Digitized by Google

Joann. x, 16. dixit : Alias oves habeo quæ non sunt ex A
hoc ovili ; et illas oportet me adducere, et
fiet unum ovile et unus pastor.

23 (22) *A Domino factum est istud :* id est, non humana aut naturali, sed divina ac supernaturali virtute facta est ista conjunctio lapidis angularis seu Christi, et utriusque populi inter se atque cum Christo. Tota enim Ecclesia Christo unitur ut capiti per fidem, caritatem et gratiam, quæ sunt supernaturalia dona Dei. Unde ait
Ephes. II, 4, 5. Apostolus : Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam B
qua dilexit nos, quum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo : cujus gratia estis salvati. *Et est mirabile in oculis nostris :* id est, in consideratione fidelium, multum miranda est ista conversio atque conjunctio hominum cum Christo. Nullus enim satis valet mirari tam ineffabilem misericordiam Creatoris, qua missus
Rom. VIII, 32. tus est mundo, mittens Unigenitum suum, atque pro omnibus nobis tradens illum, et nos unum cum illo efficiens. Unde rursus
Ephes. III, 5, 6. dicit Apostolus : Aliis generationibus non C
est agnitum filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu, esse gentes coheredes et concorporales et comparticipes promis-
II Cor. IX, 15. sionis in Christo Jesu. Et alibi : Gratias, inquit, Deo super inenarrabili dono ejus. Præcipue autem mirabilis fuit ista conversio gentium primitivæ Ecclesiæ ex Judæis
Act. x, 45. collectæ, juxta illud : Obstupuerunt ex circumcisione fideles, quia in nationes Spiritus Sancti gratia effusa est. — Vel sic : *A Domino* trino in personis et uno in natu- D
ra, *factum est istud,* videlicet quod lapis ab ædificantibus reprobatus, factus est in caput anguli ; *et est mirabile in oculis nostris* mentalibus. Vehementer namque mirandum est, quod ille qui tempore passionis in tantum humiliatus fuit, paulo post in tantum glorificaretur a Deo, ut ex omni genere hominum multi converterentur ad ipsum : inter quos erant nonnulli, qui ejus occisioni consenserunt, et eam procurave-
Joann. VIII, 28. runt, quibus dixit ante passionem : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.

(23) *Hæc dies,* in qua Deus hæc fecit, 24
est dies *quam fecit Dominus :* id est, tempus Christi, tempus evangelicæ legis et gratiæ, in quo utique constituta est ex utroque populo Ecclesia una in Christo, est tempus a Deo specialiter factum. Nam licet omnium dierum ac temporum Deus sit factor, illius tamen diei et temporis dicitur Deus specialiter factor, in quo ipse præcipua et specialia opera fecit. Quoniam ergo in Christi adventu et interim majorem benignitatem et gratiam impendit hominibus quam ante, merito tempus seu dies Christi dicitur factus a Deo. Sæpe enim in sacra Scriptura, tempus novi Testamenti, dies vocatur : quia in eo veritas, in veteri Testamento figuris occultata, clare revelata cognoscitur; et quia in novo Testamento splendor gratiæ Dei clarius copiosiusque refulsit hominibus, quam tempore veteris legis. *Exsultemus et lætemur in ea,* id est, mente et corpore gaudeamus in Domino tempore isto, de beneficiis ejus gratias ipsi agendo. Unde quum Apostolus
dixisset, Ecce nunc tempus acceptabile, II Cor. VI, 2.
ecce nunc dies salutis, adjecit : Quasi tri- Ibid. 10.
stes, semper autem gaudentes. Merito autem cantatur hic versus in die Paschæ tam frequenter, quoniam Christus, sol justitiæ,
candor lucis æternæ, lux lucis et fons lu- Sap. VII, 26.
minis, qui erat in die Parasceves passionis
caligine obscuratus, atque in monumento Matth.
lapideo, tanquam densissima nube abscon- XXVII, XXVIII.
ditus, in die Paschæ de sepulcro glorifi-
catus, candidus et rubicundus processit, Cant. v, 10.
illuminans mundum, noctem infidelitatis et tenebras ignorantiæ de cordibus discipulorum ejiciens.

Et ut per temporalia festa et gaudia mereamur venire ad præmia sempiterna,
orandum est nobis quod subditur : (24) *O Do-* 25
mine, salvum me fac de pœnis et vitiis vitæ præsentis ; *o Domine, bene prosperare :* id est, prospera dona concede, augendo Ecclesiam numero et merito, perducendoque nos per gratiæ tuæ ducatum ad

Digitized by Google

tui ipsius beatificam visionem : sicut su- A
Ps. lxvii, 20. pra dictum est, Prosperum iter faciet no-
26 bis Deus salutarium nostrorum. *Benedictus* est *qui venit in nomine Domini,* id est
Joann. v, 43. Christus, qui ait : Ego veni in nomine Patris mei. Secundum Hieronymum, canticum istud puerorum, quo Christo in die
Matth. xxi, 9. Palmarum cantabant : Hosanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis, ex isto versiculo sumptum est. Et ita David prophetavit hoc loco de laude illa.

Deinde in persona Apostolorum et succedentium eis, videlicet pastorum et sacerdotum Ecclesiæ, subditur : (25) *Benediximus,* nos episcopi et prælati, *vobis,* o subditi, *de domo Domini,* id est de Ecclesia Christi, prædicando vobis verbum salutis, ministrando vobis sacramenta novæ legis, orando quoque pro vobis, et gratiam nobis divinitus datam, vobis (sicut caritas exigit) communicando. Benedictio proprie dicitur collatio gratiæ Dei. Gratiam autem non confert nisi Deus. Quomodo ergo unus nostrum alteri benedicere, seu gratiam communicare potest, nisi instrumentaliter,
27 non principaliter ? Ideo subditur : *Deus Dominus, et illuxit nobis :* id est, Deus,
Ps. viii, 2. qui est Dominus noster, ipse et illuxit nobis, illuminando corda nostra Spiritu Sancto, et gratiam splendidam nostris mentibus infundendo, dando quoque nobis auctoritatem ligandi atque solvendi, ministrandi sacramenta, prædicandi evangelica verba, consecrandi et benedicendi : ex quibus idonei sumus ad benedicendum vo-
Joann. i, 16. bis. Quapropter Joannes testatur : De ple- D nitudine ejus accepimus omnes.

(26) *Constituite,* o vos antistites Christi, *diem solennem,* id est celebre festum, seu dies festivos, in commemorationem incarnationis, resurrectionis, ascensionisque Christi, videlicet festum Nativitatis, solennitatem Resurrectionis, etc. ; et de hoc agite *in condensis,* id est in populis adunatis, ita quod Christifideles in magna densitate et copia ad festa ista conveniant. Alia translatio habet, In congregationibus; alia vero, In frequentationibus : ex quo claret, quod iste sit sensus litteralis. Quod etiam patet ex eo quod subditur : *usque ad cornu altaris,* id est, tam copiose ac dense fideles concurrant, quod ipsa ecclesia usque ad altaris angulum impleatur. — Moraliter vero ita exponitur : *Constituite,* o universi fideles, *diem solennem,* id est sabbatum mentis, videlicet interioris hominis tranquillam quietem, *in condensis,* id est in cumulo gratiarum divinarum, in abundantia sanctarum cogitationum, in
B densitate divinorum charismatum, ita quod Deo intra vos exhibeatis solennitatem decoram, ab exterioribus quiescendo, cœlestibus inhiando, Deumque ardenter amando ; *usque ad cornu altaris,* id est perseveranter, donec pertingatis ad sublime Dei altare in cœlo paratum, in quo offerunt Deo omnes Beati hymnum incessabilis laudis.

Postremo Ecclesia seu fidelis de prædictis
beneficiis gratias referens ait : (27) *Deus* 28
meus es tu, Domine Christe : cui Thomas
ait, Dominus meus, et Deus meus ; *et con-* Joann. xx, 28.
C *fitebor tibi,* id est, te laudabo. *Deus meus es tu,* Jesu, Fili Dei summi, prout de te
scriptum est : Hic est verus Deus et vita I Joann. v, 20.
æterna ; *et exaltabo te :* non quod ego te altum efficiam, sed quoniam tuam dignitatem et altitudinem verbis et actibus profitebor et prædicabo ; atque per hoc te, qui in te ipso semper altus et magnus es, altum et magnum efficiam in corde meo et proximorum, quibus tua magnalia recitabo. (28) *Confitebor tibi quoniam exaudisti me,* id est, de mea exauditione gratias tibi agam, *et* quoniam *factus es mihi in salutem :* sicut expositum est.

(29) *Confitemini Domino quoniam bo-* 29
nus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Ecce versiculum in exordio psalmi præhabitum jam resumit, ad insinuandum quod omnis operatio perfectorum, a laude Dei sit inchoanda, atque in laudibus terminanda, quemadmodum docet divinus
Apostolus : Sive manducatis, sive bibitis, I Cor. x, 31.
sive aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

Digitized by Google

En psalmum dulcem ac speciosum, sensu atque mysteriis plenum audivimus : in cujus principio ad Dei præconia repetitis vicibus invitamur. In quo moraliter edocemur de tribulatione ad Dominum exclamare, non frangi, tristari, aut desperare, sperantes secure quod late exaudiet nos, prout alibi inducitur : Animæquiores estote, filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu inimicorum. [*Baruch* IV, 21.] Docemur insuper ex psalmo præsenti, in solo Deo confidere, ejusque gratiæ semper inniti. Describuntur etiam beneficia Dei in psalmo isto lucifluo, et Christi mysteria recitantur in eo. Cum multa igitur devotione A et jucunditate præcipua, decantemus hunc splendidissimum psalmum : cujus utique suavitatem copiosissime experiemur, si corde intento et puro eum cantemus. Non enim mens vaga, intimorata, carnalis sive mundana, experiri valet virtutem psalmorum.

PRECATIO.

Deus, fortitudo et laus fidelium, spesque cunctorum in te confidentium, da nobis in salute tua pietatis profectum, dextera tua B in bonis nos exalta : ut te aperiente, portas justitiæ ingressi, perenniter cum justis confiteamur tibi.

ARTICULUS XXIX

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI OCTAVIDECIMI : BEATI IMMACULATI.

Habet psalmus nunc declarandus pro titulo, *Alleluia*. Nec mirum, quum psalmus iste plenus sit laudibus Dei : in quo edocemur, Deum verbis et bonis laudare operibus. Denique psalmus præsens alphabeticus est, tot habens octonarios quot sunt litteræ in alphabeto Hebræo, videlicet viginti duo. Incipiuntque octonarii secundum ordinem litterarum alphabeti Hebraici, ita quod singuli versus ejusdem octonarii, inchoantur a littera quæ eis præponitur : propter quod singulis octonariis singulæ litteræ præscribuntur. — Est autem hic psalmus in superficie satis planus, sed bene examinatus, sensuum profunditate præcipuus est. Loquitur vero de ipsa beatitudine, et iis per quæ ad beatitudinem pervenitur. Beatitudo vero duplex est, scilicet viæ et patriæ. Nunc autem de beatitudine viæ fit sermo : et est psalmus iste omni morali doctrina conspicuus, præfulgens et summus. In quo sanctus Propheta ex æstuanti et exuberanti cordis sui amore divino, Deum familiariter suaviterque affa- C tur, atque eamdem sententiam frequenter resumit, sub aliis tamen verbis, ut tædium evitetur. Moris namque est ferventis et impatientis desiderii, idem frequenter repetere, quia cum dilecto loquendo nescit lassescere. — Secundum eos quoque, qui asserunt non omnes psalmos a David compositos, ignoratur auctor psalmi præsentis, quia in titulo auctor non explicatur ; sed secundum omnes pene sanctos ac magnos doctores catholicos, David edidit eum, qui tanquam amantissimus Domini in Deo ha- D bitans confidenter, per totum psalmi hujus processum cum admirabili caritatis fervore et sanctæ exercitationis devotione eloquitur. In quo omnis fidelis plenissime eruditur, quid agendum, quid vitandum, quid appetendum. Laudantque doctores psalmum præsentem eminenter et mirabiliter.

A BEATITUDINE igitur, quam omnes naturaliter appetunt, orsus loqui Psalmographus, ait :

Digitized by Google

ALEPH.

Pars I. (1) *BEATI* sunt jam in spe, postmodum beatificandi in re, *immaculati,* id est sine labe mortalis peccati, *in via,* id est vita præsenti, quæ est via ad futuram, veram, æternamque vitam; *qui ambulant in lege Domini,* id est, qui conversantur in observatione legis divinæ seu præceptorum Decalogi. Non enim sufficit declinare a malo, nisi quod bonum est, fiat. Propter quod Christus ait : Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. (*Joann.* xv, 2.) Et alibi dicitur : Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. (*Matth.* III, 10.) Verumtamen immaculatio non solum concernit peccata commissionis, sed etiam peccata omissionis. Frequenter quoque testatur Scriptura, neminem posse immaculatum vocari, juxta illud : Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato? (*Prov.* xx, 9.) Et alibi : Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. (*Job* xiv, 4, 5 juxta LXX.)

Pensandum itaque quod aliquis dicitur immaculatus variis modis : Primo, quoniam nunquam peccato subjacere potuit, nec originali, nec mortali, nec veniali : et ita Christus homo immaculatus censetur. Secundo, quoniam nec mortali, nec veniali peccato fuscatus est : et hoc modo Virgo beata immaculata est. Quod ei soli convenit, quantum ad adultos : nam ante annos discretionis seu usum rationis, ceteri quoque hoc modo immaculati sunt; qui tamen maculati et sorde infecti dicuntur propter originale, quod habent aut habuerunt : a quo Virgo beata, per prævenientem Filii sui gratiam creditur præservata. Tertio, quoniam mortali peccato pollutus non est, vel si fuit, per pœnitentiam exstat purgatus : sicque de gratia Dei multi immaculati exsistunt, quamvis nullus viator sine speciali revelatione certo scire queat, an sic immaculatus sit. Potest tamen conjecturaliter et probabiliter scire : ideoque scriptum est, Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. (*Ibid.* IX, 21.) Ad hanc autem immaculationem hortatur nos sermo divinus : Exhibete vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram Deo. (*Coloss.* I, 22.) Hæc autem immaculatio est beatitudo viæ, quæ aliud non est, nisi observatio præceptorum Altissimi, loquendo de beatitudine vitæ activæ, de qua loquitur Christus apud Matthæum, (*Matth.* v, 3-12.) et David in isto versiculo. Hæc namque beatitudo est actus virtutum quæ ordinantur ad opus. Porro alia est beatitudo vitæ contemplativæ, quæ est actus sapientiæ, ad quam disponit beatitudo prædicta, consistens in operatione virtutum moralium. Quum enim ad contemplationem requiratur ordinatio appetitus sensitivi, seu refrenatio passionum, necesse est beatitudinem vitæ activæ præcedere beatitudinem vitæ contemplativæ, eo quod virtutes morales refrenent ac ordinent passiones, ne rationem in consideratione veritatis, aut voluntatem in dilectione bonitatis impediant.

De beatitudine itaque vitæ contemplativæ subjungitur : (2) *Beati* sunt jam in spe *qui scrutantur,* non præsumptuose aut curiose, sed diligenter atque humiliter, *testimonia ejus,* id est attestationes sacræ Scripturæ seu ipsas divinas Scripturas, in quibus Deus nobis testatur quid credere debeamus. Duæ sunt partes legis divinæ, videlicet mandata et testimonia. Mandata pertinent ad agenda, testimonia ad credenda. Idcirco in observatione mandatorum sita est beatitudo vitæ activæ; in contemplatione autem testimoniorum, beatitudo vitæ contemplativæ. Quapropter ait Salvator, loquens ad Patrem : Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. (*Joann.* XVII, 3.) Et Apostolus : Existimo, inquit, omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi. (*Philipp.* III, 8.) Debemus igitur, si beatitudinem vere optamus, scrutari sacras Scripturas, in studio divinorum librorum continuo exerceri, et sacra eloquia tanquam epistolas Spiritus Sancti ad nos missas, cum omni reverentia speculari. Quum enim studemus, Spiritus

Digitized by Google

Sanctus loquitur nobis. Et sicut fatetur studiosissimus ille Hieronymus, Qui diligit studia Scripturarum, ventris ingluviem atque delicias abominatur. Hinc enim in
Eccli. XXXIX, 1. Ecclesiastico dicitur : Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit. Quæ utique occupatio valde delectabilis est et salubris, prout legi-
I *Mach.* XII, 9. tur : Nos autem solatio habentes sanctos libros, qui in manibus nostris sunt.

Sed omnino cavere oportet, ne in tantum occupemus intellectum in consideratione veritatis, quod infrigidetur aut tepescat affectus in dilectione summæ bonitatis, et igne sanctæ devotionis. Imo frequentius, principalius, et si possibile est, diutius immorari debemus circa exercitationem et inflammationem affectus, quam circa studium intellectus. Cujus (proh dolor !) oppositum multi agunt : propter quod nunquam ad veram perfectionem pertingunt. Idcirco adjicitur : *in toto corde exquirunt eum :* id est, hanc scrutationem testimoniorum Dei referunt prorsus ad Deum, quatenus ex contemplatione sincera in ejus amore proficiant, eumque in omnibus intellectu atque affectu honorent. Et in hoc differunt contemplatio sanctorum a contemplatione vanorum, contemplatio quoque theologorum a contemplatione philosophorum, quod sancti et veri theologi non sistunt in nuda speculatione, sed ad Dei actualem fervidumque amorem referunt eam ; philosophi vero et vani fideles, in consideratione quiescunt, vel etiam, quod pejus est, eam interdum ad vanam gloriam, seu lucrum temporaleque bonum coordinant.

Hi ergo immaculati et studiosi, beati sunt, non vitiosi et pigri : cujus ratio est, vel potius signum : (3) *Non enim qui operantur iniquitatem,* id est peccatum mortale, quod nunquam committitur sine rationis consensu, *in viis ejus ambulaverunt,* id est, in divinis præceptis conversati non sunt in eo tempore quo iniquitatem fecerunt : imo in viis diaboli ambulant tales.
Sap. V, 7. De quibus scriptum est : Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles ; viam autem Domini ignoravimus. Hæc est via spatiosa et lata, *Matth.* VII, 13.
quæ ducit ad mortem, per quam ambulant multi. Hinc enim legitur : Rectæ sunt viæ *Osee* XIV, 10.
Domini, et justi ambulabunt in eis ; prævaricatores vero corruent in eis. Denique viæ quas ambulant impii, tenebrosæ et turpes atque obliquæ sunt. Non ergo ambulant vias Domini, de quibus dicitur : Viæ ejus *Prov.* III, 17.
viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. De pulchritudine autem viæ justorum, qua Deo in sanctitate deserviunt, scriptum est : Justorum semita quasi lux splendens, *Ibid.* IV, 18.
procedit et crescit usque ad perfectam diem.

(4) *Tu,* Domine, *mandasti mandata tua custodiri nimis,* id est multum diligenter. Magno enim, summo et infinito Domino cum incomparabili reverentia, amore, atque timore ministrare oportet. Et ideo apud Jeremiam inducitur : Maledictus qui *Jer.* XLVIII, 10.
facit opus Dei fraudulenter. Et alibi : Nunc quia tepidus es, incipiam te evome- *Apoc.* III, 16.
re de ore meo. Hinc quoque Moyses scripsit : Custodi te ipsum et animam tuam *Deut.* IV, 9.
sollicite ; et ne obliviscaris verborum Domini, et ne excidant de corde tuo omnibus diebus vitæ tuæ. Si autem scire volumus quam nimis præceperit Christus impleri mandata sua, audiamus quid de præceptis caritatis asserat : Diliges Dominum Deum *Marc.* XII, 30.
tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Ecce tam nimis præcepit, ut nullus in hac vita implere totaliter possit. Timorate ergo et sollicite ambulemus coram Domi- *Mich.* VI, 8.
no Deo nostro, pensantes illud : Tempus *1 Petr.* IV, 17, 18.
est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Evangelio ? Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ?

(5) *Utinam,* Domine, *dirigantur* a te et angelo sancto per gratiam tuam *viæ meæ,* id est desideria, verba et opera quibus ad patriam tendit homo, *ad custodiendas justificationes tuas,* id est taliter tamque di-

Digitized by Google

recte, ut tua mandata justa et justificantia observentur a me. Hoc, o Domine, vehementer cupio a te fieri, quoniam naturali potestate id nequeo adimplere, quum
Rom. IX, 16. (teste Apostolo) non sit volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Unde et sanctus
Jer. X, 23. Jeremias ait : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri ut ambulet
Prov. XVI, 9. et dirigat gressus suos. Et Salomon : Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus ejus. Erubescat igitur inimicus gratiæ Dei Pelagius, qui dixit hominem sine gratia posse mereri, justificari, itemque salvari, non obstante quod ait
II Cor. III, 5. Apostolus : Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis. Et Chri-
Joann. XV, 4. stus profitetur : Sicut palmes a semetipso non potest ferre fructum, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis.

(6) *Tunc non confundar* de negligentia, *quum perspexero in omnibus mandatis tuis,* id est, quum omnia divina præcepta penetrative lustravero, profunde pensavero, efficaciterque implevero : quia,
Jacob. I, 25. ut Jacobus in sua testatur Canonica, Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis, hic beatus in facto suo erit. Et congrue ait, In
Ibid. II, 10. omnibus mandatis, quia quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Ad quod pertine-
Eccle. IX, 18. re videtur illud Ecclesiastæ : Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Ex quo constat, quod in uno delinquens, efficitur omnium reus quantum ad pœnam damni.

(7) *Confitebor tibi,* id est, laudabo te, et accusabo me, geminam tibi confessionem, videlicet laudis et culpæ, offerens, *in directione cordis,* id est, dum tu cor meum ad te ipsum direxeris, vel ego illud ad te per gratiam tuam direxero, *in eo,* id est per id, *quod didici* ex revelatione divina, informatione humana, consideratione ve propria, *judicia justitiæ tuæ,* id est justas sententias in Scripturis contentas, secundum quas judicas bonos et malos, reddens singulis quod merentur. Hæc judicia sunt:
Matth. XXV, 41, 34; XVIII, 7. Ite, maledicti, in ignem æternum ; et, Venite, benedicti Patris mei ; et, Væ mundo

A a scandalis. Hæc autem dicendo, gratias agimus Deo pro suæ illuminationis beneficio; compungimur quoque et perterremur de nostris excessibus: sicque confitemur Deo, non solum confessione laudis, sed etiam confessione propriæ iniquitatis. — Sed quia utraque confessio exigit obedientiam mandatorum cœlestium, ideo fixe propono, quod (8) *Justificationes tuas,* id est præcepta tua, *custodiam :* sicut scriptum est, Qui custodit mandatum, custodit animam Prov. XIX, 16.
suam. Et ut hoc facere valeam, *non me*
B *derelinquas usquequaque,* id est, gratiam tui subsidii non auferas mihi in toto, nec diu suspendas solitam pietatem tuam a me. Imo rogare debemus, ut Deus nullo unquam momento subtrahat nobis habitum caritatis et gratiæ, quia tunc essemus in statu damnationis. Expedit autem nobis quandoque, ut Deus relinquat nos ad tempus, quantum ad aliquos gratiæ actus, auferendo videlicet seu suspendendo consolationem internam, experimentalem devotionem ; quatenus virtus probetur, meritum per pa-
C tientiam augeatur, anima ab omni superbia præservetur, et propriam fragilitatem homo per experientiam discat; sicque ad Deum recurrat, atque de cetero cautior fiat. Verumtamen nullo momento possumus meritorie operari, aut in bono perseverare sine auxilio Dei.

PRECATIO.

In hujus, Domine, sæculi via fac nos sanctos et immaculatos ambulare in lege tua, mandata tua nimis custodire, et in
D justificationum tuarum custodia non nos derelinquas usquequaque.

BETH.

(9) *IN quo corrigit adolescentior viam* Pars II.
suam? id est, per quid homo juvenis ad passiones proclivus, abstinet ab operatione passionum, ad quas naturaliter inclinatur ? Præsertim enim ad iram et concupiscentiam inclinantur adolescentes. Et respondet : *In custodiendo sermones tuos,*

Digitized by Google

id est, in obediendo sacræ Scripturæ, quæ mala prohibet, damnat et punit; bona vero jubet, laudat atque remunerat. Vere enim a concupiscentia carnis corrigitur adolescens, qui illud Salvatoris bene perpendit: Matth. v, 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo; Luc. xiv, 26. et, Qui non odit patrem et matrem et uxorem, etc., non potest meus esse discipulus; Ibid. xxi, 34. itemque, Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate. Qui etiam audit et sequitur illud sancti Job, Job xxxi, 1. Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine, a concupiscentia emendatur. Similiter sermo Christi ab ira refrenat, dum ait: Matth. v, 22. Qui irascitur fratri suo reus erit judicio; Ibid. xi, 29. et, Discite a me quia mitis sum. Hinc etiam Petrus in sua Canonica, I Petr. ii, 11. Obsecro, inquit, vos tanquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Qui autem ista non implet, non putet se pertinere ad Christum, quum Paulus dicat: Galat. v, 24. Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Et in Ecclesiastico scriptum est: Eccli. xviii, 31. Si præstiteris animæ tuæ concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis.

Quum ergo sit ita, idcirco ut ego viam meam per tuorum sermonum custodiam corrigere possim, (10) *In toto corde meo,* id est intellectu et voluntate; vel, In toto corde meo, id est corde totaliter ad te converso, ita quod a rebus illicitis prorsus aversum est; *exquisivi te* tanquam summum bonum, cui finaliter adhærere intendo et cupio. Non ergo quæramus Deum corde diviso aut duplici, quia pro quanta parte aliud quærimus, Deum non quærimus. Unde de quibusdam scriptum est: Osee x, 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt; Eccli. i, 36. et, Ne accesseris ad Deum duplici corde. *Ne repellas me a mandatis tuis,* id est, ne dimittas me a propriis vitiis et passionibus superari, ac per hoc a tuorum observatione mandatorum elongari, sed precem meam admitte, Sap. v, meque divina jussa adimplere concede. Sap. ix, 4 Hoc est quod oramus: Domine, noli me reprobare a pueris tuis; Eccli. xxiii, 1. et, Domine, pater et dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio malorum.

(11) *In corde meo abscondi,* id est, memoriter tenui, *eloquia tua, ut non peccem tibi,* id est ad injuriam tuam. Sacra enim eloquia edocent quid agendum, quid omittendum, ne Dominus offendatur. Et ideo Christus ait: Luc. xi, 28. Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Sed videtur contrarium quod dictum est ante: Ps. xxxix, 11. Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo. Et respondendum, quod absconsio sacri eloquii duplex est. Una, per quam non communicatur proximo fraterna instructio: et ista est vitiosa, juxta illud: Eccli. xx, 32. Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Alia ergo est absconsio, quæ oblivionem excludit: et de illa nunc loquitur. (12) *Benedictus es, Domine,* in te ipso propter sanctitatem tuæ naturæ, *doce me justificationes tuas,* id est mandata divina: quatenus ea non solum habitualiter, sed etiam actualiter sciam et impleam.

(13) *In labiis meis pronuntiavi,* aliis prædicando, vel apud me proferendo, *omnia judicia oris tui,* id est omnes sermones justitiæ tuæ in Scripturis contentos: omnia, inquam, in genere aut in specie, commemorando sententias tuas, quibus impii condemnantur, et boni salvantur. Et quamvis (secundum Apostolum) Rom. xi, 33. judicia Dei incomprehensibilia sint, illa præsertim, quibus nonnulli ab æterno electi sunt et alii reprobati; possunt tamen pronuntiari, sicut quum illud mirabile Dei judicium proferimus conscriptum: Malach. i, 2, 3. Jacob dilexi, Esau autem odio habui. (14) *In via,* id est in observatione et contemplatione, *testimoniorum tuorum,* id est sermonum sacræ Scripturæ, *delectatus sum, sicut in omnibus divitiis,* id est tam cordialiter et exuberanter, sicut avari in temporalibus bonis lætantur, ita quod corde jucundo et amoroso legi, audivi seu protuli verba

Digitized by Google

Matth. v, 3, 7, 4, 5. sacræ Scripturæ : ut sunt, Beati pauperes spiritu, Beati misericordes, Beati mites, Luc. xiv, 11. Beati qui lugent; et, Qui se humiliat, exaltabitur.

(15) *In mandatis tuis exercebor,* frequenter ea recogitando, atque fideliter exsequendo; *et considerabo vias tuas,* id est opera et exempla eorum qui tibi placuerunt, per quæ venitur ad te; vel, Vias tuas, id est operationes tuas quas exerces Matth. v, 45. in nobis, quatenus sicut tu pluis super justos et impios, sic adversariis meis benefacere discam; vel, Vias tuas, id est æquitatem atque clementiam tuam : de quibus Ps. xxiv, 10. prædictum est, Universæ viæ Domini misericordia et veritas. (16) *In justificationibus tuis,* id est in præceptis tuis justificantibus observantes, *meditabor :* prout in Ps. I, 2. exordio libri habetur, In lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; *non obliviscar sermones tuos,* sed Deut. vi, 6-9. implere conabor illud Moysis : Erunt verba Domini in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis sedens in domo tua et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos; scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ. Unde ut incessanter recolerent filii Israel divina præcepta, jussit Num. xv, 38, 39. eis Deus, ut facerent sibi fimbrias quatuor, per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum Dei, nec sequerentur cogitationes et oculos per res varias fornicantes.

PRECATIO.

In servitio tuo constitutos, Domine, fac nos te toto corde exquirere, et in mandatis tuis viriliter exerceri : ut consideratis viis tuis, et te docente intellectis, semper sicut in omnibus divitiis delectemur in illis.

GHIMEL.

Pars III. (17) *RETRIBUE servo tuo,* videlicet mihi atque universo Christianorum con-

A ventui, quod peccando amisi, vel per omissionem promereri neglexi, videlicet gratiam; *vivifica me* spiritualiter vita gratiæ : nam sicut anima vivificat carnem, sic gratia animam; *et custodiam sermones tuos,* id est, jussa tua implebo, confortatus ope luceque gratiæ, quæ sine hac gratia meritorie nequeo adimplere. (18) *Revela oculos meos* (haud dubium quin interiores), id est, intellectum meum speculativum et practicum, rationem superiorem et inferiorem, doce atque clarifica per dona sa-
B pientiæ, scientiæ, intellectus atque consilii, per illuminationem quoque angelicam et instructionem humanam; *et considerabo,* illuminatus a te, *mirabilia de lege tua,* id est incomprehensibilia testimonia, supernaturales articulos fidei, alia quoque in utroque Testamento contenta mysteria : quæ sine illuminatione divina considerari sincere non valent; imo multi infelices hæretici præsumentes talia naturali lumine considerare ac mensurare, sectas æternæ perditionis introduxerunt. Hos oculos
C revelari optabat Apostolus suis discipulis, dum ait : Pater gloriæ det vobis spiritum Ephes. I, 17, 18. sapientiæ in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis vestræ.

Indigeo autem, o Domine, revelatione prædicta : nam (19) *Incola ego sum in terra,* id est viator, non comprehensor sicut incolæ cœli, sed peregrinus et advena. Idcirco per fidem, non per speciem, ambulo : quoniam (teste Apostolo) quamdiu sumus II Cor. v, 6. in corpore, peregrinamur a Domino; vide- I Cor. XIII, 12.
D musque per speculum in ænigmate, cognoscentes ex parte. Propterea indesinenter divina illustratione indigeo, quia corpus Sap. IX, 15, 14. quod corrumpitur, aggravat animam, et cogitationes mortalium sunt timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. *Non abscondas a me mandata tua,* sed doce me ea, vitiorum caliginem, mandatorum agnitionem obtenebrantem, auferendo a me, et gratiæ lumen ita augendo in anima mea, ut nulla occupatio eam impediat a divinorum memoria mandatorum.

Digitized by Google

(20) *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas :* id est, anima mea, quæ adhuc imperfecte ac tepide concupiscit tua mandata, seu mandatorum operationes, desiderat ea ardenter atque perfecte concupiscere. Sicut enim intellectus, sic et voluntas supra proprium actum reflectitur. Ideo, sicut anima per intellectum intelligit se intelligere, actusque sui imperfectionem cognoscit, atque perfectiorem notitiam cupit ; sic anima per voluntatem suam intellectualem concupiscentiam cupit et vult, ejusque incomplementum experitur, et desiderium magis completum adipisci molitur : quoniam tam intellectus quam voluntas, ex imperfecto ad perfectionem progreditur. Concupiscit autem anima mea desiderare justificationes divinas, id est opera justa quibus justificetur, non qualitercumque, sed *in omni tempore,* quatenus perseveret in sancto affectu : non quod singulis horis valeat actualiter desiderare hujusmodi, sed ut debitis, certis et congruis horis omnium temporum, eas desideret : juxta quem modum dicit Apostolus, Sine intermissione orate. (I *Thess.* v, 17.) Debemus tamen indesinenter hæc bona desiderare actu vel habitu.

(21) *Increpasti superbos.* In sacra Scriptura frequenter reprehenduntur omnes superbi : sicut quum in Ecclesiastico dicitur : Quid superbit terra et cinis? (*Eccli.* x, 9.) et alibi : Omnis qui se exaltat, humiliabitur ; (*Luc.* xviii, 14.) et, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. (*Jacob.* iv, 6.) Denique angelos superbientes in cœlo Deus increpavit, dum eos e cœlo in aerem caliginosum dejecit ac inferum, quemadmodum scriptum est : Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. (*Judæ* 6.) Et Petrus ait : Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit in judicium cruciandos reservari. (II *Petr.* ii, 4.) Protoplastos quoque nostros parentes, in paradiso superbientes, Deus increpavit et expulit. (*Gen.* iii, 9-24.) *Maledicti,* id est, a Deo vituperati, æternaliterque damnati sunt, *qui declinant* finaliter *a mandatis tuis,* ea non observando : non enim quis potest salvari aut benedici, nisi custodiendo præcepta Dei excelsi. Angeli quoque superbi æternaliter maledicti sunt, prout Dominus ait principi eorum : Repleta sunt interiora tua iniquitate, et ejeci te de monte sancto Dei, et perdidi te, o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum. (*Ezech.* xxviii, 16.) Primi quoque parentes temporaliter maledicti fuerunt, certis pœnis atque miseriis in præsenti vita adjudicati, quemadmodum in Genesi legitur. (*Gen.* iii, 16-19.)

(22) *Aufer a me opprobrium et contemptum.* Hoc tripliciter intelligi potest : Primo, de opprobrio et contemptu activis, ut sit sensus : Da ut ego nulli opprobrium inferam, nec aliquem spernam : quoniam magnum malum est hoc, et æternæ damnationis meritorium, juxta illud : Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? quum fatigatus desieris contemnere, contemneris. (*Is.* xxxiii, 1.) Et : Numquid non pater unus est omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? (*Malach.* ii, 10.) Secundo exponitur de opprobrio et contemptu passivis, quæ petimus nobis auferri : [non quidem] ut non exprobremur et contemnamur ab aliquo, præsertim dum promeremur, aut propter justitiam, quum sanctus Petrus dicat, Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; (I *Petr.* iv, 14.) sed ne per impatientiam superemur in talibus. Dum enim patienter sustinemus, auferuntur a nobis, quantum ad nocumentum, imo tunc multum proficiunt ad coronam. Tertio sic : Aufer a me opprobrium maledictionis, qua maledicuntur superbi et inobedientes, et contemptum transgressionis, ne mihi dicatur quod dictum est Sauli *, Quare contempsisti verbum Domini? (* David. II *Reg.* xii, 9.) *Quia testimonia tua,* id est sacra eloquia a te testificata, et multipliciter confirmata, *exquisivi* ad cognoscendum et operandum. Idcirco congruit te exaudire me.

Digitized by Google

(23) *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur.* A Contra martyres Christi et alios justos, sæpe sederunt ac sedent principes mundi, homines impii, in conciliis atque judiciis adversus eos loquentes, et de eorum morte aut persecutione tractantes. Denique contra nos omnes sedent, id est, parati manent principes, hoc est dæmones. De quibus dicit Apostolus :
Ephes. vi, 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Et adversum me loquebantur.* B Nam inter se tractant, et suo modo loquuntur, quo genere tentationis unumquemque dejiciant. Singulorum namque mores et studia curiose explorant, et ibi quærunt nocumentum inferre, ubi quempiam viderint studiosius occupari ; de his quoque vitiis unumquemque tentare conantur, ad quæ viderint eum procliviorem. Nec mirum si contra nos taliter sedent et machinantur, quum Christus de uno horum
Joann. xiv, 30. professus sit : Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. C *Servus autem tuus* in tali oppugnatione *exercebatur,* id est, mente et opere occupabatur, *in justificationibus tuis,* id est in divinis præceptis. Una enim occupatio expellit aut minuit aliam, maxime si intendatur. Idcirco debemus tanto vehementius in divinis occupari, meditando, orando, psallendo, scribendo, aut alia opera bona patrando, quanto videmus nos gravius tentari : sic enim tentatio minus sentitur. Otium vero maxime roborat adversarii potestatem. D

(24) *Nam et testimonia tua meditatio mea est,* non essentialiter, sed materialiter, quia testimonia tua continue meditor, aliaque cogitare detestor ; *et consilium meum sunt justificationes tuæ,* id est mandata, ita quod totum consilium meum versatur et ordinatur ad hoc, ut præcepta tua observem. Talis erat venerabilis illa Sara,
Tob. iii, 17. quæ ait : Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui.

PRECATIO.

Bonorum omnium largitor, Domine, fac nos desiderare justificationes tuas in omni tempore, et in eis bene operando perseverare ; aufer a nobis opprobrium inimici et contemptum, et da nos perpetim de manu tua accipere decoris et honoris regnum.

DALETH.

(25) *ADHÆSIT pavimento anima mea,* Pars IV.
id est, corpori gravi, terreno et corruptibili conjuncta est anima mea tanquam forma substantialis atque intrinseca : idcirco frequenter a bonis operibus impeditur, quoniam deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sap. ix, 15. Frequenter quoque adhæsit anima mea per consensum illicitum pavimento huic, sequendo concupiscentias ejus. Contra quod in Ecclesiastico dicitur : Post concupiscentias tuas non eas, Eccli. xviii, 30. et a voluntate tua avertere. Itaque captiva ducta est anima mea in legem peccati, quæ regnat in membris meis. De qua dicit Apostolus : Video aliam legem in membris meis, Rom. vii, 23. repugnantem legi mentis meæ. Unde cum sancto Apostolo exclamare compellor : Infelix ego homo ! quis me liberabit Ibid. 24. de corpore mortis hujus, id est de vitiis, defectibus, et concupiscentiis, seu impedimentis hujus mortalis corporis? Et respondet : Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum. Ibid. 25. Nunc enim per gratiam Dei minuuntur et alleviantur prædicta mala, quæ animæ accidunt ex corporis conjunctione. In resurrectione vero futura penitus auferentur, quia tunc corpora erunt omnino animabus sanctis subjecta, proportionata, et assimilata, secundum quod ad Romanos inducitur : Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Ibid. viii, 21. Idcirco nunc subditur : *vivifica me* per gratiæ infusionem, operumque bonorum promptam ac vividam exsecutionem, ne inferioribus istis adhæream, sed toto affectu cœlestia quæram, et in carne vivens, non secundum II Cor. x, 2, 3.

Digitized by Google

carnem ambulem, quatenus cum Apostolo A valeam profiteri : Nostra autem conversatio in cœlis est. Philipp. III, 20. Vivifica autem me *secundum verbum tuum*, quo in sacra Scriptura promittis te exauditurum precantem, et ei gratiam omnem quam postulat, infusurum, prout scriptum est : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. Marc. XI, 24. Vel, Secundum verbum tuum, quod in Deuteronomio conscriptum est, quo dicitur : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Deut. VIII, 3; Matth. IV, 4.

(26) *Vias meas*, id est operationes meas interiores et exteriores, *enuntiavi* tibi omnia cognoscenti, vel tuo vicario sacerdoti, confitendo humiliter imperfectum meum et culpas, omneque bonum tibi totaliter adscribendo, *et exaudisti me*, indulgentiam largiendo, gratiamque præstando. Unde Job dicit : Vias meas in conspectu ejus arguam, et ipse erit salvator meus. Job XIII, 15, 16. Superius quoque : Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet. Ps. XXXVI, 5. *Doce me justificationes tuas*, id est mandata, ut ea salubriter, non inaniter, sciam et impleam.

(27) *Viam*, id est processum et ordinem, *justificationum tuarum instrue me*, ut sciam quæ mandata sint prima atque præcipua, quæ necesse est primo principaliterque impleri. Hæc enim sunt duo caritatis præcepta, in quibus alia virtualiter continentur. *Et exercebor in mirabilibus tuis*. Hoc est quod paulo ante induxit : Considerabo mirabilia de lege tua. vers. 18. Quid itaque est, in mirabilibus Dei exerceri ? nisi oculo illuminato contemplari humili- D ter atque subtiliter incomprehensibilia testimonia fidei christianæ, videlicet qualiter Deus sanctus et gloriosus, quamvis sit unus summeque simplex in essentia, verissime tamen trinus est in personis ; et quod ex ineffabili Trinitatis consilio incarnatus est Filius Dei propter nostram reparandam salutem, quod Mater ejus virgo permansit, cetera quoque Christi mysteria contemplari ; considerare etiam, quam terribilis sit Deus in consiliis super filios Ps. LXV, 5. hominum, quanta suavitas ejus circa electos, quanta severitas ad reprobos.

(28) *Dormitavit anima mea præ tædio*. Dormire, proprie convenit pigro, juxta illud : Pigredo immittit soporem. Prov. XIX, 15. Et iterum Salomon ait : Usquequo, piger, dormies ? Ibid. VI, 9. Dormitare autem, convenit fatigato seu lasso. Anima vero gravatur atque lassatur sarcina corporis, propter varias necessitudines ejus. Anima ergo dormitat præ tædio, dum fatigata onere corporis, ad spiritualia minus affectuose afficitur, ipsaque B difficultate proficiendi, seu dilatione consolationis internæ quodammodo frangitur : ideo indiget divinitus confortari. Pro quo orat, subdendo : *confirma me in verbis tuis*, id est, da mihi ex lectione, auditione, vel commemoratione sacræ Scripturæ cordialiter roborari, sicut dum audio, lego aut recolo : Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam ; Rom. VIII, 18. et, Vigilate, state in fide, viriliter agite, confortamini. I Cor. XVI, 13. Nam teste Apostolo, Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis C est ad docendum, etc., ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. II Tim. III, 16, 17. Et scriptum est : Sermo Dei clypeus est omnibus sperantibus in se. Prov. XXX, 5.

(29) *Viam iniquitatis*, id est viam iniquam ; vel, Viam iniquitatis, id est præambulum, dispositionem, seu occasionem peccandi ; *amove a me* : non enim possibile est vitare peccatum, nisi peccandi occasio vitetur : quam si non possumus semper humana virtute cavere, precamur ut Deus eam amoveat, præveniendo nos gratia sua, et præservando ab omni ruina. *Et* lege tua*, id est secundum decretum misericordiæ tuæ, qua proprium tibi est misereri et parcere, *miserere mei*, dimittendo peccata, et dona gratiæ multiplicando in me. Vel, Lege tua, id est in lege divina nobis proposita, miserere mei, ignoscendo quod contra eam committo sive omitto.

* Et de

(30) *Viam veritatis*, id est fidem catholicam conversationemque justam, *elegi*, contemptis erroribus peccatisque pristinis. Unde dicit Apostolus : Condelector legi Rom. VII, 22.

Digitized by Google

Dei secundum interiorem hominem. *Judicia tua,* id est justas sententias atque vindictas, quibus a principio mundi injustos reprobasti et afflixisti, bonos vero salvasti : ut patet in diluvio, in submersione Pentapolis, in occisione Pharaonis ac populi ejus; *non sum oblitus,* quia eorum memoria salutarem mihi timorem incutit, spemque confortat. (31) *Adhæsi testimoniis tuis, Domine,* fide et opere, faciendo quæ novi tibi placere : propterea *noli me confundere,* frustrando me spe mea, repellendo precem meam, aut permittendo ut cadam et confusione dignus efficiar.

Gen. vii, 11; Exod. xiv, 28.

(32) *Viam,* id est operationem, *mandatorum tuorum cucurri,* id est, festinanter implevi, ardenter exsecutus sum, *quum dilatasti cor meum,* infundendo ei desiderium fervidum, quo cor aperitur ad consentiendum omnibus dilecto placentibus. Cor enim caritate spiritualiter dilatatur, exhilaratur, et ampliatur in Deo et bonis operibus. Amanti autem nihil difficile est. Ideo talis currit magis, quam vadat aut ambulet, in lege divina. Experiturque verum esse quod scriptum est : Mandata ejus gravia non sunt; et, Jugum meum suave est et onus meum leve. Dum ergo sentimus nos ferventes et alacres in divinis, non gloriemur in nobis inaniter, sed in Deo, humiliter gratias agendo caritati et gratiæ ejus ; simusque cauti ac providi contra gloriam vanam, aliorum contemptum, futuramque ruinam.

I Joann. v, 3. Matth. xi, 30.

PRECATIO.

Iniquitatis vias amove a nobis, Domine, et tuo gratuito munere viam mandatorum tuorum dilatato corde da nos percurrere : ut exuti corpore, per te cives constituamur cœlestis patriæ.

HE.

Pars V.

(33) *LEGEM pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum,* id est legem divinam omnibus generaliter positam, quæ est via justificationum tuarum, quia per legem justificationem tuam acquirimus. Hanc legem pone mihi singulariter in corde, et ante oculos mentis, quatenus die ac nocte cogitem eam. Hæc autem positio fit per hoc, quod Deus animæ influit lucem gratiæ copiose : per quam frequenter, faciliter et perseveranter meditatur ea quæ scripta sunt in lege divina, nova ac veteri. Ideo subditur : *et exquiram,* id est, exquisite quæram, *eam semper,* perseverando in ea quamdiu sum. (34) *Da mihi intellectum,* id est donum Spiritus Sancti quod dicitur intellectus; vel, Intellectum, id est intelligentiam actualem ex gratia procedentem ; *et scrutabor,* id est, diligenter considerabo et investigabo, *legem tuam,* pensando quid in ea proponatur credendum, quid sperandum, quid amandum, quid formidandum, quid agendum, quid præcavendum, quid etiam dicat jubendo, quid consulendo ; *et custodiam illam,* scilicet legem divinam, *in toto corde meo,* eam videlicet recolendo, contemplando, diligendo, et exsequendo. (35) *Deduc me,* per gratiæ claritatem angelicamque directionem, *in semita,* id est in processu et executione, *mandatorum tuorum* moralium (mandata autem cærimonialia cessarunt), ne aberrem; *quia ipsam volui,* id est, quia hanc semitam concupivi, et ita feci quod in me est, præparando videlicet me ad gratiam tuæ deductionis. Decet igitur te, ut me exaudias atque deducas.

Is. xi, 2.

(36) *Inclina cor meum in testimonia tua :* id est, intellectum et voluntatem animæ meæ per gratiam tuam converte ad sacra eloquia, et inchoa bonum in me, quoniam tu es qui operaris in nobis et velle et perficere, pro bona voluntate, id est ex tua benignitate, secundum Apostolum. Omnia quoque opera nostra operatus es in nobis. *Et non in avaritiam :* quia qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes et laqueum diaboli. Inclina itaque cor meum ad bona divina, in tantum ut ab inordinato amore terrenarum rerum penitus avertatur. (37) *Averte oculos meos* exteriores et interiores, *ne videant* aut videre deside-

Philipp. ii, 13. Is. xxvi, 12. I Tim. vi, 9.

Digitized by Google

rent *vanitatem,* id est mundi spectaculum, A speciem mulieris ornatæ, etc., quorum consideratio nocet. Plurimum enim nocet inconsideratio visus, et ad magnam rui-
Jer. IX, 21. nam disponit. Mors quippe per fenestram ingreditur, mens ipsa distrahitur, concupiscentia provocatur, affectionesque variæ ac nocivæ inde nascuntur. Propter quod
Eccli. IX, 7-9. scriptum est : Noli circumspicere in vicis civitatis; averte faciem tuam a muliere compta; propter speciem mulieris multi
Ezech. XX, 7. perierunt. Et Ezechiel : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, ait B Dominus. *In via tua,* id est in observatione legis divinæ, *vivifica me* vita gratiæ, ut opera mea meritoria sint vitæ gloriæ, scilicet vitæ æternæ.

(38) *Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo :* id est, fac ut servus tuus sacram Scripturam reverenter ac timorate recogitet, non ob gloriam vanam, sed ut ex ea a vitiis retrahatur, atque in omnibus secundum divinum eloquium gubernetur. (39) *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum :* id est, aufer a me malum C omne quod aliis ex suspicione imposui, ne aliquem temerarie judicem, ne alteri detraham; *quia judicia tua jucunda,* id est, justa, vera et sancta, et per consequens ex sua natura jucunda sunt : imo bonis jucunda sunt judicia quibus damnantur perversi; electis vero jucundum erit judici-
Matth. XXV, 34. um quod de eis Dominus faciet, Venite, inquiens, benedicti Patris mei. (40) *Ecce concupivi mandata tua* plus quam omnia bona terrena; *in æquitate tua,* id est in justa conversatione, quæ dicitur æquitas tua, D tanquam a te data, et tibi accepta, *vivifica me,* gratiam confortando in anima mea, quatenus semper vigil, vivens et agilis sim in vita decenti, ne mihi dicatur illud Apo-
Apoc. III, 1. calypsis : Nomen habes quod vivas, sed mortuus es.

PRECATIO.

Expiatos a sordibus peccatorum deduc nos, Domine, in semita mandatorum tuorum; corda nostra ab omni avaritia, et a noxiæ delectationis vanitate oculos cordis nostri averte : ut recte vivendi studium semper dirigamus ad te Creatorem nostrum.

VAU.

(41) *ET veniat super me misericordia tua, Domine.* Pars VI
Secundum doctores sanctos, hic Propheta loquitur in persona gentilium vel totius generis humani, orans pro Christi adventu, et redemptione facta per eum, ut sit sensus : Et veniat super me per incarnationem misericordia tua, Domine, id est Filius tuus, o Deus Pater, per quem misertus es nostri, et qui est fons omnis pietatis et gratiæ. Unde quid per misericordiam istam intelligendum sit, planius pandit : *salutare tuum,* id est Christus Salvator : de quo in Isaia habetur,
Videbunt omnes fines terræ salutare Dei Is. LII, 10.
nostri; *secundum eloquium tuum :* id est, Christum mitte ad nos, quemadmodum per Prophetas locutus atque pollicitus es. — Potest quoque unusquisque pro se ista orare. *Et veniat super me misericordia tua, Domine,* id est, effectum pietatis tuæ mihi infunde; *salutare tuum,* id est salvatio tua, veniat super me *secundum eloquium tuum,* quo in Scripturis gratiam de-
precanti promittis, dicendo : Pater cœlestis Luc. XI, 13.
dabit spiritum bonum petentibus se.

(42) *Et* ego ita adjutus gratia tua, *respondebo,* inspirante Spiritu Sancto, *exprobrantibus,* id est opprobriose loquentibus, *mihi, verbum* bonum et efficax, secundum quod materia exigit. Respondebo enim dæmonibus verbum cordis, negando consensum; hæreticis, verbum sapientiæ, defendendo fidem ; injuriantibus, verbum
patientiæ, vincendo in bono malum; de- Rom. XII, 21.
tractoribus, verbum operis, bene vivendo.
Sicque implebo verbum Apostoli : Sciatis Coloss. IV, 6.
quomodo oporteat vos unicuique respondere. Porro tam efficaciter respondebo, *quia speravi in sermonibus tuis,* id est, verum esse credidi atque in me implen-
dum speravi, quod in Evangelio dicis : Non Matth. X, 20.

Digitized by Google

vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris A vestri qui loquitur in vobis; et iterum, Luc. xxi, 15. Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Vel sic : Et respondebo exprobrantibus mihi verbum istud quod sequitur : Quia speravi in sermonibus tuis: id est, quidquid illi mihi improperent, non curabo, nec verbis contendam, sed dicam eis : Ego spero in sermonibus Dei Matth. v, 10. mei, quibus prædixit beatos qui persecu- Rom. xii, 19; tionem patiuntur propter justitiam; et, Mi- Hebr. x, 30. hi vindictam, et ego retribuam. Spero ergo B quod Dominus tempore suo respondebit et judicabit pro me : prout scriptum est : Prov. xx, 22. Ne dicas, Reddam malum pro malo ; exspecta Dominum, et liberabit te.

(43) *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque,* id est, propter peccata mea non tollas a me verbum laudis divinæ, instructionis fraternæ, prædicationis catholicæ, responsionis condignæ. Sed tu, Domine, sis mihi motor doctorque lin- Eccli. li, 30. guæ, sicut in Ecclesiastico dicitur : Dominus dedit mihi linguam mercedem meam; C Is. l, 4. et per Isaiam : Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo. Hæc ergo, Domine, tribue mihi, *quia in judiciis tuis,* quibus juste Matth. xi, 25. judicas, justeque agis, ut abscondas verbum hujusmodi a sapientibus et prudentibus, et reveles ipsum parvulis; in ju- I Cor. i, 27. diciis quoque, quibus abjecta et infirma mundi eligis, ut fortes et sapientes confundas; *supersperavi,* id est, vehementer speravi. Ex hac namque consideratione roboratur spes mea, hisque pensatis de- D sperare non valeo, quamvis sim vilis, abjectus et modicus. (44) *Et custodiam legem tuam semper,* videlicet *in sæculum et in sæculum sæculi,* id est quamdiu sum, eam mente revolvendo, et opere adimplendo.

(45) *Et ambulabam,* id est, conversatus sum, *in latitudine* caritatis Dei et proximi : quæ caritas adeo lata est, ut se ubique communicet, nil sibi proprium servans, Ibid. xiii, 4, 5. sed usque ad æmulos se extendens : quia (ut ait Apostolus) caritas non æmulatur, non agit perperam, non irritatur, non quærit quæ sua sunt; *quia mandata tua,* quibus præcipis etiam adversarios diligi, *exquisivi* scire et agere. Luc. vi, 27. Sed quum Christus dicat, Contendite intrare per angustam Ibid. xiii, 24. portam; et, Arcta est via quæ ducit ad vi- Matth. vii, 14. tam : quomodo potest aliquis justus in latitudine ambulare, præsertim quum lata Ibid. 13. sit via quæ ducit ad mortem? Et respondendum, quod via Domini et porta ducens ad vitam, appellatur angusta et arcta; via vero seu porta perditionis, spatiosa et lata : quoniam sicut testatur princeps theologorum sacratissimus Dionysius (et idem ait Aristoteles), virtus seu bonum est ex integra causa, videlicet concurrentibus omnibus circumstantiis ad virtutem requisitis; peccatum vero est ex singulis circumstantiis omissis. Et ergo contingit multis modis peccare, errare, deficere; sed benefacere non contingit, nisi uno modo. Virtus enim consistit in medio; peccatum vero, in recessu a medio. Medium autem uno modo atque cum difficultate attingitur; multis vero modis et faciliter a medio isto receditur : idcirco facilius est peccare, quam virtuose agere, sicut facilius est non tangere signum ad quod sagittantes sagittant, quam illud contingere. Sed huic angustiæ non obviat latitudo dilectionis, quæ omnia arcta efficit ampla, et universa difficilia prope nulla : quoniam nulla forma operatur tam prompte tamque jucunde ut caritas.

(46) *Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.* Hic versus præcipue competit sanctis martyribus, quibus Christus in Evangelio ait : Ante reges et præsides ducemini propter Ibid. x, 18. me. Illic ipsi confessi sunt nomen, fidem, documentaque Christi, et non sunt confusi. Imo adversarios fidei confuderunt, quia non poterant resistere sapientiæ et spiri- Act. vi, 10. tui qui per martyres loquebatur, sicut de Stephano scriptum est. Eratque supermirabile et omni pene miraculo mirabilius, quod tenerrimæ virgines et adolescentulæ illustrissimæ, tam constanter tamque insu-

Digitized by Google

perabiliter responderunt regibus, judicibus, philosophis, et tyrannis, ut patet de beatissimis Ursula, Barbara, Catharina, Agatha, Agnete et aliis infinitis. Debemus autem et nos coram omnibus Christum libere confiteri, et ejus testimonia fideliter eloqui, quoniam ipse ait : Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet quum venerit in regno suo.

Tob. xii, 6. *Luc.* ix, 26.

(47) *Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi*. Quod enim ardentius amatur, frequentius cogitatur ; et ipsa meditatio formata, est fructus mandati. (48) *Et levavi*, id est extendi, *manus meas*, id est potentias operativas, desideria cordis et corporis membra, *ad mandata tua quæ dilexi*, quatenus ea actu implerem : quoniam ipsa meditatio sine opere non sufficit, si operandi adsit facultas ; *et exercebar*, secundum modum jam dictum, videlicet meditando, loquendo et operando, *in justificationibus tuis*, id est in divinis mandatis obedientem justificantibus.

PRECATIO.

Veniat super nos misericordia tua, Domine, et spe bona fac nos in te vigere, daque vigilare in geminæ caritatis latitudine ; et ut in custodia legis tuæ devoti simus, semper in ea gloriose vivamus.

ZAIN.

Pars VII.

(49) *MEMOR esto verbi tui servo tuo :* id est, ad salutem famuli tui fac sicut locutus es, scilicet ne propter nostram malitiam desinas facere quod aliter faceres. Dixisti enim, o Domine : Omnis qui petit, accipit ; et qui quærit, invenit ; et pulsanti aperietur. Dixisti etiam, Beati qui non viderunt, et crediderunt ; et alibi, Ubi sum ego, illic et minister meus erit. Omnia verba hæc impleantur in me, et singulis nobis. *In quo* verbo *mihi spem dedisti*. Hæc namque atque similia verba conferunt spem indulgentiæ, spem gratiæ, atque fiduciam gloriæ acquirendæ. Huic simile est quod Salomon orat : Et nunc, Domine, Deus Israel, firmentur verba tua quæ locutus es David servo tuo patri meo; et, Fac sicut locutus es, ut magnificetur nomen tuum. (50) *Hæc* spes concepta ex verbo Dei, *me consolata est in humilitate mea*, id est in omni oppressione et afflictione vitæ præsentis, atque in humiliatione qua me propter peccata mea contempsi. Nam ex hac spe desperationem exclusi, remissionisque gratiam exspectavi, *quia eloquium tuum* prædictum consolatorium, *vivificavit me*, id est, animavit et inflammavit animam meam ad bonum.

Matth. vii, 8. *Joann.* xx, 29. *Ibid.* xii, 26. III *Reg.* viii, 26. II *Reg.* vii, 25, 26.

(51) *Superbi inique agebant usquequaque*, quoniam Deum offendunt cogitando, loquendo et operando, se ipsos excusando et alios inficiendo. Ideo scriptum est : Peccator adjiciet ad peccandum ; et, Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Ecclesiastes quoque ait : Peccator centies facit malum, et per patientiam sustentatur. Peccatum namque, præsertim mortale, quod per pœnitentiam non deletur, suo mox pondere trahit ad aliud. Unde ait Apostolus : Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum ; sed inquinatæ sunt eorum mens et conscientia, quum sint abominati et reprobi. *A lege autem tua non declinavi :* vel quia nunquam eam transgressus sum : quod competit his qui non peccaverunt mortaliter ; vel quia ad tempus et nunc usque servavi eam : quod pœnitentibus convenit. Loquitur enim David in psalmo hoc in persona generalis justi : idcirco non omnia verba psalmi hujus singulis justis conveniunt.

Eccli. iii, 29. *Prov.* xviii, 3. *Eccle.* viii, 12. *Tit.* i, 15, 16.

(52) *Memor fui judiciorum tuorum* quæ facta sunt *a sæculo*, id est ab origine mundi, o *Domine*, considerando quomodo a principio mundi rebelles et animosos reprobasti; mites vero, obedientes et humiles liberasti, quoad vitam æternam, quamvis interdum permisisti eos temporaliter tribulari corporaliterque occidi, propter purgationem culparum et augmentum meritorum ac præmiorum : quomodo etiam semper electi tui in hac vita afflicti sunt,

Digitized by Google

reprobi vero hic floruerunt. *Et consolatus sum* ex ista memoria, sperans me ad sortem electorum pertinere, eo quod ego tantis tribulationibus tentationibusque afficiar.

(53) *Defectio tenuit me,* id est, magnus timor invasit me, *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam,* id est ex consideratione hominum perversorum : quia dum me eis in natura similem video, vehementer formido, ne ex humana fragilitate incidam vitia atque pericula, quæ eos incidisse conspicio. Quantumcumque enim sit homo perfectus, debet tamen esse cautus et B metuens, ne illis assimiletur in culpa, quibus conformatur in natura. Ideo namque Salomon ait : Beatus homo qui semper est pavidus. Et dicit Apostolus : Considerans te ipsum, ne et tu tenteris; et alibi, Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Vel sic : Defectio, id est ingens compassio seu mœror deficere faciens, tenuit me pro peccatoribus, etc., in tantum eorum errori et cæcitati compassus sum, sicut ait Apostolus de se ipso : Tristitia mihi est magna et continuus dolor cordi meo C pro fratribus meis Judæis. Ex hac etiam defectione, ex vera caritate ortum habente, dixit Michæas : Utinam non essem vir spiritum habens, et mendacium potius loquerer. Tanta enim est pietas hominum perfectorum, ut amplius doleant de aliena culpa et miseria, quam de propria pœna atque injuria, sicut et indulgentissimus pater tanto plus condolet filio suo phrenetico, quanto pluribus ab eo ictibus injuriisque pulsatur.

Prov. xxviii, 14. Galat. vi, 1. I Cor. x, 12. Rom. ix, 2, 3. Mich. ii, 11.

(54) *Cantabiles mihi erant,* imo semper D cantandæ, et delectabiliter proferendæ sunt, *justificationes tuæ,* id est dona divina quibus justificamur a te, scilicet laudes divinæ, mandata, flagella, et cetera quibus salubriter exercemur; *in loco peregrinationis meæ,* id est in Ecclesia militanti, in via exsilii, in hoc corpore corruptibili, sicut scriptum est : Lauda, filia Sion ; jubila, Israel ; exsulta in corde tuo, filia Jerusalem. Et Apostolus : Cantantes, inquit, et psallentes in cordibus vestris Domino semper. (55) *Memor fui nocte nominis tui, Domine:* sicut in Threnis habetur: Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Vel, In nocte, id est tempore adversitatis et tentationis. *Et custodivi legem tuam.* Nam memoria, scientia, seu contemplatio Dei, sine observantia legis, vana atque informis est, prout Paulus de reprobis fatetur : Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. (56) *Hæc* custodia legis *facta est mihi,* id est, gratia custodiendi legem data est mihi, *quia justificationes tuas,* id est præcepta, *exquisivi,* ut ea implerem. Idcirco dedit mihi Creator omnipotens gratiam implendi. Nam, ut scriptum est, Omnis qui petit, accipit, et qui quærit, invenit.

Soph. iii, 14. Ephes. v, 19. Thren. ii, 19. Tit. i, 16. Matth. vii, 8.

PRECATIO.

Pro obtentu cœlestis patriæ, Domine, justificationes tuæ sint nobis cantabiles in locis peregrinationis nostræ : quibus suaviter modulatis, æternæ misericordiæ mercedem a te percipiamus.

HETH.

Pars VIII.

(57) *PORTIO mea, Domine, dixi custodire legem tuam :* hoc est, o Domine, ego dixi, id est, apud me statui, quod custodirem legem tuam : id est, custodia legis divinæ est portio mea, id est bonum quod ego ex omnibus atque præ omnibus temporalibus bonis elegi, ita quod aliis exteriora et sensibilia bona eligentibus, ego pro meliori elegi tibi in omnibus obedire, hoc est legem tuam servare. Lex enim divina esse debet Christiano locupletatio maxima, ita ut dicere possit illud : Præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec mirum, quia subjungitur, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Vel sic : O Domine, qui es portio mea, id est unicum bonum quod præ omnibus amo, quod solum adipisci desidero; dixi, id est, fortiter apud me ordinavi, custodire legem tuam, sine cujus custodia non salvatur adultus.

Sap. vii, 8. Ibid. 11.

Digitized by Google

(58) *Deprecatus sum faciem tuam* [*in toto corde meo*], id est, te ubique præsentem et omnia conspectantem, vel pium adspectum tuum et adsistentiam gratiæ tuæ: hanc faciem tuam precatus sum tanquam bonum finale, ut eam aliquando per speciem videam, sicut et Moyses deprecabatur : Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. (*Exod.* XXXIII, 13.) In hac nempe visione beatitudo mea reposita est. Vel, Deprecatus sum faciem tuam illud quod subditur : *Miserere mei,* veniam gratiamque præstando, *secundum eloquium tuum,* quo locutus es : Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. (*Ezech.* XVIII, 21, 22.) (59) *Cogitavi vias meas,* id est, vitam et opera mea discussi, et de bonis tibi, o Domine, gratias retuli, de malis vero pœnitui. Sicque *et converti pedes meos,* id est desideria mea, opera mea, et corporis plantas, *in testimonia tua,* id est in verba sacri eloquii, quatenus secundum tua præcepta, exempla atque consilia gubernem in omnibus memetipsum. Unde in Aggæo habetur : Ponite corda vestra super vias vestras. (*Agg.* I, 7.)

(60) *Paratus sum* ex caritate ferventi, gratia habituali, habitibusque virtutum, *et non sum turbatus* ex passione inordinata, *ut custodiam mandata tua :* nam habitus virtuosus efficit hominem ad divina paratum. Propter quod in Jeremia legitur : Ego non sum turbatus, te pastorem sequens. (*Jer.* XVII, 16.) Et Apostolus monet : Quodcumque facitis, ex animo facite. (*Coloss.* III, 23.) Beatus plane qui ita paratus est, qui non turbatur circa plurima; sed unum illud quod solum necessarium est, summe et unice quærit, cupit ac diligit. (*Luc.* X, 41, 42.) Talis dicere potest : (61) *Funes peccatorum,* id est impugnationes hostium visibilium et invisibilium, *circumplexi sunt me,* qui in medio laqueorum ambulo. Undique enim conantur nos dæmones pravique homines a Deo avertere, et suæ voluntati nos conformare. Propter quod scriptum est : Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide, scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. (*I Petr.* V, 8, 9.) *Et legem tuam non sum oblitus,* id est, propter tentationem et adversitatem nequaquam recessi a te, nec legem tuam transgressus sum.

(62) *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* duplici confessione, videlicet laudis tuæ et propriæ culpæ. Hora enim mediæ noctis sicut dormientibus pigris solet esse periculosior, sic surgentibus religiosis esse consuevit salubrior. Tunc nempe, ut ait Ambrosius, fervet carnis illecebra, tunc mens somnolenta est, tunc tentator adsistit, retia jacit quibus turbet mentem improvidam, tunc varias deceptiones pectori dormientis infundit. Denique hora ista ad devotionem confert maximam occasionem, quoniam tunc cessant strepitus exteriores, neque objiciunt se sensibus corporis rerum imagines, sicut in die. Surgebam itaque media nocte ad confitendum tibi *super judicia justificationis tuæ,* id est de judiciis tuæ justitiæ, quæ circa me exercuisti, quibus justificasti me, videlicet de omni misericordia quam mihi dedisti, de castigationibus quibus me afflixisti, ceterisque operibus, ex tuo judicio circa me factis.

(63) *Particeps ego sum omnium timentium te* timore casto et filiali, *et custodientium mandata tua.* Omnes enim in gratia exsistentes, sunt unum in Christo propter vinculum caritatis, qua connectuntur, nec quæ sua sunt quærunt, sed quæ aliorum. (*I Cor.* XIII, 5.) Idcirco meritum unius redundat in alium, in quantum se mutuo juvant, et unum per dilectionem exsistunt. Hinc enim indulgentiæ efficaciam sortiuntur, quoniam propter unitatem capitis atque membrorum, videlicet Christi et Christianorum, et membrorum (id est fidelium) inter se, communicatur et cooperatur nobis meritum Christi atque Sanctorum. Ob hanc enim participationem, communionem et unitatem mysticam electorum in Christo, Apostolus admonet : Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius ; et rursus, Unus panis et

unum corpus multi sumus. Hinc etiam A
Joann. XVII, 20. 21. 23. Christus orat : Rogo, Pater, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut
Ibid. 11. sint consummati in unum ; et item : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.

(64) *Misericordia tua, Domine*, id est effectibus pietatis divinæ, *plena est terra*, id est homines viatores. Aut enim misericorditer convertuntur, aut longanimiter tolerantur, aut paternaliter corriguntur, aut citra condignum patiuntur ; omnesque generaliter communibus beneficiis Dei utun- B tur, videlicet donis naturæ ; et omnibus offert Deus gratiam, sicut Apostolus ait :
II Cor. v, 20. Legatione pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *Justificationes tuas*, id est mandata vitæ, *doce me*, quatenus ea clarius semper cognoscam, atque perfectius impleam.

PRECATIO.

Fac nos participes, Domine, timentium te, et da nobis legem tuam in beneplacito C custodire ; et in necessitatibus in toto corde deprecantes faciem tuam, miserere secundum misericordiam tuam.

TETH.

Pars IX. (65) *BONITATEM fecisti cum servo tuo, Domine*, id est, tuam bonitatem mihi communicasti, dando mihi pietatem et gratiam, dona naturæ et munera gratiæ, *secundum verbum tuum*, id est, sicut jubes nos facere. Dicis enim et præcipis no- D bis bonitatem facere aliis prompte ac lar-
Luc. VI, 30. ge, quemadmodum legitur : Omni petenti te tribue. Et in Actibus Apostolorum Pau-
Act. XX, 35. lus : Oportet, inquit, reminisci verbi Domini Jesu, qui dixit, Beatius est magis dare quam accipere. Vel, Secundum verbum tuum, id est, sicut locutus es te bonitatem facturum nobiscum. Scriptum est
Thren. III, 25. namque : Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

(66) *Bonitatem*, id est pietatem seu misericordiam, *et disciplinam*, id est rigorem justitiæ, *et scientiam*, id est discretionem utendi bonitate ac disciplina, *doce me*, quatenus me ipsum seu mihi commissos efficaciter regam, ut sit rationabile obse- Rom. XII, 1.
quium meum. Hæc tria præcipue pertinent ad prælatos et principes. Nec sufficit eis unum istorum sine aliis, ne sit pietas laxa, vel justitia crudelis, vel scientia sine opere. Necessaria ergo est prælato pietas disciplinaris seu justa, et disciplina benigna : quod esse non potest, nisi adsit essentialis discretio, qua discernatur quando et quomodo uti oporteat pietate et disciplina, commiscendo utrasque ad invicem secundum verum rationis judicium. Pertinet autem bonitas ad rectorem, juxta illud, Roboratur clementia thronus regis ; Prov. XX, 28.
justitia quoque seu disciplina, juxta illud, Rex qui judicat in veritate pauperes, thro- Ibid. XXIX, 14.
nus ejus in æternum firmabitur. Maxime quoque spectat ad eum scientia, quatenus inter verum et falsum, bonum et malum discernere queat. Unde conqueritur apud Isaiam Dominus : Ipsi pastores ignorave- Is. LVI, 11.
runt intelligentiam. Et per Osee testatur : Quia tu scientiam repulisti, repellam te Osee IV, 6.
ego, ne sacerdotio fungaris mihi. Nam ut Christus per se ipsum disseruit, Cæcus si Matth. XV, 14.
cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Hinc etiam Moyses, insinuans qui essent ad prælationem et regimen aliorum digni atque idonei : Date, inquit, ex vobis Deut. I, 13.
viros sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. Hæc tribue mihi, o Domine, *quia mandatis tuis credidi*, id est, operando consensi, credidique eis non verbo solo aut lingua, sed opere et veri- I Joann. III, 18.
tate. Oportet namque, secundum Philosophum, credere addiscentem. Nec dissonat Isaias qui ait : Si non credideritis, non in- Is. VII, 9.
telligetis. Qui igitur cupit divinitus illustrari, firmiter credat.

(67) *Priusquam humiliarer* per flagella, diffortunia et adversa, *ego deliqui*. Multi enim tempore prosperitatis multipliciter peccant, qui dum a statu suæ prosperitatis

Digitized by Google

dejiciuntur atque divinitus castigantur, retrahuntur a malo, et flagellis edocti, convertuntur ad Deum. Ideo subditur : *propterea,* id est propter humiliationem istam, *eloquium tuum custodivi,* obediendo de cetero sermonibus tuis. Ideo per Jeremiam indu- Jer. xxxi, 18. citur : Castigasti me, Domine, et eruditus Osee ii, 6. sum. Et alibi Dominus ait : Ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria. Ex correctione ergo divina experitur homo, quam bonum sit Domino obedire : ad Is. xxviii, 19. quod pertinet illud, Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. Vel sic : B *Priusquam humiliarer,* id est, antequam humiliarem me ipsum, considerando miserias meas innumeras, *ego deliqui,* quoniam superbia mater est omnis peccati. Unde qui se non humiliat, infinita vitia incidit. *Propterea,* ne sic delinquam, *eloquium tu-* Matth. xi, 29. *um* quo dicis, Discite a me quia mitis sum et humilis corde, *custodivi,* humiliando Eccli. x, 7. me ipsum : quia odibilis coram Deo et hominibus est superbia. Propter quod in To- Tob. iv, 14. bia habetur : Superbiam nunquam in tuo sensu aut in verbo tuo dominari permit- C tas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

(68) *Bonus es tu* naturaliter, quomodolibet atque totaliter. Unde Scriptura affir- Luc. xviii, 19. mat : Nemo bonus nisi solus Deus. *Et in bonitate tua,* id est secundum quod tu bonus et clemens es, *doce me justificationes* Ps. xciii, 12. *tuas,* id est mandata. Beatus enim quem Joann. vi, 45. tu erudieris, Domine : quoniam omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad Christum, ut ipse ait.

(69) *Multiplicata est super me iniquitas* D *superborum :* id est, superbi diaboli, ho- Ibid. viii, 44. minesque elati, quorum pater diabolus est, multipliciter conati sunt me ad malum inducere, minando, blandiendo, persequendo; *ego autem in toto corde meo scrutabor* Sap. ix, 10. *mandata tua,* ut sciam quid tibi acceptum sit, cui tanto studiosius placere adhærereque volo, quanto illi multiplicius me impellunt ad malum. Hoc non conve- Luc. viii, 13. nit eis qui radices non habent, sed tempore tentationis labuntur. Ideo Ecclesiasti- A cus docet : Esto firmus in via Domini, et Eccli. v, 1 in veritate sensus tui. (70) *Coagulatum est sicut lac cor eorum,* id est in malitia induratum ; *ego vero legem tuam meditatus sum,* cujus meditatio clypeus est contra omnem malignitatem tentantium.

(71) *Bonum mihi quoniam humiliasti me* per flagella et tentamenta, seu privando me honore et gloria mundi, seu dando animæ meæ humilitatis virtutem, *ut discam justificationes tuas :* quas superbus discere nequit, quoniam Spiritus Sanctus abominatur superbum. (72) *Bonum mihi lex oris tui,* id est lex decem præceptorum moralium, et lex evangelica, quam Christus proprio ore edocuit, *super millia auri et argenti,* id est præ omnibus divitiis sæculi. Ponit namque determinatum pro indeterminato, quia incomparabiliter melior nobis est lex divina, quam quæcumque temporalia bona, secundum illud : Melior Prov. iii, 14. est acquisitio ejus negotiatione auri et argenti. Propterea obligamur Deo maximas reddere grates, quod legem divinam nobis largitus est; et tanto gravius peccamus legem transgrediendo, quanto legislatori Deo gratiores esse tenemur de legis suæ sanctissimæ dono.

PRECATIO.

Deus, qui naturaliter es bonus, in bonitate tua instrue nos cœlesti disciplina et scientia; fac nos accepta eloquia tua fideliter custodire, et toto corde legem tuam meditari et adimplere, et in justificationibus tuis immaculatum cor semper possidere.

IOD.

(73) *MANUS tuæ fecerunt me, et pla-* Pars X. *smaverunt me.* Job x, 8. Eadem verba scripta sunt in libro Job; et est sensus : O Creator sublimis et benedicte, incorporalis et incircumscripte, *Manus tuæ,* id est potentia et sapientia tua, *fecerunt me,* animam meam producendo de nihilo, *et plasmaverunt me,* formando corpus meum ex semine.

Digitized by Google

Job xxxiii, 6. Unde ad Job dicitur : Ecce et me, sicut et te, fecit Deus, et de eodem luto formatus sum. Sicut autem anima rationalis omnium formarum hujus mundi dignissima est, sic corpus humanum præ cunctis mixtis et elementis præstantius est, nobilioremque figuram sortitur, puta erectam ad contemplanda cœlestia. Formæ enim proportionatur materia, sicut actui potentia. Ideo sicut anima rationalis cœlestium contemplativa est, sic corpus ejus ad cœlum erigitur, quatenus anima per sensum visus, cœlestium notitiam adipiscatur. *Da mihi intellectum*, id est intellectualem illuminationem, *ut* discam mandata tua*, ad intelligendum ea sincerius, meditandum frequentius, exsequendum perfectius. Quia enim, o Domine, a te habeo quidquid sum et habeo : ideo teneor tibi me ipsum ; me autem tibi reddere nequeo, nisi te amando et honorando. Idcirco postulo intellectum, quo discam tua mandata, quoniam amor tuus exigit tua mandata impleri, I Joann. ii, 3. prout asseritur : In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus servamus. Advertendum quoque quod intellectus interdum sumitur pro intellectuali substantia, interdum pro potentia intellectiva, quandoque pro habitu intellectuali naturali, aliquando pro dono intellectus, qui est habitus intellectualis supernaturalis a Spiritu Sancto infusus, aliquando pro actu intellectivæ potentiæ, seu illustratione ipsius, sicque accipitur modo.

* et

(74) *Qui timent te* timore amicali et filiali, *videbunt me*, id est, opera mea virtuosa considerabunt, *et lætabuntur* in te, congratulando meo profectui, et tuæ majestatis venerationi. Quemadmodum enim Prov. ii, 14. perversi lætantur et congratulantur de malo, sic justi et timorati ex fraterna caritate de proximorum profectu quasi de propria gaudent salute : præcipue tamen lætantur de hoc, quod Deum honorari conspiciunt. I Cor. xiii, 4, 6. Propter quod Paulus inquit : Caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Videbunt ergo et lætabuntur, nec opera mea interpretabuntur sinistre, *quia* A *in verba tua supersperavi*, id est, ultra modum magnam spem habui in verbis divinis, quibus gratiam promittis in præsenti, et gloriam in futuro. Unde et sanctus Job ait : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. (Job xiii, 15.) Debemus enim omnino in verba Dei supersperare, tanquam certissimi quod cœlum et terra transibunt, verba autem divinæ legis perseverabunt. (Matth. xxiv, 35.)

(75) *Cognovi, Domine*, ex fide et revelatione divina, *quia æquitas judicia tua*, id est, quod divina judicia, scilicet sententiæ B et remunerationes ex divina justitia procedentes, adeo justa et vera sunt, ut aptius asserantur æquitas, quam æqua, quamvis rationem et modum justitiæ horum judiciorum nullus viator comprehendere valet. Hinc enim in Apocalypsi dicitur : Etiam, Domine Deus omnipotens, justa et vera judicia tua ; (Apoc. xvi, 7.) et in Daniele : Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti. (Dan. iii, 31.) Et Dominus dixit ad Job : Numquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me ut tu justificeris ? (Job xl, 3.) *Et in veritate* C *tua*, id est consideratione divinæ veritatis, *humiliasti me*, id est, contulisti mihi humiliationem, qua humiliavi me ipsum. Considerando enim quæ in sacra Scriptura dicuntur de majestate divina et vilitate humana, humiliamus nos ipsos. Vel : In veritate tua, id est in tua justitia, seu justo judicio, humiliasti me, deponendo me a statu sublimi, a gloria temporali, a prosperitate fallaci, prout sanctus Job ait : Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. (Ibid. xvi, 13.) Non ergo in humiliatione hujusmo- D di impatientes seu murmurantes inveniamur ; sed dicamus cum sancto Job : Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. (Ibid. i, 21.)

(76) *Fiat misericordia tua ut consoletur me*, id est, sic mihi effectum misericordiæ tuæ infundas, quod ex hoc in omni adversitate respirem de spe veniæ beatitudinisque futuræ, *secundum eloquium tuum servo tuo* : id est, mihi famulo tuo impendatur misericordia tua, quemadmodum promisi-

Digitized by Google

sti in Scripturis, te miserturum omnibus A
invocantibus te. Nam per Isaiam dicis :
Is. XLIII, 7. Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. Consolationem quoque afflictis promittis, dicente Prophe-
Nahum I, 7. ta : Bonus Dominus, et confortans in die
Cf. Is. XLIII. tribulationis. Et alibi : Salus populi ego sum, de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos. (77) *Veniant mihi miserationes tuæ,* id est effectus pietatis divinæ, *et vivam* vita gratiæ in præsenti, vitaque gloriæ in futuro ; *quia lex tua meditatio mea est* materialiter, id est, B
de lege tua meditor, sicque miserationes tuas, scilicet indulgentiam perseverantiamque, promereor.

(78) *Confundantur superbi,* id est homines animosi, confusione pœnitentiam adducente, verecundantes de sua malitia ; vel, Confundantur superbi, id est diaboli propter superbiam e cœlo projecti, confusione perpetua ; *quia injuste,* id est mala intentione et sine meo demerito, *iniquitatem fecerunt in me,* tentando et persequendo animam meam. *Ego autem exercebor* C
in mandatis tuis, occupando me ipsum in eis mente et opere tanto instantius, quanto illi adversantur mihi injustius, quatenus exercitatio sancta atque intensa, exercitationem inimicorum iniquam expellat. Uni namque operationi anima vehementer intenta, alia parum aut nihil advertit. (79) *Convertantur mihi,* id est ad me, quatenus auxilium præbeant mihi, *timentes te* timore sancto et casto, qui caritate urgente, miserentur afflictis, sicut scribit Apo-
II Cor. II, 8. stolus : Confirmate in illum caritatem, id D
est, peccatori illi succurrite. *Et qui noverunt testimonia tua.* (80) *Fiat cor meum,* id est anima mea, *immaculatum in justificationibus tuis,* id est mandatis, ita ut ea tam perfecte observet, ne tanquam prævaricatrix, macula culpæ deformetur, *ut non confundar* a te, o Judex metuende, tanquam neglector ac transgressor legis divinæ. Nam sicut habetur secundo Machabæ-
II Mach. IV, 17. orum libro, In leges divinas agere impie, impune non cedit.

Totum hunc psalmum, in quo virtutes justorum tam diligenter enumerantur, cantamus et dicimus non in nostra, sed in viri justi persona, quatenus agnoscamus quid nobis de perfectione justitiæ desit, illudque adipisci nitamur. Verumtamen si quis gratia largiente adeo justus est, ut verba psalmi hujus sibi conveniant, poterit omnia verba hæc in propria persona depromere ad gloriam Dei, ædificationemque proximi, sicut et Paulus in suis epistolis bona sua frequenter describit.

PRECATIO.

Vitæ dator, Deus, veniant nobis miserationes tuæ, ut juste vivamus ; da nobis intellectum ut mandata tua discamus, ut vigilanter observantes tibi veraciter placeamus.

CAPH.

(81) *DEFECIT in salutare tuum anima mea.* Hucusque egit Propheta de be- Pars XI
atitudine, prout in operibus vitæ activæ consistit ; deinceps usque ad finem psalmi agit de ea, prout in actibus vitæ contemplativæ reponitur, et ait : *Defecit in salutare tuum,* id est in dilectione et contemplatione salutaris tui, videlicet Christi ; vel Luc. I, 47; II, 30.
salutaris tui, id est salutis æternæ nobis promissæ ; vel tui ipsius, qui es salutare nostrum altissimum ; *anima mea.* Iste defectus intelligi potest tripliciter. Primo sic : Defecit in salutare tuum anima mea, id est, satis et plene amare et contemplari non potuit anima mea salutare tuum : quia ut ait Apostolus, Oculus non vidit, nec auris I Cor. II, 9.
audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et hæc bona præparata, sunt salus æterna et salutare nostrum. Quid enim aliud præparavit Deus amatoribus suis, nisi se ipsum ? Nemo autem Deum, seu vitam æternam, tam clare cognoscere tamque ardenter diligere potest, præsertim in vita præsenti, quantum ipse cognoscibilis amabilisque consistit. Ideo deficit anima mea in salutare

Digitized by Google

divinum. Secundo exponitur sic : Defecit in salutare tuum anima mea, id est, præ elevata contemplatione ac fervidissima dilectione salutaris tui, defecit anima mea ab operationibus virium sensitivarum, corporaliterque infirmatus sum. Quanto enim contemplatio purior atque sublimior fuerit, et amor Divinitatis ferventior, tanto amplius deficiunt naturales et sensitivæ potentiæ ab actibus suis. Unde quum anima ad raptum et ecstasim venit, quasi omnino suspenditur vita corporalis ac sensitiva, nec vivit homo ut homo. Quidam vero ita exponunt : Defecit in salutare tuum anima mea, id est, præ nimia exspectatione atque dilatione salutis divinæ seu gloriæ sempiternæ defecit, id est, tædio fracta est, fatigata, et infirmata, anima mea. Nam ut Salomon ait : Spes quæ differtur, affligit animam ; lignum vitæ, desiderium veniens. *Et in verbum tuum,* quo opem et gratiam in præsenti, securitatem vero et gloriam in futuro promittis, *supersperavi,* id est, vehementer confisus sum. Prov. XIII, 12.

(82) *Defecerunt oculi mei* interiores *in eloquium tuum,* id est in verba sacræ Scripturæ, videlicet in promissa et testimonia atque mandata divina. Et iste defectus tripliciter accipi potest, sicut præcedens : quia nec plene comprehendere possumus eloquium Dei ; et interdum ex contemplatione hujus eloquii deficit anima sancta ab exterioribus et sensibilibus rebus, tanquam omnino rapta atque suspensa ad Deum. Denique nimio desiderio consequendi promissiones divini eloquii, interdum deficiunt oculi nostri interni, *dicentes* ad Dominum : *Quando consolaberis me,* dando mihi quod præstolor, scilicet tui ipsius optatam præsentiam atque beatificam fruitionem ? De hoc defectu divini eloquii ait Jeremias : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, et defeci, ferre non sustinens. Jer. XX, 9.

Merito autem consolationem istam requiro, (83) *Quia factus sum sicut uter in pruina :* id est, quemadmodum vas de corio factum in pruina relictum, contractum,

A et madefactum seu congelatum, ineptum videtur ad omnem usum humanum ; sic ego ab hominibus sæcularibus circa exteriora versantibus, reputatus sum quasi omnino vilis atque inutilis in conversatione politica et humana. Homines namque eminenter speculativi, efficiuntur quodammodo insensibiles circa exteriora : propterea reputantur in agibilibus et exterioribus velut inepti et stolidi, imo quandoque reputantur simpliciter stulti a prudentibus hujus sæculi. Unde legitur quod principes

B qui erant cum Jehu filio Namsi, quum vidissent filium prophetarum, quem misit Eliseus ut ungeret Jehu in regem, dixerunt ad Jehu : Quid venit insanus iste ad te ? Vel sic : Quia factus sum sicut uter in pruina, id est, sicut uter impletur liquore pruinæ, sic ego impletus sum desiderio patriæ, seu afflictionibus hujus vitæ, ideo cupio consolari. *Justificationes tuas,* id est mandata, *non sum oblitus.* Quin potius illud implere curavi : Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo ; IV Reg. IX, 11. Eccle. XII, 13.

C illud quoque Apostoli : Serva mandatum sine macula, irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. I Tim. VI, 14.

(84) *Quot sunt dies servi tui?* id est, utinam tempus hujus exsilii, quo peregrinor a te, celeriter finiatur, ne retarder diutius a felicitate cœlesti. Sic Paulus locutus est : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Unde supra dictum est : Locutus sum in lingua mea, Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, quis est. *Quando facies de persequentibus me* II Cor. V, 6. Philipp. I, 23. Ps. XXXVIII, 5.

D *judicium ?* id est, utinam dies finalis judicii veniat, quando persecutores meos diabolos juste damnabis. Hæc dies a justis et contemplativis desideratur, sicut ab aliis formidatur. Propter quod ait Salvator : His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, id est, hilariter respirate. (85) *Narraverunt mihi iniqui,* scilicet dæmones pravique homines, *fabulationes,* id est falsas suggestiones, documenta perversa, sermones inutiles ; *sed non ut lex tua,* id est, istæ fabulationes et vanæ nar- Luc. XXI, 28.

Digitized by Google

rationes spiritualiter seu corporaliter factæ, non consonant legi divinæ. Unde ait II Tim. II, 23. Apostolus : Stultas et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites.

(86) *Omnia mandata tua veritas,* id est, adeo vera sunt, ut melius nominentur in abstracto veritas, quam vera in concreto. *Iniqui,* hæretici, schismatici, falsi fratres, dæmones vel infideles, *persecuti sunt me* verbis et ictibus ; *adjuva me,* ne succumbam, quia sine tuo auxilio nequeo repugnare. (87) *Paulo minus,* id est quasi, seu fere, *consummaverunt,* id est, perfecte op- B presserunt seu dejecerunt, *me in terra:* sic- II Cor. I, 8. ut Apostolus, Supra modum, inquit, gravati sumus ; *ego autem non dereliqui mandata tua,* quibus fortitudinem atque perseve- Matth. x, 28. rantiam præcipis, dicens : Nolite timere Eccli. IV, 33. eos qui corpus occidunt ; et alibi : Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque Josue I, 9. ad mortem certa pro justitia ; et : Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus ; noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus. Quantumcumque ergo hostis desæviat et tribulatio crescat, recordari C debemus præcepta divina, neque lassari, Hebr. XII, 3. prout monet Apostolus : Non fatigemini animis vestris. (88) *Secundum misericordiam tuam vivifica me,* gratiam multiplicando in anima mea, *et custodiam* fide et opere *testimonia oris tui,* id est sacri eloquii verba, præsertim articulos fidei atque præcepta Decalogi.

PRECATIO.

Tua, Domine, larga clementia sanctissimi nominis tui amore corda nostra confirma, D ne derelinquamus mandata tua ; vivificet nos misericordiæ tuæ opus, ut testimonia oris tui proficiendo custodiamus.

LAMED.

Pars XII. (89) *IN æternum, Domine, verbum tuum,* id est jussio tua, illuminatio tua et opus tuum, *permanet in cœlo,* id est in triumphanti Ecclesia : quoniam omnes angeli sancti atque Beati tibi ad nutum obe- A diunt, tuamque illuminationem incessanter recipiunt. Unde oramus quotidie, ut voluntas tua (id est præceptum tuum) fiat Matth. VI, 10. sicut in cœlo et in terra, videlicet ut homines tibi obediant, sicut et angeli. Potest quoque exponi de Filio Dei : de quo scriptum est, In principio erat Verbum. Hoc Joann. I, 1. Verbum in æternum permanet in cœlo, quia licet ad homines venit, non tamen cœlum reliquit, imo simul et semel erat totus in utero Virginis atque in sinu Patris. Propter quod in terra consistens, Nicodemoque loquens, dixit : Nemo ascendit Ibid. III, 13. in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. (90) *In generationem et generationem,* id est per omnes generationes sibi in sæculo succedentes, *veritas tua,* id est fides catholica, lex christiana, doctrina evangelica, permanet in militanti Ecclesia. *Fundasti,* id est, firmiter collocasti, *terram* in medio mundi, *et permanet,* sicut in Ecclesiaste inducitur : Generatio præterit et generatio advenit ; Eccle. I, 4. terra vero in æternum stat. Spiritualiter vero, Fundasti terram, id est Ecclesiam, in fide et veritate divina, quemadmodum dicis : Super hanc petram ædificabo Eccle- Matth. XVI, 18. siam meam ; et permanet stabilis in fide usque ad terminum mundi.

(91) *Ordinatione tua perseverat dies,* qui ex motu et lumine solis causatur. Nam ex ordinatione sapientiæ tuæ superiora et inferiora universaque tempora moderantur. Propter quod alibi habetur : Hæc dicit Jer. XXXI, 35. Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ atque stellarum in lumine noctis ; et faciens Arcturum et Orionem, et Amos V, 8. diem nocte mutans. Vel, Ordinatione tua perseverat dies æternitatis creatæ, scilicet ævum, quo Sancti in patria te fruuntur ; vel, dies spiritualis, id est illuminatio Beatorum. *Quoniam omnia serviunt tibi :* quemadmodum dictum est : Domine, Rex Esther XIII, 9. omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ. Omni enim naturæ creatæ inest obedientialis potentia, qua suo Creatori in omnibus paret. Sed si omnia serviunt

Digitized by Google

Deo, quid est quod homines Deo non serviunt? Et respondendum, quod omnia dicuntur Deo servire, ita quod nihil possit resistere ordinationi divinæ.

(92) *Nisi quod lex tua meditatio mea est,* id est, nisi legis tuæ testimonia præ oculis habuissem, *tunc forte perissem,* id est, victus fuissem seu desperassem, *in humilitate mea,* id est in tribulatione et tentatione quas passus sum; vel in consideratione qua meam imperfectionem atque miseriam consideravi. Nisi enim in tribulatione et consideratione hujusmodi, cogitaremus quanta esset felicitas eorum qui propter justitiam patiuntur, et Christi vestigia imitantur, atque in tentationibus manent constantes, quanta etiam esset misericordia Dei circa miseros pœnitentes, tunc utique possemus perire in prædicta humilitate. Ne ergo peream unquam, (93) *In æternum non obliviscar justificationes tuas,* id est, nunquam negligam divina mandata recolere et servare; *quia in ipsis vivificasti me* vita gratiæ ac spirituali profectu: quemadmodum ait Salvator:
Joann. XIV, 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.
Baruch IV, 1. Et scriptum est: Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem derelinquunt eam, ad mortem.

(94) *Tuus sum ego* conditione et cultu, fide et opere, *salvum me fac* in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam, *quoniam justificationes tuas exquisivi,* id est, mandata implere curavi, ideo salus mihi ex tua promissione debetur: quoniam scriptum est,
Matth. XIX, 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; et iterum,
Jer. XXXI, 21. Dirige cor tuum in viam rectam, ut salvus fias. (95) *Me exspectaverunt peccatores,* id est visibiles atque invisibiles hostes, *ut perderent me,* inducendo animam meam ad ruinam peccati, vel corpus ad mortem seu læsionem. Hoc sanctis martyribus maxime competit, quos tyranni exspectabant ad interficiendum spiritualiter vel corporaliter. *Testimonia* A *tua,* id est verba Spiritus Sancti in Scripturis contenta, *intellexi,* id est, clare perspexi, considerando impiorum fallaciam, hujus vitæ brevitatem, et futuræ gloriæ immensitatem: quibus pensatis, omnia fortiter pertuli, eorumque impugnationes evasi, aut per patientiam vici.

(96) *Omnis consummationis,* id est omnis humanæ perfectionis, *vidi,* id est consideravi, *finem:* ad quem esset referenda omnis virtus humana. Hic autem finis est vita æterna, quæ est finis omnium actuum B atque virtutum. Potest etiam finis iste dici caritas, quoniam ipsa est summa virtus, virtutum omnium origo et finis. Quapropter ait Apostolus: Plenitudo legis est dilectio; Rom. XIII, 10.
et iterum, Finis præcepti est caritas de corde puro. I Tim. I, 5.
Omnes namque virtutes et actus earum, ad caritatis fervorem et perfectionem ordinandi sunt. Et ita quod sequitur, *latum mandatum tuum nimis,* exponit quid dixerit, Finem omnis consummationis, ut sit sensus: Omnis consummationis vidi finem, utique latum mandatum tuum C nimis, id est, vidi quod caritatis præceptum, quod est valde latum, esset finis et perfectio universæ consummationis, quia ad ipsum cetera referuntur præcepta. Dicitur autem præceptum caritatis latum nimis, quoniam ad omnes se extendit: nam adversarios diligere facit. Secundo, quoniam omnia mandata virtualiter continet, juxta illud: In his duobus præceptis, scilicet caritatis Dei et proximi, tota lex pendet Matth. XXII, 40.
et Prophetæ. Tertio, quia ut legitur, Universa delicta operit caritas. Prov. X, 12.
— Potestque D litteraliter exponi: *Omnis consummationis,* id est omnis terrenæ possessionis, omnis ambitionis et gloriæ temporalis, *vidi finem,* id est terminum. Cito enim deficiunt ista, prout per Joannem inducitur: Et mundus I Joann. II, 17.
transit, et concupiscentia ejus; *latum mandatum tuum nimis,* id est in perpetuum durans, et ad latitudinem cœli perducens.

PRECATIO.

Deus, cui omnia serviunt creata, da nos servire tibi fide, spe, et caritate perfecta:

Digitized by Google

(58) *Deprecatus sum faciem tuam [in toto corde meo]*, id est, te ubique præsentem et omnia conspectantem, vel pium adspectum tuum et adsistentiam gratiæ tuæ: hanc faciem tuam precatus sum tanquam bonum finale, ut eam aliquando per speciem videam, sicut et Moyses deprecabatur : Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te. In hac nempe visione beatitudo mea reposita est. Vel, Deprecatus sum faciem tuam illud quod subditur : *Miserere mei*, veniam gratiamque præstando, *secundum eloquium tuum*, quo locutus es : Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. (59) *Cogitavi vias meas*, id est, vitam et opera mea discussi, et de bonis tibi, o Domine, gratias retuli, de malis vero pœnitui. Sicque *et converti pedes meos*, id est desideria mea, opera mea, et corporis plantas, *in testimonia tua*, id est in verba sacri eloquii, quatenus secundum tua præcepta, exempla atque consilia gubernem in omnibus memetipsum. Unde in Aggæo habetur : Ponite corda vestra super vias vestras.

Exod. xxxiii, 13.

Ezech. xviii, 21, 22.

Agg. i, 7.

(60) *Paratus sum* ex caritate ferventi, gratia habituali, habitibusque virtutum, *et non sum turbatus* ex passione inordinata, *ut custodiam mandata tua :* nam habitus virtuosus efficit hominem ad divina paratum. Propter quod in Jeremia legitur : Ego non sum turbatus, te pastorem sequens. Et Apostolus monet : Quodcumque facitis, ex animo facite. Beatus plane qui ita paratus est, qui non turbatur circa plurima ; sed unum illud quod solum necessarium est, summe et unice quærit, cupit ac diligit. Talis dicere potest : (61) *Funes peccatorum*, id est impugnationes hostium visibilium et invisibilium, *circumplexi sunt me*, qui in medio laqueorum ambulo. Undique enim conantur nos dæmones pravique homines a Deo avertere, et suæ voluntati nos conformare. Propter quod scriptum est : Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite

Jer. xvii, 16.
Coloss. iii, 23.
Luc. x, 41, 42.
I *Petr.* v, 8, 9.

A fortes in fide, scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. *Et legem tuam non sum oblitus*, id est, propter tentationem et adversitatem nequaquam recessi a te, nec legem tuam transgressus sum.

(62) *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* duplici confessione, videlicet laudis tuæ et propriæ culpæ. Hora enim mediæ noctis sicut dormientibus pigris solet esse periculosior, sic surgentibus religiosis esse consuevit salubrior. Tunc nempe,
B ut ait Ambrosius, fervet carnis illecebra, tunc mens somnolenta est, tunc tentator adsistit, retia jacit quibus turbet mentem improvidam, tunc varias deceptiones pectori dormientis infundit. Denique hora ista ad devotionem confert maximam occasionem, quoniam tunc cessant strepitus exteriores, neque objiciunt se sensibus corporis rerum imagines, sicut in die. Surgebam itaque media nocte ad confitendum tibi *super judicia justificationis tuæ*, id est de judiciis tuæ justitiæ, quæ circa me
C exercuisti, quibus justificasti me, videlicet de omni misericordia quam mihi dedisti, de castigationibus quibus me afflixisti, ceterisque operibus, ex tuo judicio circa me factis.

(63) *Particeps ego sum omnium timentium te* timore casto et filiali, *et custodientium mandata tua*. Omnes enim in gratia exsistentes, sunt unum in Christo propter vinculum caritatis, qua connectuntur, nec quæ sua sunt quærunt, sed quæ aliorum. I *Cor.* x, 24.
Idcirco meritum unius redundat in alium,
D in quantum se mutuo juvant, et unum per dilectionem exsistunt. Hinc enim indulgentiæ efficaciam sortiuntur, quoniam propter unitatem capitis atque membrorum, videlicet Christi et Christianorum, et membrorum (id est fidelium) inter se, communicatur et cooperatur nobis meritum Christi atque Sanctorum. Ob hanc enim participationem, communionem et unitatem mysticam electorum in Christo, Apostolus admonet : Nemo quod suum est quærat, sed *Ibidem*
quod alterius ; et rursus, Unus panis et *Ibid.* 17.

Digitized by Google

unum corpus multi sumus. Hinc etiam Christus orat: Rogo, Pater, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut sint consummati in unum; et item : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.

Joan. xvii, 20, 21, 23. Ibid. 11.

(64) *Misericordia tua, Domine,* id est effectibus pietatis divinæ, *plena est terra,* id est homines viatores. Aut enim misericorditer convertuntur, aut longanimiter tolerantur, aut paternaliter corriguntur, aut citra condignum patiuntur; omnesque generaliter communibus beneficiis Dei utuntur, videlicet donis naturæ; et omnibus offert Deus gratiam, sicut Apostolus ait : Legatione pro Christo fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *Justificationes tuas,* id est mandata vitæ, *doce me,* quatenus ea clarius semper cognoscam, atque perfectius impleam.

II Cor. v, 20.

PRECATIO.

Fac nos participes, Domine, timentium te, et da nobis legem tuam in beneplacito custodire; et in necessitatibus in toto corde deprecantes faciem tuam, miserere secundum misericordiam tuam.

TETH.

Pars IX.

(65) *BONITATEM fecisti cum servo tuo, Domine,* id est, tuam bonitatem mihi communicasti, dando mihi pietatem et gratiam, dona naturæ et munera gratiæ, *secundum verbum tuum,* id est, sicut jubes nos facere. Dicis enim et præcipis nobis bonitatem facere aliis prompte ac large, quemadmodum legitur : Omni petenti te tribue. Et in Actibus Apostolorum Paulus : Oportet, inquit, reminisci verbi Domini Jesu, qui dixit, Beatius est magis dare quam accipere. Vel, Secundum verbum tuum, id est, sicut locutus es te bonitatem facturum nobiscum. Scriptum est namque : Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

Luc. vi, 30. Act. xx, 35. Thren. iii, 25.

(66) *Bonitatem,* id est pietatem seu misericordiam, *et disciplinam,* id est rigorem justitiæ, *et scientiam,* id est discretionem utendi bonitate ac disciplina, *doce me,* quatenus me ipsum seu mihi commissos efficaciter regam, ut sit rationabile obsequium meum. Hæc tria præcipue pertinent ad prælatos et principes. Nec sufficit eis unum istorum sine aliis, ne sit pietas laxa, vel justitia crudelis, vel scientia sine opere. Necessaria ergo est prælato pietas disciplinaris seu justa, et disciplina benigna : quod esse non potest, nisi adsit essentialis discretio, qua discernatur quando et quomodo uti oporteat pietate et disciplina, commiscendo utrasque ad invicem secundum verum rationis judicium. Pertinet autem bonitas ad rectorem, juxta illud, Roboratur clementia thronus regis; justitia quoque seu disciplina, juxta illud, Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur. Maxime quoque spectat ad eum scientia, quatenus inter verum et falsum, bonum et malum discernere queat. Unde conqueritur apud Isaiam Dominus : Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Et per Osee testatur : Quia tu scientiam repulisti, repellam te ego, ne sacerdotio fungaris mihi. Nam ut Christus per se ipsum disseruit, Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Hinc etiam Moyses, insinuans qui essent ad prælationem et regimen aliorum digni atque idonei : Date, inquit, ex vobis viros sapientes et gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes. Hæc tribue mihi, o Domine, *quia mandatis tuis credidi,* id est, operando consensi, credidique eis non verbo solo aut lingua, sed opere et veritate. Oportet namque, secundum Philosophum, credere addiscentem. Nec dissonat Isaias qui ait : Si non credideritis, non intelligetis. Qui igitur cupit divinitus illustrari, firmiter credat.

Rom. xii, 1. Prov. xx, 28. Ibid. xxix, 14. Is. lvi, 11. Osee iv, 6. Matth. xv, 14. Deut. i, 13. I Joann. iii, 18. Is. vii, 9.

(67) *Priusquam humiliarer* per flagella, diffortunia et adversa, *ego deliqui.* Multi enim tempore prosperitatis multipliciter peccant, qui dum a statu suæ prosperitatis

Digitized by Google

dejiciuntur atque divinitus castigantur, re-
trahuntur a malo, et flagellis edocti, conver-
tuntur ad Deum. Ideo subditur : *propterea,*
id est propter humiliationem istam, *eloqui-
um tuum custodivi,* obediendo de cetero
sermonibus tuis. Ideo per Jeremiam indu-
Jer. xxxi, 18. citur : Castigasti me, Domine, et eruditus
Osee ii, 6. sum. Et alibi Dominus ait : Ego sepiam
viam tuam spinis, et sepiam eam maceria.
Ex correctione ergo divina experitur ho-
mo, quam bonum sit Domino obedire : ad
Is. xxviii, 19. quod pertinet illud, Tantummodo sola ve-
B xatio dabit intellectum auditui. Vel sic :
Priusquam humiliarer, id est, antequam
humiliarem me ipsum, considerando mise-
rias meas innumeras, *ego deliqui,* quoniam
superbia mater est omnis peccati. Unde
qui se non humiliat, infinita vitia incidit.
Propterea, ne sic delinquam, *eloquium tu-*
Matth. xi, 29. *um* quo dicis, Discite a me quia mitis sum
et humilis corde, *custodivi,* humiliando
Eccli. x, 7. me ipsum : quia odibilis coram Deo et ho-
minibus est superbia. Propter quod in To-
Tob. iv, 14. bia habetur : Superbiam nunquam in tuo
C sensu aut in verbo tuo dominari permit-
tas. In ipsa enim initium sumpsit omnis
perditio.

(68) *Bonus es tu* naturaliter, quomodoli-
bet atque totaliter. Unde Scriptura affir-
Luc. xviii, 19. mat : Nemo bonus nisi solus Deus. *Et in
bonitate tua,* id est secundum quod tu bo-
nus et clemens es, *doce me justificationes*
Ps. xciii, 12. *tuas,* id est mandata. Beatus enim quem
Joann. vi, 45. tu erudieris, Domine : quoniam omnis qui
audivit a Patre et didicit, venit ad Chri-
stum, ut ipse ait.

D (69) *Multiplicata est super me iniquitas
superborum :* id est, superbi diaboli, ho-
Ibid. viii, 44. minesque elati, quorum pater diabolus est,
multipliciter conati sunt me ad malum in-
ducere, minando, blandiendo, persequen-
do; *ego autem in toto corde meo scrutabor*
Sap. ix, 10. *mandata tua,* ut sciam quid tibi acce-
ptum sit, cui tanto studiosius placere ad-
hærereque volo, quanto illi multiplicius
me impellunt ad malum. Hoc non conve-
Luc. viii, 13. nit eis qui radices non habent, sed tem-
pore tentationis labuntur. Ideo Ecclesiasti-

A cus docet : Esto firmus in via Domini, et *Eccli.* v, 12
in veritate sensus tui. (70) *Coagulatum est
sicut lac cor eorum,* id est in malitia in-
duratum ; *ego vero legem tuam meditatus
sum,* cujus meditatio clypeus est contra
omnem malignitatem tentantium.

(71) *Bonum mihi quoniam humiliasti me*
per flagella et tentamenta, seu privando
me honore et gloria mundi, seu dando ani-
mæ meæ humilitatis virtutem, *ut discam
justificationes tuas :* quas superbus discere
nequit, quoniam Spiritus Sanctus abomi-
natur superbum. (72) *Bonum mihi lex oris
tui,* id est lex decem præceptorum mora-
lium, et lex evangelica, quam Christus
proprio ore edocuit, *super millia auri et
argenti,* id est præ omnibus divitiis sæcu-
li. Ponit namque determinatum pro inde-
terminato, quia incomparabiliter melior
nobis est lex divina, quam quæcumque
temporalia bona, secundum illud : Melior *Prov.* iii, 14.
est acquisitio ejus negotiatione auri et ar-
genti. Propterea obligamur Deo maximas
reddere grates, quod legem divinam nobis
largitus est; et tanto gravius peccamus le-
gem transgrediendo, quanto legislatori Deo
gratiores esse tenemur de legis suæ san-
ctissimæ dono.

PRECATIO.

Deus, qui naturaliter es bonus, in boni-
tate tua instrue nos cœlesti disciplina et
scientia; fac nos accepta eloquia tua fide-
liter custodire, et toto corde legem tuam
meditari et adimplere, et in justificationi-
bus tuis immaculatum cor semper pos-
sidere.

IOD.

(73) *MANUS tuæ fecerunt me, et pla-* *Ps.* c
smaverunt me. Eadem verba scripta sunt *Job* x, 8.
in libro Job; et est sensus : O Creator sub-
limis et benedicte, incorporalis et incir-
cumscripte, *Manus tuæ,* id est potentia et
sapientia tua, *fecerunt me,* animam meam
producendo de nihilo, *et plasmaverunt
me,* formando corpus meum ex semine.

Digitized by Google

Job xxxiii, 6. Unde ad Job dicitur : Ecce et me, sicut et te, fecit Deus, et de eodem luto formatus sum. Sicut autem anima rationalis omnium formarum hujus mundi dignissima est, sic corpus humanum præ cunctis mixtis et elementis præstantius est, nobilioremque figuram sortitur, puta erectam ad contemplanda cœlestia. Formæ enim proportionatur materia, sicut actui potentia. Ideo sicut anima rationalis cœlestium contemplativa est, sic corpus ejus ad cœlum erigitur, quatenus anima per sensum visus, cœlestium notitiam adipiscatur. *Da mihi intellectum,* id est intellectualem illuminationem, *ut** *discam mandata tua,* ad intelligendum ea sincerius, meditandum frequentius, exsequendum perfectius. Quia enim, o Domine, a te habeo quidquid sum et habeo : ideo teneor tibi me ipsum ; me autem tibi reddere nequeo, nisi te amando et honorando. Idcirco postulo intellectum, quo discam tua mandata, quoniam amor tuus exigit tua mandata impleri, prout asseritur : In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus servamus. Advertendum quoque quod intellectus interdum sumitur pro intellectuali substantia, interdum pro potentia intellectiva, quandoque pro habitu intellectuali naturali, aliquando pro dono intellectus, qui est habitus intellectualis supernaturalis a Spiritu Sancto infusus, aliquando pro actu intellectivæ potentiæ, seu illustratione ipsius, sicque accipitur modo.

* et

I Joann. ii, 3.

(74) *Qui timent te* timore amicali et filiali, *videbunt me,* id est, opera mea virtuosa considerabunt, *et lætabuntur* in te, congratulando meo profectui, et tuæ majestatis venerationi. Quemadmodum enim perversi lætantur et congratulantur de malo, sic justi et timorati ex fraterna caritate de proximorum profectu quasi de propria gaudent salute : præcipue tamen lætantur de hoc, quod Deum honorari conspiciunt. Propter quod Paulus inquit : Caritas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Videbunt ergo et lætabuntur, nec opera mea interpretabuntur sinistre, *quia* A *in verba tua supersperavi,* id est, ultra modum magnam spem habui in verbis divinis, quibus gratiam promittis in præsenti, et gloriam in futuro. Unde et sanctus Job ait : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Debemus enim omnino in verba Dei supersperare, tanquam certissimi quod cœlum et terra transibunt, verba autem divinæ legis perseverabunt.

Prov. ii, 14. — I Cor. xiii, 6. — Job xiii, 15. — Matth. xxiv, 35.

(75) *Cognovi, Domine,* ex fide et revelatione divina, *quia æquitas judicia tua,* id est, quod divina judicia, scilicet sententiæ B et remunerationes ex divina justitia procedentes, adeo justa et vera sunt, ut aptius asserantur æquitas, quam æqua, quamvis rationem et modum justitiæ horum judiciorum nullus viator comprehendere valet. Hinc enim in Apocalypsi dicitur : Etiam, Domine Deus omnipotens, justa et vera judicia tua ; et in Daniele : Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti. Et Dominus dixit ad Job : Numquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me ut tu justificeris ? *Et in veritate* C *tua,* id est consideratione divinæ veritatis, *humiliasti me,* id est, contulisti mihi humiliationem, qua humiliavi me ipsum. Considerando enim quæ in sacra Scriptura dicuntur de majestate divina et vilitate humana, humiliamus nos ipsos. Vel : In veritate tua, id est in tua justitia, seu justo judicio, humiliasti me, deponendo me a statu sublimi, a gloria temporali, a prosperitate fallaci, prout sanctus Job ait : Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum. Non ergo in humiliatione hujusmo- D di impatientes seu murmurantes inveniamur ; sed dicamus cum sancto Job : Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

Apoc. xvi, 7. — Dan. iii, 31. — Job xl, 3. — Ibid. xvi, 13. — Ibid. i, 21.

(76) *Fiat misericordia tua ut consoletur me,* id est, sic mihi effectum misericordiæ tuæ infundas, quod ex hoc in omni adversitate respirem de spe veniæ beatitudinisque futuræ, *secundum eloquium tuum servo tuo* : id est, mihi famulo tuo impendatur misericordia tua, quemadmodum promisi-

Digitized by Google

sti in Scripturis, te miserturum omnibus A invocantibus te. Nam per Isaiam dicis : *Is.* XLIII, 7. Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum. Consolationem quoque afflictis promittis, dicente Propheta : *Nahum* I, 7. Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis. *Cf. Is.* XLIII. Et alibi : Salus populi ego sum, de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos. (77) *Veniant mihi miserationes tuæ,* id est effectus pietatis divinæ, *et vivam* vita gratiæ in præsenti, vitaque gloriæ in futuro ; *quia lex tua meditatio mea est* materialiter, id est, B de lege tua meditor, sicque miserationes tuas, scilicet indulgentiam perseverantiamque, promereor.

(78) *Confundantur superbi,* id est homines animosi, confusione pœnitentiam adducente, verecundantes de sua malitia ; vel, Confundantur superbi, id est diaboli propter superbiam e cœlo projecti, confusione perpetua ; *quia injuste,* id est mala intentione et sine meo demerito, *iniquitatem fecerunt in me,* tentando et persequendo animam meam. *Ego autem exercebor* C *in mandatis tuis,* occupando me ipsum in eis mente et opere tanto instantius, quanto illi adversantur mihi injustius, quatenus exercitatio sancta atque intensa, exercitationem inimicorum iniquam expellat. Uni namque operationi anima vehementer intenta, alia parum aut nihil advertit. (79) *Convertantur mihi,* id est ad me, quatenus auxilium præbeant mihi, *timentes te* timore sancto et casto, qui caritate urgente, miserentur afflictis, sicut scribit Apo- *II Cor.* II, 8. stolus : Confirmate in illum caritatem, id D est, peccatori illi succurrite. *Et qui noverunt testimonia tua.* (80) *Fiat cor meum,* id est anima mea, *immaculatum in justificationibus tuis,* id est mandatis, ita ut ea tam perfecte observet, ne tanquam prævaricatrix, macula culpæ deformetur, *ut non confundar* a te, o Judex metuende, tanquam neglector ac transgressor legis divinæ. Nam sicut habetur secundo Machabæorum libro, In leges divinas agere impie, *II Mach.* IV, 17. impune non cedit.

Totum hunc psalmum, in quo virtutes justorum tam diligenter enumerantur, cantamus et dicimus non in nostra, sed in viri justi persona, quatenus agnoscamus quid nobis de perfectione justitiæ desit, illudque adipisci nitamur. Verumtamen si quis gratia largiente adeo justus est, ut verba psalmi hujus sibi conveniant, poterit omnia verba hæc in propria persona depromere ad gloriam Dei, ædificationemque proximi, sicut et Paulus in suis epistolis bona sua frequenter describit.

PRECATIO.

Vitæ dator, Deus, veniant nobis miserationes tuæ, ut juste vivamus ; da nobis intellectum ut mandata tua discamus, ut vigilanter observantes tibi veraciter placeamus.

CAPH.

(81) *DEFECIT in salutare tuum anima mea.* Pars XI Hucusque egit Propheta de beatitudine, prout in operibus vitæ activæ consistit ; deinceps usque ad finem psalmi agit de ea, prout in actibus vitæ contemplativæ reponitur, et ait : *Defecit in salutare tuum,* id est in dilectione et contemplatione salutaris tui, videlicet Christi ; vel *Luc.* I, 47; II, 30. salutaris tui, id est salutis æternæ nobis promissæ ; vel tui ipsius, qui es salutare nostrum altissimum ; *anima mea.* Iste defectus intelligi potest tripliciter. Primo sic : Defecit in salutare tuum anima mea, id est, satis et plene amare et contemplari non potuit anima mea salutare tuum : quia ut ait Apostolus, Oculus non vidit, nec auris *I Cor.* II, 9. audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Et hæc bona præparata, sunt salus æterna et salutare nostrum. Quid enim aliud præparavit Deus amatoribus suis, nisi se ipsum ? Nemo autem Deum, seu vitam æternam, tam clare cognoscere tamque ardenter diligere potest, præsertim in vita præsenti, quantum ipse cognoscibilis amabilisque consistit. Ideo deficit anima mea in salutare

Digitized by Google

divinum. Secundo exponitur sic : Defecit in salutare tuum anima mea, id est, præ elevata contemplatione ac fervidissima dilectione salutaris tui, defecit anima mea ab operationibus virium sensitivarum, corporaliterque infirmatus sum. Quanto enim contemplatio purior atque sublimior fuerit, et amor Divinitatis ferventior, tanto amplius deficiunt naturales et sensitivæ potentiæ ab actibus suis. Unde quum anima ad raptum et ecstasim venit, quasi omnino suspenditur vita corporalis ac sensitiva, nec vivit homo ut homo. Quidam vero ita exponunt : Defecit in salutare tuum anima mea, id est, præ nimia exspectatione atque dilatione salutis divinæ seu gloriæ sempiternæ defecit, id est, tædio fracta est, fatigata, et infirmata, anima mea. Nam ut Salomon ait : Spes quæ differtur, affligit animam ; lignum vitæ, desiderium veniens. *Et in verbum tuum,* quo opem et gratiam in præsenti, securitatem vero et gloriam in futuro promittis, *supersperavi,* id est, vehementer confisus sum.

Prov. xiii, 12.

(82) *Defecerunt oculi mei* interiores *in eloquium tuum,* id est in verba sacræ Scripturæ, videlicet in promissa et testimonia atque mandata divina. Et iste defectus tripliciter accipi potest, sicut præcedens : quia nec plene comprehendere possumus eloquium Dei; et interdum ex contemplatione hujus eloquii deficit anima sancta ab exterioribus et sensibilibus rebus, tanquam omnino rapta atque suspensa ad Deum. Denique nimio desiderio consequendi promissiones divini eloquii, interdum deficiunt oculi nostri interni, *dicentes* ad Dominum : *Quando consolaberis me,* dando mihi quod præstolor, scilicet tui ipsius optatam præsentiam atque beatificam fruitionem ? De hoc defectu divini eloquii ait Jeremias : Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, et defeci, ferre non sustinens.

Jer. xx, 9.

Merito autem consolationem istam requiro, (83) *Quia factus sum sicut uter in pruina :* id est, quemadmodum vas de corio factum in pruina relictum, contractum, et madefactum seu congelatum, ineptum videtur ad omnem usum humanum ; sic ego ab hominibus sæcularibus circa exteriora versantibus, reputatus sum quasi omnino vilis atque inutilis in conversatione politica et humana. Homines namque eminenter speculativi, efficiuntur quodammodo insensibiles circa exteriora : propterea reputantur in agibilibus et exterioribus velut inepti et stolidi, imo quandoque reputantur simpliciter stulti a prudentibus hujus sæculi. Unde legitur quod principes qui erant cum Jehu filio Namsi, quum vidissent filium prophetarum, quem misit Eliseus ut ungeret Jehu in regem, dixerunt ad Jehu : Quid venit insanus iste ad te ? Vel sic : Quia factus sum sicut uter in pruina, id est, sicut uter impletur liquore pruinæ, sic ego impletus sum desiderio patriæ, seu afflictionibus hujus vitæ, ideo cupio consolari. *Justificationes tuas,* id est mandata, *non sum oblitus.* Quin potius illud implere curavi : Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo ; illud quoque Apostoli : Serva mandatum sine macula, irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi.

IV Reg. ix, 11.

Eccle. xii, 13.

I Tim. vi, 14.

(84) *Quot sunt dies servi tui?* id est, utinam tempus hujus exsilii, quo peregrinor a te, celeriter finiatur, ne retarder diutius a felicitate cœlesti. Sic Paulus locutus est : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Unde supra dictum est : Locutus sum in lingua mea, Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum, quis est. *Quando facies de persequentibus me judicium ?* id est, utinam dies finalis judicii veniat, quando persecutores meos diabolos juste damnabis. Hæc dies a justis et contemplativis desideratur, sicut ab aliis formidatur. Propter quod ait Salvator : His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, id est, hilariter respirate. (85) *Narraverunt mihi iniqui,* scilicet dæmones pravique homines, *fabulationes,* id est falsas suggestiones, documenta perversa, sermones inutiles ; *sed non ut lex tua,* id est, istæ fabulationes et vanæ nar-

II Cor. v, 6.

Philipp. i, 23.

Ps. xxxviii, 5.

Luc. xxi, 28.

Digitized by Google

rationes spiritualiter seu corporaliter factæ, non consonant legi divinæ. Unde ait Apostolus : Stultas et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. (II *Tim.* II, 23.)

(86) *Omnia mandata tua veritas,* id est, adeo vera sunt, ut melius nominentur in abstracto veritas, quam vera in concreto. *Iniqui,* hæretici, schismatici, falsi fratres, dæmones vel infideles, *persecuti sunt me* verbis et ictibus ; *adjuva me,* ne succumbam, quia sine tuo auxilio nequeo repugnare. (87) *Paulo minus,* id est quasi, seu fere, *consummaverunt,* id est, perfecte oppresserunt seu dejecerunt, *me in terra:* sicut Apostolus, Supra modum, inquit, gravati sumus; (II *Cor.* I, 8.) *ego autem non dereliqui mandata tua,* quibus fortitudinem atque perseverantiam præcipis, dicens : Nolite timere eos qui corpus occidunt; (*Matth.* X, 28.) et alibi : Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia; (*Eccli.* IV, 33.) et : Ecce præcipio tibi, confortare et esto robustus ; noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus. (*Josue* I, 9.) Quantumcumque ergo hostis desæviat et tribulatio crescat, recordari debemus præcepta divina, neque lassari, prout monet Apostolus : Non fatigemini animis vestris. (*Hebr.* XII, 3.) (88) *Secundum misericordiam tuam vivifica me,* gratiam multiplicando in anima mea, *et custodiam* fide et opere *testimonia oris tui,* id est sacri eloquii verba, præsertim articulos fidei atque præcepta Decalogi.

PRECATIO.

Tua, Domine, larga clementia sanctissimi nominis tui amore corda nostra confirma, ne derelinquamus mandata tua; vivificet nos misericordiæ tuæ opus, ut testimonia oris tui proficiendo custodiamus.

LAMED.

Pars XII.

(89) *IN æternum, Domine, verbum tuum,* id est jussio tua, illuminatio tua et opus tuum, *permanet in cœlo,* id est in triumphanti Ecclesia : quoniam omnes angeli sancti atque Beati tibi ad nutum obediunt, tuamque illuminationem incessanter recipiunt. Unde oramus quotidie, ut voluntas tua (id est præceptum tuum) fiat sicut in cœlo et in terra, (*Matth.* VI, 10.) videlicet ut homines tibi obediant, sicut et angeli. Potest quoque exponi de Filio Dei : de quo scriptum est, In principio erat Verbum. (*Joann.* I, 1.) Hoc Verbum in æternum permanet in cœlo, quia licet ad homines venit, non tamen cœlum reliquit, imo simul et semel erat totus in utero Virginis atque in sinu Patris. Propter quod in terra consistens, Nicodemoque loquens, dixit : Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. (*Ibid.* III, 13.) (90) *In generationem et generationem,* id est per omnes generationes sibi in sæculo succedentes, *veritas tua,* id est fides catholica, lex christiana, doctrina evangelica, permanet in militanti Ecclesia. *Fundasti,* id est, firmiter collocasti, *terram* in medio mundi, *et permanet,* sicut in Ecclesiaste inducitur : Generatio præterit et generatio advenit; terra vero in æternum stat. (*Eccle.* I, 4.) Spiritualiter vero, Fundasti terram, id est Ecclesiam, in fide et veritate divina, quemadmodum dicis : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; (*Matth.* XVI, 18.) et permanet stabilis in fide usque ad terminum mundi.

(91) *Ordinatione tua perseverat dies,* qui ex motu et lumine solis causatur. Nam ex ordinatione sapientiæ tuæ superiora et inferiora universaque tempora moderantur. Propter quod alibi habetur : Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ atque stellarum in lumine noctis; (*Jer.* XXXI, 35.) et faciens Arcturum et Orionem, et diem nocte mutans. (*Amos* V, 8.) Vel, Ordinatione tua perseverat dies æternitatis creatæ, scilicet ævum, quo Sancti in patria te fruuntur; vel, dies spiritualis, id est illuminatio Beatorum. *Quoniam omnia serviunt tibi :* quemadmodum dictum est : Domine, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ. (*Esther* XIII, 9.) Omni enim naturæ creatæ inest obedientialis potentia, qua suo Creatori in omnibus paret. Sed si omnia serviunt

Digitized by Google

Deo, quid est quod homines Deo non serviunt? Et respondendum, quod omnia dicuntur Deo servire, ita quod nihil possit resistere ordinationi divinæ.

(92) *Nisi quod lex tua meditatio mea est,* id est, nisi legis tuæ testimonia præ oculis habuissem, *tunc forte perissem,* id est, victus fuissem seu desperassem, *in humilitate mea,* id est in tribulatione et tentatione quas passus sum; vel in consideratione qua meam imperfectionem atque miseriam consideravi. Nisi enim in tribulatione et consideratione hujusmodi, cogitaremus quanta esset felicitas eorum qui propter justitiam patiuntur, et Christi vestigia imitantur, atque in tentationibus manent constantes, quanta etiam esset misericordia Dei circa miseros pœnitentes, tunc utique possemus perire in prædicta humilitate. Ne ergo peream unquam, (93) *In æternum non obliviscar justificationes tuas,* id est, nunquam negligam divina mandata recolere et servare; *quia in ipsis vivificasti me* vita gratiæ ac spirituali profectu: quemadmodum ait Salvator: Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Et scriptum est: Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem derelinquunt eam, ad mortem.

Joann. xiv, 23.

Baruch iv, 1.

(94) *Tuus sum ego* conditione et cultu, fide et opere, *salvum me fac* in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam, *quoniam justificationes tuas exquisivi,* id est, mandata implere curavi, ideo salus mihi ex tua promissione debetur: quoniam scriptum est, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; et iterum, Dirige cor tuum in viam rectam, ut salvus fias. (95) *Me exspectaverunt peccatores,* id est visibiles atque invisibiles hostes, *ut perderent me,* inducendo animam meam ad ruinam peccati, vel corpus ad mortem seu læsionem. Hoc sanctis martyribus maxime competit, quos tyranni exspectabant ad interficiendum spiritualiter vel corporaliter. *Testimonia tua,* id est verba Spiritus Sancti in Scripturis contenta, *intellexi,* id est, clare perspexi, considerando impiorum fallaciam, hujus vitæ brevitatem, et futuræ gloriæ immensitatem: quibus pensatis, omnia fortiter pertuli, eorumque impugnationes evasi, aut per patientiam vici.

Matth. xix, 17. Jer. xxxi, 21.

(96) *Omnis consummationis,* id est omnis humanæ perfectionis, *vidi,* id est consideravi, *finem:* ad quem esset referenda omnis virtus humana. Hic autem finis est vita æterna, quæ est finis omnium actuum atque virtutum. Potest etiam finis iste dici caritas, quoniam ipsa est summa virtus, virtutum omnium origo et finis. Quapropter ait Apostolus: Plenitudo legis est dilectio; et iterum, Finis præcepti est caritas de corde puro. Omnes namque virtutes et actus earum, ad caritatis fervorem et perfectionem ordinandi sunt. Et ita quod sequitur, *latum mandatum tuum nimis,* exponit quid dixerit, Finem omnis consummationis, ut sit sensus: Omnis consummationis vidi finem, utique latum mandatum tuum nimis, id est, vidi quod caritatis præceptum, quod est valde latum, esset finis et perfectio universæ consummationis, quia ad ipsum cetera referuntur præcepta. Dicitur autem præceptum caritatis latum nimis, quoniam ad omnes se extendit: nam adversarios diligere facit. Secundo, quoniam omnia mandata virtualiter continet, juxta illud: In his duobus præceptis, scilicet caritatis Dei et proximi, tota lex pendet et Prophetæ. Tertio, quia ut legitur, Universa delicta operit caritas. — Potestque litteraliter exponi: *Omnis consummationis,* id est omnis terrenæ possessionis, omnis ambitionis et gloriæ temporalis, *vidi finem,* id est terminum. Cito enim deficiunt ista, prout per Joannem inducitur: Et mundus transit, et concupiscentia ejus; *latum mandatum tuum nimis,* id est in perpetuum durans, et ad latitudinem cœli perducens.

Rom. xiii, 10. I Tim. i, 5. Matth. xxii, 40. Prov. x, 12. I Joann. ii, 17.

PRECATIO.

Deus, cui omnia serviunt creata, da nos servire tibi fide, spe, et caritate perfecta:

Digitized by Google

ut in æternum justificationes tuas non obliviscamur, sed in ipsis tua propitiatione bonis operibus insistendo vivificemur.

MEM.

Pars XIII. (97) *QUOMODO dilexi legem tuam, Domine?* Quærit Propheta in persona Ecclesiæ Deum, quomodo legem ejus diligat. Et ipsemet respondet : *Tota die meditatio mea est.* Quærit enim et respondet, ut omnes qui audiunt, informentur. In hoc autem, quod asserit se tota die legem Domini meditari, declarat se ardentissime Deum amare, quia in tantum diligitur, in quantum honoratur, quemadmodum alibi habetur : Qui servat verbum Christi, vere in eo caritas Dei perfecta est. (I Joann. II, 5.) Quod autem magis amatur, hoc sæpius cogitatur. Qui igitur tota die naturali, qui noctem includit, et viginti quatuor horas habet, in lege Domini meditatur, maxime diligit eam, et per consequens legislatorem, utique Deum. Quomodo autem aliquis possit tota die in lege divina meditari, frequenter ostensum est.

(98) *Super inimicos meos prudentem me fecisti,* id est, prudentiorem seu sapientiorem me fecisti inimicis meis, puta Judæis et infidelibus, imo omnibus Deo rebellibus : quos perfecto odio odi, (Ps. CXXXVIII, 22.) non in quantum sunt homines felicitatis capaces, sed in quantum sunt Deo inobedientes, et dæmoni consentientes ; *mandato tuo :* id est, per hoc quod, illis mandatum tuum non observantibus, dedisti mihi gratiam illud servandi, fecisti me illis prudentiorem. Nam sine observatione præcepti nullus veraciter prudens est ; et summa prudentia est, Deo servire. Unde scriptum est : Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. (Jacob. III, 13.) Sic autem prudentem me fecisti mandato tuo, *quia in æternum mihi est,* id est, quoniam perseveranter ac jugiter ei adhærere intendo. (99) *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua* A *meditatio mea est.* Non loquitur absolute de omnibus suis doctoribus : quoniam Christo testante, Non est discipulus supra magistrum ; (Matth. X, 24.) præsumptuosumque esset se præferre doctoribus. De quibus ergo doctoribus loquitur, nisi de iis qui dicunt et non faciunt, (Ibid. XXIII, 3.) vel qui philosophicam scientiam aut sæcularem prudentiam docent? His Deo obediens intelligentior est, quia testimonia Dei sunt meditatio ejus : quoniam cogitat verba divina, quatenus secundum doctrinam præceptaque Christi, B cogitationes, sermones et actus suos gubernet. (100) *Super senes intellexi,* id est senibus doctior fui, *quia mandata tua quæsivi* scire et adimplere. Ex quo constat, quod non loquitur [illegible] nisi de senibus illis, qui non quærunt divina mandata, quales fuerunt de quibus apud Danielem dicitur : Iniquitas egressa est de [illegible] Babylone, (Dan. XIII, 5.) a senioribus qui videbantur reg[illegible]ere populum.

(101) *Ab omni via mala,* id est pec[illegible]cato mortali, doctrina pestifera, et ceteris [illegible]quibus itur ad mortem æternam, C *prohibui* p[illegible]er imperium rationis, *pedes meos,* id est a[illegible]fectus, cogitationes et opera, vel etiam corporis pedes, vitando loca in quibus puto me debere peccare ; *ut custodiam verba tua,* quibus jussisti me vitare itinera mala. (102) *A judiciis tuis non declinavi,* id est, ab his quæ bona judicas et approbas tu, non recessi, *quia tu legem posuisti mihi,* id est præceptum consentiendi vero et bono, et resistendi malo ac falso, quemadmodum in Ecclesiastico scribitur : Le- D ge vitæ hereditavit illos (scilicet homines Deus) ; justitiam et judicia sua ostendit eis, et dixit : Attendite ab omni iniquo. (Eccli. XVII, 9-11.)

(103) *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* id est, valde suavia sunt verba divina interiori cordis mei palato, videlicet rationi et voluntati, quibus spiritualis dulcedo gustatur, cibus animæ masticatur, et cœlestis lætitia prælibatur. *Super mel ori meo,* id est, dulciora sunt interiori ori meo, utpote menti, qua verbum cordis profertur, quam sit mel gustui meo cor-

Digitized by Google

poreo. Verbum enim Dei cibus est animæ, A cujus refectio dulcior est ex sua natura omni cibo corporeo : quamvis interdum ex parte nostri contingat oppositum, quia videlicet appetitus noster nondum purgatus est a vitiis et concupiscentiis. Hinc enim
Sap. viii, 9. de sapientia scriptum est : Scio quoniam mecum communicabit de bonis, et erit al-
Ibid. 16. locutio cogitationis et tædii mei. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus, sed lætitiam et gaudium. Et quid mirum si sacra B doctrina seu divina et christiana sapientia tam suavis est homini contemplativo? quum Aristoteles dicat, quod philosophia admirabiles habet delectationes admixtas; et rursus, quod vita nostra quandoque ad modicum talis est, qualis est vita primi principii semper; itemque, quod vir contemplativus non quærit delectationes externas, quoniam intra se plenus est jucundis theorematibus.

(104) *A mandatis tuis intellexi,* id est, ex consideratione præceptorum cognovi C distantiam inter virtutes et vitia. Vel, A mandatis tuis intellexi, id est, intelligentiam veram adeptus sum servando manda-
Eccli. i, 33. ta : sicut scriptum est, Fili, concupiscens sapientiam, serva mandata, et Deus præbebit illam tibi. Ait quoque prophetica
xxviii, 9. Scriptura : Quem docebit Dominus sapientiam, et quem intelligere faciet audi-
Ibidem. tum ? Et respondet Propheta : Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere, id est eos qui carnis voluptates contemnunt, et secundum divina præcepta spiritualiter atque pœni- D tentialiter vivunt. *Propterea odivi omnem viam iniquitatis :* quam si non odirem, ex certa scientia, non ex ignorantia, pec-
c. xii, 47. carem ; conveniretque mihi illud, Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, plagis vapulabit multis.

PRECATIO.

Totius boni largitor, Domine, da nobis legem tuam sanctam diligere, et ejus meditationi pervigili mente inservire ; fac nos mandata tua recte intelligere, atque ab omni via mala te adjuvante nostræ pravitatis pedes prohibere.

- NUN.

(105) *LUCERNA pedibus meis verbum tuum :* id est, sacra Scriptura est intel- Pars XIV.
lectui meo atque affectui et cunctis operibus meis lucerna, quia illuminat me ne ambulem in tenebris vitiorum ; *et* verbum istud est *lumen semitis meis,* id est directio mea in observationibus consiliorum Christi : quæ dicuntur semitæ, quia sunt strictiores compendiosioresque viæ perveniendi ad Deum, quam præcepta. Hoc est quod Salomon asserit : Mandatum lu- Prov. vi, 23.
cerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ. Et alibi : Apprehende legem, Baruch iv, 2.
et ambula per viam ad splendorem ejus. (106) *Juravi,* id est, irrevocabiliter affirmavi, *et statui,* id est, proposui, *custodire judicia justitiæ tuæ,* id est præcepta quæ tua justitia judicat esse recta atque servanda. Jurare itaque licet, quando materia exigit : imo jurare debite circumstantionatum, est actus virtutis, quæ dicitur latria; sicque Scriptura admittit, laudat aut jubet juramentum, juxta illud, Dominum Deum Deut. vi, 13.
tuum timebis, et per nomen ejus jurabis ; et, In omni corde suo juraverunt Domino, II Par. xv, 15.
et in tota voluntate sua quæsierunt eum, et invenerunt. Quod vero Christus in Evangelio ait, Ego dico vobis non jurare om- Matth. v, 34.
nino, non dicitur præceptive simpliciter, sed ne sine necessitate juremus, quatenus occasionem perjurii et usum jurandi vitemus.

(107) *Humiliatus sum usquequaque,* id est, multum afflictus, dejectus et spretus sum; vel me ipsum vehementer humiliavi, contemnendo me propter negligentias et infinitos meos defectus. Idcirco, *Domine, vivifica me secundum verbum tuum,* id est, gratiam præsta mihi, qua vivam secundum verbum doctrinæ tuæ. Vel, Vivifica me, per gratiæ infusionem, secundum verbum tuum, id est, sicut pollicitus es te

Digitized by Google

gratiam donaturum afflictis et humiliatis. A Scriptum enim est : Qui humiliatus fuerit, (*Job* xxii, 29.) erit in gloria ; et alibi : Miserans miserebitur tui ; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. (*Is.* xxx, 19.) (108) *Voluntaria oris mei*, id est preces meas et cuncta quæ cupio, seu voluntarie tibi offero, *beneplacita fac, Domine*, id est, da gratiam illa taliter ordinare seu exhibere, ut tibi complaceant. Nam quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis, id est, infundit nobis quid postulandum sit. (*Rom.* viii, 26.) Unde orat Apostolus : Deus meus impleat omne desiderium vestrum secundum divitias suas in Christo Jesu. (*Philipp.* iv, 19.) *Et judicia tua*, id est mandata a te approbata, *doce me*. Vel, Judicia tua doce me, id est, da mihi gratiam contemplandi divina judicia, quibus unicuique datur quod meruit, ut sciam quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. (*Hebr.* x, 31.)

(109) *Anima mea in manibus meis semper :* id est, in continuo periculo incidendi peccata, et per consequens æternam damnationem, exsisto, propter insidias dæmonum, concupiscentias carnis, et cetera mundi ac corporis impedimenta, quibus a Deo retrahor, atque ad vitia trahor. Per hoc enim quod dicitur anima esse in manibus, designat Scriptura aliquod manifestum periculum, quemadmodum Jonathas dixit de David : Ipse posuit animam suam in manibus suis, et occidit Philistæum. (*I Reg.* xix, 5.) Et idem dixit Jephthe reversus de bello contra Ammonitas. (*Judic.* xii, 3.) Idem etiam dixit mulier pythonissa ad Saul. (*I Reg.* xxviii, 21.) Si ergo est anima nostra semper in manibus nostris, id est in tanto periculo, mirum est quod tam intimorati, leves et securi exsistimus. Idcirco veraciter scriptum est : Cor sapientium ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia. (*Eccle.* vii, 5.) *Et legem tuam non sum oblitus*, sed per memoriam et obedientiam eam servavi.

(110) *Posuerunt peccatores*, videlicet dæmones injustique homines, *laqueum*, id est occasionem ruinæ ac deceptionis, *mihi*, quatenus me aliquo modo a via Dei averterent. Laquei enim istorum quibus incautos decipiunt, sunt adulatio, laudatio, comminatio, sæculi vanitates, divitiæ temporales, et cetera in quibus maculatur affectus. *Et de mandatis tuis non erravi :* quia illorum tentationibus et suggestionibus non consensi, prout Salomon monet : Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis. (*Prov.* i, 1[0].) (111) *Hereditate*, id est stabili possessione, *acquisivi testimonia tua*, id est divina præcepta, et cetera verba divino testimonio approbata, utpote omnia sacræ Scripturæ eloquia, *in æternum*, ita B quod eis æternaliter adhærebo; *quia exsultatio cordis mei sunt*, id est, de eorum possessione atque notitia gaudeo magis, quam de omnibus temporalibus bonis.

(112) *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, id est tua mandata seu opera quæque, propter quæ justificatur homo a te : et hoc, *in æternum*, id est jugiter quamdiu sum. Nam et aliqua præcepta implentur in patria magis perfecte quam in via, sicut præceptum caritatis. *Propter retributionem* æternam, non temporalem, C videlicet propter felicitatem cœlestem, ut eam obtineam. Sed quum propter mercedem operari, sit opus mercenarii, non filii aut amici, quomodo ait se propter retributionem inclinasse cor suum ad opera bona? Et respondendum, quod sicut timor pure servilis nihil meretur; sic propter solam retributionem operari, nihil meretur, quia utrumque istorum procedit ex privato amore. Sed quemadmodum timor initialis meritorius est, in quantum aliquid habet de caritate adjunctum; sic D propter retributionem operari, meritorium est, quando intentio ultima fertur ad Dei honorem seu Deum, quem necesse est principaliter intendi in omni meritorio actu. Postremo, quemadmodum timor filialis maxime complacet Deo ; sic tota mente Dei honorem intendere, et propter purum Dei amorem bona agere, maxime sanctum et meritorium est, quoniam hoc ex divino amore causatur. Nihilo minus homo talis implicite agit propter mercedem, eamque aliquo modo intendit, non ex

Digitized by Google

privato amore, sed ex amore divino, in quantum videlicet Deus vult ut operemur propter præmium felicitatis æternæ.

PRECATIO.

Deus, recte viventium semita, et splendor animarum, Verbum tuum Christus sit lucerna pedibus nostris et lumen semitis nostris : ut ejus ductu, a mandatis ejus recta intelligamus, et omnem viam iniquitatis semper odio habeamus et declinemus.

SAMECH.

Pars XV. (113) *INIQUOS odio habui,* in quantum iniqui sunt : sic enim et Deo odibi-
Sap. xiv, 9. les sunt, juxta illud, Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Non autem odio eos secundum quod homines sunt, quum scri-
Matth. v, 44. ptum sit, Diligite inimicos vestros. Amare vero, secundum Philosophum, est alicui bonum velle; odire vero, est velle alteri malum. Iniquis itaque, in quantum sunt homines, debemus velle seu appetere bona, scilicet gratiam modo, et gloriam postmodum. In quantum vero sunt impii, non appetimus eis bonum; hoc enim esset contra justitiam : imo appetimus eis malum pœnæ in præsenti sæculo vel futuro, nisi pœniteant.

Verumtamen circa odium inimicorum et impiorum erraverunt et errant Judæi, arbitrantes secundum legem simpliciter fore odiendos iniquos ac æmulos, eo quod
Lev. xix, 18; Matth. v, 43. Moyses dicat : Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Sed hoc penitus falsum est ; et non solum ex Scriptura canonica veteris Testamenti, sed etiam ex gestis antiquorum Sanctorum hujus oppositum comprobatur. Constat enim quod David dilexit Saulem, cui tam frequenter
I Reg. xxiv, 12. pepercit, quem tam benigne patrem voca-
II Reg. i, 15. vit ; qui etiam eum occidit qui se, licet falso, asseruit occidisse Saulem. Similiter filium ejus Isboseth dilexisse ostenditur. Nam eo occiso, dixit latronibus qui eum
Ibid. iv, 11. interfecerunt : Quum homines impii inter-
A fecerunt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de terra? Et idem constat de aliis multis in veteri Testamento. Denique Moyses ait : Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed Lev. xix, 17. publice argue eum, ne habeas super illo peccatum ; et iterum, Non quæras ultio- Ibid. 18. nem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Salomon quoque loquitur : Ne dicas, Prov. xxiv, 29. Quomodo fecit mihi, sic et faciam ei ; et iterum, Quum ceciderit inimicus tuus, ne Ibid. 17.
B gaudeas, et in ruina illius ne exsultet cor tuum. Cui concordat sanctus Job, dicens : Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me Job xxxi, 29. oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. Sed et alibi habetur : Si esurierit Prov. xxv, 21, 22. inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, da ei aquam : et Dominus reddet tibi. Et hæc verba inducit Apostolus, probans ex eis Rom. xii, 20. inimicos esse amandos.

Et legem tuam dilexi, sicut nunc dictum est, super millia auri et argenti. Propter quod scriptum est : Parati sumus magis II Mach. vii, 2.
C mori, quam patrias Dei leges prævaricari. Si autem diligo legem tuam, ergo et observatores ipsius, videlicet justos.

(114) *Adjutor meus,* cooperando mihi per gratiam : sicut dicit Apostolus, Non I Cor. xv, 10. autem ego, sed gratia Dei mecum ; *et susceptor meus,* id est precum mearum auditor, meique ad te confugientis misericors amplexator : quemadmodum testatus es, Eum qui venit ad me, non ejiciam fo- Joann. vi, 37. ras ; *es tu, et in verbum tuum* quo misericordiam promisisti, *supersperavi,* sciens
D infallibiliter verum esse quod spondes. Idcirco ut benignitatem æternam promerear. (115) *Declinate a me, maligni,* quicumque sint illi, et o vos, cogitationes inanes et malæ, abite a me, nihilque mihi propinquet, quo a Deo elonger. Dicit autem et optat malignos a se recedere, non quod tentationes diaboli persecutionesque mundi absolute abhorreat, quum scriptum sit, Per multas tribulationes oportet nos in- Act. xiv, 21. trare in regnum Dei ; sed dicit, Declinate a me, maligni, causa animandi se ipsum

Digitized by Google

contra malignos, quatenus consensum deneget eis, eosque detestetur et vilipendat, in quantum sibi in via Dei resistere moliuntur. *Et scrutabor mandata Dei mei* diligenter atque humiliter, ut sciam ea luculenter, impleamque reverenter.

(116) *Suscipe me* brachiis pietatis immensæ, *secundum eloquium tuum*, quo di-
Zach. I, 3. xisti, Convertimini ad me, et convertar ad vos, *et vivam* per gratiam multo felicius, quam vivo per naturam seu animam; *et non confundas me*, nec confundi permittas, *ab exspectatione mea*, id est a bono exspectato a te, quod est gratia in præsenti, atque æterna beatitudo in cœlo. Exspectatio autem ista, est idem quod spes: quoniam spes est certa exspectatio futuræ felicitatis. Orat ergo ne frustretur spe sua, sed effectum et fructum spei mereatur sortiri. Nam et hoc Dominus per Isaiam
Is. XLIX, 23. promisit: Ego (inquiens) Dominus, super quo non confundentur omnes qui exspectant eum. Unde apud eumdem dicitur:
Ibid. XXX, 18. Deus judicii Dominus; beati omnes qui exspectant eum. Hinc in Ecclesiastico ha-
Eccli. II, 11. betur: Nullus speravit in Domino, et confusus est. (117) *Adjuva me* per gratiam incessantem, *et salvus ero* ab omni periculo.
Rom. VIII, 31. Nempe si Deus pro nobis, quis contra nos?
Job XVII, 3. Propterea sanctus Job Domino ait: Pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet con-
Gen. L, 19. tra me. Nemo enim omnipotenti Deo resistere valet. Et ideo in libro Esther dici-
Esther XIII, 9. tur: Si decreveris salvare nos, continuo liberabimur. *Et meditabor in justificationibus tuis*, id est mandatis, *semper*, id est omni tempore apto ac debito. Dicitur enim res semper fieri, dum nunquam omittitur quando fieri debet.

(118) *Sprevisti*, o Domine, *omnes discedentes a justitiis* * *tuis*, id est omnes in malo perseverantes, tua mandata non observantes. Sicut enim Deus hos odit, sic
Prov. XV, 9. eos contemnit. Unde scriptum est: Abominatio est Domino via impii. Rursusque
Ibid. VIII, 13. Sapientia ait: Arrogantiam et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. *Quia injusta cogitatio eorum*. Nam divinæ justitiæ contrariatur, juxta illud Michææ:
Væ qui cogitatis inutile, etc., quoniam contra Deum est manus eorum. *Mich.* II, 1. (119) *Prævaricatores*, id est legem Altissimi transgredientes, *reputavi omnes peccatores terræ*: de
quibus scriptum est: Domine, omnes qui *Jer.* XVII, 13. te derelinquunt, confundentur; recedentes a te, in terra scribentur; *ideo dilexi testimonia tua* interiori affectu, et exsecutione fideli, ne ego illis compar efficiar.

* judiciis

(120) *Confige timore tuo carnes meas*, id est, carnales motus exsistentes in me refrena atque mortifica timore futuri judicii æternarumque pœnarum; *a judiciis enim tuis timui*: id est, ex consideratione particularis judicii, quo statim dum moriar a te judicabor, ex consideratione quoque extremi judicii, et propter judicia tua jam facta, quibus luxuriosos atque carnales destruxisti, sicut in diluvio factum est quan-
do omnis caro corrupit viam suam, per- *Gen.* VI, 12. territus sum ne condemner. Vehementer quippe metuenda sunt ista judicia. Imo qui ea diligenter perpendit, sancto timore configitur, atque carnalibus motibus reluctatur.

PRECATIO.

Suscipe nos in gratiam tuam, Domine Deus, et non confundas nos ab æternæ salutis benedictione, quam a te exspectamus; tribue, quæsumus, nos in justificationibus tuis perseveranter meditari, et te adjuvante, cum integra fide præsenti vita dissolvi.

AIN.

(121) *FECI judicium*, diligenter dis- *Pars* XVI. cutiendo et dijudicando me ipsum, discernendo bonum a malo, verum a falso, purum a polluto; vel, Feci judicium subditis, quibus præfectus sum; *et justitiam*, dando unicuique quod suum est, me ipsum juste corrigendo, Deum in omnibus atque præ omnibus venerando, proximis quoque faciendo sicut mihi fieri cupio. Hæc duo Deus præcipue quærit a nobis,

Digitized by Google

Mich. vi, 8. prout habetur apud Michæam : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, etc. *Non tradas,* nec tradi permittas *me calumniantibus me,* id est voluntati et potestati eorum qui mihi calumniam inferunt, quærentes decipere, inficere, subvertere animam meam. Non ergo, o Domine, permittas me vinci, aut dæmonibus
Eccli. xxiii, 1, 3, 6. subdi. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu et consilio eorum, etc., et incidam in conspectu adversariorum meorum ; et animæ irreverenti ne tradas me. (122) *Suscipe servum tuum in bonum,* benigne ignoscendo imperfectionibus ejus, et ejus obsequium clementer acceptando, eique gratiam refundendo, qua semper proficiat; *non calumnientur me superbi,* id est, justam causam calumniandi me non inveniant dæmones in superbia obstinati, et homines eorum vestigia secuti.

(123) *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.* Hoc est quod paulo ante dictum ac variis modis
vers. 81. expositum est : Defecit in salutare tuum
vers. 82. anima mea ; Defecerunt oculi mei in eloquium tuum. Sicut enim anima, sic oculi interiores, de quibus nunc agitur, deficere asseruntur in salutare Dei : quod qualiter intelligendum sit, illic quæratur. (124) *Fac cum servo tuo,* videlicet mecum et unoquoque fideli, *secundum misericordiam tuam,* quæ vere immensa est, et non secundum malitiam meam innumeram ; sed pietatis tuæ abyssum declara in me, et sicut me conspicis indigere, sic subvenire dignare : quemadmodum a Daniele suppli-
Dan. iii, 42. catur : Non confundas nos, sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ.
Ibid. ix, 18. Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Et justificationes tuas,* id est mandata tua justificantia, *doce me.* Et decet te, nam (125) *Servus tuus sum ego :* idcirco *da mihi intellectum* divinitus illuminatum seu intelligentiam puram, *ut sciam testimonia tua,* id est credenda et operanda.

(126) *Tempus faciendi, Domine,* id est, hora est ut ista mihi concedas, propter pericula imminentia. Nam *dissipaverunt legem tuam :* id est, hæretici, doctores perversi, Judæi, et ceteri reprobi legem evangelicam et divinam perverterunt, et quantum in se est, annihilaverunt, eam mendaciter exponendo, impie blasphemando, contumaciter transgrediendo. (127) *Ideo dilexi mandata tua :* id est, quanto legem tuam conspicio amplius dissipari ab illis, tanto ardentiori zelo inflammor, ut eam recuperem, confirmem, observem. Unde dilexi mandata tua *super aurum et topazion,* id est plus quam omne aurum aut lapidem pretiosissimum nomine topazion. In hac enim lege divina consistit sapientia vera : idcirco de amore legis et mandatorum Dei verissime dici potest illud : Pre- *Prov.* iii, 15.
tiosior est cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Et alibi : Non dabitur aurum obryzum pro *Job* xxviii, 15, 16, 19.
ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus ; non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro, etc. ; non adæquabitur ei topazius de Æthiopia. Est autem topazion lapis pretiosissimus, duplicem habens colorem, videlicet auri purissimi, et alium ætherea claritate splendentem, cujus adspectus oculis intuentium jucundissimus fertur. Hic lapis adeo carus est, ut reges nil eo locupletius arbitrentur in suis thesauris. (128) *Propterea,* scilicet propter causam qua tua mandata dilexi, *ad omnia mandata tua dirigebar,* mente, ore et opere, quoniam unum observari non potest, si aliud negligatur ; *omnem viam iniquam,* id est omne peccatum, *odio habui,* non solum propter pœnam sequentem, sed propter ipsam deformitatem peccati, et maxime quia displicet Creatori sublimi et benedicto.

Ecce quam ardentissimæ preces, quam saluberrima documenta, quam perfectissima opera continentur ac describuntur in

Digitized by Google

psalmo præsenti. Qui ergo hæc opera habet, Deo gratus exsistat, et alios instruat. Qui vero non habet, studeat ea habere, studeat documenta ista implere, studeat preces istas tam ardenter Salvatori offerre, quod gratiam sortiatur tam perfecte vivendi, ut omnia ista sibi conveniant, et ea in propria persona decantet ad gloriam Dei mente jucunda atque gratissima, dicens cum sancto Apostolo: Gratia Dei sum id quod sum (I Cor. xv, 10.); cum Virgine quoque beata, incomparabiliter excellentissima: Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus (Luc. i, 49.).

PRECATIO.

Dona nobis, omnipotens Pater, mandata tua super aurum et topazion diligere, et omnem viam iniquam odio habere, et ab ea declinare: ut tua protectione defensi, a calumnia superborum valeamus liberari.

PHE.

Pars XVII.

(129) *MIRABILIA testimonia tua.* Sicut prædictum est, divinæ legis duæ sunt partes, videlicet mandata, quæ pertinent ad agenda, et testimonia, quæ pertinent ad credenda. Quamvis autem miranda et mirabilia sint quæ præcipimur agere, seu mandata, multo tamen mirabiliora sunt quæ jubemur credere. Nam præcepta moralia non excedunt naturalis rationis dictamen: aliqua tamen jubemur agere quæ naturalem rationem excedunt, secundum quosdam doctores, sicut inimicum diligere, et adversantibus bona impendere (Luc. vi, 27.). Sicut enim naturale est amantem amare, et benefacienti benefacere; sic naturale videtur odientem odio habere, et mala inferenti mala rependere. Porro ea quæ nobis credenda proponuntur, omnem prorsus rationem transcendunt, sicut sunt trinitas Personarum, incarnatio Verbi, integritas Matris, exsistentia Christi sub formis Sacramenti. Quum ergo tam mirabilia sint testimonia tua, o Domine, *ideo scrutata est ea anima mea,* optans ac satagens ea

A utcumque intelligere. Perscrutatio namque ex admiratione procedit. Et sicut philosophi ex admiratione cœperunt philosophari, quia videntes effectus mirabiles, ut sunt eclipsis solis, terræ motus et alia, et causam ignorantes, mirati sunt, et causam horum scrutari cœperunt; sic sancti doctores inspicientes sacram Scripturam, et mirabilia Dei testimonia in ipsa videntes, mirati sunt; cœperuntque intellectum eorum scrutari, et Deo illustrante profecerunt, quamvis perfecte ea comprehendere B nequierunt.

Sed quum Salomon asserat, Sicut qui mel comedit multum, non est ei bonum, sic qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria (Prov. xxv, 27.); et Paulus, Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem (Rom. xii, 3.); et rursus, Noli (inquit) altum sapere, sed time (Ibid. xi, 20.); et iterum scriptum est, Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (Eccli. iii, 22.): quid est quod Propheta et quilibet justus in psalmo isto dicit se divina velle scrutari, dicendo, Considerabo mirabilia de lege tua (vers. 18.); et, Exercebor in mirabilibus tuis (vers. 27.); nunc quoque, Mirabilia testimonia C tua, ideo scrutata est ea anima mea? Et respondendum, quod quædam est perscrutatio curiosa et animosa, dum homo proprio innitens ingenio, quærit divina comprehendere seu cognoscere ultra suæ capacitatis mensuram. Et ista culpabilis atque vitanda est. Unde ab Ecclesiastico dicitur: In pluribus operibus Dei ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt, oculis tuis videre (Eccli. iii, 22, 23.). D Alia vero est perscrutatio pia et humilis, dum homo divino innitens subsidio, studet divina cognoscere, quatenus in Dei amore proficiat, Beatorumque contemplationi, quantum possibile est, appropinquet. Et hæc bona et sancta est, ad quam hortabatur Christus Judæos: Scrutamini, inquiens, Scripturas, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me (Joann. v, 39.). Et Thessalonicenses laudat beatissimus Lucas, dicens quod quotidie perscrutabantur Scripturas (Act. xvii, 11.).

Digitized by Google

(130) *Declaratio sermonum tuorum,* id A est elucidatio sacræ Scripturæ a Spiritu Sancto infusa, sive per homines divinitus illustratos aliis facta, *illuminat* mentem humanam ad recte intelligendum ac juste vivendum. Propter quod dicit Apostolus : II *Tim.* III, 15. Sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere. *Et intellectum,* id est formatam atque salubrem notitiam, *dat parvulis,* id est humilibus. Propter quod Christus ait : *Luc.* X, 21. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et B *Prov.* IX, 4. Sapientia ait : Si quis est parvulus, veniat ad me. Superborum enim cognitio informis, vana, atque damnosa est, quum non sit caritati virtuosæque vitæ unita.

(131) *Os meum* corporale *aperui* orando, psallendo, quærendo, gemendo, *et attraxi spiritum,* id est aerem, sine cujus attractione vox oris formari non potest. Vel sic : *Os meum* intellectuale, videlicet intellectum, quo verbum mentis profertur, *aperui,* id est, ad gratiam Dei recipiendam *Ibid.* XXXI, 26. affectuose disposui, juxta illud, Os suum C aperuit sapientiæ ; *et attraxi spiritum,* id est, merito hujus sanctæ affectionis seu apertionis hausi atque recepi spiritum sapientiæ et intelligentiæ, imo Spiritum Sanctum, qui in corda desiderantium suum adventum descendere non abhorret. Hinc *Sap.* VII, 7. namque in libro Sapientiæ dicitur : Optavi, et datus est mihi sensus ; invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ. Sic ergo os aperui, spiritumque attraxi, *quia mandata tua,* o Domine, *desiderabam* affectuosissime, quatenus ea clare cognoscerem, sem- D perque perfectius observarem : quoniam non proficere in via mandatorum tuorum, est deficere. Ex ardenti autem desiderio causatur utraque ista apertio, ac bina attractio : nam vehementer cupiens, frequenter suspirat ac gemit.

(132) *Adspice in me,* non oculo districtæ ultionis, sed paternæ pietatis, *et miserere mei,* dando mihi gratiam contemplationis purissimæ, *secundum judicium diligentium nomen tuum,* id est, sicut diligentes te judicant sibi necessarium aut salubre. Vel, Secundum judicium diligentium nomen tuum, id est secundum judicium tuæ discretionis, quod fecisti in tuos dilectores, quos tua sapientia judicavit esse implendos misericordia tua. Vel, Secundum judicium diligentium nomen tuum, id est, sicut decrevisti facere diligentibus te : quibus tanta ac talia bona dare disposuisti, quod oculus ea non vidit, nec auris au- I *Cor.* II, 9. divit, secundum Apostolum. (133) *Gressus meos,* id est affectus, cogitationes, verba et opera, *dirige secundum eloquium tuum,* id est secundum doctrinam sacræ Scripturæ, ut mandata observem, consilia quoque adimpleam ; *et non dominetur mei omnis injustitia,* id est, nulla culpa aut passio rationi meæ prævaleat, ne sim servus pec- *Joann.* VIII, 34 ; *Rom.* VIII, 20. cati et carni subjectus, imo omni suggestioni perversæ et passioni immoderatæ efficaciter repugnem ac dominer. Hinc enim Dominus loquitur : Si male egeris, *Gen.* IV, 7. statim peccatum in foribus aderit ; sed sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Ratio igitur nostra jugiter dominetur appetitui sensitivo, qui in concupiscibilem, irascibilemque partitur.

(134) *Redime me a calumniis,* id est falsis accusationibus, *hominum* malignorum : non ut nunquam calumnias patiar, quas Christus toties passus est, cujus vestigia sequi oportet ; sed ne per impatientiam vincar, ne remurmurem, atque in talibus occuper : sed potius da mihi eas non curare, nec eis immorari, *ut custodiam mandata tua* corde quieto ac libero, quæ ab impatientibus litigantibusque nequeunt custodiri. (135) *Faciem tuam illumina super servum tuum,* id est, lumen vultus tui *Ps.* IV, 7. signatum super me clarifica, tui ipsius notitiam mihi infunde, fac me te modo contemplari per fidem et gratiam, postea quoque per speciem : quoniam hæc est vita *Joann.* XVII, 3. æterna, ut cognoscant te solum verum Deum ; et vani sunt omnes quibus non sub- *Sap.* XIII, 1. est scientia Dei. *Et doce me justificationes tuas,* id est mandata. Quam ubertim repetit hoc, ad insinuandum cordis sui ar-

Digitized by Google

dentissimum appetitum, et observantiæ A præceptorum necessitatem! Propter quod
Eccli. III, 22, 24. scriptum est : Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in supervacuis rebus noli scrutari multipliciter. Neque enim sufficit illuminatio veritatis, sine operatione virtutis : quoniam ex operibus innotescit, quantum homo in sancta Scriptura profecerit.

(136) *Exitus aquarum*, id est rivos lacrimarum seu lacrimas copiosas, *deduxerunt oculi mei* exteriores, *quia non custodierunt legem tuam*, id est, quia per eos non B custodivi legem divinam, quoniam usus sum eis ad vanitates, non ad spirituales profectus. Ecce docet nos sacratissimus ille versiculus, quid agere debeamus, videlicet ut uberrime nostra deploremus peccata, vehementissime dolentes quod Deum creatorem nostrum, naturaliter bonum et superpiissimum, unquam offendimus. Qui autem ita non plangit, ut versiculum istum de se ipso canere possit, non se putet efficaciter pœnitentem. Unde Jeremias hor-
Thren. II, 18. tatur : Deduc quasi torrentem lacrimas C per diem et noctem, et non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

Postremo, quis mortalium digne aut plene laudare valebit octonarium istum, cujus quatuor versus efficacissimas et omnino devotissimas preces includunt et continent?

PRECATIO.

Faciem misericordiæ tuæ illumina super nos, Domine, et doce nos justificationum tuarum opera peragere : ut qui tenebris peccatorum deprimimur, ab his declara- D tione sermonum tuorum illuminati exuamur.

SADE.

Pars XVIII. (137) *JUSTUS es, Domine, et rectum judicium tuum.* Hoc est quod dicitur in
Sap. XII, 15, 16. libro Sapientiæ : Quum sis justus, omnia juste disponis; virtus enim tua, justitiæ
Job XXXIV, 10, 11. initium est. Et alibi : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas; opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet. (138) *Mandasti justitiam*, scilicet *testimonia tua*, id est mandata, impleri. Jussit enim Deus ut fideles justam habeant conversationem, quæ consistit in hoc quod divina testimonia servant. *Et veritatem tuam*, id est fidem, *nimis* custodiri jussisti : quoniam nisi quisque articulos fidei firmiter immobiliterque servaverit, salvus esse non poterit. Decet namque omnino, ut tam magno legislatori ac Domino cum omni reverentia ministretur, fidelissime quoque credatur. Propterea scriptum est : Maledictus qui Jer. XLVIII, 10. facit opus Dei fraudulenter.

(139) *Tabescere*, id est ex magna tristitia deficere et liquefieri, *me fecit zelus meus*, id est zelus animæ meæ, ex divino amore procedens; *quia obliti sunt* adimplere et operabiliter credere *verba tua*, id est divina præcepta, *inimici mei*, qui contra præcepta operantur, et Deum ac justos odio habent. Hic zelus tabefecit Eliam, qui ait : Zelo zelatus sum pro Domino exercituum. III Reg. XIX, 10. Denique quicumque Deum fervide diligit, quanto eum ferventius amat, tanto de ejus inhonoratione magis affligitur, et sancto zelo resolvitur. (140) *Ignitum eloquium tuum vehementer* : id est, sermo divinus, sacra Scriptura, verbum Christi multum ignitum et igneum est, utpote igne Spiritus Sancti repletum, omnem mentem devotam inflammans divino amore, peccata comburens, frigida corda accendens. Dicitur ergo Dei eloquium ignitum, id est affectuosum. Propter quod Christus : Ignem, Luc. XII, 49. inquit, veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? Hic ignis erat ardentissima prædicatio ejus, seu gratia Spiritus Sancti, sicut et in Proverbiis dicitur : Omnis ser- Prov. XXX, 5. mo Dei ignitus est. *Et servus tuus dilexit illud* eloquium.

(141) *Adolescentulus sum ego*, id est per gratiam novus seu recens : prout Apostolus monet, Renovamini spiritu mentis ve- Ephes. IV, 23. stræ. Et iterum ait : Interior noster ho- II Cor. IV, 16. mo renovatur de die in diem. De iis enim qui hanc adolescentiam habent, scriptum

Digitized by Google

Cant. I, 2. est : Adolescentulæ dilexerunt te. Qui enim quotidie proficit, quotidie renovatur, adolescentiorque efficitur. *Et contemptus.* Hoc
Vers. 83. est quod dixit superius, Factus sum sicut uter in pruina. Devotos enim et mundo ac vitiis mortificatos odit, contemnit, persequitur mundus. Propter quod Christus ait:
Joann. XV, 19. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret. Unde ad Ezechielem Domi-
Ezech. XII, 6, 11. nus ait : Portentum te dedi domui Israel. Dic, Ego portentum vestrum. Et Aposto-
Galat. I, 10. lus : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Ecce docemur ex isto versiculo, tanto cordialius exsultare, quanto amplius aspernamur. *Justificationes tuas non sum oblitus :* id est, propter istam afflictionem contemptus mei, non neglexi implere mandata, nec recessi ab incepto salutis itinere. Talis erat sanctissimus
Job XXIII, 10. Job, qui quum dixisset, Probavit me Dominus quasi aurum quod per ignem trans-
Ibid. 12. it, adjecit : A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba ejus.

(142) *Justitia tua, justitia in æternum :* nam increata Dei justitia est æterna. Effectus quoque divinæ justitiæ æternaliter manet in reprobis. Similiter justitia, id est justa lex fidesque Christi, nunquam deficiet mundo isto durante ; nec ei succedet alia lex, sicut successit justitiæ veteris legis, quæ æterna non fuit, sed Christo veniente et passo, cessavit. *Et lex tua veritas :* quoniam adeo vera est, ut convenientius veritas nominetur, quam vera. Nil enim dubietatis, nil falsitatis ei miscetur.

(143) *Tribulatio et angustia,* id est dolor exterior atque interior, *invenerunt me :* id est, persecutio, languor, tentatio invenerunt me in hac miserabili vita, pœnis et vitiis plena ; sed quod est remedium in tanta ærumna, adjecit : *mandata tua, meditatio mea est,* id est, ad hoc ordinatur omne exercitium et universa occupatio animæ meæ, ne propter adversa aliquo modo recedat a te. Meditatio ista constantiam causat in animo. (144) *Æquitas te-*

A *stimonia tua in æternum :* id est, verba sacræ Scripturæ propter nimiam suam æquitatem, dicuntur non solum æqua, sed æquitas sine fine. Unde Sapientia ait : Ju- Prov. VIII, 8
sti sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid neque perversum. *Intellectum,* id est supernaturalem et gratiosam illustrationem mentis, *da mihi, et vivam* per gratiam, fidem formatam, caritatem divinam, operationemque justam.

PRECATIO.

B Spiritus tui igne accensos, Domine, ignitum eloquium tuum fac nos servos tuos diligere, et operibus bonis adimplere : ut eodem Spiritu tribuente, intellectum capiamus, quo in æternum vivamus.

COPH.

(145) *CLAMAVI in toto corde meo,* id Pars XIX.
est corde omnino converso ad te, non vago, neque per amorem temporalium rerum diviso, sed collecto et fixo in te. Is-
C te clamor cordis interior, est desiderium vehemens, quo tendit ad Deum anima amorosa. Vel, Clamavi ad te, o Domine, te exorando in toto corde, id est ex toto corde, videlicet ex intellectu, diligenter sensum verborum pensante, et voluntate, id quod postulo, ardenter concupiente. *Exaudi me, Domine,* taliter deprecantem ; *justificationes tuas requiram :* id est, quatenus me promptius pleniusque exaudire digneris, propono firmissime mandata tua requirere. (146) *Clamavi ad te* dicens : *Sal-*
D *vum me fac,* amovendo a me mala pœnæ et culpæ, atque præstando bona gratiæ et gloriæ, *ut custodiam mandata tua,* id est, ad hoc libera me a malis perturbationum præsentium, ut tibi semper obediam corde quieto ac libero.

(147) *Præveni,* id est, antequam transirem ad alia, veni ad te, *in maturitate* sensus mei, ex deliberatione videlicet ordinata, non ex præcipitatione importuna, primo Matth. VI, 33.
quærendo regnum Dei et justitiam ejus, *et clamavi* psallendo sive orando devote ;

Digitized by Google

in * *verba tua,* quibus promittis exauditionem benignam, gratiam piam, et gloriam sempiternam, *supersperavi.* (148) *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo :* id est, oculos cordis mei direxi ad te, antequam temporalia ista attenderem, aut in exterioribus occuparer, videlicet diluculo, id est mane incipiente aurora : quemadmodum Isaias ait, De mane vigilabo ad te. Et in Ecclesiastico de viro justo inducitur : Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Vel, Diluculo, id est in principio spiritualis diei, scilicet radiante gratia tua in anima mea, quoniam sine ejus splendore oculi mei ad te pervenire aut dirigi nequeunt. Sic itaque prævenerunt oculi mei ad te, *ut meditarer eloquia tua :* in quibus continentur aliqua ad tuæ majestatis contemplationem spectantia, aliqua vero ad meæ fragilitatis notitiam, quædam autem ad mandatorum cognitionem respicientia : et omnia ista diligenter ac jugiter meditanda sunt.

* *quia in* — *Is.* xxvi, 9. — *Eccli.* xxxix, 6.

(149) *Vocem meam,* id est orationem meam, *audi secundum misericordiam tuam, Domine.* Ecce qui tantis perfectionibus se ornatum disseruit, postulat exaudiri secundum misericordiam Dei, non secundum justitiam suam aut propria merita : quatenus advertamus non nobis sufficere merita nostra, nisi misericordia Dei subveniat, imperfecto nostro indulgens, nosque clementer salvificans. *Secundum* * *judicium tuum,* id est, sicut tu vides atque discernis te decere et me indigere, sicut tu bonum judicas, sicut tua sapientia dictat, *vivifica me* gratia, caritate et opere consummato. Nunc enim judicium sumitur pro actu exsistente in eo qui judicat, non pro reprobatione, remuneratione, aut effectu justitiæ. Sicque frequenter leguntur fideles orasse, ut Deus secundum judicium suum faceret eis, quemadmodum Joab ait : Dominus quod bonum est in conspectu suo faciet.

* *Et secundum* — II *Reg.* x, 12.

(150) *Appropinquaverunt persequentes me iniquitati,* id est, persequendo me, inique fecerunt ; *a lege autem tua longe facti sunt,* id est, affectus et opus eorum divinæ legi atque justitiæ multum contraria exstiterunt, eo quod innocentem et justum malitiose ac impie persecuti sunt. Quanto enim quis gravius peccat, tanto a Deo ac lege divina longius distat et abit. Propter quod apud Osee habetur : Dereliquerunt Dominum in non custodiendo. (151) *Prope esto* *, *Domine,* id est, per gratiam opemque perennem mihi adsistas, *et omnes viæ tuæ veritas,* id est, vera et justa sunt omnia opera tua, verba et jussa. Quamvis enim universæ viæ Domini sint misericordia et veritas, nihilo minus omnes viæ ejus sunt veritas, et iterum omnes viæ ejus sunt misericordia, secundum aliquem modum. Dum enim peccatorem gratis justificat, justum est ex parte bonitatis suæ, quæ tanta est, ut justum sit eam etiam indignis misereri. Est quoque justificatio illa misericors, eo quod Deus sine meritis misereatur iniquo. (152) *Initio,* id est primo omnium, et ab exordio considerationis meæ, *cognovi de testimoniis tuis,* id est verbis sacræ Scripturæ, *quia in æternum fundasti ea,* id est, taliter ea confirmasti et stabilisti, quod nunquam falsificabuntur, nec ab aliquo infirmabuntur. Hoc est quod Christus ait : Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Et Isaias testatur : Verbum Dei nostri stabit in æternum.

Osee iv, 10. — * alias *es t*[…] — *Apoc.* xix, 2. — *Ps.* xxiv, 10. — *Luc.* xxi, 33. — *Is.* xl, 6.

PRECATIO.

Prope esto nobis, Domine, et appropinquantes et persequentes nos in iniquitate a nobis repelle ; ad te nos clamantes salva : ut per te securi custodiamus mandata tua.

RES.

(153) *VIDE humilitatem meam,* id est, clementer, o Domine, intuere quantum affligor, contemnor, qualiter etiam ego me ipsum humilio, vilipendo et reprobo ; *et eripe me* ab omni miseria. Scriptum est enim : Qui se humiliat, exaltabitur. Job

Pars XX. — *Luc.* xiv, 11.

Digitized by Google

Job xxii, 29. quoque ait : Qui humiliatus fuerit, erit in A gloria. Unde et alibi dicitur : Gloriam præ- Prov. xv, 33. cedit humilitas. *Quia legem tuam non sum oblitus,* sed mente et opere eam servavi. (154) *Judica judicium meum,* id est, profer sententiam pro me, et discerne atque determina causam meam, quam habeo contra iniquos, qui me conantur elongare a te. Judica ergo ut angelus sanctus me protegat, nec illi prævaleant, *et redime me* ab omni malo præterito, præsenti et futuro. *Propter eloquium tuum vivifica me* gratia Spiritus Sancti. Hoc autem quod ait, Pro- B pter eloquium tuum, exponi potest tripliciter. Primo sic : Propter eloquium tuum, id est, ut sermo tuus quo gratiam deprecantibus promisisti, impleatur, vivifica me. Secundo sic : Propter eloquium tuum, id est ad honorem legis divinæ, ut promulgetur et observetur, vivifica me. Tertio sic : Propter eloquium tuum, id est propter bonitatem et gratiam tuam, qua dignatus es loqui nobiscum, et dare nobis divinam Scripturam ac legem, vivifica me, ne sim in morte peccati : de qua dicit Apo- C I Tim. v, 6. stolus, Vidua quæ in deliciis vivit, vivens Matth. viii, 22. mortua est; et Christus in Evangelio, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

(155) *Longe a peccatoribus* impœnitentibus *salus,* eo quod gratia careant, nec Deus Prov. xv, 29. cum eis sit, juxta illud, Longe est Dominus Ibid. xi, 20. ab impiis; et iterum, Abominabile est Do- Ibid. xiv, 34. mino cor pravum; et alibi, Miseros facit populos peccatum. Salus autem et felicitas idem sunt. Sicut ergo una est felicitas viæ, consistens dispositive in operatione virtutum moralium, essentialiter autem in D contemplatione Dei per fidem formatam, sic salus duplex est : et ab utraque tam longe exstat peccator, quantum a virtutibus distat. *Quia justificationes tuas non exquisierunt,* id est, mandata non quæsierunt diligenter implere. Idcirco eis continget quod apud Prophetam inducitur : Soph. i, 4, 6. Disperdam eos qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non exquisierunt Dominum, nec investigaverunt eum.

(156) *Misericordiæ tuæ multæ, Domine :* id est, effectus divinæ pietatis multi et varii sunt, multipliciterque misertus es nobis, imo mille et innumerabilibus modis nosti succurrere miseris, sicut scriptum est : Misericordiæ Domini, quia non sumus Thren. iii, 22. consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus. Vel ipsa una ac simplex misericordia Dei, vocata est pluraliter misericordiæ, propter multiplicem actum suum. *Secundum judicium tuum vivifica me.*

(157) *Multi qui persequuntur me, et tribulant me,* videlicet dæmon cum angelis suis, mundus cum amatoribus suis, caro cum concupiscentiis suis. Verumtamen desperandum nobis non est, quoniam Eliseus hortatus est : Noli timere ; plures IV Reg. vi, 16. enim nobiscum sunt, quam cum illis. Et sicut Jonathas ait : Non est Domino diffi- I Reg. xiv, 6. cile salvare in multis vel in paucis. Hinc etiam Christus ait electis : In mundo pres- Joann. xvi, 33. suram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Denique, juxta Apostolum, Sicut II Cor. i, 5. abundant Christi passiones in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. *A testimoniis tuis non declinavi,* sed fide et opere mansi fidelis. Ecce quanta constantia ! Magnum enim est non deficere in adversis. Unde Dominus loquitur : Esto fi- Apoc. ii, 10. delis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. (158) *Vidi prævaricantes, et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Hoc est quod paulo ante dixit atque expositum est : Tabescere me fecit vers. 139. zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Illic ergo sensum require.

(159) *Vide quoniam mandata tua dilexi :* id est, pietatem affectus mei clementer attende, approba et accepta. Et sicut me cernis zelari pro te, sic mihi repende, et dilige atque glorifica me, prout dixisti : Ego Prov. viii, 17. diligentes me diligo; et iterum, Quicumque I Reg. ii, 30. glorificaverit me, glorificabo eum. *Domine, in misericordia tua vivifica me,* dando mihi incessantem ac evidentem spiritualis vitæ profectum, ita ut impleam illud Apostoli : Profectus tuus manifestus sit omni- I Tim. iv, 15. bus; et, Noli negligere gratiam quæ data Ibid. 14. est tibi.

Digitized by Google

(160) *Principium verborum tuorum veritas:* id est, primum quod convenit sacro eloquio, est veritas, quoniam mere verissima sunt omnia verba sacræ Scripturæ. Joann. XVII, 17. Propterea Christus Patri suo ait : Sermo tuus veritas est. *In æternum omnia judicia justitiæ tuæ :* id est, quæcumque tua justitia approbat, causat et asserit, æternaliter justa sunt, semperque manebunt. Vel sic : *Principium,* id est origo seu causa, *verborum tuorum,* id est sermonum sacræ Scripturæ, est *veritas* increata, a qua procedit sacra doctrina, et cui immediate B innititur tanquam immobili fundamento. Propter quod tanta est certitudo et firmitas evangelicæ legis, imo universæ Scri- Galat. I, 8. pturæ canonicæ, ut dicat Apostolus : Licet angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Imo quum fides christiana æternæ veritati directe innitatur, nil falsius esse potest, nisi quod fidei benedictæ repugnet. *In æternum omnia judicia justitiæ tuæ;* id est, judicia quæ facturus es in die novissimo, sine termino permanebunt, C quantum ad præmium singulorum : quia Matth. XXV, 46. ut in Evangelio dicitur, Ibunt hi in ignem æternum, justi autem in vitam æternam.

PRECATIO.

Vide humilitatem plebis tuæ, Domine, et ab omnibus malis obstrepentibus nos redime ; vivifica nos pro tua pietate, in omni bona actione, ut semper custodiamus judicia justitiæ tuæ.

SIN.

Pars XXI. (161) *PRINCIPES* hujus mundi, videlicet dæmones, qui peccatoribus principantur, *persecuti sunt,* id est tentaverunt, *me gratis,* id est sine meis demeritis ; vel, Gratis, id est frustra, quia non prævaluerunt. Vel : Principes, id est homines impii, ceteris dominantes, persecuti sunt me Jacob. II, 6, 7. gratis, sicut scriptum est : Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et blasphemant bonum nomen, quod invocatum

A est super vos? De illis autem invisibilibus principibus, multum potentibus et astutis, ait Apostolus : Non est nobis col- Ephes. 12. luctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. *Et a verbis tuis formidavit cor meum,* id est, timui et expavi ne verbis mandatorum tuorum inobediens fierem. Quanto enim persecutio major est, tanto fit homo facilius transgressor legis divinæ : quia non cadere in adversis, difficile est. Ideo tempore persecutionis indiget homo specialiter formidare ne peccet, et verbum Dei relinquat. Imo quilibet nostrum quantumcumque perfectus, habet timere a verbis Dei, si velit Spiritum Sanctum habere in se, quum Dominus dicat : Ad quem respi- Is. LXVI, ciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Vel, A verbis tuis, quibus comminaris tormenta gravissima his qui vincuntur, formidavit cor meum : idcirco ne pœnas incidam, mansi fidelis et constans.

(162) *Lætabor ego super eloquia tua,* id est de hoc quod divina Scriptura mihi et aliis data ac revelata est : sicut a Propheta inducitur, Beati sumus nos, quoniam quæ Baruch IV, 4. Deo placita sunt, manifesta sunt nobis. Vel, Lætabor ego super eloquia tua, meditando, contemplando, observandoque ea. *Sicut qui invenit spolia multa :* qui utique multum gaudet. Unde a Jeremia dicitur : Fa- Jer. XV, 16. ctum est mihi verbum tuum in gaudium et in lætitiam cordis mei. Et Isaias ait : Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur Is. IX, 3. D in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Utroque modo lætari debemus super eloquia Dei. Maximum enim beneficium Dei est, quod sacro eloquio illustravit Ecclesiam ; et qui diligit Deum, delectari debet in sermonibus ejus.

(163) *Iniquitatem odio habui et abominatus sum.* Aliqui odiunt iniquitatem, non propter se ipsam, sed propter pœnam sequentem. Et isti sunt imperfecti. Operantur enim bonum ex timore servili, qui non

Digitized by Google

est meritorius, quamvis disponat ad gratiam secundum quod timor. Aliqui autem odiunt iniquitatem propter deformitatem et turpitudinem ejus. Quidam vero ex Dei amore odiunt eam, videlicet quoniam displicet Deo, et quia per eam inhonoratur atque offenditur Deus. Et istud est perfectius quam secundum : præsertim quum aliqui gentiles et infideles tantæ perfectionis fuisse legantur, ut peccatum propter suam deformitatem oderint, quemadmodum Seneca ait : Quamvis scirem deos mihi ignoscituros, non peccarem propter ipsam vilitatem peccati. Studeamus ergo tertio modo iniquitatem odio habere, quoniam hoc est amicorum filiorumque Dei, et evidens signum gratiæ. Amicorum quippe est proprium, eadem velle et nolle. Et honorare Deum spectat ad filios adoptivos, prout asserit Dominus : Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus ? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? *Legem autem tuam dilexi* magis quam omnia temporalia, vana atque caduca. (Malach. I, 6.)

(164) *Septies in die laudem dixi tibi,* id est, septem Horis seu vicibus canonicis quotidie te laudavi, *super judicia justitiæ tuæ,* id est de operibus, sermonibus, mandatis, ac ceteris a tua justitia procedentibus, et judicialiter approbatis. Hunc numerum ad litteram non observabant Judæi, quoniam Nehemias ait : Quater in die, et quater in nocte confitebantur Judæi, et adorabant Dominum Deum. Hæc ergo dixit Propheta in persona populi christiani, qui omni die naturali Deum septies laudat et invocat. (II Esdr. IX, 3.)

(165) *Pax multa,* id est interna et copiosa, est *diligentibus* opere et veritate *legem tuam.* Qui enim diligit legem Dei, in omnibus ordinate se habet. Pax autem est tranquillitas mentis, secundum Augustinum ; tranquillitas vero ordinationem consequitur. Dilectio ergo legis divinæ, est causa pacis internæ. Et quanto legem Dei perfectius amamus et observamus, tanto pleniorem in nobis pacem sortimur : quæ omni Christiano maxime appetenda est. Nam et Christus post resurrectionem discipulos suos taliter salutavit : Pax vobis. Ait quoque Apostolus : Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ; et iterum, Pax Domini * quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras ; et iterum, Pax Christi exsultet semper in cordibus vestris ; rursusque, Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit. Ecce quam frequenter nos hortatur noster Doctor ad pacis custodiam. *Et non est illis scandalum,* quia ut ait Hieronymus, qui scandalizatur parvulus est. Majores enim scandala non recipiunt. Unde perfecti qui Deum seu legem ejus efficaciter diligunt, nec activum neque passivum scandalum habent, id est, nec scandalizantur, nec scandalizant. Et si quis ex dictis seu factis eorum scandalizetur, hoc erit Pharisæorum Scribarumque scandalum, vel ex infirmitate scandalizati. (Joann. XX, 19, 21, 26. Rom. XII, 18. * Dei. Philipp. IV, 7. Coloss. III, 15. Hebr. XII, 14.)

(166) *Exspectabam* spe certa atque longanimi *salutare tuum, Domine,* id est salutem a te, salvationem salubrem, gratiam salutarem. Debemus enim in omni adversitate exspectare salubre auxilium Dei. Vel, Exspectabam, quamdiu in ista peregrinatione fui et vixi, salutare tuum, Domine, id est Christum mundi salvatorem : quemadmodum Jacob ait, Salutare tuum exspectabo, Domine ; et Habacuc, Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. *Et mandata tua dilexi,* quatenus per eorum caritativam custodiam, merear adipisci in patria salutare Dei, quod præstolor. (Gen. XLIX, 18. Habac. II, 3.) (167) *Custodivit anima mea* tenaci memoria atque laudabili vita *testimonia tua,* id est verba sacræ Scripturæ, quæ tu per multa mirabilia vera esse testatus es, testimonium exhibens eis : prout dicitur de Apostolis, Prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Et dicit Apostolus : Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, contestante Deo (Marc. XVI, 20. Hebr. II, 1, 4.)

signis et portentis, et variis virtutibus, A
et Spiritus Sancti distributionibus. Ecce
quam inviolata et inconcussa est certitudo
fidei christianæ atque catholicæ. *Et dilexit ea vehementer,* sicut decet magnum
bonum ardenter amari.

(168) *Servavi mandata tua* per obedientiam, *et testimonia tua* per fidem formatam, id est caritati unitam, *quia omnes viæ meæ in conspectu tuo,* id est, universa
quæ cogito, cupio, loquor et ago, videntur
et judicantur a te. Hinc enim sanctus Job
Job xxxi, 4. ait : Nonne Deus scit viam meam, et cun- B
ctos gressus meos dinumerat? Et iterum,
Ibid. xiv, 17. Signasti quasi in sacculo delicta mea ;
Ibid. xiii, 27. itemque, Observasti omnes semitas meas,
et vestigia pedum meorum considerasti. O
Mich. vi, 8. quanta est nobis causa sollicite ac timorate
ambulandi coram Deo judice nostro! Nam
et maximam injuriam facit judici, qui eo
præsente et prohibente, male agit. Sic nos
qui scimus Deum omnia nostra opera intueri, vehementissime inhonoramus eum,
quod sine diligenti custodia cordis coram
eo conversamur. Idcirco Boetius optime C
dixit : Magna est vobis indicta necessitas probitatis, si dissimulare non vultis,
quoniam omnia agitis ante oculos Judicis cuncta cernentis. Semper igitur divinæ
majestatis præsentiam cogitemus, dicen-
III *Reg.* xvii, 1; xviii, 15. tes cum Elia, Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie : sicque vivamus tanquam
mox judicandi ab eo. Et utique si ista
pensemus, incipiemus Deum vehementer
timere, in tantum ut cum beato Job di-
Job xxiii, 15. cere poterimus : Considerans Deum, timo-
Ibid. xxxi, 23. re sollicitor ; et rursus, Semper quasi tu- D
mentes super me fluctus timui Deum, et
pondus ejus ferre non potui. Hic autem timor præclarus facit vitare peccata, et observari mandata, quemadmodum Salomon
Prov. xiv, 27. profitetur : Timor Domini fons vitæ, ut
declinet a ruina mortis.

PRECATIO.

Diligentibus nobis, Domine, legem tuam, pacem largire perpetuam ; diligat anima nostra testimonia tua : unde nullum
sit nobis scandalum, quod in te speramus,
sed gloria et perpetua salus.

THAU.

(169) *APPROPINQUET deprecatio mea in conspectu tuo, Domine,* id est, tibi com- Pars XXI
placeat, non repellatur a te, sed effectum
salutarem obtineat, prout scriptum est :
Oratio humiliantis se, nubes penetrabit. *Eccli.* xxxv, 21.
Juxta eloquium tuum, id est, sicut dixisti et promisisti in sacra Scriptura, te *Luc.* xi, 13
daturum intellectum orantibus te, *da mihi intellectum,* id est illuminationem intellectivam. Scriptum enim est : Si quis *Jacob.* i, 5
vestrum indiget sapientia, postulet a Deo ;
et dabitur ei. Et Apostolus : Dabit tibi II *Tim.* ii, 7
Dominus in omnibus intellectum. Supra
quoque dixisti : Intellectum tibi dabo, et *Ps.* xxxi, 8
instruam te. Vel, Juxta eloquium tuum, id
est secundum conditionem et altitudinem
sacræ Scripturæ, da mihi intellectum eam
intelligendi veraciter : quatenus sicut illa
supernaturalis atque altissima est, sic conferas mihi sublimem mentis elevationem,
supernaturalemque intellectus mei illustrationem. (170) *Intret postulatio mea in conspectu tuo,* ut omnino admittatur ac impleatur a te. Moris est sacræ Scripturæ, in
his quæ affectum concernunt, eumdem
sensum sub aliis verbis frequenter repetere, ut accendatur et reaccendatur, atque
in se ipsa æstuanter fervescat voluntas in
divino amore et sancto affectu. *Secundum eloquium tuum,* quo misericorditer prædixisti te auxiliaturum egenis ad te clamantibus, *eripe me* ab omni periculo.

(171) *Eructabunt labia mea hymnum,* id est, ex interiori lætitia proferent labia oris
mei laudem et gratiarum actionem, *quum docueris me* actualiter *justificationes tuas,*
id est mandata, ut ea luculenter et operative cognoscam. Tunc quoque (172) *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum,* cantando laudes divinas, *quia omnia mandata tua æquitas,* id est, adeo justa et sancta
sunt, ut melius nuncupentur æquitas, quam
æqua. (173) *Fiat manus tua,* id est, pote-

Digitized by Google

stas tua, o Deus omnipotens, ita se habeat A circa me, *ut salvet me*, liberando animam meam a malis, corroborandoque eam in bonis, *quoniam mandata tua elegi* implere magis quam hominibus complacere, aut mundo servire.

(174) *Concupivi salutare tuum, Domine,* id est, Christum et ejus adventum ac fruitionem optavi. De quo utique salutari
Agg. II, 8. seu Christo scriptum est : Veniet Desideratus cunctis gentibus. Vel, Concupivi salutare tuum, id est salutem seu gratiam salutarem, vitam æternam, et gloriam B consummatam. *Et lex tua meditatio mea est* objectaliter, quia de ea est, et circa eam indesinenter versatur cogitatio mea. (175) *Vivet,* ut spero in tua bonitate, o Domine, *anima mea* per gratiam in via, per gloriam quoque in patria, *et laudabit te,* hic inchoative et imperfecte, illic vero consummative, plene ac sempiterne, sicut
Ps. LXXXIII, 5. prædictum est : Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te. *Et judicia tua,* id est considerationes judiciorum tuorum, et mandata C ac verba divina quæ tu justa judicas, seu flagella quibus in præsenti tuos electos castigas, *adjuvabunt me :* quia eorum auxilio gratiam adipiscar, per quam ad vitam æternam perducar.

(176) *Erravi sicut ovis quæ periit.* Nicolaus de Lyra, et quidam post eum, opinantur hoc non esse intelligendum de errore in moribus, vel de errore peccati et ignorantiæ, quia subjungitur, Mandata tua non sum oblitus ; sed de errore quo viri contemplativi ad loca solitaria confugientes, D æstimantur ab hominibus mundanis errare, insipienterque agere. Sed quia post verba hæc immediate subjungitur, Quære servum tuum, ad quod refertur quod subditur, Quia mandata tua non sum oblitus ; idcirco aptius arbitror, ut intelligatur de
Jacob. III, 2. errore culpæ et ignorantiæ. In multis enim (ut Jacobus protestatur) offendimus omnes. Et secundum Apostolum, Conclusit Rom. XI, 32; Galat. III, 22.
Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Loquens ergo Propheta in persona populi fidelis, seu hominis justi, qui interdum a via veritatis recessit : *Erravi,* inquit, a te Domino Deo meo et tuis præceptis, sequendo malignum, *sicut ovis quæ periit,* eo quod pastorem reliquit, propter quod lupi morsibus patuit. Unde scriptum est : Omnes nos quasi oves erravimus ; Is. LIII, 6.
unusquisque in viam suam declinavit. Idcirco, o Domine, *quære servum tuum,* id est, de manibus lupi seu dæmonis erue me, per gratiam visita me, et reduc me ad ovile ovium electarum, pro quibus animam tuam posuisti, *quia mandata tua non sum oblitus* finaliter, quamvis ad tempus ea neglexi.

Ecce psalmum quantitate verborum magnum, sed sensuum excellentia multo majorem, audivimus. In quo quasi per singulos versus anima fidelis Deum amorose fiducialiterque affatur; in quo saluberrima documenta refulgent velut stellæ in firmamento; in quo affectuosissimæ preces conscriptæ sunt; in quo docemur quid ad virum perfectum pertineat, quatenus si eas virtutes et opera sancta quæ cantamus, in nobis viderimus, Deo gratissimi simus, et tanto humiliores quanto ex donis receptis obligamur Deum amplius amare et honorare. Porro si bona ista nondum recepimus, sed vitiis et imperfectionibus variis implicamur, gemamus atque ploremus, et ad perfectionem (sicut Apostolus Hebr. VI, 1, 12.
monet) feramur, nec segnes efficiamur.

PRECATIO.

Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui pro humani generis redemptione ignominiam crucis voluisti sustinere, nos servos tuos, qui sicut oves pereuntes erravimus, require ; fiat manus tua ut salvet nos, et in gloria regni redde beatos.

Digitized by Google

ARTICULUS XXX

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI NONIDECIMI : AD DOMINUM, QUUM TRIBULARER, ETC.

1 Titulus psalmi nunc exponendi est : *Canticum graduum*. Dicuntur autem psalmus iste et quatuordecim immediate sequentes, psalmi seu cantica graduum, quoniam a sacerdotibus atque Levitis cantabantur in ascensu templi, qui erat per quindecim gradus. Per hos autem corporales ascensus, secundum doctores catholicos, designantur ascensus virtutum in gradibus spiritualis ædificii seu profectus, sicut de virtuosis prædictum est : Ibunt de virtute in virtutem. (*Ps.* LXXXIII, 8.) Gradatim enim et ordinate proficit homo. Hi ergo spirituales gradus virtutum tanguntur in psalmis istis. Quorum graduum primus est, a vitiis hujus sæculi recedere, et futurum sæculum desiderare. Sensus autem tituli est : Psalmus iste est canticum graduum, quia in ascensu graduum templi cantabatur ad litteram; spiritualiter vero dicitur canticum graduum, id est exsultatio mentis de spirituali processu virtutum.

LOQUENS ergo Propheta in persona hominis spiritualiter proficere cupientis, suumque profectum a prædicto fundamento seu primo gradu jam dicto inchoantis, ait : (1) *Ad Dominum, quum tribularer, clamavi :* id est, quum mente aut corpore infirmarer, quum a mundo, diabolo et carne tentarer, aut aliquo modo dire affligerer, Deum pro adjutore et salvatore invocavi, ad eum confugi, ad eum clamavi, id est, affectuose locutus sum : sicut et ipse supra consuluit, Invoca me in die tribulationis. (*Ps.* XLIX, 15.) Unde et scriptum est : Domine, Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. (*Baruch* III, 1.) Istud quippe est unicum optimumque in omni tribulatione solatium, ad Deum clamare, juxta illud : In nobis (II *Par.* XX, 12.)

A quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos; sed quum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Unde venerabilis illa Sara vehementer afflicta, ait : Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos erigo. (*Tob.* III, 14.) Et sanctissima illa Esther ita precata est : Domine mi rex, adjuva me solitariam, cujus præter te nullus alius auxiliator est. (*Esther* XIV, 3.) Sic ergo tribulatus, clamavi ad Dominum : nec frustra.

B Nam *et exaudivit me :* quemadmodum scriptum est : Salus populi ego sum, dicit Dominus; de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos. (Cf. *Is.* XLIII.) Et supra dixit : Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. (*Ps.* XC, 15.) Istum versiculum Jonas propheta taliter cecinit : Clamavi ad Dominum de tribulatione, et exaudivit me. (*Jonæ* II, 3.) Maxime enim adest misericors Deus famulis suis tempore tribulationis, eosque indubitanter exaudit tempore congruo, dummodo ipsi perseveranter clamaverint,

C et in nomine Jesu petierint, id est, ea rogaverint quæ ad veram salutem proficua sunt. Unde Sara illa filia Raguelis ait : Pro certo habet is qui colit te, Domine, quia vita ejus si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in correptione fuerit, ad misericordiam pervenire licebit. (*Tob.* III, 21.)

(2) *Domine, libera animam meam a labiis iniquis,* id est ab his qui verba evidenter maligna, pungitiva, derisiva, de- 2

D tractoria contra me proferunt, *et a lingua dolosa,* id est ab eo qui blandiendo, et mala sub specie boni proponendo, conatur animam meam a Deo avertere, a spirituali

profectu retrahere, aut aliquo modo deci- A
pere. Ab his petit homo fidelis liberari :
vel ut omnino ista non patiatur, quatenus
Deo liberius atque quietius vacet : nam
II *Thess.* III, 1, 2. et Apostolus, Orate, inquit, ut liberemur
a malis et importunis hominibus ; vel ne
per ista turbetur, et in bonis operibus im-
pediatur, impatiensque reddatur, sicut Apo-
Rom. XII, 21. stolus ait : Noli vinci a malo, sed vince in
bono malum.

Quæ autem sequuntur, dupliciter expo-
nuntur. Primo, ut sint verba Prophetæ ad
iniquum et dolosum ; eritque sensus : B
3 (3) *Quid detur tibi, aut quid apponatur*
tibi ad linguam dolosam ? id est, quid ti-
bi, o impie, prodest, et quis fructus te
consequetur, quod verba tam mala atque
fallacia contra famulum Dei pronuntias ?
Vel sic : Quid detur tibi, etc. ? id est, quæ,
qualis, et quanta tibi pœna infligetur pro
peccatis locutionis tuæ ? Et respondetur :
4 (4) *Sagittæ potentis acutæ,* id est, pœnæ
omnipotentis Dei, quæ sunt valde acutæ et
afflictivæ, tibi reddentur pro tuis peccatis,
cum carbonibus desolatoriis, id est cum C
igne inferni inexstinguibili desolatorio, in
quo nulla est consolatio de liberatione fu-
tura, sed desperatio sempiterna. Per sagit-
tas acutas, intelliguntur pœnæ præsentis
vitæ quæ impiis inferuntur, vel pœnæ fu-
turæ, aliæ a pœna ignis tartarei. Per car-
bones vero desolatorios, significatur pœna
infernalis incendii, quæ omnium pœna-
rum gravissima est.

Secundo exponuntur, ut sint verba Dei
seu Prophetæ ad hominem virtuosum. Erit-
que sensus : O homo fidelis, *Quid detur* D
tibi auxilii, *aut quid apponatur tibi* reme-
dii *ad linguam dolosam* vincendam ? tan-
quam dicat : Quid poterit tibi consilii atque
subsidii dari, quo contra linguam iniquam
armeris et superes ? Et respondet : *Sagittæ*
potentis acutæ, id est verba Dei omnipo-
tentis ignita et penetrativa, *cum carbonibus*
desolatoriis, id est cum exemplis eorum
qui post vitam facinorosam ad conversa-
tionem religiosam conversi sunt, dabuntur
tibi pro armis contra linguam dolosam.

Scientia enim Scripturarum, seu verba Spi-
ritus Sancti, maxime valent contra lin-
guam dolosam, ita ut nec ipsi efficiamur in
loquendo dolosi, nec a lingua dolosa falla-
mur, neque per impatientiam superemur.
Omnia enim ista implemus, si perpenda-
mus quantum divina Scriptura reprobat
linguam dolosam. Scriptum est enim : Frau- *Is.* XXXII, 7.
dulenti vasa pessima sunt ; et iterum, Ma- *Malach.* I, 14.
ledictus dolosus ; denique, Virum sangui- *Ps.* V, 7.
num et dolosum abominabitur Dominus. In
Ecclesiastico quoque : Qui sophistice loqui- *Eccli.* XXXVII, 23, 24.
tur, odibilis est ; in omni re fraudabitur.
Non est illi data gratia a Deo, omni enim
sapientia defraudatus est. Dicuntur au-
tem verba sacræ Scripturæ sagittæ acutæ,
quoniam animam vulnere caritatis trans-
figunt, peccata mortificant, interiora ani-
mæ penetrant. Unde scriptum est : Posuit *Is.* XLIX, 2.
Dominus os meum quasi gladium acutum,
et posuit me quasi sagittam electam. Et
Apostolus ait : Vivus est sermo Dei et effi- *Hebr.* IV, 12.
cax et penetrabilior omni gladio ancipiti,
et pertingens usque ad divisionem animæ
ac spiritus. De his Christi sagittis dictum
est ante : Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te *Ps.* XLIV, 6.
cadent, etc. Porro exempla Sanctorum di-
cuntur carbones desolatorii, id est vastato-
rii, quia ad amorem et imitationem nos
invitant, et quidquid dæmon in nobis con-
struxit, videlicet vitia et peccata, deva-
stant, destruunt et expellunt.

(5) *Heu mihi* misero et peregrino, *quia* 5
incolatus meus, id est habitatio mea in
præsenti exsilio, *prolongatus est,* id est, ni-
mis longus mihi ad patriam adspiranti vi-
detur. Hoc convenit his, qui fessi de vita
præsenti, toto desiderio patriam appetunt :
qui cum Apostolo dicere possunt, Nostra *Philipp.* III, 20.
conversatio in cœlis est ; et, Cupio dissolvi *Ibid.* I, 23.
et esse cum Christo ; et, Non habemus hic *Hebr.* XIII, 14.
manentem civitatem, sed futuram inquiri-
mus. Hi tales dicere possunt illud Tobiæ :
Nunc, Domine, secundum voluntatem tu- *Tob.* III, 6.
am fac mecum, et præcipe in pace recipi
spiritum meum ; expedit enim mihi mori
magis quam vivere. Tales fuerunt antiqui
Sancti, de quibus a Paulo dicitur : Defun- *Hebr.* XI, 13.

Digitized by Google

cti sunt omnes isti, non acceptis repromis-
sionibus, sed a longe eas adspicientes et
salutantes, et confitentes quia peregrini
et hospites sunt super terram. *Habitavi* in
isto exsilio *cum habitantibus Cedar*, id est
cum peccatoribus tenebrosis et excæcatis.
Gen. xxv, 13. Cedar enim interpretatur tenebræ. Eratque
6 Cedar filius Ismaelis. *Multum incola*, id
est exsul et peregrina, *fuit anima mea* in
sæculo isto. Hic enim degit in regione dis-
similitudinis, in carcere mortis, in gravi
exsilio, ad patriam properans : a multis,
in quibus quotidie evagatur, ad unum il-
A lud altissimum, in quo perpetue stabilia-
tur, gemens atque festinans.
(6) *Cum his qui oderunt pacem*, id est 7
cum turbulentis et murmuratoribus, et
sanctæ unitatis divisoribus, *eram pacifi-
cus*, non litigando, sed omnia patienter
ferendo ; *quum loquebar illis* caritative,
increpatorie, rationabiliter et modeste, *im-
pugnabant me gratis*, id est sine causa
condigna reddentes malum pro bono :
prout apud Amos inducitur, Odio habue- Amos v, 10.
runt corripientem, et loquentem perfecte
abominati sunt.

ARTICULUS XXXI

EXPLANATIO ALLEGORICA PSALMI EJUSDEM CENTESIMI NONIDECIMI DE CHRISTO.

ALIQUI autem exponunt hunc psalmum
ad litteram de populo Judæorum, in
captivitate Babylonica exsistenti. Et quam-
vis littera ad hoc valeat applicari, parum
tamen devotionis continet expositio talis.
Melius ergo est, ut de Christo exponatur :
in cujus persona loquens Propheta, ait :
1 *Ad Dominum*, id est ad Deum Patrem,
quum tribularer, id est passione instante
Marc. xiv, 33. seu præsente, quando cœpi tristari et pa-
Luc. xxii, 44. vere, quando factus est sudor meus sicut
guttæ sanguinis decurrentis in terram, *cla-
Matth. xxvi, 39. mavi*, dicendo : Pater, si fieri potest, trans-
Luc. xxii, 43. eat a me calix iste. Imo factus in agonia,
prolixius oravi. *Et exaudivit me* Pater in
Ibid. 42. eo quod dixi, Verumtamen non mea volun-
tas fiat, sed tua : quod intelligendum est
de appetitu naturali, quo Christus homo
horruit mortem. Hoc est quod dicit Aposto-
Hebr. v, 7. lus : Christus in diebus carnis suæ, preces
supplicationesque ad eum, qui possit il-
lum salvum facere a morte, cum clamore
valido et lacrimis offerens, exauditus est
2 pro sua reverentia. *Domine* Pater, *libera
animam meam*, id est me ipsum, seu vi-
tam meam corporalem, *a labiis iniquis*
B Judæorum clamantium, Tolle, tolle, cruci- Joann. xix, 15.
fige eum, *et a lingua dolosa* Judæ prodi-
toris, qui dixit : Quemcumque osculatus Marc. xiv, 44.
fuero, ipse est, tenete eum, et ducite eum
caute. Postulat autem Christus liberari ab
iis, non ut non occidatur, sed ne in mor-
te detineatur.
Quod vero subjungitur, *Quid detur tibi,* 3
aut quid apponatur tibi, etc.? potest esse
verbum Prophetæ ad adversarios Christi
Judæos, secundum sensum in præcedenti
articulo positum. Et respondetur : *Sagittæ* 4
C *potentis acutæ*, etc. Ubi per sagittas poten-
tis acutas, intelliguntur pœnæ Judæis in-
flictæ a potente exercitu Romanorum, in
ultionem sanguinis Christi. Per carbo-
nes quoque desolatorios intelliguntur com-
bustiones, quibus Romani incenderunt et
combusserunt templum et civitatem Jeru-
salem, et ceteras urbes Juda cum magna
parte populi. De qua pœna Judæorum Isaias
evidenter vaticinans, inter cetera ait : La- Is. xlii, 22, 24, 25.
queus juvenum omnes, et in domibus car-
ceris absconditi : facti sunt in ruinam, nec
D est qui eruat ; in direptionem, nec est qui
dicat, Redde. Quis dedit Jacob in direpti-

Digitized by Google

onem, et Israel vastantibus eum? Nonne
Dominus? Ipse est cui peccaverunt; et noluerunt in viis ejus ambulare. Ipse combussit eum in circuitu, et non cognovit; et succendit eum, et non intellexit. Hæc verba beatissimi Isaiæ de nulla alia oppressione Judæorum intelligi possunt, nisi de ea quam a Romanis perpessi sunt, in qua nunc usque premuntur et permanent; nec tamen cognoscunt suum peccatum: idcirco veniam nullam merentur.

Deinde Christus ut viator aliquo modo
exsistens atque passibilis, glorificandus,
5 nondum glorificatus, ait: *Heu mihi, quia
incolatus meus prolongatus est.* Desideravit enim Christus ab isto exsilio liberari,
ad patriamque reverti. Propter quod locu-
Marc. IX, 18. tus est: O generatio incredula, quamdiu
apud vos ero? quamdiu patiar vos? Et
Joann. XIV, 28. iterum: Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, id est, mihi de
meo reditu ad Patrem gratulanti, congratularemini. *Habitavi cum habitantibus Cedar,* id est cum excæcatis et obtenebratis
Judæis, inter quos multo conversatus sum
Baruch III, 38. tempore: prout alibi dicitur, Post hæc in
terris visus est, et cum hominibus conver-
6 satus est. *Multum incola,* id est peregrina
in hoc mundo, *fuit anima mea.* Incola
enim vocatur, qui alienam terram immoratur vel colit, et a patria sua longe sejunctus est. Sic autem Christus peregrinus
et incola erat in vita præsenti, quemadmo-
Jer. XIV, 8. dum Jeremias dixit ad eum: Quare quasi
colonus futurus es in terra, et quasi viator
declinans ad manendum? Unde et Christus
Joann. XVIII, 36. testatus est: Regnum meum non est de
hoc mundo. Quamvis enim terra ista non
sit aliena Christo conditione, quia creavit
Ibid. I, 11. eam, et venit in propria; dicitur tamen
aliena, quoniam non erat ei pro patria.
7 *Cum his qui oderunt pacem,* id est cum
Judæis qui fraternæ caritatis concordiam,

A evangelicæ prædicationis pacem, veramque mentis in Deo tranquillitatem abjecerunt, adversantes mihi et meis discipulis, *eram pacificus,* nihil eis molestiæ inferens, imo bona pro malis restituens; *quum loquebar illis,* redarguendo pessimam vitam eorum, prædicando eis contemptum divitiarum, et regnum cœlorum, dicendoque eis me esse Christum in lege promissum, *impugnabant me* verbis et ictibus *gratis,* dicentes, Tu de te ipso testimonium Joann. VIII, 13.
perhibes, testimonium tuum non est ve-
B rum; et nunc tentantes me præcipitare, Luc. IV, 29; Joann. X, 31; Marc. XV, 25.
nunc lapidare, tandem vero me crucifigentes.

Ecce in psalmo hoc brevi ac sententioso docemur, profectum nostrum spiritualem gradatim incipere per recessum a pristinis vitiis, sicut Scriptura hortatur: Fili, Eccli. XXI, 1, 2.
peccasti? Ne adjicias iterum; sed et de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur; et quasi a facie colubri fuge peccata. Docemur insuper, in omni tribulatione ad Deum clamare, eumque præcipue exorare,
C ut modis prædictis liberemur a labiis iniquis et lingua dolosa, tam aliorum quam propria. Corrumpunt enim mores bonos I Cor. XV, 33.
colloquia mala, secundum Apostolum. Edocet quoque nos psalmus iste, præsentem vitam cum omni sua voluptate et gloria aspernari, cœlestisque patriæ felicitatem præcordialissimo appetitu desiderare, et cum turbulentis hominibus pacifice conversari, quoniam Christo testante, Beati Matth. V, 9.
pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

PRECATIO.

D Tribulationum nostrarum clamorem exaudi, Domine, et da nos in pace tua jugiter exsultare: ut contra pacem odientes, nosque impugnare quærentes, fortiter stemus, et tuæ potentiæ auxilio de his triumphemus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXII

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI : LEVAVI OCULOS MEOS IN MONTES.

1 Titulus psalmi est: *Canticum graduum:* cujus intellectus in præcedentis psalmi expositione apertus est. Hic autem est secundus psalmus gradualis : in quo agitur de secundo gradu spiritualis profectus, videlicet de imploratione divini auxilii, quod relinquentibus pristina vitia maxime necessarium est.

AIT ergo Propheta in persona hominis spiritualiter ascendentis, et priora peccata derelinquentis : (1) *Levavi,* contemplando, orando, psallendo, amando, *oculos meos* præsertim intellectuales et etiam corporales, quatenus per exterioris visus elevationem, visus interior erigatur, *in montes,* id est ad cœlos, ad angelos sanctos, ad cives cœlestes. Unde ad sanctum Job dicitur : Ad aliquem Sanctorum convertere. (Job v, 1.) *Unde,* id est de quibus montibus, *veniet,* ut confido, *auxilium mihi :* quia per angelos sanctos mittit nobis Creator omnipotens gratiam cœlestis auxilii. (Hebr. i, 14.) Omnes namque (secundum Apostolum) sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Quoniam tamen auxilium istud est ab angelis instrumentaliter et ministerialiter, a Deo
2 autem principaliter, ideo subditur : (2) *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.*

Possunt quoque ista aliter explanari, hoc modo : *Levavi oculos meos* interiores *in montes,* id est ad altas considerationes, ad contemplationes sublimes. Ideo quæro : *Unde veniet auxilium mihi?* Et Spiritu Sancto instructus, respondeo : *Auxilium meum a Domino,* qui ait : Perditio tua, Israel, ex te ; in me tantummodo auxilium tuum. (Osee xiii, 9.) Et alibi : Non in exercitu nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus. (Zach. iv, 6.) Itaque auxilium meum a Domino, non particulari, sed universali, omnibus dominante, *qui fecit cœlum et terram,* quemadmodum in Genesi scribitur : In principio creavit Deus cœlum et terram. (Gen. i, 1.) Per cœlum vero et terram, hoc loco intelligenda sunt omnia intermedia atque universa in eis contenta. Præsertim autem per cœlum intelligitur cœlum empyreum, quod (secundum Damascenum) est continentia visibilium et invisibilium.

Hac igitur divini auxilii fultus fiducia, vir fidelis se ipsum affatur, dicendo :
(3) *Non det in commotionem pedem tuum,* 3
id est, spiritualem tuum profectum, cordis tui affectum, animæ tuæ stabilitatem non permittat Deus deficere, cadere, disperire; *neque dormitet,* id est, per modum fatigati seu dormientis se non habeat, *qui custodit te,* id est Deus omnipotens, qui est omnium electorum præcipuus custos. Et ecce vir sanctus ex interiori Spiritus Sancti instinctu se exauditum advertens, adjecit :
(4) *Ecce non dormitabit,* tanquam lassus, 4
neque dormiet, tanquam ab exteriori exercitio cessans, *qui custodit* per gratiam et angelorum subministrationem *Israel,* id est plebem fidelium, seu unumquemque fidelem : quoniam Deus electos suos incessanter custodit, gubernat et protegit, juxta illud, Ego Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. (Is. xlviii, 17.) Dicuntur autem Deus et angeli sancti dormire seu dormitare, sicut dicuntur irasci et pœnitere, videlicet secundum similitudinem, non secundum veritatem. Dicitur ergo Deus dormire, dum cessat gratiose succurrere.

(5) *Dominus custodit te,* in bono conser- 5
vans, et a malo præservans te in via præ-

sentis exsilii. Unde a viro sancto dicitur : A
Tob. v, 21. Sit Dominus in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum. *Dominus protectio tua,* id est causa protectionis tuæ seu protector tuus, *super manum dexteram tuam,* id est, magis ac fortius quam dextera tua, quæ fortius defendere solet, te pro-
Gen. xv, 1. tegere posset. Propter quod ait : Ego pro-
6 tector tuus sum. (6) *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Quemadmodum tempus seu dies et nox dicuntur facere quæ in ipsis fiunt, prout in libro Macha-
I Mach. xii, 1. bæorum habetur, Vidit Jonathas quia tem- B
pus eum juvat ; sic sol qui præest diei, eamque causat, et luna præsidens nocti, asseruntur ea efficere quæ in die fiunt aut nocte. Et hoc modo dixit quidam anachoreta ad alium : Infra quadraginta annos non vidit me sol manducantem. Cui alter : Nec me, inquit, irascentem. Et in li-
Judic. v, 20. bro Judicum : Stellæ manentes in cursu et ordine suo, adversum Sisaram dimicaverunt. Est itaque sensus : Per diem sol non uret te, id est, in die non ureris, non destrueris, neque peribis ; neque luna per C
noctem, id est, tempore nocturno non ureris sicut nec in die. Quem enim Deus custodit et protegit, nunquam uritur, id est, nunquam spiritualiter consumitur flamma libidinis, igne impietatis, ardore peccati.
Is. xliii, 2. Sicque scriptum est : Quum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Hoc cantat Ecclesia de sanctis quibusdam martyribus, qui utique corporaliter combusti sunt igne, non autem secundum sensum prædictum.

7 (7) *Dominus custodit te ab omni malo* D
culpæ mortalis, et etiam a malo pœnæ :
Act. xiv, 21. non ut non patiaris, quum per multas tribulationes oporteat nos salvari ; sed ne pœna animæ tuæ noceat ; imo Deo ordinante, ineffabiliter proficit ei, quia per eam servando patientiam, meretur vitam æternam. Itaque Dominus custodit te, o homo electe, ab omni malo : vel simpliciter ab omni malo, si nullum incidis malum ; vel, ab omni malo, a quo custodiris seu præservaris, ut scias donum Dei esse, si aliquod malum evadis. *Custodiat animam tuam Dominus,* ne gratiam perdas, ne caro ei prævaleat, ne finaliter pereat.
(8) *Dominus custodiat introitum tuum et* 8
exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum, id est omnia opera tua interiora et exteriora. Vel : Introitum tuum, id est inchoationem, dum opus bonum aggrederis ; et exitum tuum, id est operis consummationem, quatenus cuncta operatio tua a Deo semper incipiat, et per eum cœpta finiatur. Vel : Introitum tuum, id est conversationem tuam in hoc mundo, per quam hunc locum peregrinationis præsentis ingrederis ; et exitum tuum, quo a corpore separaberis, mundum exibis. De isto introitu et exitu ait Salvator : Ego sum os- Joann. x, 9.
tium ; per me si quis introierit, salvabitur ; et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.

Ecce psalmum jucundum et doctrinalem audivimus : in quo nobis divina providentia hilariter commendatur. Levemus igitur oculos nostros ad angelos sanctos, devotissime invocantes singuli eos, quibus specialiter sumus commissi, ut nunquam desinant nos propitie intueri, custodire, defendere ; totumque nostrum auxilium constituamus in Deo, dicentes illud Job :
Ecce non est auxilium mihi in me. Job vi, 13.

PRECATIO.

Custos Israel indefessus, qui non dormitas neque dormis, Deus, sis (quæsumus), Domine, nobis assidua protectio, custodiens nos ab omni malo, fidei nostræ introitum et vitæ exitum usque in sæculum disponens.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXIII

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI PRIMI : LÆTATUS SUM IN HIS, ETC.

Porro titulus psalmi præsentis, est in A
sensu et verbis idem cum titulo psalmi
1 præcedentis, videlicet, *Canticum graduum.*
Videturque ad litteram psalmus iste loqui
III *Reg.* v-vii. de ædificatione templi a Salomone con-
structi : quod David sciens futurum, ita
exorsus est :

(1) Lætatus *sum in his quæ dicta*
II *Reg.* vii, 12, 13. *sunt mihi,* per revelationem divi-
nam et Nathan prophetam. Et quæ sint
hæc, pandit : *In domum Domini,* id est in
templum a filio meo Salomone ædifican- B
dum, *ibimus.* Quamvis autem domum is-
tam David ingressus non sit, quoniam ante
ejus constructionem defunctus est, connu-
merat tamen se aliis qui introierunt, eo
modo loquendi quo aliquid dicitur fieri a
communitate, quoniam fit ab aliquibus ad
Ibid. 1-17. communitatem pertinentibus. Legitur au-
tem, qualiter David proposuit ædificare
templum Deo Israel, qui misit ad eum Na-
than prophetam, dicens per eum, quod ip-
se non ædificaret sibi templum, sed filius
2 ejus. (2) *Stantes erant pedes nostri,* id est, C
nos ipsi populus Dei, seu filii Israel, steti-
mus corporaliter *in atriis tuis,* o *Jerusalem,*
id est in atriis templi et civitatis. Habuit
namque templum Salomonis plura atria.
III *Reg.* vi, 36. Unum, in quo stabant et offerebant sa-
cerdotes ; aliud, in quo stabant et exora-
bant homines mundi ; tertium erat atrium
immundorum. Similiter civitatem Jerusa-
Ibid. ix, 15. lem clausit Salomon triplici muro : sicque
plura atria habuit civitas. De qua sub-
ditur :
3 (3) *Jerusalem* est *quæ ædificatur ut ci-* D
vitas, id est, a Salomone ædificatur, vel
potius in ædificiis melioratur, tam excel-
lenter atque regaliter, sicut decet regiam
civitatem seu regni metropolim ædificari ;
cujus participatio ejus in id ipsum, id est,
civitas ista associata est templo : nam in
Hebræo habetur, Quæ associatur ei simul.
Vel dicitur, Participatio ejus in id ipsum,
propter civium communionem et pacificam
conversationem, vel propter ædificiorum
mutuam confortationem ac decorationem.
(4) *Illuc enim,* id est ad hanc civitatem 4
et templum in ea constructum, *ascende-*
runt tribus, videlicet *tribus Domini,* id
est duodecim tribus Israel : quæ dicuntur
tribus Domini, quia ceteris gentibus ad
idololatriam devolutis, ipsi unum verum
Deum coluerunt ; *testimonium Israel,* id
est, sicut Jacob, alio nomine Israel dictus, *Gen.* xxxii, 28 ; xxxv, 10.
testatus est, et sicut ei Deus prædixit.
Nam de ædificatione templi Jacob prophe-
tavit : Quam terribilis, inquiens, est locus *Ibid.* xxviii, 17.
iste ! Non est hic aliud nisi domus Dei.
Ascenderunt itaque *ad confitendum no-*
mini Domini, id est, ut Deum laudarent,
ejusque beneficia recognoscerent in tem-
plo diebus solennibus, sicut in lege Moysis *Deut.* xvi, 16.
continetur. Non enim poterant offerre sa-
crificium, nisi in uno loco, id est templo
ædificato. (5) *Quia illic,* videlicet in ci- 5
vitate et templo Jerusalem, *sederunt se-*
des : ponitur continens pro contento, ut
sit sensus, Sedes, id est sedentes in se-
dibus judicialibus ; *in judicio,* id est, ut
judicarent populum. Ad reges namque et
summos sacerdotes in Jerusalem habitan-
tes, pertinebat determinare causas dubio-
sas et magnas emergentes, sicut in Deute- *Ibid.* xvii, 8-11.
ronomio scriptum est. *Sedes super domum*
David, id est, sedentes seu præsidentes isti
sederunt super domum David, quatenus
populum seu familiam David regis juste
judicarent.

Digitized by Google

Deinde invitat Propheta alios ad oran-
6 dum pro bono statu Jerusalem. (6) *Roga-
te,* o filii Israel, Deum ea *quæ ad pacem
sunt Jerusalem,* id est populo habitanti in
ea; *et abundantia* spiritualium et tempo-
ralium bonorum detur divinitus *diligen-
tibus te,* o Jerusalem, civitas Dei summi.
7 (7) *Fiat pax in virtute tua,* id est in forti
tua structura, ne adversarius te expugnet;
et abundantia victualium fiat, o Jerusa-
lem, *in turribus tuis :* in quibus cu-
stodes civitatis vigilare et arma reponere
solent.
8 (8) *Propter fratres meos,* id est Judæos
A cognatos, *et proximos meos,* id est ceteros
fideles, *loquebar pacem de te,* id est, Deum
in oratione affatus sum, deprecans eum
pro pace tua. Ordinatur enim locus seu ci-
vitas ad populum, non populus ad civita-
tem. Idcirco orandum est pro pace civita-
tis propter populum, non econtra. Maxime
vero orandum est pro pace loci, quatenus
cultus Dei augeatur. Ideo additur : (9) *Pro-* 9
pter domum Domini Dei nostri, id est
propter templum et cultum divinum in eo
perficiendum, *quæsivi* orando *bona,* id est
B statum pacificum abundantiamque bono-
rum, *tibi,* o Jerusalem.

ARTICULUS XXXIV

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI CENTESIMI VICESIMI PRIMI ANAGOGICA, ET QUOMODO ALLEGORICE POSSIT EXPONI.

ANAGOGICUM denique intellectum se-
quendo, loquitur Propheta de cœlesti
Galat. IV, 26. Jerusalem, de qua ait Apostolus : Illa quæ
sursum est Jerusalem, libera est : quæ est
mater nostra. Congrue autem ponitur hic
tertius psalmus gradualis post duos præ-
cedentes : quoniam primus gradus ascen-
sionis internæ, est exire de malis et vitiis
sæculi; secundus, implorare auxilium Dei;
tertius, confidere de perventione ad ulti-
mum finem seu vitam æternam : de quo
utique gradu hic psalmus pertractat.
Loquens ergo Propheta in persona ho-
minis præsentia cuncta parvi pendentis,
mansionemque cœlestem præcordialiter
1 cupientis, ait : *Lætatus sum* in Domino,
spirituali lætitia, *in his,* id est ex consi-
deratione horum, *quæ dicta sunt mihi* a
Prophetis atque Apostolis successoribus-
que ipsorum, vel per revelationem ange-
licam, seu inspirationem internam. Quæ
autem dicta sint, subdit : *In domum Domi-
ni,* id est in Ecclesiam triumphantem, in
patriam Beatorum, in regnum cœlorum,
C *ibimus,* post hujus vitæ incolatum, quum
ab omni reatu fuerimus expurgati. Hoc
dicit nobis Apostolus : Scimus quoniam si II Cor. V, 1.
terrestris domus nostra hujus habitationis
dissolvatur, quod ædificationem habemus
ex Deo, domum non manufactam, æter-
nam in cœlo. Et iterum : Ingrediemur il- Hebr. IV, 3.
lam requiem nos qui credidimus. Christus
quoque : Vado, inquit, parare vobis lo- Joann. XIV, 2, 3.
cum; et si abiero, et præparavero vobis
locum, iterum venio et accipiam vos ad
me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et
D iterum Dominus ait : Ecce ego creo cœlos Is. LXV, 17, 18.
novos et terram novam; et exsultabitis et
gaudebitis usque in æternum in his quæ
ego creo. Hoc autem quod dicitur, In do-
mum Domini ibimus, est verbum bonæ
spei. Non enim certitudinaliter scimus hoc,
nisi dicantur hæc verba in persona Eccle-
siæ. Denique, quam vehementer, ineffabi-
liter, incomparabiliterque gaudendum est
nobis de hoc, quod in hanc domum Domi-
ni sumus ituri, in qua Deus sublimis et
benedictus facie ad faciem sine fine vide- I Cor. XIII, 12.

Digitized by Google

tur, in qua invenitur æterna securitas et A
Matth. xxii, 30. plena jucunditas, in qua erimus sicut an-
Ps. cii, 5. geli Dei, satiabiturque in bonis desiderium
nostrum ! Hujus domus ingressu dignus
non est, qui in carnalibus jucundatur, qui
in sensibilibus detinetur, qui non contem-
Luc. i, 75. platur cœlestia, qui non servit Deo in san-
ctitate atque justitia : quia ut asseritur,
Apoc. xxi, 27. non intrabit in illam aliquid coinquinatum.
Signum autem et causa sperandi, quod
ibimus in domum Domini, est, quia jam
2 *Stantes erant pedes nostri,* id est, deside-
ria nostra et contemplationes nostræ, fixa B
et stabilita fuerunt *in atriis tuis, Jerusa-
lem,* id est in mansionibus regni cœlestis :
Philipp. iii, 20. ita quod conversatio nostra fuit in cœlis,
et omnia opera nostra ordinavimus ad vi-
tam æternam, quam summe atque finaliter
desideramus. Hoc est quod ait Apostolus :
Hebr. xii, 22, 23. Accessistis ad montem Sion, et civitatem
Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et mul-
torum millium angelorum frequentiam, et
Ecclesiam primitivorum, qui conscripti
II Cor. iii, 18. sunt in cœlis. Alibi quoque : Nos, inquit,
revelata facie gloriam Domini speculan- C
tes, in eamdem imaginem transformamur,
de claritate in claritatem.
3 *Jerusalem* ista cœlestis, est *quæ ædifi-
catur* quotidie usque ad consummationem
I Petr. ii, 5. sæculi ex vivis lapidibus, id est sanctis
animabus ad patriam pervenientibus, *ut
civitas* summa atque perfecta, taliter vide-
licet qualiter decet ædificari civitatem Re-
gis æterni. Ædificatur enim ex pretiosis,
politis, rationalibus ac sanctis lapidibus,
scilicet angelis atque hominibus, quomodo
Ephes. ii, 21, 22. Paulus testatur : In Christo omnis ædifica- D
tio constructa, crescit in templum sanctum
in Domino, in quo et vos coædificamini
in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. Ci-
vitas autem dicitur quasi civium unitas.
Tanto igitur cœlestis Jerusalem verius ci-
vitas appellatur, quam aliqua mansio viæ ;
quanto cœlestium civium major concordia
est, quam aliquorum in via. *Cujus parti-
cipatio ejus in id ipsum :* id est, omnes
cives hujus civitatis idem bonum partici-
pant, quoniam eodem summo bono omnes

fruuntur : magis tamen et minus, secun-
dum quod magis ac minus dilexerunt. Deus
ergo est id ipsum ejus, id est invariabile
indivisumque bonum supernæ Jerusalem :
cujus participatio, id est fruitio, beatitudo,
deificatio, qua divinam bonitatem partici-
pat, est uniformis et sempiterna, quem-
admodum scriptum est : Hæc est vita Joann. xvii, 3.
æterna, ut cognoscant te solum Deum ve-
rum ; et iterum, Similes ei erimus, quia I Joann. iii, 2.
videbimus eum sicuti est. Vel, Cujus par-
ticipatio ejus in id ipsum, id est, bonum
omnium est bonum singulorum, et econ-
verso, in civitate cœlesti. Quum enim amor
sit sui diffusivus et communicativus, sicut
in patria est perfectissimus mutuus amor
omnium Beatorum ; sic ibi est plenissima
communio beatitudinis singulorum. Nam
de felicitate unius, alius gaudet sicut de
propria : imo singuli singulis congratu-
lantur, et superiores inferioribus tradunt
de perfectionibus sibi divinitus datis, se-
cundum magnum Dionysium. Hæc autem
nulli civitati terrenæ proprie competunt.
Illuc enim, id est ad supernam Jerusa- 4
lem, *ascenderunt,* quantum ad animam,
tribus, non qualescumque, sed *tribus Do-
mini,* id est populus ex Deo per gratiam
natus, videlicet omnes electi jam defuncti,
et ab omni macula depurati. Multi enim
eorum simul cum Christo ascenderunt, et
alii interim sunt secuti. Præcesseruntque
nos, ut præparent nobis locum, ut orent
pro nobis, ut eorum imitemur vestigia,
prout monet Apostolus : Ideo et nos tan- Hebr. xii, 1.
tam habentes impositam nobis nubem te-
stium, deponentes omne pondus et cir-
cumstans nos peccatum, per patientiam
curramus ad propositum nobis certamen.
Testimonium Israel : id est, ascensus iste
est testimonium Israel, id est populi fide-
lis Deum contemplantis. Nam huic populo
Deus testatus est, quod ascenderent ad do-
mum suam cœlestem. Imo Jacob, sicut et
Abrahæ, promisit hoc Deus. *Ad confiten-
dum nomini Domini,* confessione laudis
æternæ, quemadmodum in Apocalypsi le-
gitur : Requiem non habebant die ac no- Apoc. iv, 8.

Digitized by Google

cte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, A
Dominus Deus omnipotens.
5 *Quia illic,* id est in civitate cœlesti, *sederunt,* sedent, atque sedebunt, *sedes,* id
est sancti Apostoli et apostolici viri, in
quibus Deus per gratiam requiescit. Nam
Prov. xiv, 33; Sap. vii, 27. et anima justi, sedes est Sapientiæ increatæ, quæ Deus est. Sedes *in judicio,* id est,
isti sedent in regno cœlesti cum Christo,
ut in die judicii judicent cum Christo,
Matth. xix, 28. quemadmodum ipse in Evangelio ait : Vos
qui secuti estis me, in regeneratione quum
sederit Filius hominis in sede majestatis B
suæ, sedebitis et vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Unde alibi dicitur : Judicabunt nationes, et
Sap. iii, 8. dominabuntur populis. *Sedes super domum David,* id est super populum Christi, cui
prælati sunt et judices constituti. Denique
solus Christus judicabit, proferendo sententiam. Trinitas vero superbenedicta judicabit per auctoritatem. Sancti vero et
apostolici viri, qui propter Christi amorem
omnia reliquerunt, et se ipsos abnegarunt,
judicabunt per approbationem et assessionem. C

Quum ergo sit tanta beatitudo civitatis
6 supernæ, o universi fideles, *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem :* id est, Deum
invocate pro his bonis, videlicet pro donis
Spiritus Sancti, per quæ mereamini ad cœlestis Jerusalem pacem perduci. Moxque
convertens Propheta sermonem ad triumphantem Ecclesiam, ait : *Et abundantia*
divinorum charismatum seu spiritualium
gratiarum detur divinitus per tuam intercessionem, *diligentibus te,* id est nobis D
viatoribus, qui ad tuam societatem perduci optamus.

Verum quoniam Petrus in sua Canonica
I Petr. iv, 10. ait, ut quilibet sicut accepit gratiam, in
alterutrum illam administraret ; idcirco
8 *Propter fratres meos et proximos meos loquebar pacem de te,* id est, felicitatem et
gaudia tua, o superna Jerusalem, aliis prædicavi, quatenus fratres et proximos meos,
id est fideles atque propinquos, erudirem,
tuo amore accenderem, atque ad tuam
unionem salvificam seu vitam æternam
adducere possem. *Propter domum Domini* 9
Dei nostri, id est, ut Ecclesiam militantem
hoc modo ædificarem, *quæsivi bona tibi,*
id est ad honorem et gloriam tuam : id est,
orando et prædicando quæsivi spiritualia
bona viatoribus ad gloriam Beatorum, videlicet ut ipsi amplius jucundentur, quantum
ad præmium accidentale, pervenientibus
viatoribus ad eorum consortium. Vel, Quæsivi bona tibi, Ecclesiæ triumphanti, laborando pro viribus, ut impleatur numerus electorum, et ædificentur muri tui per
complementum.

PRÆTEREA, quia per Jerusalem allegorice significatur Ecclesia militans, ideo potest hic psalmus de Ecclesia militanti exponi. Expositio allegorica.

Sicque loquens Propheta in persona populi gentilis, ait : *Lætatus sum in his quæ* 1
dicta sunt mihi ab Apostolis, scilicet quod
in domum Domini, id est in Ecclesiam
Christi, *ibimus,* ita quod pertinebimus ad
societatem ac numerum Christianorum. Hoc
est quod in Actibus recitatur. Quum enim
Paulus Judæis blasphemantibus respondisset : Vobis oportebat primum loqui verbum Act. xiii, 46-48.
Dei ; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus, Posui te in lucem Gentium, ut Is. xlix, 6.
sis salus mea usque ad extremum terræ
(quæ sunt verba Dei, de Christo loquentis
per Isaiam) ; subjungitur : Audientes autem gentes, gavisæ sunt, et glorificaverunt
verbum Domini, videlicet quia reprobatis Judæis, ipsi illuminandi essent a Christo. *Stantes erant,* id est, erunt : sæpe 2
enim Prophetæ loquuntur de futuro per
modum præteriti, propter certitudinem
prophetiæ ; *pedes nostri* corporales et spirituales *in atriis tuis, Jerusalem,* id est in
locis Ecclesiæ. Atria enim dicuntur introitus, seu loca per quæ in domum intratur.
Unde spiritualia atria sunt fides, spes, caritas, per quas itur ad unitatem Ecclesiæ,
cultumque divinum. In spiritualibus itaque
atriis stant pedes spirituales, videlicet bo-

Digitized by Google

ni affectus et sanctæ cogitationes, quibus
ad Deum graditur anima; in corporalibus
vero atriis stant corporis pedes.
3 *Jerusalem,* id est Ecclesia militans, est
quæ ædificatur ex Christifidelibus tan-
I Petr. II, 5. quam ex vivis lapidibus, *ut civitas* Dei,
quoniam ipsa est civitas Salvatoris; *cujus*
participatio ejus in id ipsum, id est, bona
spiritualia civitatis hujus quodammodo ex-
stant communia : quoniam unus fidelium
alii impertitur quod ipse recepit; imo al-
teri cupit providere atque succurrere tan-
quam sibi ipsi, quemadmodum ait Aposto-
I Cor. X, 33. lus : Non quæro quod mihi utile est, sed
Philipp. II, 4. quod multis, ut salvi fiant; et alibi, Non
quæ sua sunt singuli quærentes, sed quæ
aliorum. Et quid mirum, si participatio Ec-
clesiæ est in id ipsum, quum affirmet Apo-
Galat. III, 28. stolus, Omnes vos unum estis in Christo
4 Jesu? *Illuc enim,* id est ad Ecclesiam mili-
tantem, *ascenderunt tribus, tribus Domini,*
id est familiæ atque progenies electorum
ad fidem et gratiam, scilicet Christiani :
Act. XIII, 48. de quibus in Actibus dicitur, Crediderunt
quotquot præordinati erant ad vitam æter-
nam. Nam et ad ecclesiam materialem
Christiani corporali motu conveniunt; ad
Ecclesiam autem spiritualem, id est con-
gregationem fidelium seu ecclesiasticam
unitatem, conveniunt affectu, fide et ope-
re, idem credendo, idem sperando, idem
amando, eademque præcepta servando.
5 *Quia illic sederunt sedes in judicio.* In
Ecclesia namque constituti sunt judices,
tam spirituales quam sæculares : et isti
sunt *sedes,* id est in sede sedentes, *super*
domum David, id est præsidentes populo
Christi, qui significatur per David.
6 *Rogate,* o Sancti in patria, et o omnes de-
voti in via, *quæ ad pacem sunt Jerusalem,*
id est, illa vestris precibus procurate Ec-
clesiæ, quæ sunt pro spirituali pace et statu
pacifico ejus. Hoc enim oravit Apostolus :
I Tim. II, 1, 2. Obsecro, inquiens, fieri orationes pro om-
nibus hominibus, pro regibus et omnibus
qui in sublimitate constituti sunt, ut quie-
tam et tranquillam vitam agamus in omni
pietate. *Et abundantia* gratiæ et virtutum
sit, o Ecclesia, *diligentibus te,* id est uni-
versis qui zelum pium et amorosum ha-
bent pro bono statu ac spirituali profectu
totius Ecclesiæ militantis : qualis exstitit
Paulus, quem sollicitudo omnium Ecclesia- II Cor. XI, 28.
rum afflixit.

Propter fratres meos et proximos meos, 8
id est propter salutem et informationem
fratrum ac proximorum meorum, *loque-*
bar in oratione mea ad Deum *bona* * *de* [* alias pacem]
te, rogando Deum, ut bona spiritualia tibi
conferret. *Propter domum Domini Dei no-* 9
stri, id est, ut Ecclesia Christi modo pro-
ficeret in gratia, et postmodum esset in
gloria, *quæsivi bona tibi,* id est, dona Dei
tibi acquirere laboravi, o Ecclesia Christi
nunc militans. Ac si dicat : Propter tuam
salutem, non propter meam commodita-
tem, studui tibi auxiliari.

Ecce psalmum spirituali hilaritate per-
fusum, animamque devotam spiritualiter
lætificantem audivimus : quem decet nos
cum præcordiali gaudio decantare, nec pri-
mum psalmi hujus versiculum sine ca-
ritatis fervore ac spiritualis jucunditatis
excessu depromere. Et quia ad hanc cœle-
stem Jerusalem, in qua est ineffabilis con-
cordia caritasque plenissima, nemo per-
tingit, nisi caritatis et pacis amator et
observator; conemur in vera Dei ac pro-
ximi dilectione vivere atque proficere, per-
pendentes et adimplentes illud beatissimi
Apostoli : Obsecro vos ego vinctus in Do- Ephes. IV, 1-3.
mino, ut digne ambuletis vocatione qua
vocati estis, cum omni humilitate et man-
suetudine, cum patientia supportantes in-
vicem in caritate, solliciti servare unitatem
spiritus in vinculo pacis. Sic itaque con-
versantes in militanti Ecclesia, digni habe-
buntur ingredi Ecclesiam triumphantem,
cœlestem Jerusalem, quoniam vitam civium
ejus imitantur in terra. Hanc enim civita-
tem supernam eleganter describens Isaias,
in Dei persona ait : Ponam visionem tuam Is. LX, 17-19, 21.
pacem, et præpositos tuos justitiam; oc-
cupabit salus muros tuos. Non erit tibi
amplius sol ad lucendum per diem, nec
splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi

Digitized by Google

Dominus in lucem sempiternam, et Deus A tuus in gloriam tuam. Populus autem tuus, omnes justi. Ecce quam appetenda decoraque civitas! Ad quam duobus pedibus caritatis, videlicet Dei et proximi, itur et pervenitur. Spiritualium etenim gressuum pedem movet dilectio : quæ etiam intrat ubi scientia foris stat, sicut venerabilis Hugo testatur.

PRECATIO.

Omnium exsistentium opifex, Domine, statue pedes nostros in atriis tuis, et ædifica Jerusalem supernam in nobis ; fiat nobis pax continua in virtute tua : ut et ejusdem semper civitatis bona devoti quæramus, et te præstante inveniamus.

ARTICULUS XXXV

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI SECUNDI : AD TE LEVAVI OCULOS MEOS.

INSUPER titulus psalmi jam declarandi B
1 est : *Canticum graduum :* cujus intellectus liquet ex dictis. In hoc autem quarto psalmo graduali agitur de quarto gradu spiritualis ascensionis, qui est, inter omnes adversitates atque angustias inconcussam habere fiduciam de miseratione divina,
Job xiii, 15. sicut Job ait : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.

LOQUENS ergo Propheta in persona hominis graviter tribulati, et tamen de Domino immobiliter confidentis, ait : C (1) *Ad te levavi,* credendo, sperando, amando, contemplando, patienter ferendo, fideliter operando, *oculos meos,* præsertim intellectuales, et etiam corporales : quem-
Thren. iii, 41. admodum Jeremias ait, Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos ; *qui habitas in cœlis* materialibus et immaterialibus. Deus enim æternus et incircumscriptus, in nullo ente creato habitat, ita quod includatur aut comprehendatur seu limitetur ; in omnibus tamen est per essentiam, præsentiam atque poten- D tiam. Ibi vero præcipue esse et habitare censetur, ubi gratiosius et evidentius operatur : idcirco in angelis sanctis hominibusque devotis, qui sunt cœli spirituales, specialiter esse et habitare asseritur. In cœlis quoque, et præsertim in cœlo empyreo, est et habitat Deus, quoniam ibi videtur sicuti est. Verumtamen, quoniam I *Joann.* iii, 2
omnes Beati in cœlo materiali habitant, et nunc per hoc quod dicitur, Qui habitas in cœlis, intelligitur Deus, videtur de immaterialibus cœlis loqui, quia in illis Deo habitare est proprium.

(2) *Ecce sicut oculi servorum* sunt *in* 2
manibus, id est potestate et voluntate, *dominorum suorum,* ita quod diriguntur ad eos, postulando veniam, si offenderunt ; vel præmium, si laboraverunt ; vel informationem, si ignorent quid agere debeant ; (3) *Sicut oculi ancillæ* sunt *in manibus dominæ suæ :* secundum modum jam dictum ; *ita oculi nostri* diriguntur *ad Dominum Deum nostrum,* auxilium, indulgentiam, gratiamque precantes, *donec misereatur nostri,* faciendo quod postulamus, vel certe dando quod ipse novit nobis esse utilius. Et quia tamdiu indigemus misericordia Dei, quamdiu versamur in sæculo isto ; ideo quamdiu hic vivimus, debemus indesinenter oculos nostros ad Deum dirigere, præcipue tamen dum graviter tentamur sive affligimur. Sciendum quoque, quod hoc loco vox ista, Donec, est affirmativa et inclusiva omnium temporum, sicut habetur de Joseph : Non cogno- *Matth.* i, 25.

Digitized by Google

vit eam (puta Mariam) donec peperit filium A
suum primogenitum. Non enim sic dicun-
tur oculi nostri ad Dominum dirigi donec
misereatur nostri, quasi quum misertus
fuerit nostri, non amplius dirigentur ad
eum.
3 (4) *Miserere nostri, Domine,* mala culpæ
et pœnæ tollendo, *miserere nostri,* gratiam
et gloriam conferendo, *quia multum repleti*
sumus despectione, id est, ab iniquis mul-
Job XII, 4. tum despecti sumus. Deridetur enim justi
I Cor. IV, 10. simplicitas, sicut Job ait. Et Paulus : Nos,
inquit, stulti propter Christum. Electi nam- B
que a reprobis contemnuntur, religiosi a
sæcularibus, humiles a superbis, egeni a
4 divitibus. Ideo subditur : (5) *Quia multum*
repleta est anima nostra miseriis variis, in
tantum ut facta sit *opprobrium abundan-*
tibus, id est divitibus, *et despectio superbis.*

Psalmus iste instruit nos oculum cordis
ad Deum in omni necessitate erigere, ne-
que recedere donec misericordiam conse-
Luc. XVIII, 1. quamur. Oportet enim semper orare, et
non deficere. Præterea ad istam fiducia-
lem sanctamque elevationem inducit nos
Christus suo exemplo. De quo scriptum
est : Sublevatis Jesus oculis in cœlum, di- Joann. XV 1.
xit : Pater, venit hora, clarifica Filium
tuum. Et iterum : Jesus elevatis sursum Ibid. XI, 4
oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi. Ad
quid enim elevatio corporalium oculorum
sibi necessaria fuit, cujus interior oculus
Deum incessanter per speciem vidit, et cu-
jus voluntas in divino amore semper æqua-
liter arsit ? Non ergo ob aliud fecit hæc,
nisi ut nos eadem faciamus. Fecit autem
ideo, ut ostenderet se omnia a Patre habe-
re ; sed et hoc fecit, quatenus nos jugiter
fateamur a Deo esse, quidquid in nobis
boni exstiterit, juxta illud : Non potest Ibid. III, 27.
homo accipere quidquam, nisi datum fu-
erit ei de cœlo.

PRECATIO.

Nos tui servi oculos nostros ad te leva-
mus, qui habitas in cœlestibus, Domine
Deus, nostri miserere, et de opprobrio et
æterna superborum eripe despectione.

ARTICULUS XXXVI

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI TERTII : NISI QUIA DOMINUS ERAT IN NOBIS.

Hujus insuper psalmi titulus idem est C
cum titulo psalmi præcedentis. Quamvis
autem psalmus iste convenientissime ex-
ponitur in persona martyrum jam cum
Christo triumphantium, seu aliorum Bea-
Act. XIV, 21. torum in patria, qui per multas tribula-
tiones ingressi sunt regnum cœlorum ;
potest tamen viatoribus convenire, qui a
tentationibus, passionibus, persecutionibus-
que divinitus liberati, gratias referunt de
sua evasione. Et rite ponitur psalmus hic
quintus in ordine psalmorum gradualium.
Tractat enim de quinto gradu spiritualis D
ascensionis, qui est, non propriis viribus,
sed gratiæ Dei suam liberationem adscri-
bere. Unde Dominus in libro Judicum ait :
Ne glorietur contra me Israel, et dicat, Judic. VII, 2.
Meis viribus liberatus sum.

LOQUENS ergo Propheta de homine
seu populo, a multis tentationibus at-
que periculis liberato, ait : (1) *Nisi quia* 1
Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel :
id est, populus fidelis, Deum fideliter spe-
culans, profiteatur jam corde devoto ac
grato, quod nisi Deus gratiose fuisset nobis-
cum : quod iteratur pro majori certitudi-
ne, pro ampliori gratitudine, pro exhorta-
tione ferventiore, dum subditur, *nisi quia* 2
Dominus erat in nobis, id est, per gratiam

Digitized by Google

suæ defensionis nos protexisset; (2) *Quum* A
exsurgerent homines infideles, hæretici,
tyranni, maligni, *in nos,* id est contra nos,
mala pœnalia nobis inferentes, nosque ad
3 mala culpæ inducere satagentes, *forte vi-
vos deglutissent nos,* id est, ita nos occi-
dissent, sicut occiditur quod a bestia vi-
vum glutitur. Proprie autem convenit vox
ista sanctis martyribus, quia tyranni co-
nati sunt eos ad idololatriam seu Christi
negationem inducere : quo facto, absorpta
esset anima eorum, non caro : et ita vi-
vi absorpti fuissent. Nam viventes in cor- B
pore, mortui fuissent in anima ; haben-
tesque vitam naturæ, perdidissent vitam
gratiæ et gloriæ.

(3) *Quum irasceretur furor eorum in nos,*
4 *forsitan aquæ* tribulationum, id est vehe-
mentes persecutiones, *absorbuissent nos,*
id est, prævaluissent contra nos, ita quod
mortui fuissemus morte peccati, consen-
tiendo malignis, vel per impatientiam su-
perati. Nisi enim Deus patientiam atque
constantiam daret, quis in tantis tribu-
lationibus inconcussus persisteret? Unde C
Deut. viii, Moyses loquitur : Ne dicas in corde tuo,
7, 18. Fortitudo mea et robur manus meæ hæc
omnia mihi præstiterunt ; sed recordare
Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præ-
buerit. Significatur autem per aquam tri-
Is. viii, 7. bulatio magna, juxta illud : Adducet super
eos aquas multas et fortes, regem Assyrio-
Thren. iii, rum. Et alibi : Inundaverunt aquæ super
caput meum ; dixi, Perii.

5 (4) *Torrentem,* id est copiosam et magnam
tribulationem et tentationem, *pertrans-
ivit anima nostra,* æquanimiter sustinen- D
do adversa, neque consentiens suggestioni
perversæ ; *forsitan pertransisset anima
nostra aquam intolerabilem :* id est, nisi
Cor. i, 8. Dominus succurrisset, supra vires gravati
atque tentati essemus, et compulsa fuis-
set anima nostra pertransire, id est pati,
aquam intolerabilem, id est persecutio-
nem, cui resistere nullatenus potuisset.
r. x, 13. Sed fidelis Dominus, qui non est passus
nos tentari supra id quod ferre potuimus :
imo fecit cum tentatione proventum, dan-

do nobis gloriam pro tormento. Nequa-
quam etenim posset homo invisibilibus
hostibus suis resistere, nisi angelus san-
ctus succurreret, et Deus per se ipsum seu
per angelum opem impenderet. Nam de
potestate diaboli scriptum est : Non est Job xli, 24.
super terram potestas quæ comparetur
ei. Sunt enim incomparabiliter astutiores,
agiliores, expertioresque nobis. Idcirco :
(5) *Benedictus Dominus,* id est, ab omni- 6
bus benedicatur, laudetur, et æternaliter
benedictus exsistat, *qui non dedit nos* ef-
fective vel permissive *in captionem den-
tibus,* id est crudelitati ac malignitati, *eo-
rum,* id est invisibilium visibiliumque
inimicorum : id est, qui non permisit nos
capi seu vinci ab hostibus, quantum ad
animam, quamvis corporaliter ab eis vin-
cti, afflicti, occisive simus.

(6) *Anima nostra sicut passer erepta est* 7
de laqueo venantium : id est, quemadmo-
dum passer evadit rete sibi extensum, ne
capiatur; sic anima nostra per gratiam Dei
erepta est de impugnatione inimicorum
suæ salutis, videlicet hominum impiorum
ac dæmonum : qui vocantur venantes, quo-
niam animam insequuntur ut canes, qua-
tenus eam occidant, fallant, vinculo mise-
ræ servitutis ligent, et potestati diaboli
subdant. Quod enim non solum dæmon,
sed etiam homo malignus dicatur hoc mo-
do venator, liquet ex eo quod scriptum est:
Vir fratrem suum venatur ad mortem. Et Mich. vii, 2.
de indignis pastoribus ab Osee inducitur :
Ad iniquitatem eorum sublevabunt animas Osee iv, 8.
eorum. Laqueus vero vocatur, omne quo
anima ad peccandum inducitur, vel pote-
stati dæmonis subjecta efficitur. Unde in
Osee habetur : Attendite hoc, sacerdotes, Ibid. v, 1.
quoniam laqueus facti estis speculationi,
et sicut rete expansum super montem Tha-
bor. Similiter laqueus diaboli, species me-
retricis. Et de avaritia ait Apostolus : Qui I Tim. vi, 9.
volunt divites fieri, incidunt in tentatio-
nem et laqueum diaboli. Porro, quod om-
nia vitia dici possint laquei dæmonis,
patet per illud Apostoli : Det Deus illis II Tim. ii,
pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, 25, 26.

Digitized by Google

et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Laqueus ergo venantium est omnis tentatio, omnis carnis voluptas, omnis inordinata lætitia.

(7) *Laqueus contritus est*, id est, dæmon superatus est, peccato consensus negatus est, adversitas nocere non potuit, *et nos liberati sumus* a laqueis præinductis. Istud in hac vita perfecte cantare non possumus, quoniam tentatio durat usque ad finem, imo interdum in fine vitæ durius instat. Quando ergo cantabimus istud perfecte? nisi in vita futura, quando dicemus
I Cor. xv, 55. mente jucunda illud Apostoli : Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Possumus tamen istud in hac vita aliquo modo cantare, quando videlicet tentationi alicui prævalemus, aut quæcumque adversa Deo auxiliante evadimus. Nam et
Ibid. 57. Apostolus dicit : Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. Et de contritione diaboli
Rom. xvi, 20. ejusque laqueis ait : Dominus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.

8 (8) *Adjutorium nostrum* consistit *in nomine Domini*, id est in potestate Creatoris, A non in viribus nostris, quoniam scriptum est : Domine, omnia opera nostra opera- *Is.* xxvi, 12,
tus es nobis, et tantum in te recordemur 13.
nominis tui. In Domino itaque situm est adjutorium nostrum, *qui fecit cœlum et terram.*

Docet nos psalmus præsens omnem triumphum, profectum et gratiam Deo cum vera humilitate adscribere, divina beneficia devote recolere, atque de eis Domino gratias immolare. Postremo, secundum Hugonem, dæmones invadunt homines per B suggestionem, tangunt per malam cogitationem, mordent per pravam delectationem, masticant per deliberationem, transglutiunt per consensum, trajiciunt in stomachum per operationem, decoquunt per consuetudinem, et egerunt in mortem per damnationem. His autem gradibus descenditur in infernum.

PRECATIO.

Torrentem vitiorum, Domine, fac animam nostram pertransire : ut tua fortitu- C dine laqueo diabolicæ fraudis contrito, tuo in perpetuum liberemur adjutorio.

ARTICULUS XXXVII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI QUARTI : QUI CONFIDUNT IN DOMINO.

Est autem titulus psalmi nunc declarandi : *Canticum graduum*. Est enim hic
1 psalmus inter psalmos graduales sextus, agitque de sexto spiritualis ascensionis gradu, qui est immobilis quædam in Deo fiducia, ex præteritis beneficiis roborata. Quanto enim quis frequentius pietatem et gratiam Dei circa se experitur, tanto ejus fiducia in Deo certius stabilitur, et ita ex perceptione præsentium munerum certa fit exspectatio futurorum.

D Ait itaque sanctus Propheta : (1) *Qui confidunt in Domino*, non in rebus creatis, caducis et vanis, tales erunt et sunt *sicut mons Sion* : sive per montem Sion intelligatur mons ille terrenus, in quo templum Salomonis erat constructum, sive homo speculativus, qui alios per gratiam contemplationis transcendit. Nam, sicut mons ille terrenus erat immobilis, vel quia nullo modo, vel quia difficulter mobilis erat; sic confidentes in Domino, aut nullo

Digitized by Google

modo, aut difficulter moventur a rectitudine fidei atque justitia vitæ. Iterum, sicut vir contemplativus, qui est mons speculationis, in Domino stabilitur per gratiam; sic qui confidunt in Domino, in eo roborantur per spei certissimam longanimitatem. Is. xl, 31. Unde ait Scriptura : Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, ambulabunt et non deficient. Prov. xviii, 10. Et iterum : Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, et salvabitur.

Non movebitur in æternum qui habitat
2 *in Jerusalem.* Jerusalem illa terrena, quæ erat civitas in Judæa, sæpe mota atque destructa est. Bis enim totaliter est destructa, IV Reg. xxv, 9, 10. videlicet semel a rege Babylonis, et semel a Tito principe Romanorum. Frequenter quoque partim destructa est; sed et habitatores ipsius sæpe vastati sunt. Non ergo de illa Jerusalem loquitur jam Propheta, sed de cœlesti Jerusalem, cujus habitatores confirmati sunt in bono et statu beato, ita ut amplius nequeant commoveri. Potest quoque exponi de militanti Ecclesia, quæ per Jerusalem designatur, ut sit sensus : *Non movebitur in æternum* a fide catholica, a vita fideli, a gratia, quamdiu in præsenti sæculo degit, *qui habitat in Jerusalem,* id est in militanti Ecclesia, per fidem caritate et gratia adornatam. Non quod talis nunquam possit peccare, vel quod omnis in Ecclesia taliter habitans, sit electus, æternaliterque servandus; sed hoc dicitur ad insinuandum quid conveniat habitatori ac filio Ecclesiæ, seu homini justo, in quantum hujusmodi. Quamdiu enim manet membrum et filius Ecclesiæ, a Christo defenditur; sed non confirmatur in bono de lege communi, nisi hujus viæ cursu finito, vel potius in termino ejus. Nihilo minus ex gratia speciali aliqui Sancti ausi fuerunt asserere, in hac vita se nunquam movendos a statu salutis, quem- Job xxvii, 5. admodum sanctus Job ait : Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea; et Rom. viii, 38, 39. Paulus : Certus sum quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque creatura aliqua poterit nos separare a caritate Dei.

Hujus vero stabilitatis causa subjungitur. (2) *Montes in circuitu ejus :* id est, Beati in patria, scilicet angeli sancti et homines jam salvati, sunt in circuitu ejus, id est in gyro cœlestis Jerusalem, ideo civitas illa turbari non potest. Vel sic : Montes, id est angeli Dei, qui propter naturæ et gratiæ excellentiam montes vocantur, sunt in circuitu ejus, id est militantis Ecclesiæ, tanquam ad custodiam hominum ordinati ac missi. Sed ne quis hoc sufficere putet, vel in illis finaliter speret, adjungitur : *et Dominus in circuitu populi sui :* quemadmodum in Evangelio ait, Non re- Joann. xiv, 18. linquam vos orphanos; et, Ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consumma- Matth. xxviii, 20. tionem sæculi. Propterea sequitur : *ex hoc nunc et usque in sæculum.* Superius dictum est Domino, Synagoga populorum Ps. vii, 8. circumdabit te : quod illic expositum est; nunc dicitur, Dominus in circuitu populi sui : quod magis proprie dicitur quam illud. Proprie namque nihil esse potest in circuitu immensi et incircumscriptibilis Dei; sed Deus æternus ac infinitus, universa includit, omnia continet, ambit, conservat, suosque electos gratiose defendit.

(3) *Quia non relinquet Dominus* finaliter 3
virgam peccatorum, id est potestatem, persecutionem, tyrannidem reproborum, *super sortem,* id est partem, *justorum,* seu super justos, qui sunt portio atque hereditas Ps. xv, 5, 6. Dei : et hoc ideo, *ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas,* id est, ne ipsi superentur et peccent. Quamvis Deus ad tempus relinquat electos a perversis affligi, ut purgentur et gloriam mereantur, non tamen relinquit eos finaliter, sed salvat æternaliter. Denique dum videt eos supra vires tentari ac tribulari, et casui appropinquare, mox subvenit, et cum tentatione dispensat, ne justi iniquitatem incurrant.

(4) *Benefac, Domine, bonis* in opere, *et* 4
rectis corde, id est intentione, dando eis gratiæ incrementa in via, et beatitudinis

Digitized by Google

largitatem in patria. Recti corde sunt, quorum affectio Deo atque justitiæ consonat, *Matth.* vi, 22. quorum oculus simplex est, quorum intentio tendit in Deum.
5 (5) *Declinantes autem* a bono et via justa *in obligationes,* id est ad peccata, hominem ad pœnam obligantia, *adducet Dominus* in die judicii ad sinistram, et postea vel etiam ante, in infernum, *cum operantibus iniquitatem,* id est cum dæmonibus, quorum superbia *Ps.* lxxiii, 23. ascendit semper, *I Joann.* iii, 8. qui a principio peccant, *Ps.* xl, 9. qui quum cecidissent, non adjecerunt ut resurgerent, sed in malo obstinati manserunt. Hoc est quod apud Evangelistam inducitur: *Matth.* xxv, 41. Tunc dicet rex his qui a sinistris erunt : Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Et *Joel* iii, 4. Dominus alio loco ait injustis : Cito velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum. *Malach.* iv, 1. Et scriptum est : Ecce dies veniet succensa quasi ignis ; et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos dies veniens. *Pax* vera sit *super Israel,* id est populum fidelem, quemadmodum angeli cecinerunt: *Luc.* ii, 14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et Christus *Joann.* xiv, 27. ait : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quam utique pacem optavit *Is.* xxvi, 12. Isaias, dicens : Domine, dabis pacem nobis.

Ecce psalmum compendiosum et vere fructuosissimum, lætum et nimis sententiosum audivimus : in cujus exordio edo- A cemur quam beatum sit in Deo confidere. Unde et Jeremias testatur : *Jer.* xvii Benedictus vir qui confidit in Domino ; et Salomon, *Prov.* iii Habe, inquit, fiduciam in Domino toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. Docet quoque nos psalmus iste, quam potentes sint defensores Ecclesiæ, scilicet angeli, montes vocati, qui in circuitu Christianorum sunt discurrentes, velut apes negotiosæ, ut nostræ saluti provideant, dæmones coercendo, bona suggerendo, nostro profectui congaudendo, pro nobis orando, gra- B tiam reportando. Unde Dominus per Isaiam contestatur : *Is.* lxii Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Promittit insuper nobis hic psalmus, quod Dominus non relinquet virgam impiorum super sortem justorum, quatenus in omni afflictione hujusmodi confidamus nos tandem divinitus eruendos, interimque patientiam veram servemus : quia qui perseveraverit *Matth.* 22. usque in finem, salvus erit, sicut Salvator disseruit.

C

PRECATIO.

Mons, Christe, fortitudinis, tuis nos (quæsumus) ubique tuere præsidiis, esto in circuitu populi tui, et non derelinquas virgam peccatorum dominari super sortem famulantium tibi; bene fac nobis, et indulge tempora prosperitatis et pacis.

ARTICULUS XXXVIII

EXPOSITIO LITTERALIS AC MYSTICA PSALMI CENTESIMI VICESIMI QUINTI : IN CONVERTENDO DOMINUS.

1 Hujus quoque psalmi titulus est : *Canticum graduum :* quoniam psalmus iste spiritualiter explanatus, tractat de septimo gradu spiritualis ascensionis ad Deum : qui gradus consistit in exsultatione et gra- D tiarum actione de spirituali liberatione a vinculis peccatorum et servitute diaboli. Verumtamen, sicut ex littera patere potest, psalmus iste ad litteram scriptus est de reditu Judæorum a captivitate Babylo-

Digitized by Google

nis, in qua septuaginta annis fuerunt, A
Jer. xxv, 11. quemadmodum Jeremias prædixit. Et est
psalmus præsens gratiarum actio, et gau-
dium de liberatione captivitatis tam lon-
gæ. Breviter ergo tangenda est expositio
litteralis.

UNDE Propheta loquens in persona po-
puli, de captivitate hac redeuntis, ait:
(1) *In convertendo Dominus captivitatem*
Sion : id est, dum Dominus converteret
captivitatem populi Judæorum, reducen-
do eos de Babylone in Judæam ; *facti su-* B
mus nos inde redeuntes, *sicut consolati*
de beneficio liberationis. Sicut, hoc loco
significat non solum similitudinem, sed
veritatem, quoniam multum gaudebant
I Esdr. iii, 11-13. quod revertebantur ad locum cultus divi-
ni, ut patet in libro Esdræ. Per Sion au-
tem significatur populus Judæorum, quo-
niam Sion mons erat in Jerusalem, in quo
situm erat templum et regis palatium.
2 (2) *Tunc repletum est gaudio os nostrum,*
et lingua nostra exsultatione, id est, laudes
divinas læto ore et animo cantabamus, Do- C
mino gratias referendo. (3) *Tunc dicent*
inter gentes, id est, subjecti imperio Cyri
tunc dixerunt : *Magnificavit Dominus fa-*
cere cum eis, id est, Deus Israel magnifice
fecit cum populo suo : quia Cyrus rex Per-
Ibid. i, 1. sarum in universo suo regno publicavit
edictum, quod Judæi libere possent rever-
ti ad terram patrum suorum. Quo audito,
gentes miratæ sunt atque dixerunt, quod
Dominus magnificavit facere cum populo
suo, præsertim quoniam Cyrus in sua epi-
Ibid. 2. stola ita scripsit : Omnia regna terræ dedit D
mihi Deus cœli, et ipse præcepit mihi ut
ædificarem ei domum in Jerusalem. Pro-
pter quod etiam quidam gentilium con-
vertebantur ad Judaismum.

Hinc Propheta in persona Judæorum ad-
3 jecit : (4) *Magnificavit Dominus facere no-*
biscum, id est, multum gratiose, pie, atque
potenter fecit nobiscum. Unde Esdras di-
Ibid. vii, 27. cebat : Benedictus Dominus qui dedit hoc
in corde regis. *Facti sumus lætantes* in
Domino de beneficiis tantis. Sed quoniam
temporibus Esdræ in principio hujus re-
versionis populus modicus erat, et nec ci-
vitas nec templum fuerant reparata, idcir-
co pro conversione perfecta captivitatis
prædictæ orans Propheta, adjungit : (5) *Con-* 4
verte, Domine, captivitatem nostram, sic-
ut torrens in Austro convertitur : id
est, quemadmodum torrens siccatus rur-
sus impletur flante vento australi, qui
pluviam causat, et ita torrentes siccatos
facit aquosos ; sic populum tuum numero
minoratum auge et repara, civitatesque
Judææ et templum restaura.

Et decet sic fieri, quoniam (6) *Qui semi-* 5
nant in lacrimis, id est, qui opera pœni-
tentiæ faciunt, lacrimasque compunctionis
ac devotionis effundunt pro præteritorum
malorum indulgentia et futurorum bono-
rum gratia impetranda, *in exsultatione*
metent, id est, jucunde impetrabunt quod
postulant, præmiumque gloriosum reci-
pient, juxta illud : Beati qui lugent, quo- Matth. v, 5.
niam ipsi consolabuntur. Sic autem Judæi
fecerunt, nam (7) *Euntes* a Jerusalem et 6
Judæa in Babylonem, *ibant et flebant* ex
compunctione atque tristitia, quod locum
divini cultus relinquere et terram idolola-
triæ deditam ingredi cogebantur, *mitten-*
tes semina sua, id est, opera bona agentes,
ex quibus tempore apto fructum consola-
tionis et gratiæ sortirentur. (8) *Venientes*
autem de Babylone ad Judæam, *venient*
cum exsultatione, portantes manipulos su-
os, id est fructum seminis jam prædicti.

MYSTICE insuper explanatur hic psalmus Expositio
de Ecclesia, seu unoquoque fideli, a vitiis tropologica.
seu spirituali Babylone, id est scelerum
confusione, erepto. Eritque sensus : *In* 1
convertendo Dominus captivitatem Sion :
id est, quum Ecclesiam militantem, seu
quemlibet fidelem converteret a vita con-
fusa, a peccato mortali, a præsenti miseria,
ad vitam ordinatam, ad gratiæ statum, ad
gloriæ locum ; *facti sumus sicut consolati.*
De hac enim conversione vehementissime
gloriandum est omni Christiano. Propter
quod ait Apostolus : Multa mihi fiducia est II Cor. vii, 4.

Digitized by Google

apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis; A
repletus sum consolatione, superabundo
gaudio in omni tribulatione nostra. Præcipue vero gaudendum est prælatis, dum eorum subditi convertuntur ad meliora, exemplo B. Joannis, qui in sua Canonica
III *Joann.* 4. profitetur : Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

2 *Tunc,* id est in conversione hujus spiritualis captivitatis atque internæ consolationis, *repletum est gaudio* spirituali et laude jucunda *os nostrum* mentale et cor- B
porale. Est enim os spirituale, intellectuale sive mentale, quo verbum cordis profertur, quo angeli colloquuntur. De quo
Eccli. xxiv, 5. Sapientia dicit : Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Hoc os impletur gaudio Spiritus Sancti, ex consideratione gratiæ beneficiorumque Dei. *Et lingua nostra* impleta est *exsultatione,* id est laude vocali et jubilo exube-
Matth. xii, 34. ranti. Ex abundantia enim cordis loquitur lingua. Similiter plenitudo interioris lætitiæ redundat atque apparet in ore et lin- C
gua corporis. *Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis :* id est, quidam sæcularium hominum, seu quicumque alii populi, videntes gratiam Dei nobis collatam, mirabuntur et dicent : Magnifice fecit Deus cum eis. Frequenter enim homines mundum amantes, laudant in aliis quod imitari non volunt; videntesque quosdam converti ad Christum, ingredi claustrum, subito immutari, mirantur, et Deum in suis effectibus laudant, nec tamen eamdem gratiam sibi elargiri pre- D
cantur.

3 *Magnificavit Dominus facere nobiscum.*
Luc. i, 49. Hoc est quod ait dignissima Virgo : Quia fecit mihi magna qui potens est. Magnificavit enim Dominus Christus facere nobiscum, nostram naturam assumendo, nostram captivitatem primam ac generalem convertendo, pro originali peccato satisfa-
Baruch iii, 38. ciendo, inter homines conversando, nos sibi per gratiam uniendo, ex nobis Ecclesiam congregando, corpus suum et sanguinem nobis tradendo, Spiritum Sanctum mittendo, et innumerabilia beneficia conferendo : idcirco *facti sumus lætantes,* et gratias referentes, atque hilariter ministrantes. Hinc enim Judith misericordiam
Dei experta, ait : Laudate Dominum Deum *Judith* xi 17, 18.
nostrum, qui non deseruit sperantes in se, et in me adimplevit misericordiam suam.
Converte, Domine, captivitatem nostram 4
perfecte : id est, nos propter originale peccatum infectos vulneribus animæ, erue
ab omni corruptione peccati, in libertatem *Rom.* vii 21.
filiorum Dei; et peccata quibus quotidie ligamur et capimur, aufer a nobis; *sicut torrens in Austro* convertitur, quatenus sic impleamur donis et gratiis Spiritus Sancti, sicut torrens siccatus impletur humoribus aquæ Austro flante.

Qui seminant in lacrimis, id est, qui 5
modo in luctu pœnitentiæ seu lacrimis devotionis se ipsos exercent, qui temporales delectationes contemnunt, et corde contrito et humiliato Deo ministrant : isti *in exsultatione metent* bona gratiæ in præ-
senti, et fructum gloriæ in futuro. Bono- *Sap.* iii, 15.
rum enim laborum gloriosus est fructus.
Et Apostolus ait : Qui parce seminat, parce II *Cor.* ix, 6.
et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam æternam. Propterea apud Jeremiam con-
sulitur nobis : Novate vobis novale, et no- *Jer.* iv, 3.
lite serere super spinas. Porro quinque sunt genera lacrimarum. Primæ lacrimæ sunt pro indulgentia propriæ culpæ : et hæ mundant a sorde peccati. Secundæ sunt pro timore futuri judicii et gehennæ : et istæ refrigerant ab ardore concupiscentiæ, retrahuntque ab omni iniquitate. Tertiæ sunt pro incolatu præsentis exsilii : quæ potant animam sitientem. Quartæ, pro defectibus proximorum : et istæ impinguant plangentem. Quintæ sunt pro desiderio patriæ : quæ animam omni bono fecundant.

Euntes electi Dei per viam vitæ præsen- 6
tis, *ibant* per viam mandatorum Altissimi, *et flebant,* secundum aliquem modum prædictorum generum lacrimandi, *mittentes*

Digitized by Google

semina sua, id est opera meritoria facientes : quæ opera dicta sunt semina, quoniam sicut ex semine nascitur fructus, sic ex operibus bonis oritur fructus vitæ æternæ, infusio consolationis divinæ. Mittunt igitur semina sua, id est, opera bona ante se mittunt, cumulum meritorum colligunt, quem in Christo abscondunt, quemadmo-
Matth. vi, 20. dum ipse hortatur : Thesaurizate vobis
Galat. vi, 9. thesauros in cœlo. Et Apostolus : Nolite, inquit, deficere benefacientes ; tempore enim suo metemus non deficientes. *Venientes autem* ad Christi tribunal, *venient cum exsultatione,* id est cum secura et læta conscientia, *portantes manipulos suos,* id est opera virtuosa quæ collegerunt.
Apoc. xiv, 13. Opera enim illorum sequuntur illos.

Admonemur ex psalmo præsenti redemptionem nostram a Christo factam recolere, atque in Salvatore de suis beneficiis exsultare, eum laudando, contemplando, incomparabiliterque amando. Denique docet nos scriptura psalmi istius, quid inter electos et reprobos distet : quia electi eundo in bono, proficiunt lacrimando ; reprobi vero in isto exsilio quasi in patria gloriantur, et de carcere captivitatis faciunt sibi paradisum voluptatis : idcirco venientes ad Christi judicium, venient cum mœrore, nihil portantes nisi damnationis suæ chirographum. Unde in Evangelio di-
citur eis : Væ vobis qui habetis consola- Luc. vi, 24, 25.
tionem vestram ; et, Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis. Hinc enim
Abraham diviti dixit : Fili, recordare quia Ibid. xvi, 25.
recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Despiciamus igitur omnem mundi pompam, vanitatem et gloriam, corporisque desideria reprimamus, et in lacrimis sanctis occupemur, scientes non posse nos modo cum mundo gaudere, et postmodum cum Christo regnare.

PRECATIO.

Expurga nos, Domine, a peccatis ; ædifica tibi in nobis domum mansionis : ut tu in nobis, et nos in te manentes, quum dederis nobis somnum mortis, cum dilectis tuis simus heredes regni cœlestis.

ARTICULUS XXXIX

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI SEXTI : NISI DOMINUS ÆDIFICAVERIT DOMUM.

Habet præterea psalmus jam declarandus
1 hunc titulum : *Canticum graduum Salomonis.* Secundum eos autem, qui psalmum
II Reg. vi. hunc litteraliter exponunt de ædificatione templi materialis in Jerusalem, additur in titulo, *Salomonis :* vel quoniam David fecit hunc psalmum pro filio suo Salomone ; vel quia Salomon eum conscripsit, ad insinuandum quod sine speciali adjutorio Dei, ædificatio templi consummari non posset. Est autem expositio hæc multum grossa et rudis, quæ tamen breviter tangi potest, ut sit sensus :

(1) *Nisi Dominus ædificaverit domum,* principaliter operando, et artificibus efficaciam operandi præstando, *in vanum laboraverunt qui ædificant eam :*
quoniam sine ejus adjutorio eam perficere Joann. xv, 5.
nequeunt. Et hujus signum et simile est, quia (2) *Nisi Dominus custodierit civitatem* ab inimicorum incursu, ceterisque periculis, *frustra vigilat qui custodit eam,* eo quod urbem sua potestate nequeat custodire,
Deinde Psalmista affatur artifices : (3) *Va- 2
num est vobis ante lucem* diei *surgere* ad operandum, quasi vestra potestate et festi-

Digitized by Google

natione possitis templum perficere. Idcir- A
co *surgite* ad operandum *postquam sederitis*, id est nocte et somno completis, *qui manducatis panem doloris*, id est, qui vescimini cibo vestro labore acquisito, cui labori miscetur pœna et fatigatio corporis.

(4) *Quum dederit* Dominus *dilectis suis*,
scilicet filiis Israel, *somnum*, id est quie-
3 tem beatæ mortis, *ecce hereditas Domini, filii*, id est, tunc filii ab eis instructi, sunt hereditas Domini Dei : quia populus fidelis appellatur hereditas Dei. Et per
Is. xix, 25. Isaiam Dominus ait : Hereditas mea Israel. B
Et ista hereditas, seu filii boni atque fideles, sunt *merces fructus ventris*, id est præmium meriti Christi, qui est fructus ventris virginei. Christus enim sua passione eos redemit et emit, et Pater dedit eos Filio suo.

4 (5) *Sicut sagittæ in manu potentis*, id est fortis sagittatoris, exsistentes, sunt acutæ et paratæ ad resistendum adversariis ; *ita filii excussorum*, id est, sic discipuli et imitatores dilectorum Domini, videlicet sanctorum doctorum, antiquorumque pa- C
trum, parati sunt ad resistendum hostibus veritatis. Dicuntur autem doctores sancti et patres antiqui, excussi : quoniam de hac vita ablati et quasi excussi sunt ; vel quia a carnalibus concupiscentiis, et ceteris impedimentis serviendi vacandique Deo, erant abstracti, et ad spirituale præmium
5 expediti. (6) *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis* filiis excussorum : id est, beatus est doctor seu pastor, qui cupit tales habere discipulos, qui diligenter ob-
servent quæ audiunt, et pro veritate effi- D
caciter pugnent. Vel : Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis excussis, id est, qui doctrinam et vitam sanctorum patrum atque doctorum digne assequitur. Hic vir beatus *non confundetur* nec reprobabitur *quum loquetur inimicis suis*, id est hostibus veritatis, *in porta*, id est in publico. Nam verus et justus apparebit, tam in præsenti, quam in futuro judicio, dum causa ejus cœperit discuti contra adversarios suos.

Denique moraliter per Salomonem intel- *Expositio moralis.*
ligitur Christus, qui est verus pacificus, ædificavitque domum, id est Ecclesiam Deo Patri ex vivis lapidibus. Et de hujus do-
mus ædificatione verissime dicitur : *Nisi* 1
Dominus Jesus Christus, seu Trinitas Deus, *ædificaverit* intus per fidem, caritatem et gratiam, *domum*, id est Ecclesiam, seu quamlibet personam ecclesiasticam, in qua Deus per fidem moratur : quemadmodum
ait Salvator, Ad eum veniemus, et mansio- *Joann.* xiv, 23.
nem apud eum faciemus ; *in vanum*, id est frustra et sine profectu, *laboraverunt* et laborabunt, *qui ædificant*, id est, ædificare nituntur *eam*, videlicet Prophetæ, Apostoli et successores eorum : qui prædicando, docendo, exemplariter conversando, miracula faciendo, conati sunt convertere homines, informare fideles, ædificare Ecclesiam ; sed nisi Deus intus illuminet, inanis est prædicatio foris adhibita. Propter quod
Paulus testatur : Neque qui plantat, est *I Cor.* iii, 7.
aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.

Nisi Dominus custodierit civitatem, id est Ecclesiam : quæ dicitur civitas, propter caritativam unionem fidelium ; *frustra vigilat* omnis doctor, pastor, prælatus, *qui custodit eam*. A Deo enim est non solum inchoatio boni, sed etiam conservatio, protectio atque perfectio. Et ideo, sicut solus Deus Ecclesiam intus ædificat, caritatem, fidem, spem, et dona Spiritus Sancti per creationem infundendo hominibus : ad quam infusionem homines sancti Deo subservientes disponunt mentes humanas ; sic solus Deus custodit Ecclesiam seu corda fidelium per se ipsum, conservando in esse dona quæ creando infudit. Angeli vero et homines ceteris præsidentes, custodiunt instrumentaliter, dispositive atque forinsecus, hortando ad bonum, et impedimenta bene vivendi tollendo. Hinc scriptum
habetur : A facie tua, Domine, concepi- *Is.* xxvi, 17, 18.
mus, et quasi parturivimus et peperimus spiritum.

Deinde ædificatoribus domus Dei, id est
prælatis Ecclesiæ, ait : *Vanum est vobis* 2

Digitized by Google

ante lucem, id est ante gratiæ infusionem, A
ante divini auxilii irradiationem seu receptionem, *surgere* ad instruendum seu ædi-
Joann. xv, 4, 5. ficandum Ecclesiam. Tanquam dicat : Nihil
proficiet labor vester, nisi gratia Dei adfuerit tam vobis quam auditoribus vestris.
Idcirco *surgite* ad exsequendum officium vobis commissum, *postquam sederitis,* id est, gratiam Dei humiliter imploraveritis, atque ab exterioribus quiescendo, paulisper ad pedes Crucifixi sederitis, meditando, contemplando, orando, quatenus intromit-
Cant. II, 4. tamini in cellam vinariam Spiritus Sancti, B
et in thesauros sapientiæ Dei; illicque spiritualiter inebriati ardore sancti amoris et lumine veritatis, surgatis et procedatis ad alios instruendos, eructando et communicando eis de plenitudine vestra. *Qui manducatis panem doloris,* id est, quibus lacri-
Ps. XLI, 4. mæ compassionis fraternæ, panes sunt die ac nocte : quoniam semper oportet vos condolere subditis vestris; nec solum vestra, sed eorum quoque peccata deplange-
II Cor. XI, 29. re, prout Apostolus ait : Quis infirmatur,
et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et C
Job XXX, 25. ego non uror? Et Job loquitur : Flebam
super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi. Et Ezechieli præ-
Ezech. IV, 4. cepit Dominus, ut portet iniquitatem populi Judæorum. — Potest etiam versus iste exponi ad omnes. *Vanum est vobis,* o universi viatores, *ante lucem surgere,* id est, ante caritatem gratiæ gratificantis, aliquid velle meritorie agere. Vel, Ante lucem surgere, id est, antequam veniatis ad caritatem patriæ, vos ipsos velle erigere, exaltare, aut aliquid reputare, vel quasi ex securita- D
te gaudere. Propterea *surgite,* id est, exaltari satagite, *postquam sederitis,* id est, humiliati fueritis, atque in hac vita nil nisi humilitatem in omnibus desideraveritis, *qui manducatis panem doloris,* id est lacrimarum, exercentes opera pœnitentiæ, illisque reficientes animas vestras : quem-
Joann. IV, 34. admodum Christus ait : Meus cibus est ut
faciam voluntatem ejus qui misit me.

Consequenter ostendit quando surgendum sit plene atque perfecte. *Quum dederit* Dominus *dilectis suis,* id est electis, *somnum,* id est felicem quietem post
hanc laboriosissimam vitam, *ecce hereditas* 3
Domini, id est, tunc populus electus, exsistens hereditas Dei, præsens præstoque erit, atque in gloria apparebit : hereditas, inquam, exsistens, *filii, merces fructus ventris,* id est Christi filii Dei, qui Christus est fructus ventris generosi Virginis benedictæ. Cur autem homines asserantur merces Christi, jam dictum est. Sed et Christus est merces eorum : nam ipse est præmium nostrum, et objectalis nostra felicitas. Pro-
pter quod ait : Manifestabo ei (scilicet di- Joann. XIV, 21.
ligenti) me ipsum.

Deinde ostenditur quomodo Ecclesia sit collecta, et quomodo hereditas hæc sit Do-
mino acquisita. *Sicut sagittæ in manu po-* 4
tentis se habent, *ita filii excussorum,* id est, sic sancti Apostoli et cooperatores atque successores eorum, qui sunt filii Prophetarum : qui nominantur excussi propter causas præhabitas. Nam sicut sagittæ de manu viri potentis cito in longinquum jaciuntur, ita Apostoli et eorum discipuli
velociter per universum orbem transmissi Matth. XXVIII, 19, 20; Marc. XVI, 20.
sunt, prædicantes ubique, et omnes electos
ad fidem congregantes in una Ecclesia
Christi, quemadmodum Isaias prædixit :
Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gen- Is. LXVI, 19, 20.
tes in mare, in Africam et Lydiam, tenentes sagittam, in Italiam et Græciam, ad insulas longe; et annuntiabunt gloriam meam gentibus, et adducent omnes fratres
vestros. *Beatus vir,* jam in spe, *qui imple-* 5
vit desiderium suum, id est, qui mentem suam spirituali desiderio implevit, *ex ipsis* filiis excussorum atque excussis : id est, qui tam ardenti affectu audit, tenet et implet verba Apostolorum et Prophetarum, quod nullum illicitum desiderium, nulla inordinata affectio locum invenit in anima ejus. Cetera ex dictis innotescunt.

Ecce psalmus iste morali documento saluberrime plenus, et de octavo gradu spiritualis ascensus pertractans, videlicet de modo, hora et ordine surgendi ad summum ac ultimum omnium entium finem,

Digitized by Google

Deum æternum et adorandum. Docet nos evidenter, ut nunquam nisi in solo Deo speremus, omne bonum, id est initium, conservationem, processum et consummationem operum bonorum ei attribuamus, sicut Deo nostræ salutis, quemadmodum a Jeremia dicitur : Vere in Domino Deo nostro salus Israel. Docet enim nos canticum istud omnem superbiam funditus exstirpare, humilitatem amplecti, talique ordine ad somnum electorum procedere.

(*Ps.* xvii, 47. *Jer.* iii, 23.)

PRECATIO.

Deus, spiritualium domorum ædificator, ut nos custodias precamur : imple in te desiderium nostrum, et electis tuis nos conjunge pro meritis.

ARTICULUS XL

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI SEPTIMI : BEATI OMNES QUI TIMENT DOMINUM.

1 Titulus psalmi præsentis est : *Canticum graduum.* Agit enim hic psalmus de filiali timore, qui est nonus gradus spiritualis ascensus. Hic enim gradus præcipue necessarius est ascendere atque proficere cupienti : quoniam in Ecclesiastico habetur, Qui sine timore est, non potest justificari. Est tamen quidam timor servilis quo pœna timetur, nec malum vitatur amore boni, sed pavore tormenti. De quo Apostolus ait : Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum ; et iterum, Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed dilectionis. Unde beatus Antonius dixit : Ego jam non timeo Deum. Pensandum namque quod objectum timoris, est malum. Nam timor est quidam recessus, quo appetitus aliquid refugit. Deus ergo, secundum quod Deus, et in quantum naturaliter bonus est, timeri non potest directe et per se, secundum Thomam. Objectum autem timoris servilis, est malum pœnæ ; objectum vero timoris filialis, est malum culpæ. In quantum igitur Deus pro culpa pœnam infligit, timetur timore servili ; in quantum vero separatio a Deo, malum aliquod est, timetur timore filiali castoque.

(*Eccli.* i, 28. *Rom.* viii, 15. II *Tim.* i, 7.)

Ait ergo sanctus Propheta : (1) *Beati omnes* sunt jam in spe, *qui timent Dominum* filiali et casto timore. Non enim est personarum acceptor Deus ; sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. *Qui ambulant in viis ejus,* id est in divinis præceptis, non in propriis adinventionibus, et post pravitatem proprii cordis, sicut de impio scriptum est : Abiit vagus in via cordis sui ; et alibi : Quam vilis facta es, iterans vias tuas ! (2) *Labores manuum tuarum quia* 2
manducabis, id est, quoniam præmio operum tuorum bonorum in cœlo vesceris, et fructus studiorum actuumque meritoriorum tuorum percipies in patria seu visione divina : juxta illud, Anima operantium impinguabitur ; *beatus es* nunc in spe, *et bene tibi erit* illic in re. Unde in Evangelio dicitur : Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum. Vel sic : Labores manuum tuarum quia manducabis, id est, quia de labore proprio vives, victum et necessaria tibi laboribus piis procurando ; beatus es et bene tibi erit, quoniam talis labor multum meritorius est. Propter quod de se ipso ait Apostolus : Laboramus manibus nostris ; et, Ad ea quæ mihi necessaria fuerunt, ministraverunt manus

(*Act.* x, 34, 35. *Is.* lvii, 17. *Jer.* ii, 36. *Prov.* xi, 4. *Luc.* xiv, 15. I *Cor.* iv, 12. *Act.* xx, 34.)

Digitized by Google

II Thess. III, 10. istæ; itemque, Qui non laborat, non man- A
Prov. XII, 11. ducet. Et Salomon ait: Qui sectatur otium,
stultissimus est.

Deinde describitur plenius beatitudo ti-
mentis Deum. Primo per bona spiritualia
3 vitæ præsentis, dum subditur : (3) *Uxor
tua,* id est sapientia tibi divinitus data,
erit *sicut vitis abundans,* id est, opera san-
cta producet, *in lateribus domus tuæ,* id
est in interioribus viribus animæ tuæ :
Jacob. III, 17. juxta quod alibi dicitur : Quæ desursum
est sapientia, primo quidem pudica est,
deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis B
consentiens, plena misericordia et fructi-
bus bonis. Sapientia est cognitio divino-
I Joann. II, 4. rum. Qui autem dicit se nosse Deum et
mandata ejus non custodit, mendax est.
Idcirco vera sapientia fructuosa est tan-
quam vitis abundans, quæ plurimos gene-
rat botros. Dicitur autem sapientia uxor et
Sap. VIII, 2. sponsa hominis timorati, juxta illud: Hanc
amavi et exquisivi a juventute mea, et
quæsivi sponsam eam mihi assumere, et
amator factus sum formæ illius. Salomon
Prov. VII, 4. quoque monet : Dic sapientiæ, Soror mea C
es; et prudentiam voca amicam. Unde per
uxorem intelligi potest Sapientia æterna
et increata, quæ utique sponsa est cordis
devoti, et in eo fructificat tanquam vitis
Eccli. XXIV, 22. fructifera. Hinc nempe ista Sapientia: Ego,
inquit, quasi terebinthus extendi ramos
meos, et rami mei honoris et gratiæ; rur-
Ibid. 23. susque, Ego quasi vitis fructificavi suavi-
tatem odoris. (4) *Filii tui,* id est actus ex
sapientia orti, erunt *sicut novellæ oliva-
rum,* id est, virescent et augebuntur, ita
quod multi et magni, decori et validi erunt, D
quoniam indesinenter proficies, *in circu-
itu mensæ tuæ,* id est in gyro fidei cordis
tui. Sicut enim super mensam cibi ponun-
tur et sustentantur, sic omnia opera bona
supra fidem fundantur, firmantur et radi-
cantur. Fides autem sine dono sapientiæ
opera bona non profert, neque econtra.
Idcirco ex fide per sapientiam illustrata,
causantur et effluunt opera Deo accepta,
in circuitu fidei, id est undique in interio-
ribus animæ.

Vel sic : *Uxor tua,* id est sapientia,
*sicut vitis abundans in lateribus domus
tuæ,* id est in spiritualibus filiis tuis : quia
per sapientiam generantur filii spirituales
in Christo, juxta illud Apostoli: Per Evan- I Cor. IV, 15.
gelium Christi ego vos genui. *Filii tui* spi-
rituales a te sapienter instructi, *sicut no-
vellæ olivarum,* id est, uncti erunt gratia
spirituali, et in Christo florentes atque fe-
cundi, *in circuitu mensæ tuæ,* id est in
gyro spiritualis doctrinæ, qua eos pane Eccli. XV, 3.
vitæ et aqua sapientiæ reficis.

(5) *Ecce sic benedicetur,* id est, talia mu- 4
nera gratiæ desuper sortietur, *homo qui
timet Dominum* timore casto et amicali.
Propter quod in Ecclesiastico habetur :
Timenti Deum bene erit in extremis, et in Ibid. I, 13.
die defunctionis benedicetur. Quum enim
nihil dividat nos a Deo, nisi peccatum,
nilque impediat infusionem gratiæ Dei in
nos, nisi negligentia nostra, eo ipso quo
timor negligentiam excutit, a vitiis retra-
hit, et peccata expellit, disponit cor no-
strum ad omne bonum, omnisque boni
quodammodo causa est. Ideo et alibi indu-
citur : Plenitudo sapientiæ, timere Deum. Ibid. 20.

(6) *Benedicat tibi Dominus ex Sion,* id 5
est ex Ecclesia militanti, benedicendo ti-
bi per ministros et prælatos Ecclesiæ; *et
videas bona,* id est bonum statum, con-
tinuumque profectum, *Jerusalem,* id est
Ecclesiæ peregrinantis a Domino, scilicet II Cor. V, 6.
militantis, præliantis, laborantis, tamen in
pace Christi pausantis, *omnibus diebus vi-
tæ tuæ.* Quantum enim bonum commune
totius Ecclesiæ diligis, tantum de ejus con-
servatione ac profectu exsultas. Unde et
vere devotus frequenter ac ferventer orare
habet pro bono statu Ecclesiæ. (7) *Et vi-* 6
deas filios filiorum tuorum, id est, cernas
quod illi quos tu spiritualiter genuisti,
alios spiritualiter generent, quatenus me-
rito et numero augeatur Ecclesia : sicque
conspicias *pacem* Christi seu Christum,
qui est pax nostra, secundum Apostolum, Ephes. II, 14.
super Israel, id est super te ipsum, et
alium quemlibet Christianum, Deum fide-
liter contemplantem.

Digitized by Google

Vel sic : *Benedicat tibi,* id est, dona A cœlestis gratiæ mittat et conferat tibi *Dominus* Deus omnipotens, *ex Sion,* id est ex triumphanti Ecclesia, in qua Sancti
I *Joann.* III, 2.
Deum sicuti est speculantur. Sion namque speculatio interpretatur. *Et videas,* post hujus exsilii terminum, *bona Jerusa-*
Is. LXIV, 4; I *Cor.* II, 9.
lem cœlestis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec mens comprehendere sufficit, *omnibus diebus vitæ tuæ* gloriosæ, quæ erit æterna. *Et videas filios filiorum tuorum,* quatenus illi tecum in patria gaudeant, qui a filiis tuis spiritualibus B spiritualiter geniti sunt. Sed quoniam forsitan non omnes electi spirituales filios habent, et si habeant, forte quod illi non habent; idcirco sicut per filios intelliguntur opera gratiosa, sic per filios filiorum istorum intelligi possunt opera gloriosa, sicut sunt Deo frui, et cetera gaudia ac merita Beatorum, quæ ex præviis meritis seu bonis operibus quodammodo oriun-
Philipp. IV, 7.
tur. Sic etiam videas *pacem* cœlestem, quæ omnem sensum exsuperat, *super Israel,* id est quemlibet Beatum, Deum per speciem C contuentem.

Expositio litteralis.

PRÆTEREA exponentes psalmum istum ad litteram de populo Judæorum, asserunt quod Psalmista invitat eos ad timorem Dei per temporalium bonorum promissa, quemadmodum moris est in lege ac Prophetis invitare eos ad obedientiam Dei per temporalium prosperitatum promissiones. Un-
Is. I, 19.
de Dominus ait populo huic : Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis. Sed advertendum quod sicut hujusmodi bona D non sunt sufficiens præmium actus virtuosi, præsertim dilectionis divinæ quam præcipit lex; ita non omnibus observantibus legem dabantur, sed spiritualia et meliora data sunt eis, tanquam magis perfectis. Infirmiores vero per temporalia alliciendi erant promissa. Sic ergo quod modo timenti Deum promittitur, quod labores manuum suarum manducabit, id est, temporalium divitiarum abundantia perfruetur, et quod uxor ejus esset fecunda velut vitis abundans; item quod filii ejus carnales sederent seu starent sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ suæ : non omnibus, sed multis in veteri Testamento concessum est. Nec enim Eliæ, nec Jeremiæ data sunt hæc, quorum uterque virgo permansit.

Litteralem igitur sequendo sensum, quod
ait, *Ecce sic benedicetur homo qui timet* 4
Dominum, intelligendum est, quod sic vel
melius benedicetur. Vel, Sic benedicetur,
id est, ita laudabitur. Deinde loquens Pro-
pheta populo Synagogæ, subdit: *Benedicat* 5
tibi Dominus ex Sion, id est ex templo
sito in monte Sion, in quo ministri templi
benedicebant Judæis ; *et videas bona Je-*
rusalem, id est bonum statum civitatis re-
giæ in Judæa, ex cujus bono regimine to-
tius regni salus pendebat. *Et videas filios* 6
filiorum tuorum, id est, diu vivas, ut tuos
nepotes conspicias, videasque *pacem super Israel,* id est super universum Israeliticum populum.

PRECATIO.

Timentes te beatifica nos, Domine, et fac in viis tuis perseveranter ambulare : benedic nos benedictione tua sancta, ut videamus bona Jerusalem sine fine mansura.

Digitized by Google

ARTICULUS XLI

EXPOSITIO TROPOLOGICA PSALMI CENTESIMI VICESIMI OCTAVI : SÆPE EXPUGNAVERUNT ME.

ASSIGNATUR insuper psalmo jam decla- A
1 rando pro titulo : *Canticum graduum :* id
est, psalmus qui canticum dicitur, tractat
de gradu proficiendi ad Deum apicemque
virtutum. Iste enim est decimus psalmus
gradualis, de patientia loquens, quæ est
decimus gradus spiritualis ascensus : et
convenienter ponitur post timorem, quo-
niam metuentem Deum decet omnia æqua-
nimiter tolerare propter justitiam, ne Deus
per impatientiam offendatur. Tanta au-
tem est virtus patientiæ, ut Christus di-
Luc. xxi, 19. cat : In patientia vestra possidebitis animas B
vestras.

PROPHETA igitur volens nos ad pa-
tientiam animare, hortatur Ecclesiam,
dicens : (1) *Sæpe expugnaverunt,* id est
impugnaverunt, *me* hostes invisibiles, sci-
licet dæmones me tentantes, atque visibi-
les, puta hæretici et tyranni, aliique per-
versi, *a juventute mea,* id est ab exordio
durationis meæ, et a principio temporis
mei. Nam et in paradiso tentatus est pri-
Gen. iii, 1-7. mus parens cum conjuge sua a dæmone, et C
Ibid. iv, 8. postmodum Abel justus a Cain occisus est.
Dicat nunc Israel, id est Ecclesia Deum
per fidem contemplans. Quemadmodum
enim Gregorius dicit, Omnium electorum
qui a principio mundi fuerunt, et usque
ad sæculi consummationem futuri sunt,
Ephes. v, 23; *Coloss.* i, 18. est una Ecclesia, cujus caput est Christus.
Semper autem perversi ac reprobi molesti
fuerunt electis, nec unquam defuit, deest,
aut deerit malignitas persequens et æqui-
tas patiens ; semperque verum fuit, quod
Act. xiv, 21. per multas tribulationes oportet nos fieri D
salvos. Unde in historia Judith dicitur :
Judith viii, 22, 23. Abraham pater noster tentatus est, et per
multas tribulationes probatus, amicus Dei
effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moy-
ses et omnes qui placuerunt Deo, per mul-
tas tribulationes transierunt fideles.

(2) *Sæpe expugnaverunt me* isti *a ju-* 2
ventute mea : sicut nunc dictum est ; sed
frustra : *etenim,* id est quia, *non potuerunt*
mihi finaliter prævalere, aut interius læ-
dere, seu nocere. Imo omnia cooperata *Rom.* viii,
sunt mihi in bonum ; et eorum malignitas 28.
facta est eis causa damnationis æternæ,
mihi vero occasio facta est sempiternæ
lætitiæ. Hinc enim altissimus apostolici
agminis princeps in sua Canonica fatetur :
Quis est qui vobis noceat, si boni æmula- I *Petr.* iii,
tores fueritis ? Paulus quoque ait : Si Deus 13. *Rom.* viii,
pro nobis, quis contra nos ? Quamvis ergo 31.
hostes Ecclesiæ corpus occidant aut ani- *Matth.* x,
mam ad tempus decipiant, non tamen fi- 28.
naliter neque simpliciter prævalent. Imo
tempore persecutionis tyrannicæ augeba-
tur Ecclesia merito sanctitatis, et numero
conversorum ad fidem, magis quam tem-
pore pacis : sicut Hieronymus testatur,
dolens et conquerens, quod postquam Ec-
clesia temporale imperium acquisivit, pri-
stinam gratiam pro magna parte amisit.

(3) *Supra dorsum meum fabricaverunt* 3
peccatores, id est, ita me sibi subjecerunt,
conculcaverunt, et afflixerunt, sicut fabri-
cantes sibi subjiciunt atque conculcant
fundamentum, supra quod ædificium fun-
dant. Vel, Supra dorsum meum fabricave-
runt, id est, me pro suo libito persecuti
sunt. Vel, Supra dorsum meum fabricave-
runt, id est, machinam iniquitatis supra
me construxerunt, accumulantes sibi sar-
cinam vitiorum, seu pondus ac multitudi-
nem scelerum, dum me tam injuste mole-
staverunt. Per dorsum autem designatur
totum, eo quod patientes verbera, soleant

Digitized by Google

dorsum ad percutientem convertere, vel A
quoniam patientes mentem convertunt ad
Deum, et corpus exponunt ictibus impio-
rum. *Prolongaverunt,* id est, longam et
perseverantem fecerunt, *iniquitatem suam*
Is. v, 18. adversum me. Unde ait Scriptura : Væ qui
trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,
et quasi vinculum plaustri peccatum.
4 (4) *Dominus justus,* nihil irremuneratum
relinquens, *concidet cervices,* id est, dam-
nabit et destruet superbias, *peccatorum :*
Eccli. xxiv, 11. quemadmodum testatur : Omnium excel-
lentium et sublimium colla calcavi. Et B
Is. xxiii, 9. apud Isaiam scriptum est : Dominus exer-
cituum cogitavit hoc, ut detraheret super-
5 biam omnis gloriæ. *Confundantur* confu-
sione damnationis æternæ ac reprobationis
divinæ, *et convertantur retrorsum,* id est,
cadant, deficiant, et repellantur a Deo, *om-
nes qui oderunt Sion,* id est Ecclesiam
Christi in monte, qui Christus est, sitam,
6 atque cœlestia speculantem. (5) *Fiant sic-
ut fœnum tectorum, quod priusquam evel-
latur, exaruit :* id est, quemadmodum fœ-
num in tectis domorum nascens, celerrime C
(sole desuper decoquente) siccatur et ca-
dit; sic potestas, gloria atque prosperitas
inimicorum Ecclesiæ, Christo ulciscente,
cito dispereant, ne et ipsi diu vivendo gra-
vius peccent, et Ecclesia supra modum
7 gravetur. (6) *De quo* fœno in tectis orto,
non implebit manum suam qui metet, id
est, messor tale fœnum non colliget, eo
quod ante tempus dissipetur et disperga-
tur ; *et* propter eamdem causam de eo non
implebit *sinum suum qui manipulos colli-
get* alibi, quam supra tectum, videlicet ubi D
terræ nascentia fructuose nascuntur. Et
sicut de illo fœno non implet manum su-
am messor humanus ; sic in die judicii
Matth. xiii, 49, 30. quando separabuntur boni a malis, angeli
sancti qui sunt messores Dei, colligentes
triticum (id est electos et opera bona eo-
rum) in horreum cœli, non implebunt ma-
num suam de operibus perversorum, quia
nil boni in eis conspicient, nec deferent
eos ad horreum Christi.

(7) *Et non dixerunt qui præteribant,* id 8
est, in mundo isto velut in exsilio ambula-
bant, festinantes ad patriam, scilicet san-
cti Prophetæ, Patriarchæ, Apostoli : *Be-
nedictio Domini* sit *super vos,* o inimici
Ecclesiæ : id est, Sancti non optaverunt
reprobis, in quantum hujusmodi sunt, bo-
na gratiæ, quoniam noverant eos ad cor-
pus Antichristi atque diaboli pertinere.
Unde Apostolus de talibus ait : Quos tradi- *I Tim.* i, 20.
di Satanæ, ut discant non blasphemare. Et
Salomon loquitur : Non sit bonum impio, *Eccle.* viii, 13.
nec prolongentur dies ejus; sed quasi um-
bra prætereant, qui non timent faciem
Dei. Secundum Augustinum, consuetudo
erat Hebræis ut prætereuntes benedicerent
operantibus in agro, quemadmodum Booz *Ruth* ii, 4.
legitur dixisse messoribus, Dominus vobis-
cum : qui responderunt, Benedicat tibi
Dominus. Justi autem comparantur agro
fecundo, impii vero sterili terræ. Innuit
ergo Propheta, quod sicut prætereuntes
benedicunt agro fecundo et operariis ejus,
non autem sterili terræ et operantibus
eam, sed potius increpant eos, quoniam
stulto labore se ipsos fatigant; sic Sancti
hanc vitam spernentes, et velut locum pe-
regrinationis hunc mundum prætereuntes,
impiis non benedixerunt, sed bonis, sicut
subjungitur. *Benediximus vobis,* o justi
amatores ecclesiasticæ unitatis, id est ca-
tholicæ fidei atque individuæ caritatis,
imprecantes vobis bona gratiæ in præsen-
ti, et bona gloriæ in futuro, *in nomine
Domini.*

Postremo quæ hic dicuntur contra ini-
quos, dicuntur zelo justitiæ, non affectu
invidiæ; magisque dicuntur prænuntiando
quam imprecando, et conditionaliter ma-
gis quam simpliciter, scilicet, si non pœ-
nitent.

Digitized by Google

ARTICULUS XLII

EXPOSITIO ALLEGORICA ET LITTERALIS EJUSDEM PSALMI CENTESIMI VICESIMI OCTAVI.

CONVENIENTISSIME autem exponi- A
tur psalmus iste de Christo, qui est ve-
1 rus et purus Israelita. Eritque sensus : *Sæ-
pe expugnaverunt me* Judæi *a juventute
mea, dicat nunc Israel,* id est Christus, qui
erat a principio suæ conceptionis in Vir-
gine, vir videns Deum, non per fidem, ut
ceteri ; neque per subjectam creaturam, ut
Gen. xxxii, 30, 28. Jacob, qui eo quod vidit angelum, dixit, Vi-
di Dominum facie ad faciem (propter quod
etiam Israel ab angelo dictus est) : neque
per imaginariam formam, ut Isaias, qui di-
Is. vi, 1. xit, Vidi Dominum sedentem super solium B
Dan. vii, 9. excelsum ; et Daniel, qui dixit, Adspiciebam
donec throni positi sunt, et Antiquus die-
rum sedit : sed sicut comprehensores in pa-
tria vident, imo incomparabiliter clarius
atque beatius. Anima etenim Christi a prin-
cipio suæ creationis, semper æque perfe-
cte vidit Deum : et ipsa sola clarius vidit
Deum, quam omnes simul Beati. Idcirco
Christus verissime Israel appellatur. Chri-
stum autem ab infantia persecuti sunt Ju-
dæi saltem proselyti, puta Herodes, qui
Matth. ii, 16. erat ad Judaismum conversus, et Christum C
infantem occidere nisus est : cui (secun-
dum Hieronymum) multi sacerdotum ac
Judæorum consenserunt. Sumitur autem
hoc loco juventus communiter, prout ado-
lescentiam includit. Si vero proprie acci-
piatur, tunc Christum persecuti sunt Judæi
a juventute sua, id est ab anno tricesimo
suæ ætatis. Tunc nempe prædicare exor-
sus est ; et statim ex tunc impugnaverunt
eum Judæi, nunc verbis, nunc actibus, sicut
2 Evangelistæ testantur. *Etenim non potue-
runt mihi* prævalere. Nam quum Christum D
Luc. iv, 29, 30 ; Joann. x, 31, 39. vellent præcipitare, et postmodum lapidare,
exivit de manibus eorum, et transiens per
medium illorum ibat. Denique, dum eum
capere vellent, et ipse respondisset, Ego Joann. xviii, 6.
sum : abierunt retrorsum, et ceciderunt in
terram ; nec aliquid facere poterant Chri-
sto, nisi eo volente. Propter quod ait :
Nemo tollit animam meam a me, sed ego Ibid. x, 18.
pono eam. Et per Jeremiam ait : Dominus Jer. xx, 11.
mecum est quasi bellator fortis ; idcirco qui
me persequuntur, cadent et infirmi erunt.
Supra dorsum meum fabricaverunt pec- 3
catores. Hoc plane fecerunt sacrilegi im-
piissimique Judæi et servi Pilati, dum Chri-
stum flagellis laceraverunt, ad mortem
crucem sibi bajulantem duxerunt, et duro
crucis ligno dorsum ejus tenerrimum cru-
delissime appenderunt. *Prolongaverunt
iniquitatem suam :* quia non cessaverunt
clamare, Tolle, et, Crucifige, donec me oc- Joann. xix, 15.
ciderunt ; imo a principio prædicationis
meæ mihi insidiari cœperunt usque ad
mortem, dicentes : Homo vorax, potator Matth. xi, 19 ; Joann. vii, 12 ; x, 20 ; Matth. ix, 3.
vini ; seducit turbas ; insanit, dæmonium
habet ; blasphemat.
Dominus justus concidet cervices pec- 4
catorum, id est, Judæos istos destruet et
occidet. Hoc fecit Deus per Titum et Ro-
manos, quemadmodum prædictum est :
Civitatem et sanctuarium dissipabit popu- Dan. ix, 26.
lus cum duce venturo ; et alibi, Abjiciet Osee ix, 17.
eos Dominus Deus meus, quia non audie-
runt vocem ejus. *Confundantur et conver-* 5
tantur retrorsum, secundum sensum ex-
positum, *omnes qui oderunt Sion,* id est
Christum divina incessabiliter speculan-
tem ; vel, Sion, id est primitivam Christi
Ecclesiam, quam maxime oderunt Judæi, Act. iv, v, vi, etc.
sicut in Actibus Apostolorum habetur.
Fiant Judæi Christum negantes, *sicut fœ-* 6
num tectorum, etc. Hoc in eis impletum
est : nam multi eorum in adolescentia et
juventute a Romanis occisi sunt.

Digitized by Google

8 *Et non dixerunt qui prœteribant,* id est
Prophetæ : *Benedictio Domini super vos :*
id est, Prophetæ nil boni dixerunt de Ju-
dæis qui Christum occiderunt, sed multa
mala, quemadmodum patescit, ubi de eis
Dan. IX, 26. sic dicitur : Non erit ejus populus qui eum
negaturus est, id est Judæi qui dixerunt :
Joann. XIX, 15. Non habemus regem nisi Cæsarem; et, Hunc
Ibid. IX, 29. nescimus unde est. Et : Exosos habui eos
Osee IX, 15. propter malitiam adinventionum eorum ;
Jer. V, 12. et rursus : Negaverunt Dominum, et dixe-
runt, Non est ipse. Per Isaiam quoque Do-
Is. VI, 10. minus ait : Excæcatum est cor populi hu-
jus. Sed nos Prophetæ qui istis incredulis
maledixímus, *benediximus vobis,* o Chri-
stiani, *in nomine Domini,* scilicet Christi
prophetando de vestra salute et gratia.
Hinc enim beatissimus Petrus in sua Ca-
I Petr. I, 10. nonica alloquens Christianos, disseruit : De
vestra salute exquisierunt atque scrutati
sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gra-
tia prophetaverunt.

Expositio litteralis. PRÆTEREA, quamvis sensus litteralis in
primo ponendus sit, propter rationabilem
tamen causam, videlicet propter prolixita-
tem vitandam, interdum pono eum poste-
rius. Itaque ad litteram videtur psalmus
præsens loqui de frequenti tribulatione ac
liberatione Israeliticæ plebis, ut sit sensus :
1 *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea,*
dicat nunc Israel : id est, populus Israel
dictus, eo quod natus sit ex Jacob, alias
Gen. XXXII, 28. alio nomine Israel, fateatur cum gratia-
rum actione quod sæpe expugnaverunt me
gentiles a juventute mea, id est a tempore
quo fui in Ægypto : quod dicitur juven-
tus populi hujus, secundum quod Domi-
nus ait apud Jeremiam ad Synagogam : Re- Jer. II, 2.
cordatus sum tui, miserans adolescentiam
tuam, quando secuta es me in deserto.
Etenim non potuerunt mihi prævalere. 2
Nam Ægyptii qui eos impugnaverunt, suc-
cubuerunt, dicentes : Fugiamus Israelem; Exod. XIV, 25.
Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

Supra dorsum meum fabricaverunt 3
peccatores, puta Ægyptii, imponentes mihi
onera gravissima ad portandum. Babylonii Ibid. I, 11, 14.
quoque et alii multi fabricaverunt super
dorsum eorum, secundum sensum præta-
ctum. *Dominus justus concidet cervices* 4
peccatorum. Nam Ægyptios superbissimos,
aliosque Israelem persequentes, graviter Ibid. XIV, 27, 28.
interfecit, atque in die judicii penitus eos
damnabit et dissipabit. *Confundantur et* 5
convertantur retrorsum, quasi debellati et
victi a Deo, *omnes qui oderunt Sion,* id
est populum Judæorum per Sion signifi-
catum ; vel, Sion, id est sanctuarium Dei
constructum in monte Sion. *Et non dixe-* 8
runt qui prœteribant, id est sancti viri
hunc mundum perambulantes : *Benedi-*
ctio Domini super vos : id est, odientibus
Sion non sunt imprecati benedictionem,
sed futuram eorum damnationem prælo-
cuti sunt. Unde nec eis dixerunt : *Bene-*
diximus vobis in nomine Domini. Cetera
patent ex dictis.

PRECATIO.

Bello et terrore spiritualis nequitiæ a ju-
ventute sua impugnatam Ecclesiam, Domi-
ne, fac de inimicis potenter triumphare :
ut humiliatis cervicibus eorum, gaudium
et lætitiam per te obtineat in sempiternum.

Digitized by Google

ARTICULUS XLIII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI VICESIMI NONI : DE PROFUNDIS CLAMAVI.

1 PSALMI præsentis titulus est : *Canticum* A
graduum. Hic enim psalmus est undeci-
mus in ordine gradualium psalmorum, tra-
ctans de undecimo gradu spiritualis ascen-
sionis, videlicet de pœnitentiali prece ad
Dominum : quoniam omnis homo, quan-
tumcumque sit justus et patiens, indiget
divinam misericordiam quotidie implora-
re pro quotidianis excessibus, seu malis
præteritis.

AIT ergo Propheta in persona hominis
pœnitentis : (1) *De profundis,* id est de B
hac valle lacrimarum, de corpore isto
mortali, de intimo cordis affectu, de tri-
bulationibus multis et magna voragine vi-
tiorum, *clamavi ad te, Domine,* tuam mi-
2 sericordiam implorando ; *Domine, exaudi*
vocem meam, dando quod postulo. (2) *Fiant*
aures tuæ intendentes in vocem depreca-
tionis meæ, id est, misericordia et sapien-
tia tua pie attendant quæ deprecor. Sæpe
resumit eumdem sensum sub aliis verbis,
ad insinuandum cordis sui æstuantem af-
fectum, et ut ex iteratione desiderii mens C
accendatur.
3 (3) *Si iniquitates observaveris, Domine,*
id est, si peccatorum nostrorum oblivisci
nolueris, si eorum enormitatem perpende-
ris, si ea secundum justitiam tuam ulcisci
volueris, *Domine, quis sustinebit?* id est,
quis poterit tantum rigorem sufferre? quis
poterit coram te stare, salvusque fieri ?
tanquam dicat, Nullus. Unde primo Re-
eg. vi, 20. gum habetur : Quis poterit stare ante con-
4 spectum Domini Dei hujus ? (4) *Quia apud*
te propitiatio est, id est, in te misericordia D
cxliv, 9. et miseratio magna est, et miserationes
tuæ super omnia opera tua : quemadmo-
el ii, 13. dum alibi dicitur : Convertimini ad Do-
minum Deum vestrum, quia benignus et
misericors est, patiens et multæ misericor-
diæ, et præstabilis super malitia. *Et pro-*
pter legem tuam, id est propter testimonia
sacræ Scripturæ, tuam misericordiam pœ-
nitentibus promittentis, sicut quum dicis :
Convertimini ad me, et convertar ad vos ; *Zach.* i, 3.
et iterum, Si fuerint peccata vestra ut coc- *Is.* i, 18.
cinum, quasi nix dealbabuntur ; *sustinui*
te, Domine, id est, tua flagella æquanimi-
ter pertuli, tuæ exauditionis dilationem
longanimiter et fiducialiter præstolabar,
tuam clementiam exspectavi : quemadmo-
dum apud Isaiam legitur : Ecce Deus no- *Ibid.* xxv, 9.
ster ; exspectavimus eum, et salvabit nos ;
sustinuimus eum, et lætabimur in salutari
ejus.

(5) *Sustinuit anima mea in verbo ejus :*
id est, ex sacra Scriptura recepit anima
mea fiduciam sustinendi Deum, et in ver-
bo divinæ promissionis confisa est, ple- *Rom.* iv, 21.
nissime sciens, quoniam quod promisit,
potens est adimplere ; *speravit anima mea* 5
in Domino, non in meritis propriis aut
rebus creatis. (6) *A custodia matutina us-* 6
que ad noctem, id est de mane usque ad
vesperam, a principio usque ad finem, a
juventute usque ad mortis occasum, *speret*
Israel, id est homo fidelis, seu populus
christianus Deum fide pura contemplans,
in Domino. (7) *Quia apud Dominum mi-* 7
sericordia, id est, in Deo est pietas ma-
gna, quippe cui proprium est misereri et
parcere ; *et copiosa apud eum redemptio*
est : quoniam ipse valde potens et clemens
est ad indulgendum, subveniendum, atque
salvandum ; nec deficit ejus virtus in re-
dimendo. Propter quod Moyses ait : Domi- *Exod.*
nator Domine, misericors et clemens, pa- xxxiv, 6, 7.
tiens et multæ misericordiæ ac verus, qui

Digitized by Google

custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem et scelera atque peccata. A
Is. LIX, 1. Et iterum dicit Scriptura : Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat. Est ergo apud Dominum, in Domino, et a Domino, copiosa redemptio, id est magna virtus ad liberandum, quæ est activa redemptio, causans in nobis redemptionem passivam qua liberamur.

8 (8) *Et ipse redimet Israel* in se sperantem : de quo jam dictum est; *ex omnibus iniquitatibus ejus,* dimittendo ei universa peccata per gratiam suam. Vel dicitur apud Dominum Christum copiosa redemptio, id est efficacissimum atque plenissimum meritum redimendi : nam sua passione meruit copiosam redimendi efficaciam; et ipse redemit Israel ex omnibus iniquitatibus ejus, satisfaciendo in cruce pro nostris peccatis, nosque proprio sanguine redimendo : sicut in Evangelio loquitur, Animam meam pono pro ovibus meis (Joann. X, 15); et in Isaia scriptum est, Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (Is. LIII, 4).

Ecce hic psalmus qui pœnitentialium psalmorum sextus est, pia devotione plenus exsistens, tanto attentius affectuosiusque cantandus est quanto nobis misericordiam Dei peculiarius recolit et commendat, et quanto personæ pœnitentium congruentius competit. Clamemus de profundo nostræ cæcitatis ad sublimitatem divinæ lucis. Invocet abyssus nostræ miseriæ abyssum pietatis divinæ (Ps. XLI, 8). Cognoscamus nos in judicio cum Deo non posse contendere, juxta illud : Non justificabitur homo compositus Deo; et si voluerit cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille (Job IX, 2, 3). B Iterum ergo conemur placare Deum creatorem, salvatorem ac judicem nostrum, orando, meditando, legendo, sacrificium laudis offerendo : et quod super omnia est, in divino atque fraterno amore proficiendo, quoniam caritas operit multitudinem peccatorum (I Petr. IV, 8).

PRECATIO.

Deus, apud quem est misericordia et redemptio copiosa, redime nos ab iniqui- C tatibus nostris, et in plenitudine sanctæ devotionis, fac nos tuis semper deservire præceptis.

ARTICULUS XLIV

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI : DOMINE, NON EST EXALTATUM COR MEUM.

Præscribitur psalmo jam declarando : D
1 *Canticum graduum, ipsi David.* Loquitur enim psalmus iste de duodecimo gradu spiritualis ascensus, videlicet de humilitate, sine qua nulla virtus habetur aut conservatur. Nam et pœnitentia sine ea non prodest. Quamvis autem humilitas sit basis et fundamentum spiritualis profectus, tamen humilitas talis ac tanta, qualis et quanta in hoc psalmo describitur, merito ponitur gradus duodecimus. Loquitur ergo Propheta in persona hominis virtuosi, qui suam perfectionem non jactanter, sed ad gloriam Dei ædificationemque Christi profitetur. Secundum quem modum Sancti frequenter propria bona describunt, ut Paulus qui ait, Plus omnibus laboravi (I Cor. XV, 10); et Job qui dicit, Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea (Job XXVII, 6); et Ezechias qui loquitur, Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te corde perfecto (Is. XXXVIII, 3). Quod sancti viri interdum faciunt, quatenus citius exaudiantur; non tamen in suis virtutibus principaliter sperant, præsertim quum sciant sua merita esse dona divina.

IN talis itaque hominis persona loquens A
Propheta, ait : (1) *Domine,* inquit, *non*
est exaltatum cor meum tumore superbiæ,
gloriando in se, aut sibi adscribendo quod
tibi attribuendum est, aut præferendo se
II *Reg.* VI, 22. aliis. Unde David alibi testatur : Vilior
fiam plus quam factus sum, et ero humilis
in oculis meis. *Neque elati sunt oculi*
mei, id est, interior cordis elatio non ascendit
neque apparuit in oculis corporis :
ubi maxime apparere consuevit. Sic ergo
nec intus nec foris, nec vere nec apparenter,
superbivit. Hinc quippe scriptum est : B
Job XV, 12, 13. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna
cogitans, attonitos habes oculos ? Quid tumet
contra Deum spiritus tuus ? Contra
Deum enim tumet omnis superbus. Propter
Prov. XVI, 5. quod dicitur in Proverbiis : Abominatio
est Domino omnis arrogans. (2) *Neque ambulavi
in magnis,* faciendo opera meam
mensuram transcendentia, seu inter proximos
superbe vivendo, aut me inaniter ostendendo ;
neque in mirabilibus super me :
id est, non quæsivi facere opera rara, miranda ;
nec ea optavi, per quæ hominibus C
mirabilis apparerem. Sed nec præsumpsi
Ibid. XXV, 27. esse scrutator majestatis, aut supernaturalia
fidei testimonia meo ingenio mensurare :
quemadmodum in Ecclesiastico legitur :
Eccli. III, 22. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te
ne scrutatus fueris ; sed quæ præcepit tibi
Deus, illa cogita semper. Et Apostolus dicit :
Rom. XII, 16. Non alta sapientes, sed humilibus
consentientes. Hæc tamen atque similia
quædam ignavi et derisores studiosorum,
multum perverse intelligunt, putantes hæc
ideo dici, quasi non debeamus mysteria D
fidei perscrutari, et conari quantum possibile
est, intelligere alta de fide : quum
Coloss. I, 10. tamen Apostolus dicat, Crescite in scientia
Joann. V, 39. Dei ; et Christus, Scrutamini (ait) Scripturas.
Denique sanctissimi patres nostri, Hieronymus,
Augustinus, Hilarius, Thomas,
nonne difficillima loca Scripturæ conati
sunt explanare, supernaturalia utcumque
cognoscere ?
2 (3) *Si non humiliter sentiebam,* humiliando
me intus et foris, et coram Deo
atque hominibus, *sed exaltavi animam*
meam, reputando me aliquid esse, quum *Galat.* VI, 3.
nihil sim ; (4) *Sicut ablactatus supra matrem
suam, ita retributio in animam meam :*
id est, tunc retribuatur et fiat animæ
meæ a te, sicut fit puero ablactato, incumbenti
supra ubera matris suæ : quatenus,
sicut puer talis quærit ubera sugere, et
non potest, sed dolet, plangitque atque
repellitur ; sic ego a te internam consolationem
non acquiram, nec ubera æternæ
Sapientiæ sugam, sed tanquam indignus
abjiciar. Hæc autem dicit potius prænuntiando
quid futurum sit, si intumescat,
quam sibi ipsi mala imprecando.

(5) *Speret Israel,* id est fidelis, *in Domino,* 3
ex hoc nunc et usque in sæculum,
id est indesinenter, quamdiu in isto exsilio
degit. Non enim in patria sperat aliquis in
Deo, quia nec fides nec spes permanent in
Beatis.

Ecce dum psalmum hunc cantamus, de
nostra superbia erubescamus, quid humilitatis
nobis desit pensemus, atque ad veræ
humilitatis amorem accendamur, eamque
adipisci fideliter jugiterque conemur.
Nam et Christus inter beatitudines gradum
humilitatis primum locavit, dicens : Beati *Matth.* V, 3.
pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum
cœlorum. Et iterum ait : Discite a *Ibid.* XI, 29.
me quia mitis sum et humilis corde. Et
Apostolus : Honore, inquit, invicem præ- *Rom.* XII, 10.
venientes. Et iterum : Subjecti estote invi- *Ephes.* V, 21.
cem in timore Dei. Ad Philippenses quoque
saluberrime exhortatur : Nihil agite per *Philipp.* II, 3.
contentionem, neque per inanem gloriam,
sed in humilitate superiores invicem
arbitrantes.

PRECATIO.

Virtute fulti, Domine, sanctæ majestatis tuæ, non sit exaltatum cor nostrum, oculi nostri non elati ; non in magnis neque in mirabilibus super nos ambulemus, sed semper humilia sentiamus : quo perpetim sæculorum tempore tibi placeamus.

Digitized by Google

ARTICULUS XLV

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI PRIMI : MEMENTO, DOMINE, DAVID.

1 TITULUS psalmi præsentis est : *Canticum* A
graduum. Loquitur jam psalmus iste de
tertiodecimo gradu spiritualis ascensio-
nis, videlicet de spirituali ædificatione do-
mus interioris, quæ est anima sancta : quæ
dum virtutibus adornatur, domus Christi
efficitur. Quamvis autem quidam doctores
magni atque catholici videantur præten-
dere, quod psalmus iste non loquatur ad
litteram de rege David filio Jesse, sed Chri-
sto per David significato ; tamen ex verbis
Hieronymi elucescit, quod psalmus iste ad
litteram loquatur de David. Ait enim in B
quadam homilia, quod ad Abraham et Da-
vid specialiter facta est de Christo repro-
missio : Ad David, De fructu ventris tui
ponam super sedem tuam : quæ sunt ver-
ba psalmi præsentis. Alii quoque doctores
catholici ita exponunt hunc psalmum, quos
verum dicere reor. Loquitur autem David
in psalmo isto, præcipue de duobus, vi-
delioet de affectu seu devotione sui ad
ædificandum Domino templum, et de pro-
missione sibi facta, de successione suæ
posteritatis, quantum ad regnum. C

AIT ergo, orans pro semetipso : (1) *Me-*
mento, Domine, David, miserendo si-
bi in omnibus : prout ab Esdra dicitur,
II *Esdr.* v, 19. Memento mei, Deus meus, in bonum. Non
quod in Deo cadat oblivio, aut recens me-
moria, sicut ubertim præhabitum est. *Et*
omnis mansuetudinis ejus : id est, mitita-
tem ejus habe acceptam, et propter eam
exaudi famulum tuum David. Erat nam-
que David multum mansuetus : quod con-
stat ex eo, quod adversariis suis tam pie D
I *Reg.* XXIV, 8; XXVI, 9-11; II *Reg.* XVI, 10; XVIII, 5. pepercit, puta Sauli et Semei ; pro Absalo-
ne quoque præcepit ne occideretur : quæ
patent primo et secundo libris Regum. Un-
de Dionysius in epistola ad Demophilum
monachum, asserit David merito suæ man-
suetudinis maximam apud Deum gratiam
invenisse.

Ad hoc autem memento ejus, o Domine,
ut impleat, (2) *Sicut juravit Domino,* et 2
sicut *votum vovit Deo Jacob* patriarchæ.
Qualiter autem juravit et vovit, subjungi-
tur. (3) *Si introiero in tabernaculum do-* 3
mus meæ, id est, non ingrediar domum
meam, ut in ea repausem, et a proposito
meo desistam ; *si ascendero,* id est, non
ascendam, *in lectum strati mei,* ut in eo
dormiam, quiescens et cessans ab exsecu-
tione voti et juramenti. Sicut autem domus
et tabernaculum domus idem sunt ; sic stra-
tum et lectus strati idem significant. Juxta
quem modum dicit Apostolus : Corporis Colos. I, 22; II, 11.
carnis. (4) *Si dedero,* id est, non dabo, *som-* 4
num oculis meis, et palpebris meis dormi-
tationem non dabo, quasi desinens a pro-
posito ; (5) *Et requiem temporibus meis* non 5
dabo, id est, non quiescam toto tempore
vitæ meæ ; *donec inveniam locum Domino.*
In isto versiculo tangitur, quid vovit atque
juravit : et est sensus, Donec inveniam lo-
cum Domino, id est ad Dei honorem, in
quo sibi templum ædificem. Ideo additur :
tabernaculum Deo Jacob, id est, donec
construam templum Deo patris nostri, san-
cti Jacob ; sicque illo constructo, inveniam
illud ad libitum, ad colendum Deum in
ipso. Sed quoniam David ædificare non I Par. XXII, 7, 8.
potuit templum, eo quod multum sangui-
nem fudit, numquid perjurus est ? Et re-
spondendum, quod David hæc vovit atque
juravit, supposita voluntate divina : et ergo
bona voluntas sibi pro opere reputabatur.
Filio autem ejus concessum est implere
quod ipse proposuit. Unde Dominus ait :

Digitized by Google

III Reg. VIII, 18, 19. Quod cogitasti in corde tuo ædificare do- A
mum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum
mente pertractans ; verumtamen tu non
ædificabis mihi domum, sed filius tuus.

6 (6) *Ecce audivimus eam in Ephrata.*
Secundum quosdam, in hoc loco ostendi-
tur devotio David in translatione arcæ,
quæ primo stabilem habuit mansionem in
Josue XVIII, 1. Silo, ubi Josue eam locavit, eratque ibi
I Reg. IV, 4, 11. donec tempore Heli capta est a Philistæ-
is. Ex tunc autem non habuit fixum lo-
cum, donec in templo Salomonis locata
est. Quum enim remisissent eam Philistæi B
Ibid. VII, 1, 2, 6. in Judæam, posita fuit in Cariathiarim,
deinde in Maspha, et postea in Gabaa, in
domum Abinadab ; deinde transtulit eam
II Reg. VI, 10, 11. David in domum Obededom Gethæi, ut le-
gitur secundo libro Regum. Postremo po-
Ibid. 17. suit eam David in tabernaculo quod ipse
ei tetenderat. Sic ergo litteram istam ex-
ponunt : Ecce audivimus eam, id est ar-
cam, positam fuisse in Ephrata, id est in
Silo, quæ dicitur Ephrata, quoniam erat in
sorte Ephraim ; *invenimus eam in campis*
I Reg. VII, 1. *silvæ*, id est in Gabaa, quæ est in territo- C
Josue XV, 9. rio Cariathiarim, quæ dicitur, urbs Silva-
7 rum. (7) *Introibimus*, ego David et populus
meus, *in tabernaculum ejus*, id est in ta-
bernaculum quod ego tetendi arcæ in civi-
tate mea Jerusalem ; *adorabimus* Deum *in*
loco ubi steterunt pedes ejus. Deus enim di-
cebatur sedere super propitiatorium, quod
erat super arcam tanquam operculum ejus,
et ita pedes Dei dicebantur stare in loco
ubi exstitit arca.

Hæc autem expositio videtur extranea.
Quum enim nulla mentio facta sit in psal- D
mo præsenti usque ad hunc versum de
arca, non apparet cur hoc relativum, *eam*,
referat arcam. Item quod per Ephrata intel-
ligatur Silo, extraneum esse videtur. Nam
Gen. XXXV, 19. in Genesi habetur : Bethleem dicta est
Mich. V, 2. Ephrata. Unde et Michæas ait : Et tu, Beth-
leem Ephrata, parvulus es in millibus Ju-
da. Si dixisset Propheta, Ecce audivimus
eam in Ephraim, vel in Ephrem, apparen-
tiam haberet majorem expositio ista. De-
nique quod per campos silvæ intelligatur
Gabaa, quæ erat civitas populosa, non vi-
detur conveniens. Quidam etiam libri, qui
creduntur correcti, non habent, Ecce in-
venimus *eam*, sed, *eum*. Aptius ergo puto,
ut exponantur ista de Christo atque Eccle-
sia, de quibus David hoc loco prophetice
loquitur, sicut in sequenti patebit articulo.

Deinde David orat Dominum ut dignan-
ter descendat, et habitet in templo Salomo-
nis. (8) *Surge, Domine, in requiem tuam,* 8
id est in templum a filio meo Salomone
ædificandum, in quo tibi stabilem habita- III Reg. IX, 3.
tionem elegisti. Surge, inquam, *tu*, ingre-
diendo non motu locali, sed operatione
gratuita, templum hoc, *et arca sanctifica-*
tionis tuæ, id est arca Moysis sanctificata
a te, et continens sancta, duas videlicet Hebr. IX, 4.
tabulas digito Dei scriptas, virgamque Aa-
ron quæ fronduerat, et urnam auream con-
tinentem manna. Hæc arca surgat, id est
transferatur, in requiem tuam, id est in
templum Salomonis. Itaque orat David ut
arca transferretur in templum Salomonis :
quod factum esse tertio Regum ostendi- III Reg. VIII, 6.
tur. (9) *Sacerdotes tui*, videlicet filii Aa- 9
ron, ministri altaris ac templi, *induantur*
justitiam, id est, taliter adornentur et ope-
riantur justa vita atque virtutibus, sicut
corpus vestimento ornatur ac tegitur. Pro-
pter quod Moyses dixit : Sacerdotes qui Exod. XIX, 22.
accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne
percutiat eos. *Et sancti tui exsultent* spi-
rituali jucunditate in te.

(10) *Propter David servum tuum*, id est 10
propter preces et merita ejus, *non aver-*
tas faciem christi tui, id est, non differas
mittere Christum mundi Salvatorem, sed
ostende nobis faciem atque præsentiam
ejus. Nicolaus de Lyra, per christum hoc
loco intelligit Salomonem. Et dicit quod
secundum Judæos, portæ templi Salomonis
clauserunt se contra sacerdotes atque Le-
vitas, arcam portantes ut eam transferrent
in templum. Quumque Dominum pro aper-
tione portarum orarent, psalmumque præ-
sentem cantarent, statim dum istum ver-
siculum canebant, portæ templi aperuerunt
se. Quo facto, universi qui aderant, co-

Digitized by Google

gnoverunt quod David erat acceptus Deo : A
cujus oppositum multi tenebant usque ad
II *Reg.* XI, 4, 16, 17. illud tempus, propter occisionem Uriæ et
adulterium Bethsabee.
11 (11) *Juravit Dominus David* servo suo
veritatem, id est quod verum est, *et non*
* alias *eam* *frustrabitur eum* *, id est, non omittet im-
plere quod ei juravit. Quid autem jura-
vit, adjecit. *De fructu ventris tui ponam*
super sedem tuam, id est, dabo tibi fili-
um regni successorem. Istud, secundum
Hieronymum, intelligendum est de Chri-
Rom. I, 3. sto, qui dicitur filius David secundum car- B
nem, et in eo perpetuatum est regnum
David, sicut angelus dixit Virgini glorio-
Luc. I, 32. sæ : Dabit illi Dominus Deus sedem David
patris ejus, et regnabit in domo Jacob in
æternum. Unde ab Isaia prædictum est :
Is. IX, 7. Super solium David et super regnum ejus
sedebit, ut confirmet illud, et corroboret
in judicio et justitia, amodo et usque in
sempiternum. Quidam tamen exponunt de
Salomone, qui erat filius et successor Da-
II *Reg.* VII, 12, 13. vid in regno, sicut per Nathan Dominus
12 promiserat David. (12) *Si custodierint filii* C
tui, o David, *testamentum meum*, id est
legem Mosaicam, *et testimonia mea*, id est
cetera quæ in lege contenta sunt, *hæc quæ*
docebo eos, id est, tunc illuminabo corda
ipsorum, ut plenius veriusque ea cogno-
scant. (13) *Et filii eorum usque in sæcu-*
lum, id est, quamdiu duraverit cursus ve-
teris Testamenti, *sedebunt super sedem*
tuam, regnantes in regno tuo, et patribus
suis succedentes. Sic plane factum fuis-
set, si non peccassent adeo graviter. Unde
propter eorum gravissima crimina regalis D
successio desiit tempore captivitatis Baby-
lonicæ.
13 (14) *Quoniam elegit Dominus Sion*, id
est montem in quo ædificatum est tem-
plum ; *elegit eam in habitationem sibi*.
Nam in templo dicebatur Deus specialiter
esse et habitare, propter evidentem opera-
tionem suam in eo : in templo namque
dabantur divina responsa de propitiatorio.
Sciendum autem quod mons Sion, qui etiam
II *Par.* III, 1. dictus est mons Moria, erat locus in quo

David vidit angelum Domini percutientem I *Par.* XXI, 15, 16.
populum propter numerationem populi.
Hunc autem locum Deus ostendit se elegis-
se, quando misit Gad prophetam ad David, *Ibid.* 18.
præcipiens ei ut in monte seu loco hoc
ædificaret altare, hostiasque offerret in eo.
Quod quum fecisset, exaudivit eum Deus *Ibid.* 26.
in igne cœlitus descendente. Propter quod
David locutus est, dum ista vidisset : Hæc *Ibid.* XXII, 1.
est domus Dei, et hoc altare in holocau-
stum Israel. In hoc itaque monte præcepit
David Salomoni construere templum.
(15) *Hæc requies mea in sæculum sæcu-* 14
li, id est, in templo ædificato in hoc mon-
te requiescam cum filiis Israel ; *hic*, id est
in monte isto, *habitabo* cum populo meo,
quoniam elegi eam, scilicet Sion. Unde
Dominus dixit Salomoni : Sanctificavi mi- III *Reg.* IX, 3.
hi domum istam, et habitabo cum filiis
Israel. (16) *Viduam ejus benedicens bene-* 15
dicam, id est, in spiritualibus et tempo-
ralibus dabo sufficientiam viduis Sion ;
pauperes ejus saturabo panibus mentis et
corporis, dummodo legem meam custodi-
re sategerint. (17) *Sacerdotes ejus*, scilicet 16
templi, *induam salutari*, id est salute et
gratia ; *et sancti ejus exsultatione* spiritu-
ali *exsultabunt* de bonis Domini, eique hi-
lariter ministrabunt.
(18) *Illic*, videlicet in Sion, *producam*, 17
id est, procreabo et prolongabo, *cornu*, id
est regiam potestatem, *David*, dando ei
regni successores ; *paravi lucernam*, id
est claram memoriam, *christo meo*, id est
regi David, non penitus auferendo regnum
a posteris ejus usque ad longum tempus.
Hinc enim Dominus ait Ahiæ prophetæ, cui
loquebatur de divisione regni Israelitici :
Filio autem ejus, videlicet Roboam filio *Ibid.* XI, 36.
Salomonis, dabo tribum unam, ut rema-
neat lucerna David servo meo. Et simile
sæpius dicitur de aliis regibus Juda, qui
suis peccatis meruerunt regno atque suc-
cessore privari ; sed propter David factum
est ut maneret ei lucerna. (19) *Inimicos* 18
ejus induam confusione. Sæpe enim deje-
cit Deus adversarios David filiorumque
ejus, et tunc confusione replevit æmulos

Digitized by Google

ejus; *super ipsum autem* David et posteritatem ipsius *efflorebit sanctificatio mea,* id est unctio sancta, qua reges ungi sole- A bant. Verumtamen ista de Christo multo convenientius exponuntur, sicut jam elucescet.

ARTICULUS XLVI

ELUCIDATIO EJUSDEM PSALMI CENTESIMI TRICESIMI PRIMI DE CHRISTO.

CONVENIENTISSIME autem exponitur psalmus iste de Christo: qui in scri- B pturis veteris Testamenti frequenter David vocatur, sicut dum Dominus per Ezechielem ait: (Ezech. xxxiv, 22, 23.) Salvabo gregem meum, et suscitabo super eum pastorem unum, qui pascat eum, David servum meum; et per (Osee iii, 5.) Osee: Revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum. David enim interpretatur, manu fortis, seu desiderabilis adspectu. Et quis adeo fortis, ut Christus, Dei virtus, qui (Luc. xi, 21, 22.) fortem armatum alligavit, id est, diabolum vicit, et vasa ejus diripuit, id est, pecca- C tores redemit? Præterea quis tam desi- (Ps. xliv, 3.) derabilis adspectu, ut Christus, speciosus (Sap. vii, 26.) forma præ filiis hominum, qui est candor (I Petr. i, 12.) lucis æternæ, in quem desiderant angeli sancti prospicere?

De Christo itaque loquens Propheta, ait:
1 *Memento, Domine,* Pater æterne, *David,* id est Christi, *et omnis mansuetudinis ejus.* Christus enim mitis, imo mitissimus erat. (Jer. xi, 19.) Propter quod ait: Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam; et iterum, (Matth. xi, 29.) Discite a me quia mitis sum. De ejus quo- D que mansuetudine scriptum est: (Is. xlii, 2, 4.) Non clamabit, nec audietur foris vox ejus; et, Non erit tristis neque turbulentus.

Sed multa sunt quæ circa hoc movere possunt studiosum lectorem. Primo enim videtur mirabile, quod Propheta oret pro Christo et mansuetudine ejus. Secundo, mirum apparet cur oret ut Deus meminerit Christi, quum certum sit quod nunquam (Matth. iii, 17; xvii, 5.) oblivisci potuit Filii sui dilecti, aut ejus mansuetudinem reprobare, in quo sibi bene complacuit. Tertio, mirum est cur oret pro Christo, quum Christus omnipotens sit, et per se ipsum omnia possit. Et respondendum ad primum istorum, quod Propheta orat pro Christo, non tamen pro propria Christi persona. Orat enim ut Deus meminerit Christi, non quantum ad ipsum Christum, sed quantum ad corpus suum mysticum, quod est Ecclesia, scilicet ut per Christum et merito ejus misereatur omnibus nobis. Et hoc modo Moyses sæpe precatus est Deum ut recordaretur Abrahæ et Isaac et Jacob: (Exod. xxxii, 13.) non quod pro Sanctis illis defunctis oravit; sed hoc deprecabatur ut Deus meritis eorum misereretur filiis Israel. Vel dici potest, quod Propheta orat pro Christo, non propter Christi indigentiam, sed ad ostendendum cordis sui affectum quem habebat ad Christum. Sicut enim Christus pro se ipso oravit, sic (Matth. xxvi, 39; Joann. xvii, 1, 5.) membra ejus pro eo hoc modo poterant exorare: et ex hoc patet responsio ad secundum. Non enim sic orat Propheta ut Deus Pater memor sit Christi et mansuetudinis ejus, quasi eorum oblivisci potuerit, sed ut recordando Christi et mansuetudinis ejus, memor sit misereaturque nostri, dando nobis per ipsum, quod ipsi non promeremur. Denique, licet Christus secundum quod Deus, omnipotens sit, orat tamen Propheta ut Pater ei cooperetur, quoniam Christus ut homo, indesinenter adjuvabatur a Patre, et quidquid fuit ac habuit, a Patre recepit. Unde ipse testatur: Non potest Filius a se facere quidquam, (Ibid. v, 19.) nisi quod viderit Patrem facientem.

Itaque, Domine, memento David, id est

Digitized by Google

2 Christi, ad hoc ut impleatur *sicut* Christus
juravit Domino Deo Patri, et sicut *votum
vovit Deo Jacob.* Sed ubi in Scriptura canonica legitur Christus jurasse, vovisseque
Domino? Ad hoc responderi potest dupliciter : Primo, quod per juramentum Christi, intelligatur firmum propositum ejus.
Per votum vero ipsius, intelligitur voluntas
ejus promptissima, et firma assertio qua
se dixit facturum quod sequitur. Secundo
(ut arbitror) dici potest, quod Christus homo vere juravit atque promisit Deo illud
quod subditur, quamvis fortassis hoc alibi non legatur. Quum enim Christus plenus fuerit omni virtute, plenus utique fuit
omni actu ac perfectione virtutum. Quum
(Thom. 2, 2, q. 88, a. 5; 89, a. 4.) ergo juramentum et votum sint actus religionis seu latriæ, quemadmodum in Secunda secundæ Thomas declarat, probabile est
quod in Christo fuerunt, præsertim quum
opera ex voto procedentia, sint perfectiora magisque meritoria quam alia. Unde
et Virgo benedicta virginitatem creditur
promisisse.

Juravit autem et vovit Christus hoc mo-
3 do : *Si introiero,* id est, non intrabo, *in
tabernaculum domus meæ,* id est in cœlum,
unde descendi; *si ascendero,* id est, non ascendam, *in lectum strati mei,* id est ad thronum gloriæ, ut requiescam ad dexteram
Dei Patris. De quo throno scriptum est :
(Apoc. III, 21.) Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno
4 ejus. *Si dedero,* id est, non dabo, *somnum,*
id est triduanæ sepulturæ quietem, *oculis
meis* corporeis : qui tunc sine vigilia actionis fuerunt. Et hoc idem repetit aliis verbis, dicendo : *et palpebris meis dormita-
5 tionem. Et requiem temporibus meis* non
dabo, id est, quamdiu in mundo isto conversor, non quiescam, neque cessabo discurrere, prædicare, miracula facere, injurias sustinere. *Donec inveniam locum Domino.* Hic ponitur, quid Christus juravit et
vovit, ut sit sensus : Donec inveniam, id
est, parem et faciam locum Domino in cordibus electorum, convertendo eos ad fidem
et gratiam Dei; et donec hoc modo inveniam *tabernaculum,* id est Ecclesiam, *Deo Jacob,* congregando electos in unum, id est in
unam catholicam fidem atque individuam
caritatem : sicque exsistant tabernaculum
Dei, in quo ipse per gratiam habitet : sicut
Apostolus ait, Templum Dei sanctum est, (1 Cor. III, 17.)
quod estis vos; et in Apocalypsi inducitur,
Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et (Apoc. XXI, 3.)
habitabit cum eis. In iis itaque verbis pollicetur Christus se non esse reversurum
de mundo ad cœlum, nisi prius construeret Deo Patri Ecclesiam, prout a Zacharia prædictum est : Ipse ædificabit tem- (Zach. VI, 12.)
plum Domino. Et Christus alibi testatur :
In die illa suscitabo tabernaculum David (Amos IX, 11.)
quod cecidit, et reædificabo aperturas ejus.
Quod Jacobus allegat impletum in vocatione gentium ad fidem Christi. (Act. XV, 16.)

Ecce audivimus eum, scilicet Christum, 6
in Ephrata, id est in Bethleem Judæ, in
qua ortus est Christus, juxta illud : Et tu, (Luc. II, 4. 7; Mich. V, 2.)
Bethleem Ephrata, ex te mihi egredietur
qui sit dominator in Israel. Et ibi inventus est a Magis atque pastoribus. *Invenimus eum in campis silvæ.* Ad litteram, per (Matth. II, 8, 11; Luc. II, 15, 16.)
campos silvæ intelligi possunt loca plana,
in quibus Christus frequenter ambulavit
et docuit, ibique a Judæis ac gentibus eum
requirentibus sæpe repertus est. Secundum Hieronymum, per campos silvæ intelliguntur gentiles, qui tanquam inculti atque indocti, campi silvæ vocantur : et in
illis inventus est Christus, quando per
prædicationem Apostolorum fidem catholicam receperunt, et Christo connexi sunt ut
capiti. — Alii textus habent, Eam; et tunc
est sensus : *Ecce audivimus eam,* puta Ecclesiam, quam appellavit tabernaculum,
in Ephrata, quia in Bethleem audita atque
inventa est Ecclesia, id est congregatio in
Christum credentium, scilicet Maria et Joseph, pastores et Magi; *invenimus eam,* (Ibidem.)
id est Ecclesiam, *in campis silvæ,* id est
in populis gentilitatis incultæ : quia Judæis Christum negantibus, Ecclesiamque
persequentibus, gentiles conversi sunt, et
ex ipsis constructa est Christi Ecclesia,
sicut per Prophetam ait : Inventus sum a (Is. LXV, 1; Rom. X, 20.)
non quærentibus me, palam apparui his

Digitized by Google

qui non interrogabant de me. Ad quod A
Osee i, 10. etiam pertinet illud Osee : Erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos ; dicetur eis, Filii Dei viventis.

7 *Introibimus,* nos in Christum credentes, *in tabernaculum ejus,* id est locum Ecclesiæ ; *adorabimus* Deum cultu latriæ, *in loco ubi steterunt pedes ejus,* id est in gentilitate conversa seu ipsa Ecclesia, ubi steterunt sancti Apostoli, et eorum prædicationes auditæ sunt. Qui Apostoli sunt pedes Ecclesiæ, quoniam corpus ejus sustentant et bajulant. De eis namque et eo- B
Is. lii, 7. rum doctrinis Isaias ait : O quam pulchri super montes pedes evangelizantium pacem, annuntiantium bona ! Vel sic : Introibimus in tabernaculum ejus, videlicet Christi ; adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Hoc ad litteram convenientissime accipitur de templo in Jerusalem ædificato post reditum a Babylone. In hoc enim tabernaculo pedes Christi frequen-
Luc. xix, 45; Joann. ii, 15. ter steterunt, sicut dum ejecit de eo omnes ementes et vendentes. Unde dictum
Malach. iii, 1. erat : Statim veniet ad templum suum C Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.

8 *Surge, Domine* Christe, *in requiem tuam,* id est, surge a mortuis, et assume corpus gloriosum, et redi ad cœlum. Jam enim juramentum tuum implesti, votum solvisti, invenisti Domino locum, fundasti Ecclesiam. *Tu et arca sanctificationis tuæ,* id est, non solum tu surge, sed et Ecclesia tecum resurgat. Ita impletum est. Nam Christo resurgente, multi Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Christo quoque D resurgente in re, omnes Christiani surrexerunt in spe : capitis enim præcessio, spes exstat membrorum. Propterea dicit Aposto-
Thess. iv, lus : Si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt, adducet cum eo. Dicitur autem Ecclesia, arca sanctificationis Christi, quoniam sicut arca Moysis continebat quædam præcipua sancta, in præcedenti articulo nominata ; ita Ecclesia Christi continet electos, qui sunt vasa misericordiæ. Dicitur quoque, arca sanctificationis, id est sanctificata adspersione sanguinis Agni immaculati, quemadmodum scriptum est : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit se- Ephes. v, 25, 26.
metipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ. Lavacrum autem aquæ, puta Baptismus, operatur virtute sanguinis Christi. Omnia namque sacramenta sunt quasi vasa medicinalia, per quæ nobis applicatur virtus seu meritum passionis et sanguinis Christi. Deinde Christus vel Propheta pro sacerdotibus novi Testamenti deprecans, subdit : *Sacerdotes tui induantur justi-* 9
tiam. Maxima enim puritas christianos condecet sacerdotes, qui hostiam illam supermundissimam superdignissimamque conficiunt, tractant et sumunt.

Propter David servum tuum, id est 10
Christum : qui secundum quod formam servi accepit, servus vocatur ; *non avertas,* id est, non repellas a te, o Deus Pater, *faciem christi tui,* id est vultum seu mentem hominis christiani : qui christus nominatur, tanquam spiritualiter unctus Spiritu Sancto ; sed merito passionis, orationis, conversationisque Christi, suscipe faciem Christiani, sicut de Job dicis : Fa- Job xlii, 8.
ciem ejus, videlicet Job, suscipiam. Unde Malachias : Deprecamini, inquit, vultum Malach. i, 9.
Domini, ut misereatur vestri, si quo modo suscipiat facies vestras. Vel sic : Non avertas faciem christi tui, id est, propter ipsum Christum non avertas piam præsentiam, claram notitiam, gratiosam inhabitationem Christi a nobis.

Juravit, id est, inviolabiliter affirmavit, 11
immobiliterque promisit, *Dominus* Pater, *David,* id est Christo, *veritatem, et non frustrabitur eum,* id est, juramentum suum non faciet irritum. Quid autem juravit, subjungitur. *De fructu,* id est de filiis spiritualibus, *ventris tui,* id est cordis tui, quos scilicet per sapientiam tuæ mentis spiritualiter generasti : prout Jacobus ait, Voluntarie genuit nos verbo veritatis suæ ; Jacob. i, 18.
ponam super sedem tuam, id est in cathedra Ecclesiæ, faciendo ex eis pastores,

Digitized by Google

prælatos, doctores : sicut supra de Apostolis A
Ps. XLIV, 17. dictum est, Constitues eos principes super
omnem terram. Hinc enim dicit Aposto-
I Cor. XII, 28. lus : Quosdam posuit Deus in Ecclesia, pri-
mo Apostolos, deinde Prophetas, tertio
doctores. Sæpe autem in Scriptura divina
ponitur venter, pro corde seu mente. Nam
Ps. CIX, 3. supra dictum est, Ex utero ante luciferum
genui te, id est, ex corde : non enim in
Deo Patre est venter corporeus. Salomon
Prov. XXII, 17, 18. quoque ait : Appone cor tuum ad doctri-
nam meam, quæ pulchra erit tibi quum
servaveris eam in ventre tuo, id est in B
12 mente tua. *Si custodierint,* o Christe, *filii*
tui, id est Christiani, *testamentum meum,*
id est Decalogum, *et testimonia mea* in
Evangelio tradita, *hæc quæ docebo eos,* ut
clarius ea cognoscant et certius compre-
hendant, imo certissime sciant ea esse a
Deo. Hanc beatissimam illuminationem me-
retur conversatio virtuosa. Ideoque Salva-
Joann. VII, 17. tor locutus est : Si quis voluerit volunta-
tem Dei facere, cognoscet de doctrina, an
Mich. III, 1, 2. ex Deo sit. Et iterum : Numquid vestrum
est scire judicium, qui odio habetis bo- C
num ? *Et filii eorum,* id est spiritualiter
enutriti sana doctrina et moribus ab illis
qui præcesserunt, *usque in sæculum,* id
est, quamdiu Ecclesia steterit, scilicet us-
que ad terminum mundi, *sedebunt super*
sedem tuam, tanquam successores Aposto-
lorum, regentes Ecclesiam tuam. Hoc au-
tem fiet non eorum meritis, sed gratia
Dei. Propter quod sequitur :
13 *Quoniam elegit Dominus Sion,* id est
Ecclesiam militantem, quemadmodum in
Joann. XV, 16. Evangelio dicit : Non vos me elegistis, sed D
ego elegi vos. Et Apostolus protestatur :
Ephes. I, 4. Deus elegit nos in Christo ante mundi con-
stitutionem, ut essemus sancti et immacu-
lati in conspectu ejus. *Elegit eam in ha-*
bitationem sibi, id est, ut in ea per gratiam
habitaret, sicut per Salomonem asseruit :
Prov. VIII, 31. Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Un-
II Cor. VI, 16. de Apostolus dicit : Vos estis templum Dei
vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inha-
Lev. XXVI, 12. bitabo in illis et inambulabo, et ero illo-
rum Deus.

Hæc, id est Ecclesia seu anima munda, 14
devota et studiosa, *requies mea in sæculum*
sæculi : sicut dixi, Ecce ego vobiscum sum Matth. XXVIII, 20.
cunctis diebus. Dicitur autem Deus immo-
bilem requiem habere in nobis, non quod
ipse unquam turbetur aut moveatur, sed
quoniam facit corda nostra in ipso quie-
scere. *Hic habitabo* per gratiam, *quoniam*
elegi eam mea bonitate, non ejus virtute.
Viduam ejus, scilicet Ecclesiæ, id est fe- 15
minam viri solatio destitutam, et de cetero
propter me continentem, nec in deliciis
viventem, *benedicens benedicam,* dando ei
necessaria vitæ, gratiamque in præsenti,
et gloriam in futuro. Unde de talibus vi-
duis scribens Apostolus : Viduas, inquit, I Tim. V, 3.
honora, quæ vere viduæ sunt. Vel : Vi-
duam, id est animam fidelem humano
solatio destitutam, et vana gaudia contem-
nentem, benedicens benedicam. *Pauperes*
ejus, id est egenos Ecclesiæ, scilicet pau- Matth. V, 3.
peres spiritu, quorum est regnum cœlo-
rum, *saturabo panibus* vitæ et intellectus, Eccli. XV, 3.
pane sacramentali, pane lacrimarum, pane Ps. LXXIX, 6.
operum bonorum.
Illic, id est in Ecclesia, *producam,* id 17
est, formabo, conservabo et prolongabo,
cornu David, id est dignitatem atque po-
tentiam Christi, dando Ecclesiæ magnam
dignitatem ac potestatem in nomine Chri-
sti. Vel : *Illic,* id est in futuro judicio at-
que in patria, *producam,* id est, proferam
et ostendam, *cornu David,* id est regiam
seu judiciariam potestatem Christi, quæ
illic præcipue apparebit, ubi videbitur in
majestate gloriæ suæ. *Paravi lucernam,*
id est claram ac sempiternam memoriam,
Christo meo : quoniam nomen Christi ubi-
que gloriosum et notum est. Vel, Lucer-
nam, id est vasa gratiæ, scilicet homines
bonos, in quibus Christus per gratiam
splendet, quemadmodum in lucerna lucet
candela. Vel, Lucernam, id est Joannem
præcursorem, qui paravit viam Domino :
de quo dicitur, Ille erat lucerna ardens et Joann. V, 35.
lucens. *Inimicos ejus,* id est adversarios 18
Christi, *induam confusione,* præsertim in
die judicii, quando videbunt Filium homi-

Digitized by Google

nis in majestate sua; quando illud Isaiæ *Is. xlv, 25.* implebitur, Ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. *Super ipsum autem,* id est super Christum, *efflorebit,* id est, affluenter seu copiose florebit, *sanctificatio mea :* quia et ejus naturam humanam præ omnibus Sanctis sanctificavi, im- *Joann. III, 34.* plens eam Spiritu Sancto sine mensura, et omnes Ecclesiæ filios sanctificabo per *Rom. v, 10.* eum. Unde dicit Apostolus : Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Hoc *Joann. XVII, 11, 17.* etiam Christus oravit : Pater, sanctifica eos in veritate.

Ecce psalmum gloriosum ac mysterialem audivimus : in quo Christi incarnatio et Ecclesiæ institutio pulchre signantur.

A Tropologice quoque monet nos psalmus iste, ut juremus et promittamus non ingressuros nos tabernaculum domus nostræ, etc., donec in nobis ipsis inveniamus locum Domino, emundantes cor nostrum ab occupatione superflua, ab inordinato affectu, ab omni torpore.

PRECATIO.

Pro tua pietate, Domine, da nobis, quæsumus, bonæ operationis studiis sic jugiter invigilare, quo nos tibi Domino locum in- B veniamus in corde nostro : sit tua præsentia nostra ubique defensio, et nostris confusis inimicis, tua super nos semper floreat sanctificatio.

ARTICULUS XLVII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI SECUNDI : ECCE QUAM BONUM.

1 Titulus psalmi præsentis est : *Canticum graduum.* Agit namque hic psalmus de quartodecimo gradu spiritualis ascensionis, videlicet de caritate, quæ multos connectit, et omnia communia facit.

Ait ergo : (1) *Ecce quam bonum.* Dum in Scriptura divina præmittitur, Ecce, insinuatur aliquod notabile esse dicendum. Ecce quam bonum *et quam jucundum,* id est, pensate quod multum bonum seu meritorium, multumque delectabile sit, *habitare fratres* spirituales *in unum,* id est in D eadem domo, dummodo id ipsum dicant *I Cor. I, 10.* omnes, et non sint in eis schismata. Socialis igitur vita commendatur in isto versiculo. Quam Salomon quoque collaudat : *Eccle. IV, 9, 10.* Melius (inquit) est, duos esse simul : habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia quum ceciderit, non habet suble- *Prov. XVIII, 19.* vantem. Et iterum : Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. — Si autem

C quis velit exponere tam extense, ut omnibus in gratia exsistentibus congruat, sensus erit : *Ecce quam bonum,* etc., *in unum,* id est, concorditer habitando in Ecclesia Christi sub una fide, spe et caritate, ut sint omnes unum in Christo, quemadmodum Apostolus loquitur : Etenim in uno *I Cor. XII, 13.* Spiritu in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi; et omnes uno Spiritu potati sumus.

Secundum primam autem expositionem convenit psalmus iste præsertim claustralibus : quorum esse debet major concordia, quam aliorum, ita ut multitudinis *Act. IV, 32.* fratrum sit cor unum et anima una, sicut Dominus alibi ait : Dabo eis cor unum et *Jer. XXXII, 39.* animam unam. Summa nihilo minus est anachoretarum perfectio : quæ est magis divina, quam humana. Nam homo solus, est, aut deus, aut bestia; non essentialiter, sed participative.

Deinde ponit exemplum bipartitum, seu duplex de isto. (2) *Sicut unguentum in* 2

Digitized by Google

capite, quod descendit in barbam, barbam A
Aaron: id est, sicut unguentum seu oleum,
quo in veteri Testamento consecrabatur
Exod. xxx, 23-33. summus sacerdos, erat valde pretiosum,
dulce, et optime redolens; sic vehementer
virtuosum, suave, et Deo placitum est, ha-
bitare fratres in unum per caritatem. Ca-
ritas enim omnium virtutum altissima est,
et nulla virtus tam dulciter, prompte ac
delectabiliter operatur ut ipsa, secundum
Cant. VIII, 6, 7. quod in Canticis scribitur : Fortis est ut
mors dilectio ; et, Aquæ multæ non pote-
runt exstinguere caritatem. Ait ergo : *Sic-* B
ut unguentum in capite summi sacerdotis
legalis, *quod descendit* a capite uncto *in*
barbam, non cujuslibet, sed *barbam Aa-*
ron, primi pontificis legalis, per quem alii
designantur. Soli enim summi sacerdotes
ungebantur hoc oleo, quantum ad sacer-
dotes. Ungebantur autem et reges atque
Prophetæ eo modo, quo Dominus dixit
III Reg. XIX, 16. Eliæ : Eliseum unges prophetam pro te.
(5) *Quod* unguentum *descendit* a barba,
fluendo *in oram* superiorem *vestimenti*
ejus, id est summi sacerdotis. Fluxit enim C
Exod. XXIX, 7; Lev. VIII, 12. oleum istud, dum ungebatur summus sa-
cerdos, a capite per barbam usque ad
superiorem oram tunicæ hyacinthinæ et
3 superhumeralis. — *Sicut ros Hermon, qui*
descendit in montem Sion. Hic ponit se-
cundum exemplum ; et est sensus : *Sicut*
ros montis qui dicitur *Hermon,* est bonus et
causa lætitiæ, quoniam efficit montem il-
lum fructuosum ; sic bonum atque jucun-
dum est habitare fratres in unum. *Qui* ros
descendit in montem Sion : id est, ros simi-
lis in specie rori montis Hermon, descendit D
in montem Sion, in quo fuerat templum.
1 Moraliter ita exponitur : *Bonum et ju-*
2 *cundum* est *fratres habitare in unum, sic-*
ut unguentum in capite, id est, sicut bona
Ephes. V, 23. est gratia exsistens in Christo, qui est ca-
put Ecclesiæ : *quod descendit in barbam,*
barbam Aaron, id est, quæ gratia descen-
dit a Christo in Apostolos ejus : qui signi-
ficantur per barbam, eo quod barba sit
signum virilitatis, et ipsi in bello pro fide
fortissimi perstiterunt. Per Aaron ergo in-

telligitur Christus, summus sacerdos Ec-
clesiæ, qui per Spiritum Sanctum semet- Hebr. IX, 14.
ipsum obtulit immaculatum Deo. *Quod*
descendit in oram vestimenti ejus, id est,
quæ gratia Spiritus Sancti descendit a
Christo per Apostolos in Ecclesiam : quæ
significatur per oram vestimenti Christi,
quoniam, sicut vestimentum est ornamen-
tum vestiti, ita Ecclesia est decor quodam-
modo Christi, tanquam sponsa ipsius. — In-
super bonum et item jucundum est fratres
habitare in unum, *sicut* bonus est *ros Her-* 3
mon, id est spiritualis fecundatio Christi.
Hermon namque interpretatur, lumen ex-
altatum : sicque significat Christum, qui
est lumen verum super omnes cœlos exal-
tatum. *Qui descendit in montem Sion,* id
est, quæ fecundatio diffusa est in animam
speculativam, bonis operibus plenam.

(4) *Quoniam illic,* id est ad concordem
fratrum cohabitationem, *mandavit,* id est
misit, *Dominus benedictionem,* id est gra-
tiarum cœlestium collationem, *et vitam*
spiritualem *usque in sæculum :* quoniam
taliter cohabitantes nunc vivunt per gra-
tiam, in æternum victuri in cœlo per glo-
riam. Vel : Quoniam illic mandavit, id est
præcepit, Dominus benedictionem, id est,
in tali congregatione præcepit se benedici,
qui a discordibus non dignatur laudari.

Hortatur nos divinus sermo psalmi præ-
sentis ad inviolabilem fraternæ caritatis
tenorem, ad pacificam cohabitationem, ad
mutuam communicationem. Sine caritate
namque nulla virtus meritoria est. Ipsa est
omnis spiritualis profectus principium,
medium et finis. Ipsa de claustro efficit
paradisum, de monachis angelos. Odium
vero, de claustro facit infernum, de reli-
giosis diabolos. Qui in caritate non pro-
ficit, nil proficit ; sine caritatis profectu
corporalis exercitatio sterilis est. Solitudo,
silentium, abstinentia, disciplina, cilicium,
clausura, vigilia, duritia strati, nil prosunt
ad vitam æternam sine præsentia carita-
tis. Idcirco Apostolus : Excellentiorem, in- I Cor. XII, 31; XIII, 1.
quit, vobis viam demonstro. Si linguis
angelorum loquar et hominum, caritatem

Digitized by Google

autem non habeam, factus sum velut æs A
sonans aut cymbalum tinniens. Unde in
I Petr. III, 8, 9. Petri Canonica scriptum est : Omnes unanimes, fraternitatis amatores, compatientes, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo ; sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis.

PRECATIO.

Largire nobis, Domine, gratiæ tuæ donum, ut in caritate concordes habitemus in unum : per quod suaviter apud te redolentes, benedictionem tuam et vitam consequamur in sæculum.

ARTICULUS XLVIII

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI TERTII : ECCE NUNC BENEDICITE DOMINO.

INSUPER titulus psalmi nunc exponendi B
1 talis est : *Canticum graduum*. Nam, sicut psalmus præcedens locutus est de caritate fraterna ; sic iste de caritate divina eloquitur, quæ est quintusdecimus, summus et ultimus gradus spiritualis ascensionis. Realiter tamen idem sunt caritas Dei et proximi, quia virtutes distinguuntur per rationes formales. Ratio autem amandi proximum, Deus est. Porro psalmus iste ad litteram est invitatio sacerdotum ac Levitarum veteris Testamenti ad laudem divinam : et sic per domum Domini, desi- C
gnatur templum Jerusalem, in quo stabant sacerdotes et Levitæ ad orandum et immolandum.

SPIRITUALITER vero exponitur de universis fidelibus, et est sensus : (1) *Ecce nunc*, id est tempore isto, de quo dicit
II Cor. vi, 2. Apostolus : Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. De quo in Isaia ha-
Is. lv, 6. betur : Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Vel, Nunc, id est, ascensis gradibus præindu- D
Dominum ctis. *Benedicite Domino**, id est, Deum laudate ex caritate ardente, *omnes servi Domini*, qui fide et opere Christiani estis. Qui enim prædictos virtutum gradus ascenderunt atque sortiti sunt, digni habentur benedicere Domino benedictione laudis et gratiarum actionis : quæ utique benedictio non est speciosa in ore pecca- Eccli. xv, 9.
toris. (2) *Qui statis in domo Domini*, id est, qui stabiliter estis Ecclesiæ filii, perseverantes constanter in ecclesiastica unitate, id est in vera fide et caritate ; et qui statis *in atriis domus Dei nostri*, id est in primis seu amplioribus locis Ecclesiæ, quæ sunt materialia atria ejus. Vel : In atriis, id est in latitudine caritatis, domus Dei nostri, id est fidelis animæ, quæ est domus et sedes Sapientiæ increatæ. Sap. vii, 27.

(3) *In noctibus*, id est tempore nocturno, 2
juxta illud : Consurge, lauda in nocte ; Thren. ii, 19.
vel, In noctibus, id est tempore adversitatis ; vel, In noctibus, id est toto tempore vitæ præsentis, quod innumerabilibus vitiorum tenebris, tribulationumque pressuris obtenebratur. Propter quod in tenebris Luc. i, 79.
et in umbra mortis sedere perhibemur. *Extollite manus vestras* corporales ac spirituales, quæ sunt desideria ad superna tendentia, *in sancta*, id est in cœlestia, quatenus ea adipisci et ingredi valeatis. De quibus ait Apostolus : Christus per Hebr. ix, 11, 12.
proprium sanguinem introivit semel in Sancta. Debemus autem utrasque manus cum ferventissimo semper affectu extollere, juxta illud Apostoli : Volo viros orare I Tim. ii, 8.
in omni loco, levantes puras manus, etc. *Et benedicite Domino* indesinenter.

Et ut hoc queas perficere, o serve atque
Ecclesia Dei, (4) *Benedicat te Dominus*, id 3

Digitized by Google

est, gratiæ dona tibi infundat, *ex Sion,* id A est ex cœlesti Jerusalem, ubi ipse specialiter habitat, *qui fecit cœlum et terram* ex
Sap. XII, 18. nihilo, tanquam Creator omnipotens : cui
Jer. XXXII, 17. subest, quum voluerit, posse ; cui non est difficile omne verbum ; qui in infinitum plura atque majora potest efficere, quam possit mens humana concipere. Sed quid est quod in principio psalmi hortatur nos sanctus Propheta benedicere Domino, nunc vero precatur ut Dominus nos benedicat? Et respondendum, quod duplex est benedictio, scilicet consecrationis et laudis. De B benedictione consecrationis dicit Aposto-
Hebr. VII, 7. lus : Sine ulla contradictione, quod minus est, a majore benedicitur. Hac ergo benedictione benedicit nos Deus. Benedictione vero laudis minor benedicit majori, et creatura Creatori.

Postremo psalmum istum affectuosum ac dulcem decet nos hora Completorii cum speciali devotione cantare, dirigendo mentem ad Creatorem, atque in ejus præconiis diem concludere, obdormiendo in meditationibus divinorum.

PRECATIO.

In sancta devotione in noctibus hujus sæculi, Domine, in domo tua et in atriis tuis stantes, fac nos tibi servientes benedicere ; teque nobis benedicentibus, tu, Domine, benedicas nos ex Sion propitius.

ARTICULUS XLIX

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI QUARTI : LAUDATE NOMEN DOMINI.

Præterea psalmi præsentis titulus est : C
1 *Alleluia :* cujus interpretatio est, Laudate Dominum. Merito autem post psalmos graduales ponitur psalmus, Alleluia pro titulo habens : quoniam gradus spiritualis ascensionis perambulans, sicque ad veram perfectionem pertingens, dignus est Deum laudare.

Psalmus vero iste hortatur nos ad laudem divinam propter multiplicem rationem, et ait : (1) *Laudate,* o universi fideles, *nomen Domini,* id est Dominum no- D mine designatum, seu rem significatam per nomen ; *laudate, servi* justitiæ, non
2 servi peccati, *Dominum.* (2) *Qui statis* fide constanti et opere efficaci *in domo Domini,* id est in ecclesia materiali, quæ est domus orationis et laudis ; vel, In domo Domini, id est in Ecclesia militanti et spirituali, seu congregatione fidelium, qui omnes sunt unum mysticum corpus Christi, recipientes ab eo motum virtutum et vitam gratiæ ; et qui statis *in atriis domus Dei nostri.* Versiculus iste in præce- Ps. CXXXIII, 1.
denti psalmo expositus est.

(3) *Laudate Dominum, quoniam bonus* 3
Dominus. Deus enim sanctus et benedictus, essentialiter, incircumscriptibiliter et quomodolibet bonus est, et ipse est omnis boni principium, quem omnia naturaliter appetunt tanquam ultimum finem, sine cujus incessabili conservatione nec in momento subsistere possent. Ideo ait Salvator : Quid me dicis bonum ? Nemo Luc. XVIII, 19.
bonus nisi solus Deus. *Psallite nomini ejus, quoniam suave.* Proprium nomen Domini Creatoris, est Deus : et quid dulcius Deo ? imo quid vel in minimo comparari poterit dulcedini Dei ? Cujus est tanta dulcedo, quanta bonitas ; qui in se ipso infinita dulcedine æternaliter fruitur, omnesque Beatos in patria inexcogitabili suavitate perfundit, nos quoque in hac valle

Digitized by Google

lacrimarum subinde dulciter visitat, pie A
lætificat, excessive exhilarat, supernatura-
literque reficit.

Psallendum est etiam Domino propter
4 beneficia ejus, videlicet, (4) *Quoniam Ja-
cob elegit sibi Dominus, Israel in posses-
Gen. xxvii, 36. *sionem sibi.* Jacob qui interpretatur sup-
Ibid. xxxii, 28. plantator, alio nomine dictus est Israel,
quod interpretatur, vir videns Deum. Sive
autem per Jacob et Israel intelligatur per-
sona Jacob, sive populus ab eo descen-
dens, certum est quod Deus eum elegit,
quemadmodum Moyses profitetur populo B
Deut. x, 15. huic : Patribus tuis conglutinatus est Do-
minus, et elegit eos, amavitque semen eo-
Ibid. vii, 6. rum post eos. Et iterum : Te elegit Do-
minus, ut sis ei populus peculiaris de
cunctis populis qui sunt super terram. Et
ideo dicitur elegisse Israel in possessio-
nem, id est in hereditatem seu heredita-
rium populum, sicut per Isaiam loquitur :
Is. xix, 25. Hereditas mea Israel. Et Samuel dixit ad
I Reg. x, 1. Saul : Ecce unxit te Dominus super here-
ditatem suam in principem. Spiritualiter
vero per Jacob intelligitur quilibet contra C
vitia luctans; per Israel vero, omnis Deum
fideliter speculans : quod maxime compe-
tit veris Christianis, seu Ecclesiæ Christi ;
et hos Deus elegit in possessionem æter-
nam, possidens eos in via per gratiam, in
patria autem per gloriam. Propter quod
Ephes. i, 5. dicit Apostolus : Deus prædestinavit nos in
adoptionem filiorum per Jesum Christum,
secundum propositum voluntatis suæ.
5 (5) *Quia ego cognovi* per fidem, per ra-
tionem naturalem, per experientiam, per
divinæ dulcedinis gustum, *quod magnus* D
est Dominus, non magnitudine molis, sed
dignitatis : imo vere infinitus est Domi-
nus, et perfectionis ejus nullus est termi-
nus ; *et Deus noster,* videlicet Trinitas su-
perbenedicta, quæ est Deitas simplex et
adoranda, *præ omnibus diis* magnus est,
quia in infinitum omnes excedit : sive per
deos intelligantur excellentes creaturæ, vi-
delicet angeli sancti et homines summi,
qui dii vocantur; sive per deos intelligan-
tur dii seu idola gentium, qui mendaciter
dii dicuntur. Hoc modo Jethro cognatus
Moysis novit magnitudinem Domini, di-
cens : Nunc cognovi quoniam magnus Do- Exod. xviii, 11.
minus super omnes deos. Hinc etiam scri-
ptum est : Excelsior cœlo est, et quid Job xi, 8, 9.
facies? profundior inferno, et unde cogno-
sces? Longior terra mensura ejus, et latior
mari. (6) *Omnia quæcumque voluit Do-* 6
minus, fecit in cœlo et in terra, tam in
operibus naturæ, quam in operibus gra-
tiæ. Deo enim nihil difficile est, ut dicit Jer. xxxii, 17, 27.
Jeremias. Et ipse testatur : Consilium me- Is. xlvi, 10.
um stabit, et omnis voluntas mea fiet. In
cœlo namque condidit angelos atque an-
gelicos ordines tot, quando, et quomodo
voluit. Denique quos voluit, præservavit
a ruina, et quos voluit, permisit peccare.
Similiter fecit in terra, in hominibus, *in
mari* Oceano *et in omnibus abyssis* parti-
cularibus. In his enim magna fecit opera,
tam in navigantibus, quorum quosdam
mirabiliter liberavit, ut Jonam; quam in Jonæ ii, 1, 11.
piscibus, quorum diversa mirandaque ge-
nera inveniuntur in abyssis.
(7) *Educens* ipse Dominus motu et ca- 7
lore solis, vel supernaturaliter, *nubes ab
extremo terræ,* elevando videlicet vapores
ex quibus nubes causantur, a mari Oce-
ano, unde (ut sæpius) nubes ascendunt.
Propter quod ad Job Dominus ait : Quum Job xxxviii, 9.
ponerem nubem vestimentum ejus, scili-
cet maris. *Fulgura in pluviam fecit,* id
est, terminavit. In nubibus enim fieri so-
lent tonitrua, ex quibus coruscationes et
fulgura prodeunt; terminanturque fulgu-
ra ista per hoc, quod nubes resolvuntur
in pluviam. Unde alibi dicitur : Qui vocat Amos v, 8.
aquas et effundit eas super faciem terræ.
In quo apparet infinita sapientia Dei. Cur
enim in nubes condenset aquas, ostenditur
apud Job : Qui ligat aquas in nubibus, ut Job xxvi, 8.
non erumpant pariter deorsum. Si enim
simul erumperent, omnia subverterentur,
sicut idem fatetur : Si continuerit aquas, Ibid. xii, 15.
omnia siccabuntur ; si emiserit eas, sub-
vertent terram. Producit igitur nubes, et
ordinatissime irrigat mundum. (8) *Qui pro-
ducit ventos de thesauris suis.* Thesauri

Digitized by Google

appellantur divitiæ occultatæ. Per thesau- A
ros ergo intelliguntur divitiæ bonitatis di-
vinæ, id est omnipotentia Dei, qua sufficit
omnia agere prout vult; vel causæ creatæ,
ex quibus virtus divina ventos producit,
sicut ex thesauro proferuntur denarii. Ait
itaque : Qui producit ventos de thesauris
suis, id est de plenitudine propriæ volun-
tatis ; vel, De thesauris suis, id est de cau-
sis creatis, videlicet de materia copiosa ac
diviti ad hoc ut ex ea producantur venti.
Alii sic exponunt, De thesauris suis, id est
de locis ignotis, sicut thesauri ponuntur B
in loco occulto. Sunt ergo thesauri venti ;
sunt quoque thesauri nivis et grandinis :
Job xxxviii, 22. de quibus Dominus ait ad Job, Numquid
ingressus es thesauros nivis, aut thesauros
grandinis adspexisti?
8 *Qui percussit primogenita Ægypti ab*
homine usque ad pecus inclusive, quem-
admodum scriptum est : Decima plaga ter-
Exod. xii, 29. ræ Ægypti erat, quod Deus percussit in ea
omne primogenitum, tam in hominibus
quam in pecoribus. Et ista percussio facta
9 est media nocte ab angelo Dei. (9) *Emisit* C
Ibid. vii-xii. Deus *signa et prodigia,* scilicet decem horri-
biles plagas, *in medio tui, Ægypte;* et non
solum in terra, sed in habitatoribus ejus,
sicut subjungitur : *in Pharaonem* regem
Ægypti, *et in omnes servos ejus,* quorum
Ibid. xiv, 27, 28. multos tandem submersit in mari Rubro.
10 (10) *Qui percussit gentes multas* in conspe-
Ibid. xvii, 9-13. ctu filiorum Israel, scilicet Amalecitas et
alias multas. Nam quum elevaret Moyses
manus, vincebat Israel; si autem paulu-
lum remisisset, vincebat Amalec. *Et occi-*
dit reges fortes : quia virtute divina occi- D
11 derunt eos filii Israel, videlicet, (11) *Sehon*
Num. xxi, 24, 35; xxxii, 33. *regem Amorrhæorum, et Og regem Basan,*
quorum terram possederunt filii Ruben, et
Gad, et dimidia tribus Manasse, *et omnia*
regna Chanaan, scilicet trans Jordanem,
Josue xii, 7-24. ubi Josue et filii Israel, Deo auxiliante, in-
12 terfecerunt triginta unum reges. (12) *Et*
dedit terram eorum hereditatem, non qui-
buscumque, sed *hereditatem Israel populo*
suo, videlicet novem tribubus et dimidiæ
Ibid. xiii-xxi. tribui Manasse, quibus Josue divisit ter-
ram per sortem, prout in diversis capitulis
libri Josue recitatur.

Denique ista quæ ad litteram plana sunt,
mystice intelligi possunt hoc modo : *Edu-* 7
cens Deus *nubes ab extremo terræ,* id est
prædicatores sanctos a finibus mundi. Nam
in omnibus terris gentilium ad fidem con-
versorum, fecit Deus ex gentilibus aliquos
eximios prædicatores : qui nubes dicuntur,
quoniam pluunt docendo, tonant commi-
nando, coruscant miracula peragendo. Id-
eo quoque nubes dicuntur, quoniam supra
ceteros penna contemplationis volant, ter-
rena transiliunt, lumen veritatis a fonte sa-
pientiæ prius copiosiusque participant. Un-
de de talibus scriptum est : Qui sunt isti Is. lx, 8.
qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad
fenestras suas? *Fulgura in pluviam fecit,*
id est, terribiles comminationes de futu-
ro judicio et pœnis inferni in dulces con-
solationes de futura felicitate Sanctorum
mutavit. Prædicatores etenim terrent, com-
minando supplicia; et refrigerant, promit-
tendo gaudia sempiterna. *Qui producit ven-*
tos, id est inspirationes seu motiones ad
bona, *de thesauris suis,* id est de divitiis
suæ liberalissimæ Deitatis. *Qui percussit* 8
primogenita Ægypti, id est, capitalia vitia
hominum terrenorum destruxit, conver-
tendo eos ad gratiam, *ab homine usque ad*
pecus, id est a philosopho seu docto usque
ad laicum seu indoctum. *Emisit signa et* 9
prodigia in medio tui, Ægypte, id est per
universum mundum : quemadmodum in
Evangelio dicitur, Illi profecti prædicave- Marc. xvi, 20.
runt ubique, Domino cooperante, et sermo-
nem confirmante sequentibus signis; et,
Misit Jesus discipulos, dicens, Infirmos Matth. x, 5, 8.
curate, mortuos suscitate, leprosos mun-
date, dæmones ejicite. *In Pharaonem et in*
omnes servos ejus, id est principes hujus
mundi et eorum satellites. *Qui percussit* 10
gentes multas, et occidit reges fortes. Hoc
accipi potest in bono atque in malo. Gen-
tes enim et reges ad æternam vitam præ-
ordinatos, percussit et occidit Deus, non
quantum ad esse naturæ, sed quantum

Digitized by Google

ad esse culpæ. De qua occisione Christus
Luc. IX, 24. testatur : Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Sicque gentes
et reges desierunt esse eo modo, quo in
Prov. XII, 7. Proverbiis dicitur : Verte impios, et non
erunt. Desierunt enim esse, non quod
fuerunt, sed quales fuerunt. Secundo accipitur in malo, videlicet de gentibus
et regibus reprobis, quos Deus percussit
et occidit spiritualiter, deserendo eos in
morte infidelitatis et culpæ : qualiter eti-
Exod. X, 20; XI, 10; XIV, 4, etc. am dicitur indurasse Pharaonem. *Sehon*
regem Amorrhæorum, etc. Sehon inter-
11 pretatur, tentatio oculorum : unde significat luxuriosum. Og vero interpretatur congregans, et designat avarum. Talibus autem
vitiis implicatos Deus occidit secundum
modum prædictum. *Et omnia regna Chanaan*, id est superborum. Chanaan enim
interpretatur possidens ; significatque superbos, quia superbi alios possidere præ-
12 sidendo et dominando nituntur. *Et dedit*
terram eorum, id est regnum cœlorum,
quod est terra viventium : in qua dæmones superbi creati sunt, et ad quam possidendam universi homines facti sunt ; sed
multi peccando se ipsos impediunt. Hanc
autem terram dedit Deus in hereditatem
populo suo christiano, electo et pauco, cui
Luc. XII, 32. ait : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

13 (13) *Domine, nomen tuum in æternum*
permanebit, id est, æternaliter nominaberis ab adorantibus atque laudantibus te,
præsertim in patria. *Domine, memoriale*
tuum, id est gloriosa et memorabilis operatio tua, videlicet magna miseratio tua,
recoletur et perseverabit *in generationem*
et generationem, id est per omnium generationum successionem usque ad mundi
consummationem. Hoc enim memoriale
Dei in Evangelio Christi conscriptum est,
nec tradetur oblivioni quamdiu Evangelium legitur, et Ecclesia durat.
14 (14) *Quia judicabit Dominus populum*
suum, et in servis suis deprecabitur. Istum
versiculum, quantum ad verba et sensum,
ponit Moyses, nisi quod ibi dicitur in fine Deut. XXXII, 36.
versiculi, Miserebitur. Itaque, *Judicabit*
Dominus populum suum, in præsenti vita
judicio piæ discretionis, discernendo eos Ps. XLII, 1.
ab impiis voto, conversatione, et merito.
Unde de hoc judicio ait : Nunc judicium Joann. XII, 31.
est mundi. In die vero novissimo, vel in
hora mortis eorum, judicaturus est eos judicio beatæ remunerationis, dando sententiam judicialem pro eis, sicut legitur in
Apocalypsi : Exsultate, cœli et sancti Apo- Apoc. XVIII, 20.
stoli et Prophetæ, quoniam judicavit Deus
judicium vestrum. *Et in servis suis*, qui
sibi fide et opere parent, *deprecabitur*, exaudiendo preces eorum, juxta illud : Pec- Joann. IX, 31.
catores Deus non audit ; sed si quis est
cultor Dei, et voluntatem ejus facit, hunc
exaudit. Et in libro Job dicitur : Si Omni- Job VIII, 5, 6.
potentem fueris deprecatus, si mundus et
rectus incesseris, statim evigilabit ad te.
(15) *Simulacra gentium*, quantum ad 15
materiam, imo quoad totam substantiam,
sunt *argentum et aurum*, seu simile aliquid : nam quædam ex ære, quædam ex
stanno conflantur. Tota autem substantia
artificialium, est eorum materia, secundum Philosophum. Sunt vero simulacra
hæc *opera manuum hominum*, quantum
ad formam accidentalem : nam artifices
ea formant et faciunt. (16) *Os habent* non 16
verum, sed similitudinarium, *et non loquentur :* quamvis interdum dæmones per
ipsa loquantur. Simili modo *oculos habent, et non videbunt*. (17) *Aures habent*, 17
et non audient. Cujus ratio est : *neque*
enim est spiritus, id est forma vitalis, anima rationalis, aut certe anhelitus, *in ore*
ipsorum : idcirco habere non valent opera
vitæ, qualia sunt, loqui, videre, audire,
etc. (18) *Similes illis* simulacris *fiant qui* 18
faciunt ea, puta artifices, *et omnes qui*
confidunt in eis, videlicet homines vani, et
maxime illi qui faciunt talia fieri : quatenus sicut simulacra illa non loquuntur, nec
vident, nec audiunt, nec spiritum habent ;
sic isti nec vera neque salubria proferant,
intelligant, audiant, sed nec spiritum gratiæ sortiantur : quod non imprecando, sed

Digitized by Google

prænuntiando dici putemus. De horum au- A
tem versuum litterali ac mystica expla-
Ps. cxiii, 1-8 (Hebr.) natione plenius dictum est in expositione
psalmi cujus exordium est, In exitu Israel
de Ægypto.
19 (19) *Domus Israel, benedicite Domino.*
Ad litteram David hortatur Judæos ad lau-
dem divinam, dicendo : Domus, id est po-
pulus, Israel, benedicite Domino, ipsum
laudando : quod referendum est ad unde-
cim tribus. Nam de Levi fit mentio spe-
cialis, dum subditur : *Domus Aaron,* id
est sacerdotes legales ex Aaron nati, *bene-* B
20 *dicite Domino.* (20) *Domus Levi,* id est
familia, populus, seu congregatio Levita-
rum, *benedicite Domino.* Tamen domus
Aaron etiam ex Levi descendit, quoniam
Exod. vi, 16, 18, 20; Num. xxvi, 57-59. (sicut scriptum est) Levi genuit Gerson,
Caath et Merari. Caath vero genuit Am-
ram, de quo nati sunt Moyses, Aaron et
Maria. Sed nunc accipiuntur Levitæ, prout
a sacerdotibus distinguuntur, utpote pro
inferioribus templi ministris. Spiritualiter
per domum Israel, intelligenda est Eccle-
sia Christi ; per domum Levi, ministri al- C
taris ; per domum Aaron, sacerdotes atque
prælati Ecclesiæ militantis. *Qui timetis Do-*
minum timore filiali, vel saltem initiali
(qui timores non differunt realiter, sed
gradualiter, scilicet secundum perfectum
et imperfectum), *benedicite Domino.* Tales
quippe digni sunt Deum laudare, implent-
Ps. ii, 11. que quod dictum est supra : Servite Do-
mino in timore, et exsultate ei cum tre-
more.
21 (21) *Benedictus Dominus ex Sion,* id
est, ex templo constructo in monte Sion D
benedicatur Deus, seu benedictus esse no-
scatur per hoc, quod in templo illo solen-
niter celebrantur laudes divinæ, *qui ha-*
bitat in Jerusalem, civitate metropoli in
Judæa. Hanc enim Deus elegit, ut in ea
templum ædificaretur : ad quod omnes
Deut. xvi, 16. Judæi certis temporibus confluebant, at-
que in eo sacrificia offerebant, quæ non
III Reg. iii, 2. licuit eis offerre nisi in uno loco, templo
constructo. Unde in libro Regum sæpe re-
darguuntur, quoniam immolabant in ex-
celsis, id est in locis sublimibus. Hinc
Moyses loquens populo huic : Cave, in- Deut. xii, 13, 14.
quit, ne offeras holocausta tua in omni
loco quem videris, sed in eo quem elege-
rit Dominus in una tribuum tuarum. Hic
autem locus fuit Jerusalem, prout Domi-
nus loquitur : Elegi Jerusalem, ut sit no- II Par. vi, 6.
men meum ibi. — Tropologice vero, *Be-*
nedictus sit *Dominus ex Sion,* id est, ab
Ecclesia militanti, divina contemplante,
laudetur Deus omnium Dominus, *qui habi-*
tat in Jerusalem cœlesti, scilicet in Eccle-
sia triumphanti, divinæ pacis dulcedine
perfruente.

Ecce psalmum decorum atque jucun-
dum audivimus : in cujus principio in-
vitamur ad benedicendum Domino Deo
nostro, eo quod ipse bonus et dulcis exsi-
stat, et nos gratis elegerit, atque universa
potenter et libere condiderit. Igitur bono
Domino, mente ab omni malitia purifi-
cata, reverenter ministremus ; suavique
Domino sine zelo amaro, sine ira et disce- I Tim. ii, 8.
ptatione, sine omni perturbatione et ama-
ritudine psallamus, benedicamus, obsequa-
mur ac uniamur, pensantes illud Jacobi :
Si zelum amarum habetis, et contentiones Jacob. iii, 14.
sunt inter vos, nolite gloriari, et mendaces
esse adversus veritatem. Unde a Moyse
dicitur : Non sit inter vos radix germinans Deut. xxix, 18.
fel et amaritudinem. Hinc quoque Apo-
stolus exhortatur : Pacem sequimini cum Hebr. xii, 14, 15.
omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo
Deum videbit ; contemplantes ne qua ra-
dix amaritudinis sursum germinans impe-
diat, et per illam inquinentur multi.

PRECATIO.

Nos in Israel, Domine, nos tibi in possessionem elige, et post luctas hostium in pace constitue, et libere deservire concede ; et ut hac potiti libertate, nomini tuo, quod suave est, læti psallamus, teque Dominum semper benedicamus et laudemus.

Digitized by Google

ARTICULUS L

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI QUINTI : CONFITEMINI DOMINO QUONIAM BONUS.

A Est quoque titulus psalmi præsentis :
1 *Alleluia.* Nam ad laudem divinam psalmus
nos iste invitat; et in materia plurimum
convenit cum psalmo immediate præhabito.
Merito etiam additur in fine cujuslibet
versus ista particula, Quoniam in æternum
Ps. CXLIV, 9. misericordia ejus : nam miserationes Dei
sunt super omnia opera sua, imo quidquid
boni in nobis est, ex misericordia Dei profluxit ;
incessabiliterque egemus misericordia Creatoris.

B Ait igitur : (1) *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Versiculus iste in hac tertia quinquagena frequenter expositus
Ps. CV, CVI, CXVII. est. Plures etenim psalmi ab hoc versu
2 (ut patuit) inchoantur. (2) *Confitemini* laudando ac benedicendo, *Deo deorum,* id est
Deo sancto et benedicto, vero, vivo, at-
Ps. XLIX, 1. que æterno, qui est Deus deorum, id est
universorum qui vel participative, ut angeli sancti hominesque præcipui, vel mendaciter, ut dii gentilium idololatrarum,
C appellati sunt dii. Omnium enim horum Deus immensus et adorandus creator est : et eos qui participative dii dicuntur, salvavit per gratiam; eos vero qui mendaciter dii vocantur, et intellectuales creaturæ sunt, æternaliter condemnavit per æquitatis censuram, sicut sunt Jupiter, Mercurius, Saturnus, Mars, Hercules, atque consimi-
3 les. (3) *Confitemini Domino dominorum,* id
est Deo qui omnibus universaliter domi-
Apoc. XIX, 16. natur, qui est Rex regum et Dominus dominantium, ad quem comparatur omnis
D creatura sicut minister ad dominum. De
Judith IX, 17. quo scriptum est : Deus cœlorum, Creator
aquarum, et Dominus totius creaturæ; et
Esther XIII, 9. iterum : Domine, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta posita sunt, et non est qui tuæ possit resistere voluntati.

(4) *Qui facit mirabilia magna solus.* Su- 4
perius dictum est, Benedictus Dominus Ps. LXXI, 18.
Deus Israel, qui facit mirabilia solus ; nunc vero de eo asseritur, Qui facit mirabilia magna solus. Sed utrique dicto obviare videtur quod Apostolus de Antichristo ait : Revelabitur, inquit, ille ini- II Thess. II, 8, 9.
quus, cujus erit adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus. Ubi doctores edisserunt, quod licet miracula Antichristi erunt mendacia, quantum ad finem, quoniam ordinabuntur ad hominum seductionem, erunt tamen realiter vera miracula. Unde scriptum est : Habebat bestia, scili- Apoc. XIII, 11, 13, 14.
cet Antichristus, cornua duo similia Agni. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in conspectu hominum; et seduxit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi. Et respondendum, quod aliquid dicitur esse mirabile dupliciter : scilicet respective seu quantum ad aliquem : sicut eclipsis solis illi mirabilis est, qui causam ejus ignorat ; non est tamen absolute mirabilis. Taliter vero mirabilia asseruntur, quæcumque excedunt cognitionem alicujus, seu modum, virtutem ac ordinem causalitatis quarumdam causarum naturalium creatarum. Talia tamen fieri possunt arte magica, atque a dæmone : et maxime fient tempore Antichristi. Alia vero dicuntur mirabilia simpliciter et absolute, videlicet quæ totius creaturæ facultatem, et omnium causarum naturalium potestatem transcendunt : sicut sunt statio solis, illuminatio cæci nati, resurrectio mortui, penetratio dimensionum, transsubstantiatio naturarum. Et de

Digitized by Google

istis loquitur Propheta. Fiuntque a Deo A
dumtaxat : nam etsi homo fidelis talia
facere perhibeatur, non facit ea nisi in-
strumentaliter, vel potius dispositive seu
occasionaliter.
5 (5) *Qui fecit cœlos in intellectu,* id est
intellectualiter, scilicet secundum ordinem
suæ æternæ sapientiæ, secundum idealem
rationem mentis divinæ, secundum dicta-
men intellectus ; et libere, non ex neces-
sitate naturæ, ut quidam philosophorum
opinati sunt. Unde in Proverbiis dicitur :
Prov. III, 19. Dominus sapientia fundavit terram, stabi- B
6 livit cœlos prudentia. (6) *Qui firmavit,* id
est, firmiter collocavit, *terram super aquas*
maris Oceani, seu ceterorum fluviorum :
non quod terra operiat aquas, vel omnibus
partibus earum superior sit ; sed quoniam
ripæ terræ supereminent aquis. Vel dici-
tur terra firmata super aquas, id est juxta
aquas, quemadmodum dicimus : Colonia
sita est super Rhenum. Sicque (ut ait Cas-
Joann. IV, 6. siodorus) Jesus fatigatus ex itinere, sedit
super puteum. Porro in omnibus versibus
istis subintelligendum est, Confitemini Do- C
mino, ut sit sensus : Qui firmavit terram
super aquas, id est, Confitemini Domino
qui firmavit terram super aquas, et ita in
7 aliis. (7) *Qui fecit luminaria magna,* quem-
Gen. I, 16. admodum in Genesi dicitur : Fecit Deus
duo luminaria magna : luminare majus,
ut præesset diei ; et luminare minus, ut
præesset nocti. Et hoc est quod modo sub-
8 jungitur : (8) *Solem in potestatem diei,* id
est, ut suo splendore ac motu diem causa-
9 ret ; (9) *Lunam et stellas* fecit *in potestatem*
noctis, id est, ut nocti præessent, aerem D
aliqualiter illustrando, ne sint omnimodæ
Exod. X, 21. atque palpabiles tenebræ tempore noctis.
Omnia hæc fecit Deus in intellectu.

Denique juxta intelligentiam spiritualem,
fecit Deus *cœlos,* id est cives cœlestes et
homines spirituales, conversationem in cœ-
lo habentes, *in intellectu,* dando eis cogni-
tionem supernaturalem ac mysticam. *Qui*
firmavit terram, id est Ecclesiam, *super*
aquas, id est fidem lavacrumque Baptismi,
in quo peccata donantur, et virtutum fir-
mitas baptizato infunditur. *Qui fecit lu-*
minaria magna : scilicet *solem,* id est
Christum secundum quod homo est, *in*
potestatem diei, id est, ut homines virtuo-
sos, perfectos, atque præclaros illustret,
sine advocato intercedente ac mediante.
Propter quod Dominus ait : Orietur vobis *Malach.* IV, 2.
timentibus nomen meum Sol justitiæ, sci-
licet Christus. *Lunam,* id est Virginem glo-
riosam, sanctam Mariam, de qua dicitur
in Canticis : Quæ est ista quæ progreditur *Cant.* VI, 9
quasi aurora consurgens, pulchra ut lu-
na? *et stellas,* id est Apostolos atque docto-
res, de quibus dictum est : Qui multos eru- *Dan.* XII, 3
diunt ad justitiam, quasi stellæ fulgebunt
in perpetuas æternitates ; *in potestatem*
noctis, id est ad intercedendum pro pec-
catoribus, ut sint intercessores et advocati
miserorum : quod maxime competit Virgi-
ni benedictæ, Reginæ ac Matri misericor-
diæ. Vel sic : Qui fecit solem in potestatem
diei, id est, qui donum sapientiæ dedit
perfectis ; lunam et stellas, id est inferio-
ra dona Spiritus Sancti, in potestatem no-
ctis, id est, imperfectioribus ea infudit :
non quod dona Spiritus Sancti sint diversa
(imo qui unum sortitus est, omnia septem
adeptus est), sed quia in viris perfectis
donum sapientiæ magis abundat.

(10) *Qui percussit Ægyptum,* id est ha- 10
bitatores Ægypti, *cum primogenitis eorum,*
occidendo omne primogenitum in homini- *Exod.* XII, 29.
bus atque pecoribus. (11) *Qui eduxit Israel* 11
de medio eorum, videlicet Ægyptiorum :
cujus eductionis forma subjungitur : (12) *In* 12
manu potenti, id est operatione virtuosa,
quantum ad minora miracula, quæ magi *Ibid.* VII, 11. 22; VIII, 7.
quoque Pharaonis fecerunt, *et brachio ex-*
celso, id est operatione supernaturali atque
terribili, quantum ad majora miracula,
quæ illi facere non valebant. Quæ omnia in *Ibid.* VIII, 18, 19.
libro Exodi plenius continentur. — Spiritu-
aliter autem educit Deus Israel, id est ele-
ctos, de medio eorum, id est de hoc mun-
do fallaci, et societate ac vita hominum
mundanorum, sicut superius dictum est :
Protexisti me a conventu malignantium. *Ps.* LXIII, 3.
Ad quam eductionem hortatur nos Aposto-

Digitized by Google

Ephes. IV, 22, 23. lus : Deponite vos secundum pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris; et renovamini spiritu mentis vestræ. Unde
II Cor. VI, 17. iterum ait : Exite de medio eorum, et immundum ne tetigeritis, scilicet per consensum. Sic autem Deus educit electos in manu potenti et brachio excelso. Nam et quosdam compellit intrare, et quosdam convertit per miracula, quosdam per inspirationem occultam, quosdam per alias supernaturales ac admirabiles vias, prout multi nostrum vere experti sunt.

13 (13) *Qui divisit mare Rubrum in divisiones,* id est in partes a se invicem distantes atque partitas, sicut in Exodo le-
Exod. XIV, 15, 16. gitur : Dixit Dominus ad Moysen : Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud. Et post pauca :
Ibid. 21. Abstulit Deus illud, flante vento vehementissimo. Quidam autem, eo quod nunc dictum est pluraliter, In divisiones, asserunt mare Rubrum fuisse divisum in duodecim partes, secundum numerum tribuum Israel, ita quod quælibet tribus ivit per viam specialem. Sed hoc aliis non videtur : propter quod dicunt sic esse intelligendum, quod nunc dicitur mare divisum fuisse in divisiones, id est in partes duas, ita quod aquæ a se divisæ et consolidatæ, erant filiis Israel pro muro a dextris et a
14 sinistris. (14) *Et eduxit Israel,* id est populum Judæorum, *per medium ejus,* videlicet maris Rubri : non quod ibant per ipsam aquam, sed per locum arentem, in quo paulo ante aqua maris currebat. Unde
Ibid. 22. in Exodo legitur : Filii Israel ambulaverunt per medium sicci maris. Dicitur autem mare hoc Rubrum, non quod aquæ sint rubræ, sed quoniam rubræ apparent propter
15 terram rubram super quam fluunt. (15) *Et excussit,* id est, submersit et interfecit, *Pharaonem* regem Ægypti, *et virtutem,* id est exercitum, *ejus in mari Rubro,* dum persequebantur filios Israel, prout in Exo-
Ibid. 27, 25. do scriptum est : Involvit eos Dominus in mediis fluctibus; et subvertit rotas curru-
16 um, ferebanturque in profundum. (16) *Qui traduxit populum suum* Israeliticum *per desertum* annis quadraginta, quoadusque Num. XXXII, 13.
consumeretur omnis generatio quæ murmuravit contra Dominum.

Spiritualiter dividit Deus mare Rubrum, id est sæculum istud, amaritudine vitiorum et fluxu luxuriæ plenum, in divisiones, dum per varias vias electos suos educit ad vitam religiosam seu patriam Beatorum. Excutitque Pharaonem, id est diabolum, et virtutem ejus, videlicet angelos Satanæ, in mari Rubro, id est in fonte Baptismatis, Christi sanguine rubricati : quia virtute Baptismi superatur potestas diaboli, et vasa sua sibi tolluntur, Christo quoque incorporantur. Traducit etiam Deus populum suum fidelem per desertum, id est mundum istum virtutibus destitutum, illuminando corda eorum, ne errent in via.

(17) *Qui percussit reges magnos,* etc. Hic 17
locus usque ad id, Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, etc., in præcedenti Ps. CXXXIV, 10-12.
psalmo litteraliter ac spiritualiter expositus est.

In persona itaque Israeliticæ plebis lo-
quens Propheta, adjecit : (23) *Quia in hu-* 23
militate nostra, id est in afflictione qua ab Ægyptiis opprimebamur, et in humili prece qua ad Deum pro liberatione clamavimus, *memor fuit nostri,* id est, per effectum misericordiæ suæ ostendit se memorem nostri fuisse, eruendo nos, sicut
subjungitur: (24) *Et redemit nos ab inimi-* 24
cis nostris Ægyptiis. — Moraliter quoque, memor fuit et est Deus Ecclesiæ suæ, omnisque Christiani in sua humilitate : sive per humilitatem intelligatur oppressio tribulationis, sive interior humiliatio mentis, de qua Petrus nos admonet : Humilia- I Petr. V, 6.
mini sub potenti manu Dei. Et redemit nos ab inimicis nostris invisibilibus, puta dæmonibus, pretio proprii sanguinis, sicut ait Apostolus : In fide vivo Filii Dei, Galat. II, 20.
qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me; et Petrus inducit : Non corruptibili- I Petr. I, 18, 19.
bus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi.

(25) *Qui dat escam omni carni,* id est 25

Digitized by Google

omni animali : ponit enim partem pro toto. Omnibus autem viventibus vita sensitiva, providit Deus per se ipsum vel causas secundas de necessariis ad vivendum, *Matth.* vi, 26. quemadmodum dicit Salvator : Respicite volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt ; et Pater vester cœlestis pascit ea. Et *Luc.* xii, 6. iterum : Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ? Maledictus est ergo error eorum, qui omniscientiam aut providentiam Dei negaverunt aut negant.

26 (26) *Confitemini Deo cœli.* Specialiter Deus vocatus est Deus cœli : primo, quoniam inter corporales creaturas cœlum excellit ; secundo, quoniam Dominus testatus *Is.* lxvi, 1. est, Cœlum mihi sedes est ; tertio, quoniam in cœlo Deus excellentius operatur, clariusque conspicitur. (27) *Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.*

Ecce psalmum incomparabili jucunditate plenum audivimus : qui utique Deum amantibus, ejusque misericordiam cognoscentibus et expertis, dulciter sapit. Et quid miseris nobis esse aut dici potest suavius, nisi, Quoniam in æternum misericordia ejus ? Propter quod decet nos toties spiritualiter exhilarari, atque divino amore succendi, quoties canimus, Quoniam in æternum misericordia ejus. Invitat autem nos psalmus iste ad reverentiam Creatoris, dum eum appellat Deum deorum et Dominum dominorum, dum insuper magnalia ejus describit, et ipsius justitiam tam evidenter commendat. Misericordiæ igitur Dei semper memores simus, et Deo altissimo grati ac reverenter subjecti esse curemus. Et quidquid boni in nobis est, quidquid mali evasimus, quidquid boni peregimus, totum misericordiæ Dei cordialissime adscribamus, dicentes ex animo illud Jeremiæ : Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus ; *Thren.* iii, 22. illud quoque Isaiæ : Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam. *Is.* lxiii, 7.

PRECATIO.

Tibi Domino dominorum toto mentis affectu confitentibus, ac mirabilia tua decantantibus, hilaritatem tui vultus nobis impertiri dignare, et ab omni plaga Ægyptiorum nos clementer tuere, et misericordiam tuam nobis in æternum concede.

ARTICULUS LI

DECLARATIO LITTERALIS PSALMI CENTESIMI TRICESIMI SEXTI : SUPER FLUMINA BABYLONIS.

Assignatur autem psalmo huic pro titulo : *Psalmus David propter Jeremiam :* quia in psalmo præsenti tractat David de his, de quibus Jeremias copiosius prophetavit et scripsit. Loquitur enim de templi destructione atque Judaici populi captivitate, quas Jeremias in Threnis abundanter describit ac plangit.

In persona itaque populi Judæorum captivi loquens Propheta, (1) *Super flumina,* 1
inquit, *Babylonis,* id est juxta aquas Chaldææ, in qua flumina multa decurrunt, *illic sedimus,* id est, habitavimus septuaginta annis, sicut Jeremias prædixit. Unde communiter dicimus : Ille sedit ibi annos tres, *Jer.* xxv, 11, 12. id est, habitavit. Et juxta talem modum

Digitized by Google

Deut. I, 46. loquendi ait Moyses : Sedistis in Cades- A
barne multo tempore. *Et flevimus,* propter
nostram captivitatem, magis tamen pro-
pter templi destructionem, sicut subjun-
gitur : *dum recordaremur* tui, o *Sion,* id
IV Reg. xxv, 9. est templi a Salomone constructi, a Baby-
loniis vero destructi, in monte Sion.
2 (2) *In salicibus,* id est inter arbores in-
fructuosas et aridas, *in medio ejus,* id est,
quæ fuerunt in medio Babylonis, *suspen-
dimus organa nostra,* id est, ab omni
cantico jucunditatis cessavimus : non so-
lum propter recordationem Sion, sed etiam B
3 (3) *Quia illic interrogaverunt nos, qui ca-
ptivos duxerunt nos, verba cantionum,*
scilicet Babylonii seu Chaldæi ; (4) *Et qui
abduxerunt nos* a terra patrum nostrorum
in Babylonem, dicentes : *Hymnum canta-
te nobis de canticis Sion,* quæ canere so-
lebatis in templo Jerusalem. Hoc dixerunt
irridendo, et nostro planctui congaudendo,
nostramque tristitiam exaggerando. Nos
4 autem respondimus eis : (5) *Quomodo can-
tabimus canticum Domini,* id est laudes
divinas, *in terra aliena,* id est, in Chal- C
dæa idololatriæ dedita? Hoc nempe non
decet, ne videamur non curantes de no-
stra translatione, templique destructione.
Idcirco cum juramento affirmo :
5 (6) *Si oblitus fuero tui, Jerusalem,* ego
populus inde translatus, id est, si desiero
tuam devastationem deflere, vel pro tua
reparatione orare, *oblivioni detur dextera
mea,* id est, ego ipse seu tota virtus mea
oblivioni tradatur a Deo, ita quod pereat.
6 (7) *Adhæreat lingua mea faucibus meis,* in
tantum quod loqui non possim, *si non me-* D
minero tui, orando ut reædificeris ; (8) *Si
non proposuero Jerusalem in principio læ-
titiæ meæ,* id est, nisi ipsa Jerusalem fuerit
mihi prima causa seu principium quod-
dam lætitiæ, non in quantum destructa
est, sed prout concipio eam ut reædifican-
dam : ita quod in spe reparationis ejus
prius lætor, quam in aliis inferioribus re-
bus. Vel sic : Si non proposuero, etc., id
est, si eveniente mihi causa lætandi, non
prius meminero Jerusalem, dolendo de ejus
destructione, atque orando pro ipsius re-
stauratione ; tunc prædicta mala quæ im-
precatus sum, mihi contingant.
(9) *Memor esto, Domine,* ad ulciscendum, 7
filiorum Edom, id est Idumæorum descen-
dentium ab Esau fratre Jacob : qui Esau
alio nomine dictus est Edom ; *in die Jeru-* Gen. xxv, 30.
salem : id est, memor esto, o Domine, ini-
quitatis eorum quam fecerunt in die, id
est tempore, destructionis Jerusalem, quod
fuit tempus vindictæ ipsius. (10) *Qui* filii
Edom *dicunt,* id est, locuti sunt Babylo-
niis : *Exinanite, exinanite,* id est, humi-
liate atque destruite Jerusalem, *usque ad
fundamentum in ea,* id est, funditus eam
dejicite. Sicut enim Esau persecutus est Ibid. xxvii, 41.
Jacob, sic Idumæi pene semper molesti
fuerunt Judæis. Unde Abdias ait ad popu-
lum Idumæorum : Propter iniquitatem in Abdiæ 10.
fratrem tuum Jacob, operiet te confusio,
et peribis in æternum. In his ergo versicu-
lis oravit Propheta pro justa ultione Idu-
mæorum, qui consilio auxilioque fuerunt
Chaldæis contra Judæos.
Nunc prophetat de Chaldæorum deje-
ctione. (11) *Filia Babylonis misera,* id est, 8
o infelix gens Babylonis, *beatus* est ipse
Deus, *qui retribuet tibi* per Cyrum regem
Medorum, et Darium regem Persarum, *re-
tributionem tuam,* id est justam vindictam
pro tuis sceleribus, *quam,* id est cui simi-
lem, *retribuisti nobis,* exigentibus nostris
peccatis. Sicut enim Chaldæi destruxerunt IV Reg. xxv.
Jerusalem, et populum ejus interfecerunt,
sic Persæ ac Medi everterunt funditus Ba-
bylonem, et habitatores ejus peremerunt.
(12) *Beatus qui tenebit et allidet parvulos* 9
suos ad petram :* id est, vere felix est Deus, * alias *tuos*
qui per Medos ac Persas tenebit per pe-
des, et allidet, id est, confringet, occidet
et conteret, parvulos suos, id est pueros
et infantes Babyloniorum (qui dicuntur
parvuli Dei, quia ab eo creati), ad petram,
id est parietem saxeum. Persæ enim et Me-
di ex nimia crudelitate tenuerunt et allise-
runt hoc modo parvulos Babylonis. Quod
Dominus apud Isaiam ita prædixit : Susci- Is. xiii, 17, 18.
tabo super vos Medos, qui argentum non

Digitized by Google

quærant, nec aurum; et lactantibus non A
Is. XIII, 16. miserebuntur. Rursusque : Infantes eorum
allidentur in oculis eorum. Hanc autem
ultionem petit Propheta zelo justitiæ, con-
formando cor suum æquitati divinæ; petit-
que ut in præsenti puniantur, ne pluribus
noceant, gravius peccent, et damnabilius
pereant.

ARTICULUS LII

EXPOSITIO TROPOLOGICA EJUSDEM PSALMI CENTESIMI TRICESIMI SEXTI.

MYSTICE vero per Babylonem signifi- B
catur sæculum præsens, confusione
vitiorum repletum. Babylon namque inter-
pretatur confusio. Unde Petrus, in fine
primæ suæ Canonicæ, Romam nominat Ba-
I *Petr.* V, 13. bylonem, dicendo : Salutat vos Ecclesia,
quæ est in Babylone collecta.

Sancti itaque, qui hoc mundo tanquam
Hebr. XIII, 14. exsilio quodam utuntur, non habentes hic
manentem civitatem, sed futuram inqui-
rentes, hujus miserrimæ vitæ incolatum
1 deplangunt, et dicunt : *Super flumina Ba-
bylonis,* id est juxta divitias atque delicias C
hujus mundi, quæ tanquam flumina cur-
runt ac defluunt, *illic sedimus,* tanquam
exsules in humilitate præcipua, *et flevimus,*
præ desiderio patriæ cœlestis, *dum recor-
daremur Sion,* id est, dum contemplare-
mur gaudia triumphantis Ecclesiæ, Deum
facie ad faciem speculantis. Hoc convenit
Philipp. I, 23. his qui cum Apostolo cupiunt dissolvi et
esse cum Christo, qui promissiones cœle-
Hebr. XI, 13. stes a longe adspiciunt et salutant, confi-
tentes quoniam peregrini et hospites sunt
super terram. Possunt quoque per flumina D
Babylonis intelligi tentationes, persecutio-
nesque mundi : de quibus fluminibus dici-
Thren. III, 54. tur in Threnis, Inundaverunt aquæ super
caput meum. Super hæc flumina sedent
electi, dum in sæculo isto plurimas sus-
tinent adversitates, persecutiones, pœnas
ac tentationes; et flent, dum recordantur
paradisi unde ejecti sunt, et patriæ ad
Rom. VII, 24. quam tendunt, dicentes illud : Infelix ego
homo! quis me liberabit de corpore mor-
tis hujus?

In salicibus, id est inter homines infru- 2
ctuosos, vitiosos et sæculares : qui signi-
ficantur per salices, quæ sunt arbores in-
fructuosæ et aridæ; *in medio ejus,* id est
in medio hujus mundi conversantes ac
positi, *suspendimus organa nostra,* id est,
a prædicatione regni cœlestis, et docu-
mentis sacræ Scripturæ, quæ est organum
nostrum, cessavimus, quoniam spes nulla
fuit proficiendi. Unde scriptum est : Ubi *Eccli.*
non est auditus, non effundas sermonem; XXXII, 6.
et alibi : In auribus insipientium ne loqua- *Prov.* XXIII,
ris, ne forte despiciant doctrinam eloquii 9.
tui. Hinc Dominus ait Ezechieli : Lin- *Ezech.* III,
guam tuam adhærere faciam palato tuo, 26.
et non eris quasi vir objurgans, quia do-
mus exasperans est. Vel : Suspendimus
organa nostra, id est, interdum ad tempus
cessavimus a laude Dei jucunda, et con-
templatione cœlestium, propter dolorem
propriorum defectuum, compassionemque
proximorum, quos ire conspeximus per
abrupta et devia vitiorum. Nam et Aposto- *Rom.* XII,
lus ait, Flere cum flentibus. Et, Beati qui 15. *Matth.* V, 5.
lugent.

Quia illic, id est in Babylonia, scilicet 3
in mundi vanitate, *interrogaverunt nos,
qui captivos duxerunt nos,* id est homi-
nes pestilentes, qui suo exemplo pestife-
ro conati sunt nos inducere in servitutem
peccati et captivitatem diaboli, *verba can-
tionum* spiritualium ex derisione, vel can-
tionum sæcularium, quatenus cum ipsis
cantaremus, gauderemus, et epularemur.
Et qui abduxerunt nos, affectu vel ef-
fectu, a Deo, a justitia, a recta ratione :

Digitized by Google

Hymnum cantate nobis de canticis Sion : A
id est, ostendite nobis vera esse quæ prædicatis de invisibilibus bonis ; rationem
reddite nobis, quid sit anima, quid vita
futura, quid infernus, quid paradisus. Hoc
dicunt illi, de quibus alio loco dictum est:
Sap. II, 1, 2, 6. Non est qui agnitus sit reversus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, et post hæc
erimus tanquam non fuerimus. Venite ergo et fruamur bonis quæ sunt, et utamur
creatura tanquam in juventute celeriter.
Is. XXII, 13. Et illud : Comedamus et bibamus ; cras
enim moriemur. Istis igitur respondent B
4 electi : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* id est, qualiter loqui poterimus verbum Dei hominibus vanis, illud spernentibus? qui sunt terra
aliena, quoniam non coluntur a Deo per
gratiam, sed a dæmonibus per suggestionem malignam. Hinc namque ait Salvator:
Matth. VII, 6. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne
forte conculcent eas pedibus suis.

Denique, licet homo fidelis ita organa
sua suspendat fortiter, tamen semetipsum C
adstringit et obligat, quod nequaquam velit oblivisci cœlestis Jerusalem. Dicit enim:
5 *Si oblitus fuero tui,* o *Jerusalem,* civitas
II *Cor.* V, 1. Dei summi, non manufacta, sed æterna in
cœlo parata, non quærendo te cogitatu,
verbo et opere ; *oblivioni detur dextera
mea,* id est, salus mea dispereat, et virtus
6 mea deficiat. *Adhæreat lingua mea faucibus meis,* ut sim spiritualiter mutus, non
loquendo verba utilia, *si non meminero
tui,* sed rebus terrenis inhæsero ; *si non
proposuero Jerusalem* cœlestem *in princi-* D
pio lætitiæ meæ, ita quod ipsa sit mihi
præcipua causa gaudendi in hoc mundo :
Rom. XII, 12. quemadmodum ait Apostolus, Spe gaudentes; et item, Gloriamur in spe gloriæ filio- *Ibid.* V, 2.
rum Dei. Vel, In principio lætitiæ meæ, ita
quod propter nullam carnalem aut sæcularem delectationem mihi occurrentem,
omittam plorare desiderio hujus Jerusalem, vel de ejus exspectatione spiritualiter
exsultare. Hæc autem dicuntur, non imprecando malum, sed prænuntiando quale
malum futurum sit ei qui obliviscitur supernæ Jerusalem.

Deinde loquitur contra hostes Ecclesiæ.
Memor esto, Domine, filiorum Edom, id est 7
hominum terrenorum, *in die Jerusalem,*
id est tempore quo persequuntur Ecclesiam militantem. Edom enim interpretatur
sanguinea seu terrena. Vel, In die Jerusalem, id est tempore generalis judicii, quando electi separabuntur a reprobis, separatione æterna atque perfecta. Orat itaque *Matth.* XXV, 32.
ut impiorum malignitas reprimatur, et Ecclesia liberetur. *Qui dicunt : Exinanite,
exinanite,* id est, Ecclesiam dejicite, fideles subvertite, *usque ad fundamentum,* id
est fidem exsistentem *in ea,* id est in Ecclesia. Conantur enim nonnulli non solum
opera bona, sed etiam fidem electorum
evacuare ac dissipare.

Filia Babylonis, id est gens mundana, 8
civitas impiorum, urbs synagogaque Satanæ, *misera, beatus* est justus Judex, Deus
omnipotens, *qui retribuet tibi retributionem tuam,* id est justam pœnam, *quam
retribuisti,* id est inflixisti, *nobis,* injuste
persequendo populum Dei. Eadem enim *Ibid.* VII, 2;
mensura qua mensi fueritis, remetietur *Luc.* VI, 38.
vobis. Unde apud Joelem Dominus ait : Ci- *Joel* III, 4.
to velociter reddam vicissitudinem super
caput vestrum. Solet autem Scriptura per
filiam, totum populum designare, sicut
dum per Isaiam dicitur : Descende, sede in *Is.* XLVII, 1.
pulvere, filia Babylon. *Beatus* est Deus ju- 9
dex, *qui tenebit,* id est comprehendet, *et
allidet parvulos suos* *, id est invidos, Ec- * alias *tuos*
clesiæ invidentes et ceteros impios : qui
sunt parvuli sensibus atque virtutibus.
Sunt etiam parvuli, viles, et indigni divino judicio, quamvis propria æstimatione
magni exsistant. Proprie vero invidi dicti
sunt parvuli, juxta illud : Parvulum occi- *Job* V, 2.
dit invidia. Hi autem sunt parvuli Dei,
quantum ad esse naturæ, seu ratione creationis ; sunt tamen parvuli dæmonum,
quantum ad culpam et operationem. A quo II *Petr.* II, 19.
enim quis superatus est, hujus et servus
est. Allidet itaque, id est, destruet et damnabit, parvulos istos, id est vagos, fluctu-

Digitized by Google

antes, spirituali magnitudine carentes, *ad* A *petram*, id est Christum, qui (teste Scriptura) est reprobis lapis offensionis et petra scandali; vel, Ad petram, id est ad fundum inferni, quando dicturus est eis : Ite, maledicti, in ignem æternum.

Is. VIII, 14; I *Petr.* II, 8. *Rom.* IX, 33. *Matth.* XXV, 41.

Hortatur nos Spiritus Sanctus in psalmo præsenti hunc mundum despicere; omnem florem ac prosperitatem ipsius, vanitatem, fallaciamque putare; sæcularem lætitiam, consolationem carnalem, et omnem mundanum amorem funditus exstirpare; ad cœlestia quoque cum ardenti affectu ac B lacrimis suspirare; æterna divinaque bona incessabiliter contemplari; gaudiorum cœlestium et invisibilium promissorum nullatenus oblivisci : quoniam Deum amare et ista appetere, est ad patriam tendere; et tanto amplius festinamus, tanto celerius ad supernam Jerusalem imus, quanto ista ferventius desideramus. Quæ utique nequeunt fervide diligi, nisi mundus spernatur. Ideo namque admonemur : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis autem diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Et quid clarius dici potuit a beato Apostolo?

I *Joann.* II, 15.

PRECATIO.

Te miserante, Domine, redeuntes de Babylone, id est peccatorum confusione, ut pater benignus nos suscipe; teque inspirante, excessus nostros fac ad petram Christum confitendo plenius allidere : ut de cœlesti Sion canticis dignis tibi cantemus hymnum jubilationis.

ARTICULUS LIII

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI SEPTIMI : CONFITEBOR TIBI, DOMINE, IN TOTO CORDE MEO.

HABET autem psalmus iste nunc decla- C
1 randus hunc titulum, *Psalmus ipsi David:* id est, psalmus iste a David conscriptus, convenit ipsi David, id est omni fideli ac devoto, vel toti Ecclesiæ : in cujus persona loquens beatus Propheta, ait :

(1) CONFITEBOR *tibi, Domine*, confessione laudis et gratiarum actionis, *in toto corde meo*, id est cunctis viribus animæ meæ, loquendo de viribus ejus superioribus ac divinis, videlicet intellectu et voluntate : id est, attente et affectuose, D fideliter et ardenter te laudabo. Vel, In toto corde meo, id est corde omnino converso ad te, adhærenteque tibi : ita quod pro nulla parte erit conversum ad terrena, vana atque carnalia; sed amor tuus illud totaliter possidebit. Sicque affectu puro, ingenti ac integro tibi, o Domine, confitebor, *quoniam audisti verba oris mei*, id est, preces meas implesti. Beati qui taliter Domino confitentur, qui in illo summo uno, quod solum necessarium est, omne *Luc.* X, 42.
desiderium cordis sui stabiliunt, qui omnem affectionem circa creata ad Dei amorem perordinant, quorum animas nulla turpis affectio maculat.

(2) *In conspectu angelorum psallam tibi :* id est, dum psallo tibi, considerabo angelorum venerandam præsentiam, qua vel tibi adsistunt, vel mihi præsentes sunt : et ita in eorum conspectu me ipsum constituendo, psallam tibi cum reverentia magna, quippe cui angeli sancti cum tremore
adsistunt. *Adorabo ad templum sanctum* 2
tuum : id est, te adorando dirigam oculum mentis meæ ad templum illud altissimum, id est cœlum empyreum, seu triumphantem Ecclesiam, in qua per gloriam

Digitized by Google

Deut. xxxiii, 27. habitas. De quo templo Moyses ait : Habitaculum ejus sursum. Sed obviare videtur
Apoc. xxi, 22. quod dicit Joannes : Templum non vidi in ea (videlicet in civitate superna, Jerusalem illa cœlesti); Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est et Agnus. Et respondendum, quod in ea non est templum, prout templum est domus orationis pro propria salute. Non enim Beati pro sua salute precantur. Unde Salvator ait :
Joann. xvi, 23. In die illo me non rogabitis quidquam. Dicitur autem Deus et Agnus, scilicet Christus, templum illius, quia triumphans Ecclesia habitat in Deo et Christo per beatificam fruitionem. Nihilo minus cœlum empyreum, templum Dei dici potest, quoniam incessanter offertur sibi in eo sacrificium laudis : similiter Ecclesia triumphans, quia in ea habitat Deus per gratiam consummatam.

Et confitebor nomini tuo, id est tibi, (3) *Super misericordia tua,* id est de gratia et beneficiis mihi et aliis a te clementer collatis, *et veritate tua,* id est vera imple-
Amos vii, 3. tione qua nobis misertus es, sicut dixisti ac promisisti; vel, Veritate tua, id est de tua justitia, qua impios dereliquisti et condemnasti, bonos autem coronasti, et tibi feliciter conjunxisti. *Quoniam magnificasti super omne,* id est, omnibus rebus majus et excellentius ostendisti, *nomen sanctum tuum,* id est te ipsum, faciendo mirabilia quæ nulla valeat agere creatura. Vel : *Magnificasti,* id est exaltasti, *super omne nomen* cœlestium, terrestrium, et infernorum, *sanctum tuum,* id est Christum, de
Ps. xv, 10. quo dictum est ante, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. De quo et ali-
Dan. ix, 24. bi habetur : Ungatur Sanctus Sanctorum. De quo ipse quoque diabolus, a veritate
Marc. i, 24; Luc. iv, 34. convictus, compulsus est dicere: Scio quia sis Sanctus Dei. Sicut enim dicit Aposto-
Philipp. ii, 9, 10. lus, Deus exaltavit illum, et dedit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

3 (4) *In quacumque die* naturali, quæ noctem includit, id est quacumque hora, imo quocumque momento hujus diei, *invocavero te, exaudi me.* Quod si exaudieris me, *multiplicabis in anima mea virtutem,* id est spiritualem perfectionem. Nam et virtutes connexæ sunt; et dum Deus unam infundit, omnes largitur. Dum autem exsistentem in gratia exaudit, virtutem gratiæ quæ habetur multiplicat, eam confortando atque augendo.

(5) *Confiteantur tibi, Domine,* confessione 4
duplici, scilicet laudis et culpæ, videlicet te laudando, et se accusando, *omnes reges,* id est principes, *terræ,* seu omnes reges, id est universi qui per rationis imperium regunt se ipsos, subjiciendo carnem spiritui, sensualitatem rationi, rationemque Deo; *quia audierunt* ex ore prædicatorum *omnia verba oris tui,* quæ in sacra continentur Scriptura. Distributio autem horum nominum, Omnes, et, Omnia, intelligenda est hic pro generibus singulorum, non pro singulis generum : quia nec absolute omnes reges ad fidem conversi sunt, nec omnes conversi omnia verba Dei simpliciter audierunt; sed quidam de omni genere regum conversi sunt, et omnes quædam de omni genere verborum Dei audierunt.
(6) *Et cantent in viis Domini,* id est in 5
observationibus præceptorum divinorum, cantandoque dicant : *Quoniam magna,* imo immensa, *est gloria Domini,* id est excellentia, beatitudo, lætitia Dei. Plena Is. vi, 3.
namque est omnis terra gloria Dei : ubi per gloriam possumus intelligere gloriosa opera Creatoris. Unde in libris Moysis sæ- Exod. xvi, 10; xxiv, 16; xl, 32.
pius legitur : Apparuit filiis Israel gloria Domini; et, Implebitur omnis terra gloria Num. xiv, 21.
Domini. (7) *Quoniam excelsus Dominus.* 6
Est enim laudabilis et supergloriosus et Dan. iii, 52.
superexaltatus in omnibus sæculis. Et ait Scriptura : Dominus excelsus et sublimis, Is. lvii, 15.
habitans æternitatem, et sanctum nomen ejus. Est autem Deus excelsus, non loco, sed dignitate. Nihilo minus ipse est super omnia, non elatus; sicut est infra omnia, non oppressus. *Et humilia* corda *respicit* oculo pietatis per approbationem, quemadmodum per Isaiam dicit : Ad quem re- Ibid. lxvi, 2.
spiciam, nisi ad pauperculum et contritum

Digitized by Google

spiritu ? *Et alta,* id est corda superba, *a longe,* id est per reprobationem, *cognoscit :* non enim adest eis per gratiam. Pro-
Prov. xv, 29. pter quod Salomon : Longe, inquit, est Dominus a peccatoribus. Cognoscit itaque
Amos v, 12. alta, juxta illud : Cognovi multa scelera
Prov. xv, 3. vestra. Et alibi scriptum est : In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos. Sed hoc interest, quod humiles respicit de prope, superbos autem a longe.
7 (8) *Si ambulavero,* id est, conversatus fuero et afflictus, *in medio tribulationis,* a mundo seu dæmone mihi inflictæ, *vivificabis me* per gratiam, ne spiritualiter moriar aut succumbam. Hoc est verbum bonæ spei, ex magna ad Deum caritate fiduciaque procedens. *Et super,* id est contra, *iram inimicorum meorum* visibilium ac invisibilium *extendisti,* et, ut spero, extendes *manum tuam,* id est potentiam tuam divinam, reprimendo eorum malignitatem ; *et salvum me fecit* a tentationibus atque periculis *dextera tua,* id est gratiosa
I Cor. x, 13. tua præsentia, seu potestas divina, non sinens me ultra vires tentari, sed faciens cum tentatione proventum, videlicet præstans requiem pro labore, coronam pro
8 pugna, gratiam pro mercede. (9) *Dominus retribuet pro me,* omnia æquanimiter patiente, dando adversariis debitam pœnam damni ac sensus, pro peccato commisso in me : sicut et alibi ait, Apostolusque allegat, Mihi vindictam, et ego retribuam. Et Deut. xxxii, 35; Rom. xii, 19.
ne hoc videatur dictum ex crudelitate seu zelo vindictæ, sed potius ex pura intentione, subjungit : *Domine, misericordia tua in sæculum,* id est, æternaliter permanet, nec deficere potest miserendo : juxta illud, Non est abbreviata manus Domini, ut Is. lix, 1.
salvare nequeat. Ideo, Domine, *opera manuum tuarum,* id est creaturas rationales, a tua sapientia atque potentia conditas, *ne despicias* juste, sed salva benigne. In hoc igitur verbo etiam pro adversariis deprecatur, ne a Deo spernantur : quoniam quem ille despexerit, nullus corrige- Eccle. vii, 14.
re potest.

Ecce psalmus iste spirituali lætitia plenus, laudibus Dei redundat. Et ut eum digne atque devote mereamur cantare, conandum est nobis ut omnes affectiones nostræ ordinentur ad Deum, ita quod amor Dei totaliter cor nostrum possideat : sicque Domino angelorum reverenter psallamus, memores semper Dei ac angelorum præsentiæ.

PRECATIO.

Ambulantes in medio tribulationis nos, Domine, vivificare digneris, suspirantes ad te et te invocantes : opera manuum tuarum ne despicias, sed tua nos miseratione salvos facias.

ARTICULUS LIV

EXPOSITIO DE CHRISTO PSALMI CENTESIMI TRICESIMI OCTAVI : DOMINE, PROBASTI ME.

PRÆPONITUR insuper psalmo nunc eluci-
1 dando titulus talis : *In finem, psalmus David :* id est, psalmus iste in finem, qui Christus est, nos dirigens, convenit prophetæ David, sicut et ceteris justis. Et adscribitur ei tanquam auctori, sed Christo significato per David, vere et proprie congruit. Sancti enim doctores Hilarius et Augustinus, et viri catholici Cassiodorus ac Hugo, exponunt hunc psalmum de Christo, partim de ipso ratione suæ personæ, partim vero ratione corporis sui mystici.

Digitized by Google

Laborandum tamen videtur, ut quantum A
fieri potest, totus exponatur de Christo, et
totus de membris ipsius.

IN persona igitur Christi hominis lo-
quens Propheta, ita exorsus est : (1) *Do-
mine* Pater, seu Deus Trinitas, *probasti me*,
id est, probatum, fidelem et constantem
me aliis ostendisti, per hoc quod permi-
Matth. IV, sisti me a diabolo tentari, a Judæis irri-
XXVII. deri, tandemque turpissima morte occi-
di : in quibus omnibus firmus et stabilis
permansi, propter quod omnibus probatus B
innotui. Unde ait de Christo Apostolus :
Hebr. IV, Non habemus pontificem, qui non possit
15. compati infirmitatibus nostris ; tentatum
autem per omnia. *Et cognovisti me* per
approbationem, dicendo tempore baptiza-
Matth. III, tionis, transfigurationisque meæ : Hic est
17; XVII, 5. Filius meus dilectus, in quo mihi compla-
cui, ipsum audite : sicut Evangelistæ te-
2 stantur. *Tu cognovisti*, id est approbasti,
sessionem meam, id est humiliationem me-
Ps. XXI, 7. am, qua factus sum opprobrium hominum
et abjectio plebis : prout Apostolus dicit : C
Galat. III, Christus nos redemit de maledicto, factus
13. pro nobis maledictum ; *et resurrectionem*
Matth. *meam*, factam tertio die post passionem, seu
XXVIII, 6. glorificationem ac exaltationem meam. Ho-
rum enim utrumque summe complacuit
Deo.
3 (2) *Intellexisti cogitationes meas* huma-
nas *de longe*, id est de cœlo seu ab æterno ;
semitam meam, id est evangelicam præ-
dicationem, seu conversationem meam, *et
funiculum meum*, id est partem seu sor-
tem hereditatis meæ, seu terminum ope- D
ris mei, *investigasti*, id est, tam diligenter
ac intime attendisti, sicut ea quæ investi-
gantur. Investigatio autem proprie sum-
pta, prout importat discursum a noto ad
ignotum, Deo non competit. Quod autem
Deus taliter investigavit semitam et funi-
culum Christi, constat ex eo, quod tam
frequenter ac evidenter, per signa et ver-
4 ba, confirmavit ejus doctrinam. (3) *Et om-
nes vias meas*, quas ambulavi, et alios
docui, scilicet præcepta atque consilia, *præ-
vidisti* ab æterno ; *quia non est sermo in
lingua mea*, id est, respectu tuæ infinitæ
sapientiæ et præcognitionis æternæ, sum
tanquam non valens eam plene exprimere.
(4) *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia* 5
novissima, id est universa quæ mihi in
hac ultima mundi ætate acciderunt, vide-
licet incarnationem, prædicationem, per-
secutionem, passionem, ac cetera huma-
nitatis meæ mysteria, *et antiqua*, id est
omnia quæ a principio mundi de me di-
cta, scripta et præsignata sunt ; *tu forma-
sti me* in utero Virginis, quoad formam
servilem, seu corporis formationem, quod
a Spiritu Sancto supernaturaliter et in-
stantanee organizatum est et formatum.
Unde apud Zachariam legitur : Ego cælabo *Zach.* III, 9.
sculpturam ejus, ait Dominus. *Et posuisti
super me manum tuam*, id est potentiam
tuam, confirmando me in te, mihique in
omnibus cooperando. Horum autem utrum-
que insinuatur, ubi Christus ait : Dominus *Is.* XLIX, 1,
in umbra manus suæ protexit me, formans 2, 5.
me ex utero servum sibi.
(5) *Mirabilis facta est scientia tua ex* 6
me : id est, increata tua scientia in anima
mea, facta est mirabilis mihi ; et per me,
id est ex prædicatione mea et Apostolo-
rum meorum, mirabilis facta est per mun-
dum universum, ita quod omnes fideles
eam mirantur, quum sit infinita, dicentes
illud Apostoli : O altitudo divitiarum sa- *Rom.* XI, 33.
pientiæ et scientiæ Dei ! Maxime vero ap-
paret et facta est scientia Dei mirabilis ex
Christo, id est ex eis quæ de eo scribun-
tur, videlicet ex hoc, quod ipse unigenitus
Filius Dei incarnatus, passus et mortuus
est, quod Deus per talem modum genus
humanum redimere voluit, quod Christus
tanta pro nostra salute assumpsit, fecit ac
pertulit. De hac mirabili scientia Dei apud
Isaiam scriptum est : Cum quo iniit con- *Is.* XL, 14.
silium, et instruxit eum, et docuit eum
semitam justitiæ, et erudivit eum scien-
tia ? *Confortata est*, id est, capacitatem
meam transcendit, *et non potero ad eam*, ut
ipsam perfecte comprehendam. Quamvis
enim anima Christi Deum præ omnibus

Digitized by Google

Sanctis plene et incomparabiliter clarius A
videat, tamen in infinitum distat a perfe-
ctione intellectus divini, qui solus divi-
nam scientiam plene cognoscit. Nullus ve-
ro intellectus finitus seu creatus, infinitam
essentiam seu scientiam Dei comprehen-
dere valet comprehensione proprie dicta,
qua aliquid cognoscitur quoad se totum
tam perfecte, sicut ex sua natura cogno-
scibile est.

7 (6) *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a fa-
cie tua fugiam?* Hæc ait Christus, non
quod unquam Deum servili timore timu- B
erit, ex quo procedit fugiendi affectus,
quemadmodum mulier adultera virum ser-
viliter timens, quum fornicata fuerit, et
hoc viro constiterit, appetit fugere; sed
hoc dicit Christus : primo, ut instruat nos
Deum semper timere, eo quod ejus præ-
sentiam nequeamus effugere; secundo, ut
ostendat se omnino paratum ad omnia
Patris mandata implenda usque ad crucis
patibulum, prout ad Philippenses habetur,
Philipp II, 8. Humiliavit semetipsum, factus obediens
usque ad mortem. Tanquam dicat : O Deus, C
Joann. IV, 24. *quo ibo a spiritu tuo,* id est a te ipso qui
spiritus es? *Et quo a facie,* id est præ-
sentia seu cognitione, *tua fugiam?* quasi
dicat : Fugere nequeo; et si possem, ta-
Ps. XXXIX, 8, 9. men non vellem. Ideo dico : Ecce venio
ut faciam voluntatem tuam, Deus. Et pas-
Matth. XXVI, 42. sione instante locutus sum : Pater, fiat
voluntas tua. Quod autem fugere nequeo,
8 patet : nam (7) *Si ascendero in cœlum, tu
illic es :* quoniam illic facie ad faciem vi-
deris, et ibi es, Domine, in templo tuo per
resplendentiam gloriæ tuæ; *si descendero* D
in infernum, ades, non solum per essen-
tiam, præsentiam, atque potentiam, sicut
in ceteris, sed per ultionis effectum seu
justitiæ exsecutionem.

9 (8) *Si sumpsero pennas meas,* id est vi-
res divinæ potestatis, ad resurgendum *di-
luculo,* id est valde mane in die Paschæ, *et
habitavero,* post resurrectionem, *in extre-
mis maris,* id est in paradiso terrestri,
juxta finem mundi sito. Ibi enim Christus
per dies quadraginta cum electis de limbo
eductis moratus est, scilicet a die Paschæ
usque ad diem ascensionis. Interdum vero
discipulis suis apparuit, moxque ad para-
disum reversus est. Ideo subditur : (9) *Et-* 10
enim illuc, scilicet ad paradisum, *manus
tua,* id est virtus divina, *deducet me,* se-
cundum quod homo sum, per dotem agi-
litatis corpori meo concessam in die re-
surrectionis, quia tunc corpus glorificatum
resumpsi; *et tenebit me,* id est, in bono im-
mobiliter conservabit, *dextera tua,* id est
favorabilis, gloriosa atque omnipotens tua
præsentia, scilicet tumetipse. Vel : Tene-
bit me, inseparabiliter in unione perso-
nali ac naturali, dextera tua, id est unicum
Verbum tuum, seu Filius tuus exsistens
verus Deus. Christi enim humanitatem te-
nuit Verbum seu Filius Dei, vel ipsemet
Christus, secundum quod Deus est. Sicut
enim suscitavit semetipsum, sic tenuit na-
turam assumptam. Porro ante passionem
tenuit Verbum humanam Christi naturam
inseparabiliter, quantum ad se (quoniam
nunquam separata est anima Christi aut
corpus ipsius a Verbo, ex quo primo as-
sumpta sunt); non autem, quantum ad es-
sentiales partes ipsius ad invicem : nam
in triduo mortis, anima caroque Christi
a se erant disjunctæ. Post resurrectionem
vero tenuit Verbum naturam humanam
Christi tam inseparabiliter, quod nec par-
tes ejus a se invicem poterant separari.
Propter quod dicit Apostolus : Christus re- *Rom.* VI, 9.
surgens ex mortuis, jam non moritur. Di-
citur autem Filius Dei, dextera et brachium
Dei, juxta illud Isaiæ : Paravit Dominus *Is.* LII, 10.
brachium sanctum suum in oculis om-
nium gentium. Ipse enim est virtus Dei; I *Cor.* I, 24.
et, Per ipsum facta sunt omnia. *Joann.* I, 3.

(10) *Et dixi,* non assertive aut dubitati- 11
ve, sed ironice, ad derisionem eorum qui
me putabant detinendum in morte, et igne
gehennæ, ut seductorem, urendum : *For-
sitan tenebræ* mortis, sepulturæ ac infer-
ni, *conculcabunt me.* Hoc autem continuo
removet, subdens : *et nox,* id est mors
corporalis, vel sepultura, seu limbus pa-
trum, est *illuminatio mea,* id est causa et

Digitized by Google

porta glorificationis meæ ; vel, Illuminatio mea, id est res illuminata a me; *in deliciis meis* spiritualibus. Christus enim sua passione meruit tertia die resuscitari et glorificari : quæ resuscitatio seu glorificatio apte vocatur illuminatio Christi, non interior seu mentalis, sed corporalis. Anima enim Christi semper æque clare Deum conspexit; corpus vero ipsius illuminatum est, animam resumendo, et dotem claritatis adipiscendo. Sic igitur nox, id est mors, fuit Christo homini causa, id est meritum, et porta, id est ingressus, ad illuminationem prædictam : et hoc, in deliciis Christi, quoniam ista illuminatio deliciosa fuerat ei, tanquam accidentale præmium ejus. Limbus vero inferni, seu sancti in eo contenti, qui dicti sunt nox, propter carentiam gloriæ, et quia in tenebris erant, facti sunt illuminatio Christi, id est res illuminata a Christo. Statim enim ut anima ejus a corpore suo recessit, limbum patrum ingressa est, et suo adventu omnes illic spiritualiter illustravit; imo Christus tunc eos visione Dei per speciem beatificavit, quoniam pro originali peccato pœna fuit soluta : et totum istud fuit in deliciis Christi, quoniam de plenitudine suarum deliciarum alios lætificavit. Vel, nox ista fuit illuminatio Christi in deliciis ejus, id est, recipiendo illuminationem prædictam a Christo, positæ sunt in deliciis ejus perfruendo gaudiis Salvatoris.

Hæc autem omnia vera esse, hinc li-
12 quet : (11) *Quia tenebræ* (de quibus jam dictum est, Forsitan tenebræ conculcabunt me), id est caligo mortis et tenebræ corruptionis, *non obscurabuntur a te*, id est, lumine tuæ revivificationis et claritate tuæ visitationis non privabuntur ; sed me occisum resuscitabis, et de tenebris sepulturæ reduces. *Et nox*, de qua dixi, Nox illuminatio mea, *sicut dies illuminabitur :* id est, mors corporis mei per resuscitationem ad lumen vitæ redibit. Nox etiam sepulturæ ad diem manifestæ apparitionis ducetur. Et nox, id est caligo limbi, sicut dies illuminabitur, me ad inferos descendente.

A *Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus*. Hæc sunt verba Prophetæ, quodammodo rationem reddentis prædictorum, ut sit sensus: Sicut tenebræ ejus, id est sicut mors Christi, ita et lumen, id est vita ejus : id est, utrumque æqualiter in divina potestate constitutum est. Potest etiam accipi de tenebris limbi et lumine ejus, quod a Christo recepit.

(12) *Quia tu*, Domine Pater, *possedisti* 13
renes meos, id est, carnem meam seu corporalem naturam, vel interiorem sensitivum B appetitum ab omni macula culpæ præservasti, faciendo conceptionem meam ac nativitatem ab omni peccato originali actualique liberam, nec permittendo ut unquam inordinatus aliquis motus in anima mea seu renibus esset. *Suscepisti me de utero matris meæ*, id est, a puncto seu hora qua uterum Virginis sum egressus, tu indesinenter conservasti et protexisti me, prout alibi testatus es : Ecce servus meus, *Is.* XLII, 1.
suscipiam eum. Vel, Suscepisti me de utero matris meæ, id est, miraculose eduxisti me C de clauso utero Matris meæ benedictæ.

(13) *Confitebor tibi*, confessione laudis 14
devotæ, *quia terribiliter magnificatus es*, id est, per horribilia opera tuam magnitudinem demonstrasti, te magnum esse probasti, in cordibus fidelium magnus et honorandus effectus es. Quamvis hæc opera horribilia, quibus Deus magnificavit se ipsum, intelligi possint destructio mundi *Gen.* VII.
per aquas diluvii, submersio Pharaonis, *Exod.* XIV.
devoratio Dathan et Abiron, ac similia; *Num.* XVI.
D tamen hoc loco specialiter designantur ea, quæ circa Christum contigerunt. Terribiliter enim magnificatus est Deus, quando in ultionem sanguinis Christi, Judæos tam horribiliter devastavit per Romanos, occidit, et nunc usque affligit. Denique terribiliter magnificatus est in passione Christi, quando a sexta hora usque ad nonam, tenebræ *Matth.* XXVII, 45, 51, 52.
factæ sunt super universam terram, et petræ scissæ sunt, et terra mota est, et monumenta aperta sunt, multique Sanctorum resurrexerunt a mortuis. *Mirabilia* sunt

Digitized by Google

opera tua, jam prædicta, et cetera quæ fecisti circa me; vel, quæ ego feci in nomine tuo, sicut sunt incarnatio, resurrectio [*Luc.* I. *Marc.* XVI. *Joann.* XX.] de clauso sepulcro, ingressus ad discipulos januis clausis, ascensio quoque ad cœlos, et reliqua in sacro Evangelio copiose descripta; *et anima mea cognoscet* opera ista *nimis,* id est valde eminenter et clare præ omnibus angelis atque hominibus. Neque enim angeli sancti prædicta Dei opera comprehendere valent, præsertim incarnationem. Anima autem Christi valde excedit omnes Beatos in cognitione istorum : imo de istis illuminat summos ordines supernorum spirituum, secundum Dionysium.

15 (14) *Non est occultatum os meum a te,* id est, ori meo non occultasti, neque ab intellectu meo abscondisti, *quod fecisti in occulto :* id est, opera quæ in abscondito perpetrasti, imo occultissima quæque, quæ aliis abscondisti, mihi clarissime revelasti. Omnia enim præterita, præsentia et futura, universa quoque mysteria gratiæ, anima Christi cognovit. Potest autem per os intelligi intellectus animæ Christi, quo verbum cordis profertur; vel, os ejus corporale, quoniam Christus ore proprio prædicavit occulta opera Dei. *Et substantia mea in inferioribus terræ.* Hoc est quod dixit supra, Infixus sum in limo profundi [*Ps.* LXVIII, 3.]. Est igitur sensus : Substantia mea, id est humana natura a me assumpta, in inferioribus terræ, id est, in mundo isto apparuit, vixit et fuit. Vel, Substantia mea, id est divinitas mea, seu ego ipse, in inferioribus terræ, id est in hoc mundo, conversatus sum, et divinitas mea ad hæc infima se inclinavit per incarnationem. Hinc Apostolus loquens de Christo, ait [*Ephes.* IV, 9.] : Quod autem ascendit, quid est nisi quia primum descendit in inferiores partes terræ? Unde legitur apud Baruch [*Baruch* III, 38.] : Post hæc super terram visus est, et cum hominibus conversatus est. Vel sic : Substantia mea, id est, corpus et anima fuerunt in inferioribus terræ : nam anima fuit in limbo, et corpus in monumento.

(15) *Imperfectum meum,* id est naturales defectus quos assumpsi, *viderunt oculi tui,* id est, sapientia tua cognovit cur eos assumpsi. Non enim habuit Christus imperfectum aliquod virtutis aut vitæ, sed indetrahibiles assumpsit defectus seu mala pœnæ, ut nos ab eis erueret. *Et in libro tuo omnes scribentur,* id est, boni ac mali a te cognoscentur. Per librum namque intelligitur Dei cognitio : in qua omnes firmiter continentur, sicut scriptura in libro. Quamvis autem in libro seu notitia prædestinationis divinæ soli electi conscripti sint, tamen in libro divinæ cognitionis universi scribuntur, imo et opera singulorum, sicut beatus Job dicit : Scribis enim contra me amaritudines [*Job* XIII, 26.]. Et Ecclesiasticus : Oculi (ait) Domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum [*Eccli.* XXIII, 28.]. *Dies,* id est homines spirituales, præsertim Apostoli : de quibus præhabitum est, Dies diei eructat verbum [*Ps.* XVIII, 3.]; *formabuntur* per gratiam Spiritus Sancti, exuendo veterem hominem cum actibus suis, et deserendo opera tenebrarum, ut sint filii lucis [*Coloss.* III, 9, 10. *Rom.* XIII, 12; *Joann.* XII, 36.]. Talibus namque diebus Paulus : Eratis, inquit, aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino [*Ephes.* V, 8.]. *Et nemo in eis,* id est, nullus homo in istis diebus sistere aut confidere debet, ita quod nemo in eis formabitur, ut perfectionem aut nomen ab eis sortiatur. Hoc est quod dicit Apostolus : Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Neque ergo qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus [*I Cor.* III, 6, 7.]. Et item : Quum alius dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, nonne homines estis? Numquid in nomine Pauli baptizati estis [*Ibid.* I, 12, 13.]? Hinc quoque, ut in Actibus legitur, quum quidam voluissent sacrificare Paulo et Barnabæ tanquam diis, eo quod Paulus a nativitate claudum sanasset, Apostoli scissis vestibus suis, responderunt : Viri, quid facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines [*Act.* XIV, 7-17. *Ibid.* 14.]. Nemo ergo formabitur in eis : nam, Maledictus homo qui confidit in homine [*Jer.* XVII, 5.]. 16

Deinde Christus ad Deum Patrem, seu A totam superbeatissimam Trinitatem, unum
17 verum simplicissimum Deum, ait: (16) *Mihi autem,* id est ad honorem meum, *nimis*
(* honorificati) *honorati * sunt amici tui, Deus,* id est
(Matth. xix, 27.) Apostoli et apostolici viri, qui omnia relinquentes, mea sunt assecuti vestigia, propter quod digni facti sunt amicitia tua. Hos enim Deus multipliciter honoravit, dando
(Ibid. x, 1; Act. ii, 4.) eis varias gratias Spiritus Sancti, videlicet sapientiam, omnium linguarum notitiam, gratiam curationum, spiritum prophetiæ, sanctimoniam vitæ. *Nimis confortatus est* B
(Ps. xliv, 17.) *principatus eorum.* Nam constituti sunt principes super omnem terram, prævalueruntque mundo, carni, ac dæmoni; et adeo confortati sunt in gratia Dei, ut occidi possent, flecti non possent, sicut et
(Rom. viii, 35.) Paulus ex eorum persona testatur: Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Et iterum ait de principatu antiquorum
(Hebr. xi, 33, 34.) Dei sanctorum et amicorum: Per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones; obturaverunt C ora leonum, exstinxerunt impetum ignis,
18 etc. (17) *Dinumerabo eos.* Christus enim nomina prædestinatorum determinate co-
(Exod. xxxiii, 17.) gnoscit. Unde Moysi Dominus ait: Te ipsum novi ex nomine. *Et super arenam multiplicabuntur* prædicti amici tui, videlicet viri spirituales et sancti: vel quia excedunt numerum arenæ maris; vel quia eorum multitudo aptius exprimi nequit, nisi ut dicantur plures arena maris. Unde
(Apoc. vii, 9.) de electis et Dei amicis ait Joannes: Vidi D turbam magnam quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus tribubus et linguis et populis, stantes ante thronum Dei.

Præterea quidam exponunt hos duos versiculos de angelis sanctis, qui appellantur amici Dei: qui utique valde honorati sunt, et nimis confortatus est principatus eorum, quia ab eis regitur corporalis creatura atque ecclesiastica hierarchia; qui etiam super arenam multiplicantur, prout de eis
(Job xxv, 3.) apud Job dicitur: Numquid est numerus militum ejus? Et Daniel ait: Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia adsistebant ei. (Dan. vii, 10.) Hæ vero expositiones, quantum ad numerum amicorum Dei, in idem redeunt, dummodo omnes homines prædestinati dicantur amici Dei: quia, secundum Gregorium, tot homines salvabuntur, quot angeli permanserunt stantes.

Exsurrexi ego Christus a mortuis, sicut prædixi, *et adhuc sum tecum,* id est, usque ad secundum meum adventum tecum invisibiliter ero, quantum ad viatores. Interim enim sedebo ad dexteram tuam in (Marc. xvi, 19.) cœlo, nec hominibus generaliter visibiliterque apparebo, donec adveniat dies judicii, in quo omnibus manifestus ostendar. (Ibid. xiv, 62.) Unde dicit Apostolus: Præcipio tibi coram (I Tim. vi, 13-15.) Deo, etc., ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, etc.

(18) *Si occideris, Deus,* id est, quia æter- 19
naliter condemnabis, et nunc spiritualiter occides per gratiæ subtractionem, *peccatores,* impœnitentes et reprobos, *viri sanguinum,* id est odiosi, carnales et vitiosi, *declinate a me* in die judicii, quando dicturus sum vobis: Ite, maledicti, in ignem (Matth. xxv, 41.) æternum. Hoc est quod Christus ait: Multi dicent mihi in die illo, Domine, Domine. (Ibid. vii, 22, 23.) Et tunc confitebor illis: Nescio vos unde sitis; discedite a me, omnes operarii ini-
quitatis. (19) *Quia dicitis* intra vos, *in co-* 20
gitatione perversa et pessima: *Accipiant in vanitate civitates suas,* id est, injusti in sua vanitate ac malignitate prævaleant, et civitates suas, id est bona et loca seu habitacula quæ desiderant, quamvis ad justos pertineant, ipsi acquirant. Vel sic: *Quia dicitis,* o viri sanguinum, *in cogitatione* contra justos: *Accipiant* justi seu religiosi, *in vanitate,* id est frustra atque in vanum, *civitates suas,* id est particulares Ecclesias, congregationes seu claustra, ita quod nihil proficiat eorum saluti, quod se a nobis separant et elongant.

Digitized by Google

21 (20) *Nonne qui oderunt te, Domine, ode-* A
ram? quasi dicat, Imo. Oderat enim Chri-
stus homo inimicos Dei, non quantum ad
naturam, sed per respectum ad culpam.
Amare namque, secundum Philosophum,
est alicui bonum velle ; odire vero, est ali-
cui malum optare. Quemadmodum autem
justo debetur gloria, et bono dilectio (ob-
jectum enim appetitus est, bonum), sic
injusto debetur miseria, et odium malo.
Peccatorem ergo, in quantum peccator est,
debemus odire, id est pœnam atque mise-
riam ejus velle, ut scilicet corrigatur in B
præsenti, ne pereat in æternum sicut ju-
stitia exigit ; in quantum vero est homo et
creatura, seu conversionis et beatitudinis
capax, amandus est, quemadmodum præ-
Matth. v, 44. cepit Christus : Diligite inimicos vestros.
Hæc autem agendo, conformamus nos Deo,
qui omnia amat quantum ad id quod sunt
Sap. xi, 25. et a Creatore receperunt, juxta illud : Dili-
gis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum
quæ fecisti. Verumtamen rationales crea-
turas in vitiis deordinatas, a rectitudine
obliquatas, a Deo aversas odit Deus secun- C
Ibid. xiv, 9. dum quod tales sunt : juxta illud, Odio
sunt Deo impius et impietas ejus. Sic au-
tem Christus præcipue oderat impios, de
quo subditur : *et super inimicos tuos tabe-*
scebam, id est, magno zelo contra eorum
Matth. xxi, 12 ; Joann. ii, 14-17 ; Ps. lxviii, 10. pravitatem zelatus sum : sicut patebat, dum
ementes et vendentes de templo ejeci. Tunc
enim zelus domus Dei comedit me. (21) *Per-*
22 *fecto odio,* id est odio virtuoso et justo, *ode-*
ram illos, et inimici facti sunt mihi, pro-
pter eorum malitiam. Est itaque quoddam
odium malum, vitiosum et imperfectum, D
quod est mortale peccatum, quo natura al-
terius oditur, vel gratiæ fraternæ invidetur.
Hoc odium Christo et membris ejus non
convenit. Odium vero perfectum, quo odi-
tur culpa et auctor culpæ in quantum hu-
jusmodi, est de quo loquitur nunc psalmus.
Deinde Christus ait : (22) *Proba me, Deus,* 23
id est, per tormenta passionis probatum
ostende me : sicut in principio psalmi in-
ductum est, Domine, probasti me. *Et scito*
cor meum per approbationem. Hoc Chri-
stus non dicit orando, quoniam a principio
suæ conceptionis in Virgine, confirmatum
erat cor ejus in Deo, sed potius congratu-
lando. *Interroga me* per flagella, *et cogno-*
sce semitas meas, id est, opera mea atten-
de. Hoc Christus orat non pro se, sed pro
nobis. Non enim oravit ut Deo placerent
opera sua, quoniam scivit se non posse
peccare ; oravit autem ut Deus attenderet
opera sua, indulgendo propter meritum
eorum universæ Ecclesiæ. Sic enim inter- Rom. viii, 34 ; Hebr. vii, 25.
pellat pro nobis, secundum Apostolum, os-
tendens Patri latus et vulnera, secundum
Bernardum. (23) *Et vide si via iniquitatis* 24
in me est, id est, falsa doctrina, seu simile
aliquod in me exsistat. Hoc Christus dicit,
non dubitando an aliquid mali in se ha-
beat locum, sed ex magna securitate, ut
ostendat se ab omni culpa penitus alie-
num, nec adversariorum suorum, sibi mul-
ta scelera imponentium, se timere calum-
niam. *Et deduc me in via æterna,* id est
in via ad æternam gloriam perducente, vi-
delicet in ascensione, per quam ivi ad feli-
citatem æternam. Orat igitur Christus ut
Deus in ascensione ipsum perducat ad cœ-
lum. Non enim humana et pure naturali,
sed divina virtute ascendit. Et sicut oravit
pro gloria resurrectionis, sic quoque ora-
vit pro deductione ascensionis. Pro iis
enim quæ ad accidentale præmium perti-
nent, Christus oravit etiam pro se ipso ;
pro præmio autem essentiali precatus non
est, nisi pro nobis.

Digitized by Google

ARTICULUS LV

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI CENTESIMI TRICESIMI OCTAVI, DE MEMBRIS CHRISTI SEU QUOCUMQUE FIDELI.

DENIQUE psalmus iste exponi potest A
1 de homine justo. Qui ait : *Domine, probasti me,* id est, per prospera et adversa inquisisti et examinasti me, qualis essem; *et cognovisti me,* id est, fidelem atque constantem me invenisti, ex tali probatione, eo quod nec in prosperis, nec in adversis a recta via abierim.

Dicitur autem Deus probare et tentare, non ut ipse cognitionem recipiat, sed ut homo se ipsum cognoscat, et ab aliis cognoscatur qualis sit; vel, quia per modum probantis se habet. Sic enim ait ad Abra- B
Gen. xxii, 12. ham quem tentavit : Nunc cognovi quod timeas Deum, et non peperceris filio tuo unigenito propter me. Utrumque enim cognovit, antequam eum tentaret; sed dicitur tunc cognovisse, quia tunc fecit alios illud cognoscere per tam solennem obedientiam Abrahæ. Sic quoque Dominus loquitur filiis Israel, qui vitulum aureum
Exod. xxxiii, 5. adoraverunt : Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. Numquid ante non scivit quid faceret eis? Dicitur itaque Deus probare et tentare, sicque co- C gnoscere homines, quoniam probando facit homines cognosci, ostendendo eos ex probatione fideles aut inconstantes : quod evidenter patet ex eo, quod Moyses ait po-
Deut. viii, 2. pulo Judæorum : Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ versabantur in corde tuo, utrum custodires mandata illius, an non. Ita a Deo probatus est Job, et probus in-
Job xxiii, 10. ventus est, qui ait : Probavit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit. Et D
Sap. iii, 6. legitur apud Salomonem : Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus. Nequaquam ergo deficiamus, dum a Deo cor- Prov. iii, 11.
ripimur, dum per adversa probamur, dum injurias patimur, sed nec prosperis extollamur : imo prædicta mala patiendo lætemur, sperantes nos pertinere ad numerum electorum, de quibus Dominus ait : De- Zach. xiii, 9.
ducam eos per ignem, et uram eos sicut uritur argentum, et probabo eos sicut probatur aurum. Et exaudiam eos et dicam : Populus meus tu es.

Tu cognovisti sessionem, id est humilia- 2
tionem, contritionem, seu dejectionem, *meam, et resurrectionem meam,* qua a somno peccati resurgo, et justus de injusto (Deo operante) efficior. Unde Apostolus clamat : Hora est nos jam de somno surgere; et Rom. xiii, 11.
iterum, Surge, qui dormis, et exsurge a Ephes. v, 14.
mortuis. *Intellexisti cogitationes meas de* 3
longe, id est, in te ipso ab æterno eas vidisti : quoniam in divina essentia universa resplendent, sicut in prima causa et exemplari principio. Propter quod Dominus in Apocalypsi testatur : Scient omnes Eccle- Apoc. ii, 23.
siæ quia ego sum scrutans renes et corda. *Semitam meam,* id est actionem seu conversationem meam, *et funiculum meum,* id est vitæ meæ mensuram, modum seu limitem, *investigasti,* id est, diligenter pensasti, considerando quousque pervenero, quidve profecero. Unde a beato Job dicitur : Observasti omnes semitas meas, et Job xiii, 27.
vestigia pedum meorum considerasti. *Et* 4
omnes vias meas, id est cogitationes, verba et opera : quæ viæ dicuntur, quia per ea tendo ad ultimum finem; *prævidisti* ab æterno antequam sint : juxta illud, Domi- Eccli. xxiii, 29.
no Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita; *quia non est sermo in lingua mea,* quo tibi respondere sufficiam, ra-

Digitized by Google

tionem reddendo pro singulis quæ com- A
misi aut omisi : secundum quod alibi
Job IX, 2, 3. scriptum est : Non justificatur homo com-
positus Deo; et si voluerit cum eo conten-
dere, non poterit respondere unum pro
Ibid. 13, 14. mille. Hinc rursus sanctus Job ait : Deus,
cujus iræ nemo resistere potest, sub quo
curvantur qui portant orbem. Quantus er-
go ego sum ut respondeam ei, et loquar
verbis meis cum eo?
5 *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia no-
vissima,* id est ultima, *et antiqua,* id est
prima, videlicet omnia quæ sunt, erunt B
vel fuerunt. *Tu formasti me* in utero, cor-
pus organizando et animam infundendo.
Vel, Formasti, id est, perfecisti me, gratiam
tribuendo, secundum quod protestaris :
Is. XLIII, 7. Omnem qui invocat nomen meum, in glo-
riam meam creavi eum. Hinc quoque dici-
Ibid. LXIV, 8. tur : Pater noster tu es, nos vero lutum; et
fictor noster tu, et opera manuum tuarum
omnes nos. *Et posuisti super me manum
tuam,* id est potentiam tuam, conservando
me in esse. Vel, Posuisti super me manum
tuam, castigando me quando peccavi : C
Apoc. III, 19. quemadmodum in Apocalypsi dicis, Ego,
quos amo, arguo et castigo. Vel, Posuisti
super me manum tuam, id est, pie et gra-
tiose sustentasti, et confortasti me in spi-
6 ritualis conversationis processu. *Mirabilis
facta est* omni menti creatæ *scientia tua,*
o Deus, *ex me,* id est ex consideratione
mea. Scientia enim Creatoris, in creaturis
relucet; et ex earum consideratione mira-
bilis apparet consideranti tanto amplius,
quanto creaturæ fuerint digniores, seu mi-
rabilius institutæ. Quum igitur homo sit D
creatura excellens, et valde mirabiliter in-
stituta, scilicet ex corruptibili carne et im-
mortali spiritu constans, mirabilis facta est
scientia Creatoris ex consideratione homi-
nis, ita quod consideranti miranda apparet.
Confortata est, et non potero ad eam. Hoc
Job XXXVI, 26. est quod in libro Job dicitur : Ecce Deus
magnus, vincens scientiam nostram.
7 *Quo ibo a spiritu tuo?* qui omnia per-
I Cor. II, 10. scrutatur, secundum Apostolum. De quo
Sap. I, 7. scriptum est : Spiritus Domini replevit

orbem terrarum. *Et quo a facie tua fu-
giam?* tanquam dicat : Tuum conspectum
fugere nequeo. Unde in libro Sapientiæ
dicitur : Effugere manum tuam, Domine, Sap. XVI, 15
impossibile est. *Si ascendero in cœlum,* id 8
est, si per mentis elationem me ipsum
erexero, justum putavero, ceterisque præ-
tulero, *tu illic es,* ut superbum humilies :
sicut Abdias propheta testatur, Si exaltatus Abdiæ 4.
fueris ut aquila, et si inter sidera posueris
nidum tuum, inde te detraham, dicit Do-
minus. Vel, Si ascendero in cœlum, per
contemplationem et desiderium bonorum
cœlestium, tu illic es, qui dicis : Numquid Jer. XXIII, 24.
non cœlum et terram ego impleo? *Si de-
scendero in infernum,* id est in profun-
dum vitiorum, ita ut vel desperem, vel di-
vinam providentiam negem, *ades* tanquam
inspector et ultor. Vel, Si descendero in
infernum, considerando ipsius tormenta,
ades. *Si sumpsero pennas meas,* id est 9
alas contemplationum, *diluculo,* id est in
principio diei sensibilis seu spiritualis, *et
habitavero in extremis maris,* id est in ul-
timis finibus pelagi, seu in quocumque
termino mundi; *etenim illuc manus tua* 10
deducet me, quocumque tibi placuerit, nec
potero illinc evadere, sed comprehendar
a te : sicut subjungitur, *et tenebit me dex-
tera tua,* id est omnipotens virtus tua.
Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt 11
me, id est, operient atque abscondent me,
sicut absconditur quod conculcatur. Hoc
dicitur derisorie, secundum opinionem eo-
rum qui existimant Deum illa conspicere,
quæ fiunt in die seu luce, non autem quæ
fiunt in nocte seu tenebris. Contra quos
Dominus per Jeremiam loquitur : Putasne Ibid. 23, 24.
Deus e vicino ego sum, et non Deus de
longe? Si occultabitur vir in absconditis
suis, et ego non videbo eum? Dixi etiam :
Forsitan *et nox illuminatio mea,* id est,
tempus nocturnum et tenebrosum erit ex-
sultatio mea, quia tunc libere faciam quæ
delectant, tanquam a Deo videri non po-
tens, *in deliciis meis,* id est delectationi-
bus vitiorum. Sæpe autem accipitur illumi-
natio pro exsultatione. Deinde reprobatur

Digitized by Google

12 opinio talis. *Quia tenebræ non obscura-* A
buntur a te, id est, opera tenebrosa seu
tempus nocturnum te nequaquam late-
bunt; *et nox sicut dies illuminabitur,* id
est, tam evidenter a divina luce videbi-
tur opus noctis et nox, sicut opus diei
et dies. *Sicut tenebræ ejus,* id est, sicut
tenebræ noctis cognoscuntur a Deo, *ita*
et lumen ejus, id est, sic lumen diei vi-
Hebr. IV, 13. debitur ab eo. Omnia namque æque clare
Deo patescunt.

13 *Quia tu possedisti renes meos,* id est, appe-
titum sensitivum animæ meæ per gratiam B
possedisti, exstinguendo in me inordina-
tos concupiscentiæ motus. In renibus enim
viget luxuria : quos Deus dicitur possidere,
dum eos dignatur per gratiam gubernare.
Suscepisti me de utero matris meæ, id est,
ab hora nativitatis meæ usque in præsens
conservasti me, et a diversis periculis pro-
texisti me, et tanquam pius pater custo-
disti me.

14 *Mirabilia opera tua, et anima mea*
cognoscet ea *nimis,* id est multum præ-
clare, secundum quod eam illuminare di- C
15 gnaberis. *Non est occultatum os meum a*
te quod fecisti in occulto. Hoc, secundum
expositionem in præcedenti articulo posi-
tam, convenit eis qui dicere possunt Deo :
Ps. L, 8. Incerta et occulta sapientiæ tuæ manife-
stasti mihi. Quibus Deus ostendit opera
sua occulta tanquam filiis et amicis ac fa-
miliaribus suis, sicut Salvator ait discipu-
Joann. XV, 15. lis suis : Jam non dicam vos servos, sed
amicos meos, quia omnia quæcumque au-
divi a Patre meo, nota feci vobis. Et apud
Amos III, 7. Amos legitur : Non faciet Dominus ver- D
bum, nisi revelaverit secretum suum ad
servos suos Prophetas. Quidam vero expo-
nunt de osse corporis, quod non est occul-
tatum a Deo, sed notum est ei : quod di-
citur factum in occulto, quia latet sub
carne. Alii autem de osse spirituali, vide-
licet de firmitate seu fortitudine animæ :
quæ nota est Deo, et dicitur facta in oc-
culto, quoniam Deus facit eam per crea-
tionem in interioribus animæ viribus. *Et*
substantia, id est natura *mea,* quæ ex ani-

ma rationali et corpore constat, *in infe-*
rioribus terræ, id est, in hoc inferiori
mundo versatur, terrenis inquietudinibus
occupatur, multisque modis distrahitur.
Unde tibi confiteri et dicere cogor : *Im-* 16
perfectum meum, id est non solum ex-
cessum vitiorum, verum etiam defectum
operum meorum bonorum, *viderunt oculi*
tui. Mala etenim mea, omnino et pure
mala sunt. Bona autem quæ facio, non
sunt pure bona, sed imperfectiónibus mul-
tis admixta, sicut apud Isaiam legitur :
Ut immundi omnes nos, et quasi pannus *Is.* LXIV, 6.
menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Sem-
per ergo cum omni humilitate confitea-
mur Domino, et cognoscamus ex corde
imperfectum nostrum, scientes quoniam
quidquid boni in nobis et actibus nostris
invenitur, divinitus nobis præstatur, et Deo
adscribendum est; quidquid vero mali in
nobis et nostris operibus reperitur, ex
nobis oritur, nobisque attribuendum est.
Dies formabuntur, id est, dies futuri a te
producentur, *et nemo in eis,* id est, nullus
eorum qui nunc est, in eis erit, sed inte-
rim morientur qui nunc sunt. Hoc certius
dici poterat tempore veteris Testamenti,
quam modo. Tunc namque certum erat,
mundum diutissime duraturum : quod mo-
do incertum est; imo nescimus an per
tempus naturalis periodi unius hominis
mundus durabit.

Exsurrexi per gratiam tuam a morte 18
peccati, a consuetudine prava, a somno
pigritiæ, *et adhuc sum tecum,* per cari-
tatem tibi fideliter adhærendo. Hoc est
verbum bonæ spei. Non enim hoc scire
possumus certitudinaliter, sed conjectura-
liter, nisi ex speciali instinctu.

Si occideris, id est, quia occides occi- 19
sione æternæ mortis, o *Deus, peccatores,*
idcirco, *viri sanguinum, declinate a me,*
loco vel opere, ne vobis communicem, et
vobiscum occidar ac peream. Qui enim te- *Eccli.* XIII, 1.
tigerit picem, inquinabitur ab ea. Aposto-
lus quoque : Nolite, inquit, communicare *Ephes.* V, 11.
infructuosis operibus eorum : nam morte *Rom.* I, 32.
digni sunt non solum qui faciunt ea, sed

Digitized by Google

etiam qui consentiunt facientibus. Vitanda A
est ergo impiorum societas, familiaritas,
atque communio ; appetenda vero familia-
* devoti ritas virtuosi ac docti *, quemadmodum in
Eccli. vi, 36. Ecclesiastico inducitur : Quum videris sen-
Ibid. xxxvii, 15, 16. satum, evigila ad illum ; et, Cum viro san-
cto assiduus esto, quemcumque cognove-
ris observantem timorem Dei, cujus anima
est secundum animam tuam.
23 *Proba me, Deus,* adhuc ea probatione,
de qua in exordio psalmi præsentis locutus
sum : Domine, probasti me. Itaque, Proba
me sicut probantur electi, quos corrigis et B
emendas, non ut tu cognoscas, sed ut illi
salubriter se ipsos noscant, ne eis dicatur
II Cor. xiii, 5. illud Apostoli : Annon cognoscitis vos-
metipsos, quia Jesus Christus in vobis
est ? nisi forte reprobi estis. *Et scito cor
meum,* cognitione approbationis, de qua
I Cor. viii, 3. dicit Apostolus : Si quis diligit Deum, hic
cognitus est ab eo. *Interroga me,* id est,
per adversa inquire, et vide an vere te
diligam, an tibi constanter fidelis sim. Sic
velle a Deo probari et interrogari, non per-
tinet ad imperfectos, sed fortes, qui pro C
Hebr. v, 14. consuetudine exercitatos habent sensus,
qui cum Apostolo dicere possunt illud :
Philipp. iv, 11, 12. Ego didici, in quibus sum, sufficiens es-
se. Scio et humiliari, scio et abundare ;
ubique et in omnibus institutus sum. *Et
cognosce,* per acceptationem, approbatio-
nem, seu complacentiam, *semitas meas,* id
est desideria, cogitationes, verba et actus ;
24 *et vide,* more pii, diligentis, expertique
medici, *si via iniquitatis,* id est malum
propositum seu latens peccatum, *in me*
Ps. xviii, 13. *est,* quatenus ab occultis meis mundes me, D
Domine, et a vulneribus animæ salves me :

sicut Jeremias ait : Sana me, Domine, et Jer. xvii, 14.
sanabor ; salvum me fac, et salvus ero.
Denique quum ignoremus qualiter inte-
riora nostra cum Deo se habeant, an pura
exsistant, indigemus semper clamare ad
Deum : Vide si via iniquitatis in me est.
Mihi quoque concede ut interiora mea di-
ligenter discutiam, vere cognoscam, caute
custodiam. *Et deduc me in via æterna,* id
est in fide catholica, in lege divina, in
observatione præcepti : quorum unum-
quodque dicitur via æterna, quia ad vi-
tam perducit æternam seu patriam super-
cœlestem, nunquam electis auferendam.

Ecce psalmum mirabilem, difficilem, et omni laude dignum, divinis præconiis plenum, sacris mysteriis altum audivimus : in quo de Christi mysteriis copiose tractatur ; ex cujus doctrina admonemur divinam providentiam considerare, divinam præsentiam honorare, immensam Creatoris majestatem timere. Estque psalmus iste cum ingenti attentione cantandus, quia pene in singulis versibus dirigitur sermo ad Deum, et ubique est sensus sublimis. Ostendit enim hic psalmus incomprehensibilem esse Dei scientiam, infinitam ejus exsistere essentiam, metuendam quoque esse ipsius magnificentiam.

PRECATIO.

Cœli terræque conditor Deus, precamur immensæ majestatis tuæ excellentem virtutem : ut nos in viam directos æternam, illo tuearis brachio, quo amici tui nimis honorificati apud te, felicissime gloriantur in cœlis.

Digitized by Google

ARTICULUS LVI

EXPOSITIO DE CHRISTO, PSALMI CENTESIMI TRICESIMI NONI : ERIPE ME, DOMINE, AB HOMINE MALO.

ASSIGNATUR insuper psalmo nunc decla- A
1 rando titulus talis : *In finem, psalmus*
David : id est, psalmus iste a sancto Da-
vid conscriptus ac editus, dirigit nos in
Apoc. I, 8; finem, qui Christus est : qui testatur, Ego
XXI, 6; XXII, 13. sum Alpha et Omega, principium et finis;
Rom. X, 4. de quo etiam dicit Apostolus, Finis legis
est Christus omni credenti. Doctores au-
tem catholici exponunt hunc psalmum de
Ecclesia in tribulationibus constituta, ad
Deum clamante. Quidam tamen exponunt
eum ad litteram de David : quæ expositio
insipida est. Imo quum multi psalmi ex- B
ponantur ad litteram de Christo, eo quod
in Scriptura canonica novæ legis allegen-
tur de Christo, qui tamen minus conve-
niunt Christo quam psalmus iste : ut patet
Ps. XXXIX. de psalmo tricesimo nono, qui incipit, Ex-
spectans exspectavi Dominum. Cujus scri-
Hebr. X, 5-9. pturam de Christo prædictam allegat Apo-
stolus : in quo tamen psalmo inter cetera
Ps. XXXIX, 13. dicitur, Comprehenderunt me iniquitates
meæ, et non potui ut viderem : quod cer-
tum est Christo non convenire ratione
propriæ personæ, aut naturæ suæ divini- C
tati unitæ. Idem patet de psalmo imme-
diate sequenti, qui incipit, Beatus qui in-
telligit. Cujus scripturam allegat Christus
de se prædictam, videlicet illum versicu-
Ps. XL, 10. lum, Etenim homo pacis meæ, in quo
speravi, qui edebat panes meos. Hoc enim
Joann. XIII, 18. inducit de Juda proditore vaticinatum : et
tamen in psalmo illo inter alia scribitur,
Ps. XL, 5. Sana animam meam, quia peccavi tibi :
quod Christo non convenit. Idem etiam
patet de illo psalmo, cujus exordium est,
Ps. LXVIII. Salvum me fac, Deus, quoniam intrave- D
Joann. II, 17; Rom. XV, 3. runt aquæ usque ad animam meam. Cujus
scripturam allegant Joannes et Paulus de
Christo loquentem : et tamen in psalmo
hoc scriptum est, Delicta mea a te non Ps. LXVIII, 6.
sunt abscondita. Quum ergo singula verba
hujus psalmi proprie congruant Christo,
sicut patebit in prosequendo, videtur quod
de ipso proprie debeat explanari : quod
etiam inde probatur, quia Ecclesia in die
Parasceves in officio Missæ canit hunc
psalmum pro Tractu. De Christi igitur pas-
sione conscriptus est psalmus præsens.

UNDE Christus, ut homo passibilis pas-
sionique proximus, ait ad Patrem :
(1) *Eripe me, Domine, ab homine malo.* 2
Non ita oravit Christus ab iniquis homi-
nibus eripi, ut non traderetur in manus
eorum : imo quum Petrus ei dixisset, Non Matth. XVI, 22, 23.
erit tibi hoc, respondit ei : Vade retro me,
satana, quoniam non sapis ea quæ Dei
sunt, etc. Nec sic oravit ab eis eripi, ne
per eos induceretur ad malum culpæ, quia
sciebat se non posse peccare ; sed oravit
eripi, ne detineretur in morte, et ut tertia
die resurgeret, et glorificaretur in corpo-
re. Sic igitur ait : *Eripe me, Domine,* Pa-
ter æterne, *ab homine malo* me perse-
quente, puta Judæo quocumque, qui me
lingua crucifixit, dicendo : Tolle, tolle, Joann. XIX, 15.
crucifige eum. *A viro iniquo* me actuali-
ter crucifigente, qui Judæi clamorem ad
opus perduxit, videlicet a gentili quocum-
que Pilati ministro, *eripe me.*
(2) *Qui,* homo malus et vir iniquus, *co-* 3
gitaverunt iniquitates in corde, proponen-
tes me persequi atque occidere. Unde ab
Evangelista dicitur : Ab illo die cogitave- Ibid. XI, 53.
runt interficere eum. *Tota die,* non solum
in die Parasceves, sed multis diebus præ-
cedentibus, *constituebant prælia,* id est,

Digitized by Google

inter se ordinabant qualiter mihi resisterent, repugnarent et prævalerent : secundum quod apud Matthæum habetur, (Matth. XXVI, 3, 4.) Congregati sunt principes sacerdotum et seniores, ut Jesum dolo tenerent et occiderent.
4 (3) *Acuerunt linguas suas sicut serpentes,* id est, verba acuta, pungitiva et aspera contra me protulerunt, conantes mihi nocere, sicut nocent serpentes. Acuerunt plane Judæi linguas suas, quando Pilato, tot occasiones liberandi Jesum quærenti, dixerunt (Joann. XIX, 12.) : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris ; et, (Matth. XXVII, 25.) Sanguis ejus super nos et super filios nostros. *Venenum aspidum,* id est sermo letalis, venenosus, invidiosus et pestifer, *sub labiis eorum,* id est, paratus est in ore ipsorum, ut illum effundant. Hoc venenum aspidum effuderunt Judæi in Christum, dicentes (Joann. XIX, 7.) : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Unde Christus per Osee ait (Osee VII, 13.) : Ego redemi eos, et ipsi contra me locuti sunt mendacium ; et apud Jeremiam (Jer. XII, 8.) : Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva ; dedit contra me vocem suam, ideo odivi eam.

5 (4) *Custodi me, Domine, de manu peccatoris,* id est de potestate principis sacerdotum, *et ab hominibus iniquis,* id est ejus fautoribus, *eripe me,* ne mihi eveniat quod mihi conati sunt facere, dicentes illud Jeremiæ (Ibid. XI, 19.) : Eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur ultra. Idcirco namque fecerunt custodiri (Matth. XXVII, 66.) sepulcrum, ut corpus Christi in eo teneretur et corrumperetur, sicque memoria ejus omnino periret, nullo in ipsum credente. Nunc igitur orat Christus homo custodiri et eripi, ne hoc fiat.

(5) *Qui cogitaverunt supplantare,* id est a via justitiæ retrahere, *gressus meos,* id est opera mea. Nitebantur enim Judæi Christum a veritate abducere, nunc terrendo, nunc blandiendo. Propter quod dixerunt (Ibid. XXII, 16, 17.) : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Dic ergo nobis : Licet tributum dare Cæsari, an non? Vel, Cogitaverunt supplantare, id est reprobare et malos ostendere, gressus meos, dicentes : Tu de te ipso testimonium perhibes ; testimonium tuum non est verum. (Joann. VIII, 13.) Et iterum : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. (Ibid. IX, 16.) In passione quoque coram Pilato : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. (Ibid. XVIII, 30.)
6 *Absconderunt superbi,* id est principes Judæorum et Pharisæi, de generis nobilitate et falsa justitia præsumentes, *laqueum,* id est fraudulentas insidias, *mihi,* id est contra me et ad injuriam meam. Multipliciter enim studuerunt aliquam occasionem invenire, qua Christum reprehendere et accusare valerent, sicut ab Evangelista dicitur (Marc. III, 2.) : Observabant Judæi si sabbatis curaret, ut accusarent eum. Ideo etiam obtulerunt ei mulierem in adulterio deprehensam. (Joann. VIII, 3-6.) Unde per Jeremiam dicit Salvator (Jer. XVIII, 23.) : Tu, Domine, scis omne consilium eorum adversum me. (6) *Et funes,* id est multas et longas astutias fallendique machinas, *extenderunt in laqueum,* id est ad hoc, ut me funibus suarum insidiarum capere et reprehendere possent. Longo enim tempore sequebantur perfidi Pharisæi ac Scribæ Dominum Salvatorem, ut aliquid reprehensionis invenire possent in ejus doctrina aut vita. Hinc quippe Christus loquitur per Osee (Osee IX, 15.) : Exosos habui eos propter malitiam adinventionum ipsorum. *Juxta iter,* id est juxta conversationem hujus viæ, vel juxta legem seu observationem præceptorum, *scandalum posuerunt mihi,* id est verba et opera quibus me scandalizare quærebant, quamvis non profecerunt.

7 (7) *Dixi Domino : Deus meus es tu.* Certum est quod Christus frequenter vocavit Deum omnium, Deum suum. Singulariter etenim erat Deus suus, secundum quod homo, quia præelectus ab eo, et quia ipse præcipue Deum amavit et coluit, sicut ipse testatur (Joann. VIII, 29.) : Ego quæ placita sunt ei, facio semper. Hinc etiam post resurrectionem dicebat (Ibid. XX, 17.) : Ascendo ad Deum meum et Deum vestrum. *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ,* quam nunc coram te fudi.

Digitized by Google

8 (8) *Domine, Domine, virtus,* id est causa A
et conservator, *salutis meæ* creatæ. Beati-
tudo enim creata animæ Christi, a Deo
manavit et dependebat. *Obumbrasti super*
caput meum, id est super cor meum ; vel,
Super me, tuam defensionem, cooperatio-
nem seu opem extendisti ; *in die belli,* id
est tempore passionis, quando dæmones
Coloss. II, 15. expugnavi et exspoliavi. Contulit enim
Deus Christo in passione inconcussam con-
stantiam : propter quod factus est po-
Ps. XXIII, 8. tens in prælio. Unde per Jeremiam præ-
Jer. XX, 11. dixit : Dominus mecum est quasi bellator B
fortis ; idcirco qui me persequuntur, ca-
9 dent. (9) *Non tradas me, Domine, a desi-*
derio meo, id est contra seu extra deside-
rium meum, *peccatori,* videlicet populo
Judæorum. Aliquo enim modo desideravit
Christus eis tradi, videlicet ut pro mundo
moreretur ; et aliquo modo desideravit eis
non tradi, videlicet ne in morte detinere-
tur. Et ideo nunc orat, ne extra tale desi-
derium eis tradatur. *Cogitaverunt contra*
Ibid. XI, 19. *me,* sicut apud Jeremiam dicitur : Super
me cogitaverunt consilia, dicentes, Mitta- C
mus lignum in panem ejus. *Ne derelinquas*
me, quantum ad animam, in limbo ; et
quantum ad corpus, in tumulo ; sed statim
me suscita, *ne forte exaltentur,* id est, præva-
luisse videantur, atque inaniter glorientur.
Deinde describitur Judæorum dejectio.
10 (10) *Caput,* id est princeps sacerdotum, qui
erat caput seu princeps *circuitus eorum,*
id est exercitus Judæorum, me tempore
passionis circumdantium. Quid autem huic
capiti et subditis suis futurum fuerit, sub-
ditur : *labor labiorum ipsorum,* id est la- D
boriosus et gravis sermo, quem contra me
Matth. XXVI, 65, 66. loquebantur, dicentes : Blasphemavit ; et,
Joann. XIX, 15. Reus est mortis ; et, Non habemus regem
nisi Cæsarem ; *operiet eos,* id est, faciet
eos debita pœna operiri atque torqueri.
Hoc in Judæis impletum videmus. Volue-
runt enim Christum regno et fama omni-
no privari, et ecce ipsi privati sunt regno
Matth. XXVIII, 18. et fama honesta ; Christo autem data est
omnis potestas in cœlo et in terra. Ipsi
quoque nitebantur conculcare atque con-
terere Christum ; et Christus eos concul-
cavit et contrivit, sicut asserit : Calcavi Is. LXIII, 3.
eos in furore meo, et conculcavi eos in
ira mea. Itaque in præsenti vita operuit
Judæos labor labiorum ipsorum, quando
per Titum et exercitum Romanorum tam
horribiliter vastabantur. Idcirco scriptum
est : Circumdederunt eos adinventiones Osee VII, 2.
suæ. (11) *Cadent super eos carbones,* id 11
est materia flammæ infernalis ; *in ignem*
gehennæ *dejicies eos,* quantum ad ani-
mam statim dum moriuntur ; quantum
vero ad corpus et animam, in die ju-
dicii, quando dicturus es, Ite, maledicti, Matth. XXV, 41.
in ignem æternum ; *in miseriis,* id est in
pœnis inferni, *non subsistent :* non quod
illic esse cessabunt, sed quia de uno tor-
mento transibunt ad aliud, vel quia into-
lerabiles pœnas tolerare cogentur.
(12) *Vir linguosus,* id est Judas proditor, 12
non dirigetur in terra : nam abiens laqueo Ibid. XXVII, 5.
se suspendit. Vel : *Vir linguosus,* id est
Judæus Christo detrahens, eumque bla-
sphemans, et multis vanis rationibus de-
monstrare laborans Jesum Nazarenum non
esse Christum in lege promissum, *non di-*
rigetur a Deo *in terra,* id est in vita
præsenti, ut salubriter vivat ; sed excæ-
catus manebit et peribit. *Virum injustum*
Christo repugnantem, *mala* pœnæ et cul-
pæ *capient,* id est comprehendent, *in in-*
teritu, id est, dum morietur. Tunc enim
opera ejus eum sequentur, et de morte Apoc. XIV, 13.
temporali ibit ad mortem æternam.
(13) *Cognovi quia faciet Dominus* justus 13
judex : qui alias affirmat, Ego sum judex II Tim. IV, 8.
et testis ; *judicium inopis,* id est justum Jer. XXIX, 23.
judicium pro Christo paupere contra ad-
versarios ejus, ipsos juste damnando. Recte
quidem nomine inopis Christum designat,
qui de se ipso loquitur : Filius hominis Luc. IX, 58.
non habet ubi caput reclinet. De quo etiam
a Zacharia inducitur : Ipse pauper et as- Zach. IX, 9.
cendens super asinam. *Et vindictam pau-*
perum, id est Apostolorum ac primitivæ
Ecclesiæ, quibus Judæi multas intulerunt
injurias, ut patet in Actibus Apostolorum. Act. IV, etc.
Sed Deus fecit vindictam eorum, id est,

Digitized by Google

debitam ultionem inflixit Judæis propter
peccata commissa in Christi discipulos,
qui valde pauperes erant, postquam ex-
posita erant bona illa, quæ vendiderunt
primo ad fidem conversi. Illis namque bo-
Act. IV, 34. nis durantibus, non erat quisquam egens
inter eos, ut scribitur in Actibus. Hoc au-
tem judicium inopis Christi, et vindicta
pauperum ejus, erat illa devastatio Judæ-
orum a Romanis, quando dirissime occisi
sunt, in ultionem sanguinis Christi et di-
Luc. XXI, 24. scipulorum ipsius, quam Christus prædi-
xisse cognoscitur.
14 (14) *Verumtamen justi,* videlicet in Chri-
stum credentes, *confitebuntur nomini tuo,*
A te laudando. Christiani namque in Judæa
exsistentes, instante adventu Romanorum,
admoniti sunt ab angelo sancto egredi Ju-
dæam, et introire regnum Agrippæ, qui
erat confœderatus Romanis : quod et fece-
runt ; et illic salvati sunt, propter quod
Deum laudabant. *Et habitabunt recti,* id
est justi Christum sequentes fide et opere,
cum vultu tuo, id est tecum in tua præ-
sentia, nunc equidem per gratiam, post-
modum vero per gloriam.

Ecce psalmus iste quam vere et proprie
B competit Christo, quam evidenter Judæo-
rum malitiam exprimit, quam veraciter
eorumdem punitionem describit.

ARTICULUS LVII

EXPOSITIO EJUSDEM PSALMI CENTESIMI TRICESIMI NONI, DE ECCLESIA, SEU QUOLIBET FIDELI.

ECCLESIA itaque, seu anima religiosa,
adversitatibus tentationibusque pul-
2 sata, proclamet ad Dominum, dicens : *Eri-
pe me, Domine, ab homine malo,* ne cum
Ps. XVII, 27. perverso pervertar, ne ultra quam ferre
possum, molester, ne per impatientiam
vincar. Martyres sancti hominesque perfe-
cti, qui in adversis exsultant, in tribula-
tionibus gaudent, non sic petunt ab ho-
mine malo eripi, ne persecutionem ejus
sustineant, sed ne in adversis deficiant,
vel ne plus quam expedit eorum saluti
seu bono communi, graventur. Propter
II Thess. III, 1, 2. quod dicit Apostolus : Orate, ut liberemur
a malis et importunis hominibus. *A viro
iniquo eripe me.* Quod prædixit, resumit.
Vel per hominem malum intelligit eum
cujus malitia non est adeo magna ; per
virum vero iniquum, eum qui omnino in-
duratus atque subversus est. Qui autem se
impatientem et ad mala proclivem co-
gnoscit, orare potest ne persecutionem
malorum patiatur, ne per impatientiam
gravius prolabatur. Ego, dum versum hunc
dico, per hominem malum et virum ini-
C quum, me ipsum intelligo. Neminem enim
tam secure, certe atque salubriter malum
et iniquum voco ac judico, sicut me ip-
sum, præsertim quum dicat Apostolus :
Quis scit quid agatur in homine, nisi spiri- I Cor. II, 11.
tus ejus ? Peto igitur eripi a me ipso, ut
desinam esse malus et impius, sicque ab-
negem et relinquam me ipsum, non quan- Luc. IX, 23.
tum ad id quod sum per naturam et gra-
tiam, sed quoad id quod sum per propriam
voluntatem et culpam.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde, 3
D qualiter mihi possint nocere, et ex cogi-
tationibus talibus *tota die,* id est inde-
sinenter et quasi continue, *constituebant
prælia,* id est contentiones et rixas, seu
impugnationem a manu. *Acuerunt linguas* 4
suas sicut serpentes, proferendo verba adu-
latoria et fraudulenta more serpentium,
qui blandiuntur lingua ut mordeant. Sic
injusti interdum amicitiam ostendunt in
verbis, sed venenum abscondunt interius.
De quibus apud Jeremiam inducitur : Sa- Jer. IX, 8.
gitta vulnerans est lingua eorum. In ore
pacem cum amico loquitur, et occulte po-

Digitized by Google

nit ei insidias. Vel, Acuerunt linguas suas
sicut serpentes, loquendo verba subtilia,
acuta, mordacia et nociva, sicut de qui-
II Tim. II, 17. busdam dicit Apostolus : Sermo eorum ut
cancer serpit. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Hoc et cetera quæ nunc tran-
siliuntur, in præcedenti articulo satis ex-
posita sunt.

5 *Custodi me, Domine, de manu,* id est
de potestate, *peccatoris,* id est diaboli, qui
I Joann. III, 8. (sicut apud Joannem habetur) a principio
peccat. Ab ejus tentationibus me tuere,
quoniam naturali virtute nullo modo va-
leo ei resistere, quum sit invisibilis hostis
me incomparabiliter astutior, experientior,
Job XLI, 24. agilior, atque robustior. Non est enim po-
testas super terram quæ comparetur ei.
Ideo, Domine, custodi me per te ipsum et
angelum sanctum meæ custodiæ deputa-
Ps. CXXVI, 1. tum. Etenim nisi tu, Domine, custodieris
civitatem, id est animam virtutum concor-
dia circumvallatam, munitam et plenam,
frustra vigilat qui custodit eam. *Et ab
hominibus iniquis,* qui sunt instrumen-
tum et corpus atque ministri diaboli, *eripe
me,* ne illis conformer, et dæmonis ditioni
subjiciar.

Qui cogitaverunt supplantare, id est
impedire, conterere, annihilare, *gressus
meos,* id est opera bona, quibus ad te pro-
6 ficiscitur anima mea; *absconderunt super-
bi laqueum mihi :* id est, dæmones, Dei
similitudinem inordinate appetentes, et ho-
mines excæcati qui eorum pompam se-
quuntur, non solum aperte, sed et occulte
ac insidiose mihi nocere disposuerunt, pro-
Eccli. XXXVII, 23. ponendo mala sub specie boni, loquendo
sophistice, agendo pestilenter. *Et funes,*
id est mala exempla seu vitia, quibus ani-
ma dire ligatur ne Deum prompte ac libe-
re imitetur, *extenderunt,* id est prolon-
gaverunt, trahendo peccata velut longam
restem, *in laqueum,* id est in deceptio-
nem, videlicet ad hoc ut funibus istis
anima mea capiatur, et vitiis substerna-
tur. *Juxta iter* quo ambulo, id est juxta
viam Dei, seu observantiam præceptorum,
scandalum activum, id est occasionem ru-
A inæ seu offendiculum, *posuerunt mihi.*
Maligni equidem spiritus iter nostrum vel-
ut quidam latrunculi obsident, teste Gre-
gorio.

Quoniam ergo viribus meis evadere aut
prævalere non potui, ad misericordiam
opemque Creatoris confugi. *Dixi Domino:* 7
Deus meus es tu, non alius aliquis : nam
tu solus potes me liberare atque salvare.
Propterea in te solo confido, ad te con-
fidenter recurro. *Domine, Domine, virtus* 8
salutis meæ, id est fons, origo et conser-
B vator totius perfectionis, felicitatis et gra-
tiæ meæ, sine cujus manutenentia nec ad
momentum subsistere, aut salvus exsistere
queo; *obumbrasti super caput meum,* id
est, protexisti, confirmasti et consolatus
es me, *in die belli,* id est tempore adver-
sitatis et tentationis : aliter succubuissem.
Non tradas me, Domine, a desiderio meo, 9
id est contra desiderium meum rationale
et ordinatum, quo cupio tibi semper sub-
esse et adhærere, *peccatori,* dæmoni seu
impio homini, ne ei assimiler, cui deside-
C ro dispar esse. Vel sic : *Non tradas me,
Domine,* id est, non me tradi permittas, *a
desiderio meo,* id est ab hoste intrinseco, a
concupiscentia carnis, ab inordinato affe-
ctu seu fomite, *peccatori,* videlicet ne a
me ipso seducar et vincar, et potestati dæ-
monis subdar : quemadmodum de quibus-
dam ait Apostolus, Tradidit illos Deus in Rom. I, 24, 28.
desideria cordis eorum, in immunditiam
et reprobum sensum. *Cogitaverunt contra
me* dæmon et mundus, ut a tuo me obse-
quio retrahant; *ne derelinquas me* vinci
D ab eis, *ne forte exaltentur,* id est, trium-
phent et gaudeant. Nempe qui tribulant Ps. XII, 5.
me, exsultabunt si motus fuero. Derisores
enim patimur, a quibus ad illicita instiga-
mur. Unde in Ecclesiastico dicitur : Do- Eccli. XXIII, 1, 3.
mine, pater et dominator vitæ meæ, ne
derelinquas me in cogitatu et consilio eo-
rum, et incidam in conspectu adversario-
rum meorum, et gaudeat inimicus meus.

Caput, videlicet dæmon, qui est princeps 10
hujus mundi, id est reproborum, *circui-* Joann. XII, 31.
tus, id est exercitus seu turba, *eorum,* vi-

Digitized by Google

delicet iniquorum. Istud non regitur, sed
præmittitur propter relationem sequen-
tem. Huic itaque capiti et circuitui con-
tinget quod subditur : *Labor labiorum
ipsorum,* id est sermo eorum iniquus, quo
laboraverunt subvertere innocentes, *ope-
riet eos,* id est, in eos redundabit, eis
nocebit, et tormentis æternis eos involvet,
quemadmodum in Ecclesiastico scribitur :
Eccli. xxvii, 30, 31. Facienti nequissimum consilium, super ip-
sum devolvetur, et non cognoscet unde
illi adveniat illusio. Uniuscujusque etenim
malum in proprium redundat auctorem ;
et qui alteri quærit nocere, primo propria
iniquitate occidit aut lædit se ipsum, se-
Prov. xi, 5, 6. cundum quod Salomon profitetur : In im-
pietate sua corruet impius, et in insidiis
suis capientur iniqui.

12 *Vir linguosus,* id est verbosus et garru-
lus, procax ad fabulandum, *non dirigetur*
ad debitum finem a gratia Dei, *in terra*
habitationis vitæ præsentis. Non enim ten-
dit ad ultimum finem, qui est Deus et vita
æterna, sed inferno quotidie appropin-
Ibid. xxix, 20. quat. Unde in Proverbiis habetur : Vi-
disti aliquem velocem ad loquendum ?
Stultitia magis speranda est, quam illius
Eccli. xx, 8. correctio ; et, Qui multis utitur verbis,
lædit animam suam. Faciamus ergo quod
Jacob. i, 19. Jacobus consulit : Sit omnis homo velox
ad audiendum, tardus autem ad loquen-
Prov. xxix, 11. dum. Alibi enim scriptum est : Totum spi-
ritum suum profert stultus ; sapiens autem
differt in posterum. Maxime vero oportet
nos solitarios, esse in verbis cautos et cir-
cumspectos, si volumus Deo in stabili pu-
ritate et pace servire.

13 *Cognovi* ex sacra Scriptura, ex revelati-
one divina, imo ex ratione naturali, *quia
faciet Dominus judicium inopis.* Qui vere
et sponte inops ac humilis est, hujus judi-
cium Dominus faciet, justo judicio eum
salvando, ejusque persecutores damnando.
Ideo additur : *et vindictam pauperum :*
Hebr. x, 30. sicut et alibi ait, Mihi vindictam, et ego
retribuam. Quamvis enim omnium inju-
riam Dominus ulciscatur, atque pro omni-
bus electis judicium faciat, maxime tamen
ulciscitur injuriam pauperum spiritu, at-
que pro inopibus judicat. Ei enim dere- *Ps.* x, 14 sec. Hebr.
lictus est pauper. Propter quod per Isa-
iam : Egenum, inquit, et pauperem non *Is.* xli, 17.
derelinquam. *Verumtamen justi confite-* 14
buntur in prosperis et adversis *nomini
tuo,* duplici confessione, videlicet confes-
sione laudis divinæ, ac propriæ culpæ.
Bona enim tibi, mala vero sibi ipsis ad-
scribent ; et quidquid eis acciderit, te in
omnibus justificabunt, dicentes : Sicut Do- *Job* i, 21.
mino placuit, ita factum est. Sit nomen
Domini benedictum. *Et habitabunt recti
cum vultu tuo,* id est, tibi unientur, teque
fruentur, te facie ad faciem in patria con- *I Cor.* xiii, 12.
templabuntur. Porro in isto exsilio justi
confitentur Domino duplici confessione,
sed confessio laudis eorum est imperfe-
cta. In patria vero non nisi confessione
laudis Domino confitentur, sed illa con-
fessio perfecta est atque perpetua. Nunc
etiam habitant cum vultu divino, conver-
sando sincere coram Deo, eumque fideli-
ter contemplando. Hæc tamen habitatio
non est fixa et proprie dicta : Non enim *Hebr.* xiii, 14.
habemus hic manentem civitatem, sed fu-
turam inquirimus. In patria autem vere,
fixe et proprie habitare dicuntur cum vul-
tu divino.

Ecce psalmum fervidis orationibus ple-
num, et morali instructione ornatum audi-
vimus : quem decet nos ardenti affectu
proferre, atque ex ejus doctrina discere
quod incessanter ad Deum recurrere indi-
gemus, eo quod ipse sit virtus nostræ salu-
tis. Propterea semper ex corde ei dicamus :
Salus nostra in manu tua est ; respiciat *Gen.* xlvii, 25.
nos Dominus noster, et læti serviemus re-
gi. Hæc enim fuerunt verba Ægyptiorum
ad Joseph. Per Ægyptios autem signantur
peccatores ; per Joseph, Christus.

PRECATIO.

Domine, virtus salutis nostræ, exaudi vocem orationis plebis tuæ, et in miseriis quibus affligimur, nobis adsiste : ut ab omni malo, te protegente, erepti, secure serviamus tibi.

Digitized by Google

ARTICULUS LVIII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI : DOMINE, CLAMAVI AD TE.

1 TITULUS psalmi est : *Psalmus David.* Ipse A
enim beatus David auctor est psalmi præsentis, loquens in eo in persona hominis studiosi, perfectionem attingere laborantis : quam quia sine custodia linguæ adipisci non valet, precatur sibi a Domino gratiam condonari, qua linguam refrenet ac regat, et ait :

(1) D*OMINE, clamavi ad te,* non tam alta voce, quam vehementi ac præcordiali affectu. Non enim remisse aut pigre invocandus est Deus, sed animo timo- B
rato, affectuoso, atque pervigili, imo et incessanti, quemadmodum in Ecclesiastico
Eccli. xviii, 22, 23. inducitur : Non impediaris semper orare ; et, Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo tentans Deum. Idcirco quum dixisset, Domine, clamavi ad te, scilicet tempore præterito, profitetur se in præsenti clamare, et in futuro clamaturum esse, ut pandat se nunquam a prece velle cessare. Sequitur enim : *exaudi me* nunc in præsenti ; *intende voci meæ, dum clamavero ad te,* id est, quo- C
cumque tempore futuro te invocavero, ostende te mihi intendere, ita ut vocem meam, id est orationem meam, diligenter consideres, et pie exaudias.

2 (2) *Dirigatur oratio mea,* id est, ascendat, cœlos penetret, tibi perfecte complaceat, *sicut incensum* in lege dirigebatur ad te, et fumando ascendit, ac tibi præ ceteris sacrificiis placuit : non propter se ipsum, sed ex devotione offerentis. Quod autem subjungitur, *in conspectu tuo,* referri potest ad utrumque horum : videlicet D
ut oratio dirigatur in conspectu Dei sicut incensum ; vel ut oratio dirigatur ad Deum, sicut incensum dirigebatur in conspectu divino. Dicebatur autem incensum, obla- Exod. xxix, 18.
tio quæ tota incendebatur et comburebatur ad Dei honorem : per quod designatur obsequium perfectorum, qui se totos mancipant Deo, seque totaliter abnegant et relinquunt. Petitur ergo, ut sicut incensum coram Deo ascendit, et placuit propter devotionem fervidam offerentis, sic oratio nostra coram Deo ascendat atque complaceat. Unde in Ecclesiastico habetur : Oratio Eccli. xxxv, 21.
humiliantis se penetrabit nubes ; et alias, Oratio justi penetrat cœlos. *Elevatio manuum mearum,* id est exaltatio desideriorum meorum ad superna, directio operum meorum ad divina, erectio manuum mearum corporalium ex cordis elevatione procedens, seu ordinata ad illam, virtualiter sit coram te, Domine, *sacrificium vespertinum :* quatenus ita placeat tibi, sicut placebat sacrificium vespertinum seu ulti- Exod. xxix, 38-41.
mum quolibet die, quando videlicet offerebatur agnus ad vesperam : cujus immolatio erat figura immolationis Agni Dei, scilicet Christi in cruce. Unde Christus in cruce pendens, dicere poterat : Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

(3) *Pone, Domine, custodiam ori meo,* id 3
est, da mihi gratiam custodiendi os meum, ne loquar vel taceam inordinate : sed dum tempus est loquendi, prudenter atque uti- Eccle. iii, 7.
liter loquar ; dum vero tempus tacendi adfuerit, moderate ac laudabiliter taceam. Pone quoque *et ostium circumstantiæ,* id est clausuram discretam, *labiis meis :* videlicet ut tunc, ibi, et taliter labia mea ad loquendum aperiam, et ad tacendum recludam, quando, quo loco, et qualiter oportet aut expedit, ut sim in utroque discretus et fructuosus. Hoc est quod ab

Digitized by Google

Eccli. xxii, 33. Ecclesiastico inducitur: Quis dabit ori meo A
custodiam, et super labia mea signaculum
certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua
mea me perdat ?
4 (4) *Non declines,* id est, non inclinari seu
moveri permittas, *cor meum in verba malitiæ,*
ut verba maligna effundat, videlicet
ad excusandas, id est excusatorie proferendas,
excusationes in peccatis mihi objectis,
et a me perpetratis, (5) *Cum hominibus
operantibus iniquitatem,* id est, sicut
agunt homines assueti seu habituati in
malo ; *et non communicabo,* per consen- B
sum seu imitationem hujuscemodi excusationis,
cum electis, id est præcipuis, *eorum*
qui se excusant. Electi enim eorum sunt,
qui in modo et arte excusandi propria vitia,
aliis eminent : quales sunt simulatores
Job xxxvi, 13. et callidi, qui (sicut asseritur) provocant
iram Dei. Hoc est miserandissimum genus
pravorum, qui propria delicta excusant.
Hi enim obicem ponunt remedio, vulnus
suum abscondunt, manus divini judicii
incidunt, insanabilesque consistunt. Multipliciter
vero excusat quis sua pecca- C
ta : Primo, dicendo id quod malum est,
non esse malum. Contra quos per Isaiam
Is. v, 20. dicitur : Væ qui dicitis malum bonum,
Amos vi, 1, 13. et bonum malum. Et Amos ait : Væ qui
convertistis in amaritudinem judicium, et
fructum justitiæ in absinthium. Secundo,
negando se peccasse, quum tamen peccaverit.
Quod quam damnabile sit, Dominus
Jer. ii, 35. manifestat, dum ait : Ecce ego judicio
contendam tecum, eo quod dixeris, Non
peccavi. Tertio, alleviando propriam culpam,
dicendo : Non adverto, non pondero, D
habeo a natura. Quarto, imputando alteri
proprium malum, dicendo : Ille me induxit ;
ille est causa peccati mei. Hinc enim
Prov. xii, 1. in Proverbiis dicitur : Qui odit increpationes,
Ibid. xv, 12. insipiens est ; et, Non amat pestilens
eum qui se corripit. Et Salomon iterum
Ibid. 32. loquitur : Qui abjicit disciplinam, despicit
animam suam ; qui autem acquiescit
increpationibus, possessor est cordis.
Propterea, quantum distat cœlum a terra,
Ps. cii, 12. et ortus ab occidente, tam remote ab-

jiciamus semper a nobis tam pessimum
vitium.
(6) *Corripiet me justus,* qui neminem 5
palpat, nulli blanditur, *in misericordia,*
id est pie et caritative, non crudeliter et
invidiose ; *et increpabit me* propter meos
excessus, sicut dilectio fraterna expostulat.
Oleum autem, id est adulatio, simulata dilectio,
falsa laudatio *peccatoris, non impinguet
caput meum,* id est, non delectet
mentem meam, non me demulceat, non
mihi complaceat, nec ad consensum illicitum
pertrahat. Unde scriptum est : Attende *Eccli.* x[...] 35.
tibi a pestifero. (7) *Quoniam adhuc et oratio
mea* versatur *in beneplacitis eorum,* id
est in his quæ peccatoribus istis placent,
quatenus ipsi a suis peccatis desistant, et
ne ego ab eis seducar. Hoc igitur continuo
oro, ut ipsi convertantur, et ego custodiar.
Absorpti sunt juncti petræ judices eorum : 6
id est, principales et magistri istorum juncti
petræ, id est Deo seu divinæ justitiæ
comparati, absorpti sunt, id est, omnino
defecerunt, ita quod nihil veræ justitiæ
habent, præsertim quum careant fide per
dilectionem operante. Bene autem per petram
intelligitur Christus, juxta illud :
Dominus petra mea et robur meum. Vel, *II Reg.* xxii, 2.
per petram accipitur Christus, qui stultam *I Cor.* i, 20.
fecit sapientiam hujus mundi, damnabilemque
probavit justitiam confidentium
propriis viribus, et philosophorum, qui in *Rom.* i, 21.
suis cogitationibus evanuerunt.
(8) *Audient,* id est, audiant peccatores
ad suam correctionem, *verba mea* informatoria
atque salubria, *quoniam potuerunt,*
id est, quoniam verba mea efficacia sive
potentia sunt ad instruendum iniquos ;
vel, Quoniam potuerunt ipsi audire verba
mea, quum non sint incorrigibiles penitus.
Sicut crassitudo terræ, id est pin- 7
guedo latens sub terra, *erupta est,* id est
ascendit et apparuit, *super terram,* quum
terra vomere scinderetur, sic verba mea
potuerunt eos corrigere. Tanquam dicat :
Quemadmodum crassitudo terræ egreditur,
terramque fecundat, sic verba mea spiritualiter
fecundare possunt corda infru-

Digitized by Google

ctuosa et mala. Melius tamen videtur, ut istud referatur ad versum sequentem, præsertim quoniam in Hebræo hic incipit versus. Eritque sensus : *Sicut crassitudo terræ erupta est,* id est erupit, *super terram* aratam, sic (9) *Dissipata sunt ossa nostra,* id est, virtutes animæ nostræ debilitatæ, dispersæ, seu corruptæ sunt, *secus infernum,* id est juxta peccata, quæ sunt portæ inferni. Peccando namque virtus animæ dissipatur, atque inferno appropinquat. Mortali enim peccato corrumpitur, veniali vero debilitatur; et dum una amittitur, ceteræ quoque perduntur. Dicuntur autem ossa virtutes, quoniam sicut ossa sunt robur et firmitas corporis, sic virtutes stabilimentum sunt animæ.

8 *Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei,*
id est, ex quo, o Domine, Domine, oculi
cordis mei diriguntur ad te, idcirco *in te*
speravi, qui non despicis confugientes ad
tuam clementiam; *non auferas animam*
meam a consortio electorum, nec eam
auferri permittas a te per culpam; sed
quando fuerit a te aversa, digneris eam
convertere, et tibi inseparabiliter copula-
9 re. (10) *Custodi me a laqueo,* id est dece-
ptione, *quem statuerunt mihi* dæmon et
mundus, ne incidam illum et capiar, *et a*
scandalis operantium iniquitatem, id est
a vitiis impiorum scandalizantibus pusil-
los, videlicet ne ex dicto aut facto inordi-
nato alterius scandalizer, sed in via Dei
fortis solidusque persistam. Nam qui scan-
dalizatur, pusillus est. Perfecti vero nec
scandalizantur, nec scandalizant active.
10 (11) *Cadent in retiaculo,* id est in muscipu-
la seu deceptione, *ejus* (scandali, vel ini-
quitatis, seu dæmonis) *peccatores.* Ipsi enim
ruunt ad culpam ex deceptione scandali,
ex fraude diaboli, ex attractione peccati.
Singulariter sum ego, id est, ab impiis
sequestratus subsisto, et soli portioni seu
societati justorum adhæreo, *donec trans-*
eam de via ad patriam.

Psalmus iste devotissimis precibus adornatus, nos admonet vigilare circa linguæ custodiam. Magna nempe perfectio est custodia linguæ : imo divina Scriptura beatitudinem in ea aliquo modo constituit. Scriptum est enim : Si quis in verbo non *Jacob.* III, 2. offendit, hic perfectus est vir; et iterum, Beatus vir qui non est lapsus in verbo ex *Eccli.* XIV, 1. ore suo. Ad custodiendam autem linguam, primo oportet pensare qualitatem ejus cui loquimur, quatenus verba nostra aptemus capacitati et dispositioni ejus cui loquimur. Secundo, observandum est debitum tempus loquendi, videlicet ut non loquamur, nisi fructus sperari possit ex locutione profuturus. Tertio, considerare oportet ubi et inter quos loquendum sit. Non enim in ecclesia fabulari debemus. Et in Ecclesiastico habetur : Loqui in medio *Ibid.* XXXII, 13. magnatorum non præsumas; et, Ubi non *Ibid.* 6. est auditus, non effundas sermonem. Quarto servanda est quantitas in loquendo, ne plura verba proferamus quam oportet aut expedit. Propter quod a Salomone dicitur : Qui moderatur labia sua, pruden- *Prov.* X, 19. tissimus est; et rursus, In multiloquio *Ibidem.* non deerit peccatum. Quinto, pensandum est qualiter sit loquendum, videlicet modeste, mansuete, suaviter. Scriptum est enim : Verbum dulce multiplicat amicos, *Eccli.* VI, 5. et mitigat inimicos; et iterum, Responsio *Prov.* XV, 1. mollis frangit iram. Sexto, consideremus cur seu propter quem finem loqui intendimus, scilicet ad Dei honorem, et propter rationabilem causam.

PRECATIO.

Clamantium ad te, Domine, intende voci; peccantes nos, non in ira, sed in misericordia increpa : pone custodiam ori nostro, et non declines cor nostrum in verba peccati et malitiæ; sed linguam nostram fac semper exsultare in laude gloriæ tuæ.

Digitized by Google

ARTICULUS LIX

EXPOSITIO LITTERALIS, TROPOLOGICA ET ALLEGORICA PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI PRIMI : VOCE MEA AD DOMINUM CLAMAVI.

Prænotatur autem psalmus præsens A
1 hoc titulo : *Intellectus David, quum esset*
in spelunca; oratio. Ad litteram, sanctus
I Reg. xxii, 1. David fugiens regem Saulem, fecit hunc
Psalmum, quum lateret in spelunca Odollam, suppliciter petens liberari divinitus a persecutoribus suis. Et est sensus tituli talis : Intellectus David, id est, psalmus iste est eruditio David, qui et ipse a Spiritu Sancto edoctus est ad scribendum hunc psalmum, quum esset in spelunca prædicta absconditus : qua etiam ipse David nos erudivit. Suo enim exemplo docet nos B clamare ferventer fiducialiterque ad Dominum. Expositio autem litteralis psalmi præsentis, difficultatem non habet. Petit enim David a Saule ejusque fautoribus erui, qui sibi varios laqueos paraverunt.

Sed quoniam in principio tituli dicitur, Intellectus David, videtur ipse David scripsisse hunc psalmum magis de re significata, quam de figura significante. Quamvis enim David aliquos psalmos ediderit occasione persecutionis suæ, quam sustinuit a Saule et Absalone ac aliis ; ta- C men, quum esset Propheta, de Christi mysteriis præ universis Prophetis illuminatus, credendum est quod in talibus psalmis potius vaticinetur de Christo, quam orationem sive historiam texat de semetipso : præsertim quum David non ignoraverit se esse figuram Christi, et in Christi figura sibi contingere multa eorum quæ sibi accidisse noscuntur. Sic in præsenti credendum est. David enim est figura Christi ; Saul vero cum populo suo sibi consentiente, typus est principis sacerdotum ac D Judæorum persequentium Salvatorem. Spelunca vero significat præsens sæculum, seu corpus passibile. Est itaque tituli sensus : Psalmus iste est intellectus David, id est Christi per David figurati : quem intellectum Christus habuit, quum esset in mundo inferiori seu corpore suo mortali ; et est oratio ejus. Christus ergo ut homo passibilis, in passione constitutus, ait Ecclesiæ se clamasse ad Dominum, ut doceat eam etiam sic agere dum tribulatur.

(1) Voce *mea ad Dominum clamavi,* 2
orando pro celeri resurrectione, pro
corporis mei glorificatione, pro transgressorum conversione. *Voce mea ad Dominum deprecatus sum.* Repetit quod prædixit, propter expressionem majorem, et exhortationem efficaciorem. (2) *Effundo in conspectu* 3
ejus orationem meam, orando eum intente, ejusque præsentiam cogitando sollicite, *et tribulationem meam* corporalem seu exteriorem, et spiritualem seu interiorem, videlicet tristitiam et timorem : quam tribulationem mihi intulerunt Judæi, vel quam sponte assumpsi, et quam ex compassione errantium habui ; *ante ipsum pronuntio,* id est, coram Deo Patre exposui. Hæc omnia Christum fecisse, Evangelistæ testantur. Quomodo enim passione instante ter Matth. xxvi, 39, 42, 44.
Patrem oravit, Matthæus refert ; et quomodo tunc factus sit sudor ejus sicut gut- Luc. xxii, 43, 44.
tæ sanguinis, factusque in agonia, prolixius oraverit, in Luca scriptum est. (3) *In* 4
deficiendo ex me spiritum meum, id est, quum spiritus meus creatus, videlicet anima rationalis in me exsistens, deficeret ex se seu sua conditione, non defectu cul- Marc. xiv, 33.
pæ, sed pœnæ : quando videlicet cœpi Luc. xxii, 43.
pavere et tædere, et quando in agonia Joann. xix, 30.
factus sum, vel quando inclinato capite

tradidi spiritum; *et tu cognovisti semitas meas,* id est, tunc tu, o Pater, per approbationem novisti doctrinam conversationemque meam, et omnia quæ pro humana salute assumpsi, feci, atque perpessus sum.

(4) *In via hac qua ambulabam,* id est in sæculo isto, in via virtutum qua incessi in tota conversatione mea, *absconderunt* Judæi *laqueum mihi,* id est contra me, insidiantes mihi occulte, loquentes adulatorie, variisque fraudulentiis quærentes no-
5 cere. (5) *Considerabam ad dexteram,* id est ad partem mihi favorabilem, videlicet ad notos atque discipulos meos, *et videbam,* an aliquem mihi constanter cohærentem invenirem; *et non erat* aliquis vir *qui cognosceret me* cognitione publicæ confessionis. Tempore enim quo captus est
Matth. xxvi, 56. Christus, discipuli omnes relicto eo fuge-
Ibid. 74; runt; et paulo post princeps eorum cœpit
Marc. xiv, 71. anathematizare, detestari et jurare: Quia nescio hominem istum. (6) *Periit fuga a me,* quoniam fugere nolui: sicut supra
Ps. lxxxvii, 9. dictum est, Traditus sum, et non egrediebar. Vel, Periit fuga a me, id est, ita ligatus sum vinculis, et circumdatus hostibus, quod, humano modo loquendo, fugere nequeo, quamvis vellem. Non enim nisi supernaturali virtute fugere potuisset, dum erat ligatus, hostibusque vallatus. *Et non est qui requirat animam meam,* id est, nemo erat qui conaretur me de manu hostium liberare constanter. Quamvis enim
Matth. xxvii, 15-26. Pilatus ad tempus studuerit me eripere, tandem tamen dedit sententiam contra me: qua data, nemo contradixit. Unde
Is. lxiii, 5. Christus testatur: Circumspexi, et non
Ibid. 3. erat auxiliator; itemque, Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.
Ps. lxviii, 21. Supra quoque prædictum est: Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit.
6 (7) *Clamavi ad te, Domine:* dicendo in
Matth. xxvii, 46. cruce: Eli, Eli, id est, Deus meus, Deus
Luc. xxiii, 46. meus, ut quid dereliquisti me? Et: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Dixi: Tu es spes mea,* id est in quo spero, secundum quod homo sum, et aliquo

A modo viator. Speravit autem Christus in Deo, non per spem quæ est virtus theologica, quæ in comprehensoribus locum non habet, sed per quamdam præstolationem sive fiduciam, qua omne bonum quod nondum habuit, a Deo longanimiter exspectavit. *Portio mea,* id est bonum quod ego requiro, intendo et diligo, est *in terra viventium,* id est in regno cœlorum. Et potest nomine portionis intelligi Deus, de
quo dictum est supra, Dominus pars here- Ps. xv, 5.
ditatis meæ; vel, retributio gloriæ quæ
B confertur electis. Vel sic: *Portio mea,* id est Ecclesia electorum, quæ est pars mea, ex multis mihi proveniens, electa ac data, *in terra viventium,* id est, mecum erit in
regione paradisi cœlestis, sicut dixi: Pa- Joann. xvii, 24.
ter, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem quam dedisti mihi.

(8) *Intende ad deprecationem meam, quia* 7
humiliatus, id est contemptus, abjectus, blasphematus, imo turpissima passione afflictus, *sum nimis* a Judæis: quemadmo-
C dum scriptum est, Nos putavimus eum Is. liii, 4.
quasi leprosum, et percussum a Deo et humiliatum. (9) *Libera me,* suscitando me tertia die, *a persequentibus me,* id est Judæis, atque Pilati ministris me crucifigentibus; *quia confortati sunt super me,* secundum apparentiam, quia permissi sunt mihi prævalere, quantum ad hoc quod me occidere potuerunt. Interdum enim Christus aliquid dicit, quia sic esse videbatur, quemadmodum apud Jeremiam ait:
Ego quasi agnus mansuetus qui portatur Jer. xi, 19.
D ad victimam; et non cognovi quia super me cogitaverunt consilia.

(10) *Educ de custodia,* id est de clausura 8
seu carcere limbi infernalis: qui alibi vo-
catur lacus sine aqua; *animam meam:* Zach. ix, 11.
quæ ibi fuit quousque corpori reunita est; *ad confitendum nomini tuo,* id est, ut te laudet novo modo et coram aliis, tam in Ecclesia militanti quam triumphanti, tibique gratias agat de gloria resurrectionis, de eductione patrum ex limbo, de omni præmio accidentali sibi recenter col-

Digitized by Google

lato. *Me exspectant justi* exsistentes in
limbo, *donec retribuas mihi* præmium ac-
cidentale quod patiendo promerui, vide-
licet resurrectionem beatam. Non enim
educi potuerunt, donec Christus a morte
surrexit. Propterea, quamvis anima Christi
in limbum venit ante resurrectionem, ex-
spectabant tamen adventum Christi usque
ad horam resurrectionis, in qua suos inde
Zach. IX, 11. captivos eduxit, prout Zacharias ait : Tu
quoque in sanguine testamenti tui edu-
xisti vinctos tuos de lacu, in quo non est
aqua.

Expositio allegorica. PORRO allegorice exponi potest hic psal-
mus de quolibet fideli, in magnis tribula-
2 tionibus constituto. Qui dicere potest : *Vo-
ce mea,* id est voce propria, voce interioris
hominis, non per intermediam vocem, *ad
Dominum clamavi,* qui solus me eripere
potest atque salvare. Sunt autem nonnulli,
qui negligunt propria voce clamare ad
Dominum, sed aliis dicunt : Ora pro me.
3 *Effundo in conspectu ejus,* id est eo præ-
sente et attendente, *orationem meam :* sic-
Thren. II, 19. ut in Threnis dicitur, Effunde sicut aquam
cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.
I *Reg.* I, 15. Et mater Samuelis : Effudi, inquit, ani-
mam meam in conspectu Domini. Debemus
autem effundere cor nostrum ac preces
coram Deo cum omni fiducia, devotione
ac perseverantia, sicut coram benignissi-
mo patre, piissimo salvatore, fidelissimo
et omnipotenti adjutore: sicque procul du-
bio suscipiemur ab eo. *Et tribulationem
meam,* quam patior a dæmone, mundo et
carne, *ante ipsum pronuntio,* ut ipse me
consoletur et liberet. Dico ergo et conque-
ror ei quanta sustineo, non ut ipse sciat,
sed ut confessio miseriæ meæ ejus mise-
ricordiam provocet. Unde supra dictum
Ps. XXXVI, 5. est : Revela Domino viam tuam, et ipse fa-
4 ciet. *In deficiendo ex me spiritum meum,* id
est, dum anima mea ex sua fragilitate de-
ficeret, cadendo in vitia vel patiendo ad-
versa, nec sufficienter valendo prosequi
quæ requiruntur ad obtinendam salutem :
dum ita deficeret anima mea, effundo in

A conspectu tuo orationem meam, et tri-
bulationem meam ante te pronuntio. Vel
refertur ad sequentem partem hujus ver-
sus, quo dicitur : *Et tu cognovisti semitas
meas,* quidquid ago et patior, quidquid
cogito, appeto, loquor aut facio : juxta il-
lud, Respicit Dominus viam hominis, et *Prov.* V, 2[1]
omnes gressus illius considerat.

In via hac qua ambulabam, id est in
conversatione qua præcepta Dei custodire
disposui, *absconderunt* hostes animæ meæ
laqueum mihi, quærentes me in peccati
B consensum pertrahere. *Considerabam ad* 5
dexteram, id est ad eos a quibus speravi
me amplius adjuvandum, *et videbam,* si
quis mihi succurreret; *et non erat qui
cognosceret me,* id est, qui signa dilectio-
nis mihi ostenderet; sed velut alieni re-
cesserunt a me : sicut Job ait, Fratres *Job* XIX, 13.
mei elongaverunt a me, et noti mei quasi
alieni recesserunt a me. *Periit fuga a
me :* id est, tot laqueis, tot malis atque
periculis circumdatus atque repletus sum,
quod ea propria potestate evadere ne-
C queo ; *et non est qui requirat animam
meam,* ut eam salvet, nisi tu, Deus meus :
non enim est alius qui pugnet pro me.
Hæc atque similia dicit afflictus ex vehe-
menti dolore : vel quia simpliciter nullus
est qui eum cognoscat, et vitam ejus re-
quirat; vel quoniam adeo pauci sunt et
impotentes, ut pro nihilo reputentur.

Idcirco, *Clamavi ad te, Domine,* qui 6
solus potes me liberare ; clamandoque
dixi : Tu es spes mea, id est objectum,
causa et finis spei meæ; in te confido, te
D exspecto, teque finaliter adipisci spero ;
portio mea, id est, hereditas mea, præ-
mium meum atque divitiæ sint *in ter-
ra viventium,* sicut tu, Domine, jubes :
Thesaurizate, inquiens, vobis thesauros in *Matth.* VI, 20.
cœlo. *Intende ad deprecationem meam,* 7
eam celeriter exaudiendo, *quia humilia-
tus sum nimis,* id est, multum afflictus,
tentatus, oppressus sum : sed et ego val-
de humiliavi me ipsum, ut misericordiam
invenirem. Unde in Ecclesiastico dicitur :
Humilia valde spiritum tuum, quia vin- *Eccli.* VII, 19.

dicta carnis impii, ignis et vermis. *Li-* A
bera me a persequentibus me, scilicet in-
visibilibus ac visibilibus hostibus, *quia*
confortati sunt super me. Non enim resi-
stere possum eorum dolis atque insidiis,
nisi per gratiæ tuæ subsidium.
8 *Educ de custodia animam meam.* In
Hebræo habetur, Educ de carcere. Sensus
vero permanet idem, qui talis est : Educ
Rom. vii, 24. de custodia, id est de isto exsilio, de cor-
Ps. cxxxiii, 7. pore mortis hujus, de valle hac lacrima-
rum, animam meam, transferendo eam de
via ad patriam, *ad confitendum nomini* B
tuo, confessione incessabilis hymni cum
Sanctis in regno cœlesti. Hoc dicere perti-
net ad perfectos qui bona conscientia cu-
Philipp. i, 23. piunt dissolvi et esse cum Christo. Ceteri
vero dicere possunt : Educ de custodia
animam meam quotidie per vitam spiritu-
alem, per contemplationem cœlestium, per
desiderium æternorum, ut anima mea car-
nem transcendat, mundum relinquat, in
Ibid. iii, 20. cœlis conversationem habere laboret; sic-
que ad illos pertineam quibus ait Aposto-
Rom. viii, 9. lus : Vos autem in carne non estis, sed in C
II Cor. iii, 18. spiritu ; et, Nos revelata facie gloriam Do-
mini speculantes. *Me exspectant justi* in
patria, quatenus me in suam recipiant do-
mum, societatem et gloriam, *donec retri-*
buas mihi vitam æternam pro mercede
obsequii tibi impensi : videlicet usque ad
horam mortis meæ, vel usque ad horam
eductionis de purgatorio, vel usque ad
diem universalis judicii, quo electi anima
et corpore præmiabuntur. Cum magno de-
siderio præstolantur Beati nostrum adven-
tum, tanquam vere amantes nos : propter
quod merito festinaremus occurrere eis, et
eorum jucundissimæ societati uniri, ne no-
bis dicatur illud : Usquequo marcetis igna- Josue xviii, 3.
via, et non intratis ad possidendam terram
quam Dominus dedit vobis?

Psalmum istum ignitis affectibus redolentem, et fervidis precibus plenum, decet nos corde devotissimo decantare, et quasi proprii cordis affectu omnia verba ejus formare.

PRECATIO.

In via præsentis vitæ, qua ambulamus, Domine, laqueos hostium absconditos fac nos declinare : ut nos persequentes non prævaleant, sed procul a nobis, te jubente, recedant.

ARTICULUS LX

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI SECUNDI : DOMINE, EXAUDI ORATIONEM MEAM.

HABET hic psalmus nunc exponendus, D
1 pro titulo : *Psalmus David, quando per-*
sequebatur eum filius suus Absalon. Ad
litteram enim edidit David hunc psalmum,
dum fugeret a facie Absalon filii sui. De
II Reg. xv-xviii. qua persecutione habetur in secundo libro
Regum. Et quamvis littera psalmi hujus
possit applicari ad hoc, sicut et breviter
tangetur, aptius tamen est ut exponatur
hic psalmus in persona cujuslibet pœni-
tentis.

LOQUENS igitur David in persona pœnitentis, ait : (1) *Domine, exaudi orationem meam; auribus* tuæ immensæ pietatis *percipe obsecrationem meam.* Aures Dei aliud non sunt, nisi misericordia et sapientia ejus, sicut frequenter inductum est. Sæpe autem loquitur Scriptura de Deo more humano. Dicitur ergo Deus auribus percipere, non quod aliquid de novo cognoscat, sed quia gratiam largiendo, ostendit se scire atque attendere preces nostras.

Digitized by Google

Quamvis autem inter orationem et obsecrationem possit poni distinctio, quoniam obsecratio proprie dicitur, dum aliquid postulamus a Deo per aliquod sacrum, sicut quum dicimus, Per nativitatem tuam libera nos, Domine; vel, Propter misericordiam seu bonitatem tuam exaudi me, Domine : tamen hoc loco accipi possunt pro eodem. Consuetudo namque Scripturæ est, præsertim in his quæ pertinent ad affectum, idem sub aliis verbis frequenter repetere : quod fit propter rationabilissimam ac utilissimam causam, videlicet ut affectus in se ipso incalescat et recalescat, dum proprium desiderium replicatur et renovatur. Una quippe bona affectio aliam nutrit : imo una affectio ardens, aliam sibi in specie similem multum inflammat. Ideo adhuc subditur : *in veritate tua exaudi me,* id est, sicuti promisisti quod orantem exaudires, ita exaudi me. Scriptum est

Deut. IV, 29. enim : Quum quæsieris Dominum Deum
Joel II, 32. tuum, invenies eum; et iterum, Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; et
Eccli. II, 12. rursus, Quis invocavit illum, et despexit eum? Itaque, In veritate tua exaudi me *in tua justitia,* id est, sicut hoc justum est coram te, ut facias sicut dixisti. Vel, In tua justitia, id est merito conversationis seu operationis meæ justæ : quæ dicitur tua justitia, quoniam a te mihi collata est, propter quod non mihi, sed tibi, eam adscribo. Hoc modo exaudiri in justitia
Is. XXXVIII, 3. Dei oravit Ezechias, dicens : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto.

2 (2) *Et non intres in judicium cum servo*
Ps. VII, 9; XXV, 1; XXXIV, 24; XLII, 1. *tuo.* Superius sæpe dixit Psalmista, Judica me, Domine, seu aliquid simile. Nunc vero precatur ut Deus non intret secum in judicium. Illic ergo locutus est de judicio discretionis, quo in præsenti vita boni discernuntur a malis voto et merito. Sicque orare debemus ut Deus judicet nos, id est, a malis discernat ac dividat. Nunc vero loquitur de judicio districtæ discussionis, seu justæ ultionis. Est igitur sen- A sus : Non intres in judicium cum servo tuo, id est, noli me servum tuum secundum rigorem tuæ justitiæ judicare et condemnare. Noli mihi reddere secundum exigentiam iniquitatis meæ; sed secundum misericordiam tuam indulge mihi et salva me. — Ad litteram dixit hoc David pro se ipso. Persecutionem enim filii sui patiebatur propter adulterium suum cum Bethsabee, homicidiumque Uriæ, sicut Nathan propheta sibi prædixit. *II Reg.* XII, 9-11. Secundum rigorem vero divinæ justitiæ, meruit mortem B propter utrumque. Lex namque tam adulterium, quam homicidium ulciscitur morte. *Deut.* XXII, 22; *Lev.* XXIV, 17. Idcirco David oravit ne sicut justitia exigebat, reciperet. Adducit autem et persuasionem ad hoc :

Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens : id est, nullus homo vivens in sæculo isto, justus est coram te perfecta justitia, quasi nihil habeat de injustitia seu peccato; sed omnis homo viator aliquid habet de injustitia, propter quam petere debet ne intres secum in judicium. C Hinc enim Joannes : Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. *I Joan.* I, 8. Paulus quoque : Omnes peccaverunt et egent gloria (id est gloriosa misericordia) Dei. *Rom.* III, 23. Denique, Salomone testante, septies in die cadit justus. *Prov.* XXIV, 16. Et : Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato? *Ibid.* XX, 9. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Non te justifices ante Deum. *Eccli.* VII, 5. Sed si hæc ita se habent, quid est quod Ezechias, Jeremias, Esther, Judith, et alii multi leguntur suas coram Deo justitias at- *Is.* XXXVIII, 3; *Jer.* XV, 15-17; *Esther* XIV, 15-18; *Judith* XVI, 5-12. D que perfectiones præcipuas allegasse, sicut nunc sæpe commemoratum recordor? Et respondendum, quod non simpliciter, sed humano modo se justos dixerunt, scientes utique quod omnes eorum justitiæ essent coram Deo sicut pannus menstruatæ. *Is.* LXIV, 6. Unde quod dictum est, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, non est ita intelligendum, quod nullus homo vivens, coram Deo aliquo modo justificabitur : imo in die judicii non solum in conspectu Dei, sed etiam a Deo justificabuntur, seu justi

Digitized by Google

Matth. xxv, 34. dicentur, omnes qui audient, Venite, benedicti Patris mei. Sic ergo convenienter accipitur : Non justificabitur in conspectu tuo, id est in comparatione tuæ justitiæ, omnis vivens. Propter quod scriptum est :
Job IX, 2. Non justificabitur homo compositus Deo.
Ibid. XXV, 5, 6. Et iterum : Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus: quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis ! Hinc rursus apertissime
Ibid. 4. scriptum est : Numquid homo Dei comparatione justificabitur? Bene ergo et vere
Hebr. X, 31. ait sanctus Apostolus : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Alia enim sunt judicia Dei, et alia judicia hominum. Indesinenter igitur cum omni humilitate dicamus Deo : Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Idcirco quoque, o Domine, exaudiri pre-
3 cor et egeo : (3) *Quia persecutus est inimicus,* videlicet dæmon, caro et mundus, *animam meam,* ipsam tentando, affligen-
II Tim. III, 12. do, contristando. Omnes enim qui volunt pie vivere in Christo, hujuscemodi perse-
I Petr. II, 11. cutiones patientur. Nam et carnalia desi-
Sap. IX, 15. deria militant contra animam. Et caro quæ corrumpitur, aggravat animam. *Humiliavit,* id est, dejecit, et suo dominio subjugavit, *in terra vitam meam,* id est conversationem meam, pertrahendo eam ad infima atque illicita. Propter quod facta est vilis, carnalis, et detestanda. Dum enim caro dominatur spiritui, et dum mundus et dæmon prævalent homini, tunc humiliatur, id est, vilis efficitur in terra vita ejus. (4) *Collocavit me* inimicus jam dictus *in obscuris,* id est in tenebris vitiorum, in caligine tentationum, in adversitatibus tribulationum, *sicut* collocavit *mortuos sæculi,* id est homines sæculares spiritualiter
4 mortuos, in vitiis obstinatos. *Et anxiatus est super me spiritus meus,* id est, anima mea in se ipsa perterrita est, propter tot mala atque pericula quæ incidit et incidere potest; *in me turbatum est cor meum,* ex consideratione et dolore malorum pœnalium et peccatorum quibus subjectus sum.

A Ad litteram vero David ait : *Persecutus est inimicus,* scilicet Absalon, *animam meam,* id est me ipsum ; *humiliavit in terra vitam meam,* quoniam fecit me fugere, II Reg. XV, 14, 16; XVI, 21, 22.
et stratum meum fœdavit, meque gravissime diffamavit. *Collocavit me in obscuris,*
id est in locis desertis, tetris et cavernosis, Ibid. XV, 28; XVII, 15, 16.
in quibus ejus timore me abscondi, donec Chusai mihi intimavit quid facerem ; *sicut mortuos sæculi,* id est, sicut ponuntur defuncti in monumentis sub terra. — Hæc quoque conveniunt Christo : quem inimi-
B cus, id est Judas proditor seu populus Judæorum, persecutus est ; et vitam ejus humiliavit, quia turpissima morte eam exstinxit. Collocavit etiam eum in obscuris sicut mortuos sæculi, eo modo quo dixit su-
perius : Posuerunt me in lacu inferiori, in Ps. LXXXVII, 7.
tenebrosis et in umbra mortis. Nam et cor-
pus ejus in sepulcro locatum est, et anima Matth. XXVII, 60.
ejus fuit in limbo ; et secundum reputationem Judæorum, fuit blasphemus et perditus, sicut et ceteri desperati. Et anxiatus est super eum spiritus ejus, quoniam di-
C xit : Tristis est anima mea usque ad mor- Ibid. XXVI, 38.
tem. In eo quoque fuit turbatum cor ejus,
sicut fatebatur : Nunc anima mea turbata Joann. XII, 27.
est : non quod fuerit aliquo modo inordinata, sed vehementer affecta.

Præterea loquens Propheta in persona
pœnitentis, adjecit : (5) *Memor fui dierum* 5
antiquorum, id est diu præteritorum ab
initio mundi : videlicet dierum Adæ, quem Gen. III.
pro uno peccato, cum omni sua posteritate, paradiso atque originali justitia de-
stituisti ; dierumque Noe, quibus propter Ibid. VII.
D peccata carnis universum mundum mersisti. *Meditatus sum in omnibus operibus tuis,* saltem in genere, considerando qualiter a principio mundi te circa homines habuisti, quosdam ad pœnitentiam misericorditer assumendo, alios juste deserendo et condemnando. Hisque diligenter pensatis, vehementer formido ne ego cum reprobis peream, quibus peccando similis factus sum. Vel, Meditatus sum in omnibus operibus tuis, id est in operibus creationis, recreationis et glorificationis. *In*

Digitized by Google

Quamvis autem inter orationem et obsecrationem possit poni distinctio, quoniam obsecratio proprie dicitur, dum aliquid postulamus a Deo per aliquod sacrum, sicut quum dicimus, Per nativitatem tuam libera nos, Domine; vel, Propter misericordiam seu bonitatem tuam exaudi me, Domine : tamen hoc loco accipi possunt pro eodem. Consuetudo namque Scripturæ est, præsertim in his quæ pertinent ad affectum, idem sub aliis verbis frequenter repetere : quod fit propter rationabilissimam ac utilissimam causam, videlicet ut affectus in se ipso incalescat et recalescat, dum proprium desiderium replicatur et renovatur. Una quippe bona affectio aliam nutrit : imo una affectio ardens, aliam sibi in specie similem multum inflammat. Ideo adhuc subditur : *in veritate tua exaudi me,* id est, sicuti promisisti quod orantem exaudires, ita exaudi me. Scriptum est
Deut. IV, 29. enim : Quum quæsieris Dominum Deum
Joel II, 32. tuum, invenies eum; et iterum, Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; et
Eccli. II, 12. rursus, Quis invocavit illum, et despexit eum? Itaque, In veritate tua exaudi me *in tua justitia,* id est, sicut hoc justum est coram te, ut facias sicut dixisti. Vel, In tua justitia, id est merito conversationis seu operationis meæ justæ : quæ dicitur tua justitia, quoniam a te mihi collata est, propter quod non mihi, sed tibi, eam adscribo. Hoc modo exaudiri in justitia
Is. XXXVIII, 3. Dei oravit Ezechias, dicens : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto.

2 (2) *Et non intres in judicium cum servo*
Ps. VII, 9; XXV, 1; XXXIV, 24; XLII, 1. *tuo.* Superius sæpe dixit Psalmista, Judica me, Domine, seu aliquid simile. Nunc vero precatur ut Deus non intret secum in judicium. Illic ergo locutus est de judicio discretionis, quo in præsenti vita boni discernuntur a malis voto et merito. Sicque orare debemus ut Deus judicet nos, id est, a malis discernat ac dividat. Nunc vero loquitur de judicio districtæ discussionis, seu justæ ultionis. Est igitur sensus : Non intres in judicium cum servo tuo, id est, noli me servum tuum secundum rigorem tuæ justitiæ judicare et condemnare. Noli mihi reddere secundum exigentiam iniquitatis meæ; sed secundum misericordiam tuam indulge mihi et salva me. — Ad litteram dixit hoc David pro se ipso. Persecutionem enim filii sui patiebatur propter adulterium suum cum Bethsa- II *Reg.* XI, 9-11.
bee, homicidiumque Uriæ, sicut Nathan propheta sibi prædixit. Secundum rigorem vero divinæ justitiæ, meruit mortem propter utrumque. Lex namque tam adulterium, quam homicidium ulciscitur mor- *Deut.* XXII, 22; *Lev.* XXIV, 17.
te. Idcirco David oravit ne sicut justitia exigebat, reciperet. Adducit autem et persuasionem ad hoc :

Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens : id est, nullus homo vivens in sæculo isto, justus est coram te perfecta justitia, quasi nihil habeat de injustitia seu peccato; sed omnis homo viator aliquid habet de injustitia, propter quam petere debet ne intres secum in judicium. Hinc enim Joannes : Si dixerimus, inquit, I *Joann.* I, 8.
quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Paulus quoque : Omnes pecca- *Rom.* III, 23.
verunt et egent gloria (id est gloriosa misericordia) Dei. Denique, Salomone testan- *Prov.* XXIV, 16.
te, septies in die cadit justus. Et : Quis *Ibid.* XX, 9.
potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum a peccato? Hinc in Ecclesiastico dicitur : Non te justifices ante Deum. Sed *Eccli.* VII, 5.
si hæc ita se habent, quid est quod Eze- *Is.* XXXVIII, 3; *Jer.* XV, 15-17; *Esther* XIV, 15-18; *Judith* XVI, 8-12.
chias, Jeremias, Esther, Judith, et alii multi leguntur suas coram Deo justitias atque perfectiones præcipuas allegasse, sicut nunc sæpe commemoratum recordor? Et respondendum, quod non simpliciter, sed humano modo se justos dixerunt, scientes utique quod omnes eorum justitiæ essent *Is.* LXIV, 6.
coram Deo sicut pannus menstruatæ. Unde quod dictum est, Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, non est ita intelligendum, quod nullus homo vivens, coram Deo aliquo modo justificabitur : imo in die judicii non solum in conspectu Dei, sed etiam a Deo justificabuntur, seu justi

Digitized by Google

Matth. xxv, 34. dicentur, omnes qui audient, Venite, be- A
nedicti Patris mei. Sic ergo convenienter
accipitur : Non justificabitur in conspectu
tuo, id est in comparatione tuæ justitiæ,
omnis vivens. Propter quod scriptum est :
Job ix, 2. Non justificabitur homo compositus Deo.
Ibid. xxv, 5, 6. Et iterum : Ecce luna non splendet, et
stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus:
quanto magis homo putredo, et filius hominis
vermis ! Hinc rursus apertissime
Ibid. 4. scriptum est : Numquid homo Dei comparatione
justificabitur? Bene ergo et vere
Hebr. x, 31. ait sanctus Apostolus : Horrendum est in- B
cidere in manus Dei viventis. Alia enim
sunt judicia Dei, et alia judicia hominum.
Indesinenter igitur cum omni humilitate
dicamus Deo : Non intres in judicium cum
servo tuo, Domine, quia non justificabitur
in conspectu tuo omnis vivens.

Idcirco quoque, o Domine, exaudiri pre-
3 cor et egeo : (3) *Quia persecutus est inimicus,*
videlicet dæmon, caro et mundus,
animam meam, ipsam tentando, affligen-
II Tim. iii, 12. do, contristando. Omnes enim qui volunt
pie vivere in Christo, hujuscemodi perse- C
I Petr. ii, 11. cutiones patientur. Nam et carnalia desi-
Sap. ix, 15. deria militant contra animam. Et caro quæ
corrumpitur, aggravat animam. *Humiliavit,*
id est, dejecit, et suo dominio subjugavit,
in terra vitam meam, id est conversationem
meam, pertrahendo eam ad
infima atque illicita. Propter quod facta
est vilis, carnalis, et detestanda. Dum enim
caro dominatur spiritui, et dum mundus
et dæmon prævalent homini, tunc humiliatur,
id est, vilis efficitur in terra vita
ejus. (4) *Collocavit me* inimicus jam dictus D
in obscuris, id est in tenebris vitiorum,
in caligine tentationum, in adversitatibus
tribulationum, *sicut* collocavit *mortuos sæculi,*
id est homines sæculares spiritualiter
4 mortuos, in vitiis obstinatos. *Et anxiatus
est super me spiritus meus,* id est, anima
mea in se ipsa perterrita est, propter tot
mala atque pericula quæ incidit et incidere
potest; *in me turbatum est cor meum,* ex
consideratione et dolore malorum pœnalium
et peccatorum quibus subjectus sum.

Ad litteram vero David ait : *Persecutus
est inimicus,* scilicet Absalon, *animam meam,*
id est me ipsum ; *humiliavit in terra
vitam meam,* quoniam fecit me fugere, II Reg. xv, 14, 16; xvi, 21, 22.
et stratum meum fœdavit, meque gravissime
diffamavit. *Collocavit me in obscuris,*
id est in locis desertis, tetris et cavernosis, Ibid. xv, 28; xvii, 15, 16.
in quibus ejus timore me abscondi, donec
Chusai mihi intimavit quid facerem; *sicut
mortuos sæculi,* id est, sicut ponuntur defuncti
in monumentis sub terra. — Hæc
quoque conveniunt Christo : quem inimicus,
id est Judas proditor seu populus
Judæorum, persecutus est; et vitam ejus
humiliavit, quia turpissima morte eam exstinxit.
Collocavit etiam eum in obscuris
sicut mortuos sæculi, eo modo quo dixit superius :
Posuerunt me in lacu inferiori, in Ps. lxxxvii, 7.
tenebrosis et in umbra mortis. Nam et corpus
ejus in sepulcro locatum est, et anima Matth. xxvii, 60.
ejus fuit in limbo; et secundum reputationem
Judæorum, fuit blasphemus et perditus,
sicut et ceteri desperati. Et anxiatus
est super eum spiritus ejus, quoniam dixit :
Tristis est anima mea usque ad mor- Ibid. xxvi, 38.
tem. In eo quoque fuit turbatum cor ejus,
sicut fatebatur : Nunc anima mea turbata Joann. xii, 27.
est : non quod fuerit aliquo modo inordinata,
sed vehementer affecta.

Præterea loquens Propheta in persona
pœnitentis, adjecit : (5) *Memor fui dierum* 5
antiquorum, id est diu præteritorum ab
initio mundi : videlicet dierum Adæ, quem Gen. iii.
pro uno peccato, cum omni sua posteritate,
paradiso atque originali justitia destituisti;
dierumque Noe, quibus propter Ibid. vii.
peccata carnis universum mundum mersisti.
*Meditatus sum in omnibus operibus
tuis,* saltem in genere, considerando qualiter
a principio mundi te circa homines
habuisti, quosdam ad pœnitentiam misericorditer
assumendo, alios juste deserendo
et condemnando. Hisque diligenter pensatis,
vehementer formido ne ego cum
reprobis peream, quibus peccando similis
factus sum. Vel, Meditatus sum in omnibus
operibus tuis, id est in operibus creationis,
recreationis et glorificationis. *In*

Digitized by Google

factis manuum tuarum prædictis *medita-* A
6 *bar.* (6) *Expandi manus meas* corporales
ad te, id est ad cœlum, ex interiori et ma-
gno desiderio consequendi misericordiam
tuam. Vel : *Expandi,* id est dilatavi, *ma-*
nus meas, id est desideria sancta et opera
bona, *ad te,* id est, ad hoc ut ad te merear
pervenire, tanquam ad fontem beatitudi-
nis meæ et ultimum finem omnium exer-
Thren. II, 19. citiorum meorum. Unde Jeremias : Leva,
inquit, ad eum manus tuas, et miserebitur
I Tim. II, 8. tui ; et Apostolus, Volo viros orare levan-
tes puras manus. *Anima mea sicut terra* B
sine aqua tibi : id est, sicut terra sicca im-
brem seu pluviam sitit, sic anima mea tibi
inhiat, quærens rorem gratiæ, pluviam fe-
cunditatis internæ, aquam sapientiæ. Quem-
admodum enim terra sine aqua, infecun-
da est, sicca, et in pulverem decidens ; sic
anima mea sine gratia tua, o Domine, in-
fructuosa et arida est, atque in spiritualem
dissipationem annihilationemque cadens.
7 (7) *Velociter exaudi me, Domine,* quo-
niam omni momento misericordia tua in-
digeo. Cujus ratio subditur : *defecit spi-* C
ritus meus, id est, anima mea propter
adversa infirmata est, et nec bona agere,
nec mala cavere potest sine subsidio gra-
tiæ tuæ. (8) *Non avertas faciem tuam,* id
est misericordiæ tuæ adspectum, *a me :* id
est, noli mihi gratiosam tuam præsentiam
denegare, noli irasci aut indignari, ne gra-
vius cadam, atque instabilis fiam : quod
utique mihi continget, si averteris a me
Is. LVII, 17. faciem tuam, prout alibi protestaris : Ab-
scondi, inquiens, faciem meam, et abiit
vagus in via cordis sui. Rursusque Isaias : D
Ibid. LXIV, 5. Ecce, ait, tu iratus es, et peccavimus. Imo
si eam a me averteris, *et similis ero de-*
scendentibus in lacum gehennæ. In hac
siquidem vita assimilabor eis per culpam,
in futuro autem per pœnam.
8 (9) *Auditam fac mihi mane misericor-*
diam tuam, id est, cito fac me experiri
pietatis tuæ effectum, videlicet gratiæ col-
lationem, omniumque eorum quæ postu-
lo, misericordem exauditionem, *quia in te*
speravi, non in rebus creatis et vanis.

Verificetur ergo in me quod dictum est
supra : Sperantem autem in Domino mi- Ps. XXXI, 10.
sericordia circumdabit. Quod tu ipse alibi
affirmas : Eruens liberabo te, et erit tibi Jer. XXXIX, 18.
anima tua in salutem, quia in me habuisti
fiduciam. (10) *Notam fac mihi* per illumi-
nationem Spiritus Sancti, per ministerium
angeli, per prædicationem Ecclesiæ, *viam*
in qua ambulem, id est rectum iter per-
veniendi ad te, seu bonam conversationem
qua tibi complaceam ; *quia ad te* tanquam
ad creatorem, salvatorem, et ultimum fi-
nem, *levavi animam meam* penna contem-
plationis, volatu fervidæ dilectionis, longa-
nimiter quoque sperando, et laudabiliter
conversando.
(11) *Eripe me de inimicis meis* visibilibus 9
et invisibilibus, ne mihi eorum impugna-
tio, detractio, perversitas noceat, sed om- Rom. VIII, 28.
nia cooperentur mihi in bonum. *Domine,*
ad te confugi, sicut ad Patrem misericor- II Cor. I, 3.
diarum et Deum totius consolationis, qui
solus me defendere, confortare, salvare-
que potes. *Doce me facere voluntatem tu-* 10
am, id est præceptum tuum, et omne quod
complacet tibi ; *quia Deus meus es tu :*
idcirco me totum tibi debeo, et tibi in om-
nibus deservire, adhærere, atque subesse
obligatus sum. Non ergo quæramus dum-
taxat scire, sed insuper facere voluntatem
Dei. Scienti enim, et non facienti, pecca- Jacob. IV, 17.
tum est illi. Sic etiam studeamus Deo uniri
et inhærere, ut ei digne veraciterque dica-
mus : Deus meus es tu. Deus enim omni- Ps. XXX, 15.
potens, qui omnium Deus est, illorum spe-
cialiter Deus est, qui se totos offerunt
Deo, et ejus obsequio se totaliter manci-
pant, extra Deum nihil desiderant, et qua-
liter Deum semper honorent, indesinenter
solliciti sunt.
(12) *Spiritus tuus bonus,* videlicet Spi-
ritus Sanctus, *deducet me in terram re-*
ctam, id est in regionem cœlestem, in ter-
ram viventium, in qua omnia justa et recta
sunt, prout scriptum est : Populus tuus, Is. LX, 21.
omnes justi. In hanc terram deducet nos
Spiritus Sanctus per opera bona et desi-
deria sancta. *Propter nomen tuum,* id est 11

Digitized by Google

propter te ipsum, non propter merita mea, *Domine, vivificabis me,* nunc vita gratiæ, et postmodum vita gloriæ, *in æquitate tua,* id est, sicut justum est coram te ut illum vivifices, qui totam spem suam ponit in te; vel, In æquitate tua, id est in justitia mihi a te concessa. Non enim a Deo vivificatur, nisi qui bona et justa operatur. (13) *Educes de tribulatione animam meam,* in præsenti vita tribulationes ejus minuendo, et in futuro eas totaliter aufe-
II Petr. II, 9. rendo. Unde habetur: Novit Dominus pios
Is. XXV, 8. de tentatione eripere; et alibi, Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum, et auferet lacrimam et opprobrium populi
12 sui. *Et in misericordia tua,* id est misericorditer quantum ad me, *disperdes,* id est, dissipabis ac perdes, *inimicos meos,* in tua justitia, eos juste damnando, nisi pœniteant. Vel: In misericordia tua disperdes inimicos meos, citra condignum eos puniendo, aut certe misericorditer ipsos convertendo, destruens in eis non naturam, sed culpam. (14) *Et perdes* in futuro judicio *omnes qui tribulant animam meam* invide atque injuste; *quoniam ego servus tuus sum:* idcirco decet te ut me famulum tuum eripias.

Ecce psalmum virtuosum et affectuosum, pœnitentialiumque psalmorum novissimum, clare audivimus: in quo pœnitens Deum ardentissime deprecatur. Et in fine psalmi fiducialiter loquitur, dicendo: Spiritus tuus bonus deducet me, etc., usque ad finem: quæ omnia sunt verba bonæ spei, ex singulari caritate conceptæ. Virtualiter quoque talia verba oratio sunt. Cum præcordiali igitur contritione et vera devotione conemur hunc psalmum cantare, omnesque preces in eo contentas desideranter exprimere.

PRECATIO.

Spiritu nostro deficiente, velociter exaudi nos, Domine; conforta nos, et notam fac nobis viam in qua placentes tibi ambulemus: ut spiritu tuo bono nos deducente, animam nostram de omni educas tribulatione, ac in tua vivifices nos æquitate.

ARTICULUS LXI

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI TERTII: BENEDICTUS DOMINUS DEUS MEUS.

1 PRÆSENTIS psalmi titulus talis est: *Psalmus David, adversus Goliath.* Ad litteram enim, secundum Hieronymum, David fecit
I Reg. XVII, 40 et seq. hunc psalmum, processurus ad pugnam contra Philistæum, seu Goliath Gethæum: quam pugnam iniit David ex revelatione divina, ex qua etiam certificatus fuit de victoria, secundum Augustinum. Litteralis igitur expositio psalmi hujus, est de ipso David contra Goliath præliante. Hanc autem expositionem breviter tangam, ubi aliquid obscuritatis includit. Moraliter vero, exponitur de homine virtuoso contra diabolum atque peccata pugnante.

IN talis igitur viri persona loquens Psalmista, ait: (1) *Benedictus* exsistat, imo in se ipso æternaliter sanctus, et omni benedictione seu laude dignus est, *Dominus Deus meus,* qui est omnium Dominus per gubernationem, Deus per creationem, Deus meus per specialem cultum, devotionem et gratiam; *qui docet manus meas,* id est potentias operativas, videlicet intellectum practicum et voluntatem, *ad prælium* contra occasiones seu causas peccandi. Non enim vitari potest peccatum, nec spiritualis victoria adipisci, nisi occasiones peccati vitentur. Qui docet *et digitos meos,* id

Digitized by Google

est habitus virtuosos seu discretionem, *ad bellum* spirituale contra aerias potestates
Ephes. vi, 12. et ipsa peccata. Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Prælium autem proprie dicitur, quod de longinquo imminet atque committitur, sicut dum sagittando bellatur : idcirco per prælium intelligitur pugna animæ contra occasiones peccandi. Bellum vero vocatur, quod fit de propinquo, ut quum pugnatur manu ad manum : sicque per bellum exprimitur pugna quæ est directe contra ipsum peccatum.

Tunc insuper docet Deus manus nostras ad bellum, dum confert nobis discretionem spirituum, ita ut cum Apostolo dicere
II *Cor.* II, 11. valeamus : Non ignoramus cogitationes Satanæ. Qui sic docentur a Deo, agnoscunt qualiter sit singulis vitiis resistendum. Quædam enim peccata aptius superantur per hoc, quod cogitationem nostram ab eis omnino avertimus, ut sunt gula, luxuria, atque similia. Cujus ratio est : nam quanto cogitatio illis diutius immoratur, tanto affectus magis illicitur, propter delectationem materiæ circa quam versantur, videlicet quoniam actus in quibus fundantur talia vitia, in se ipsis delectabiles sunt. Omnino ergo vitare debemus memoriam, adspectum et materiam eorum ex quibus talia oriuntur peccata. Cetera vero vitia superantur per hoc, quod contra ea bellum assumitur, scilicet discutiendo, et considerando diligenter naturam et qualitatem eorum, ut sunt ira, impatientia, amaritudo, invidia, etc. Talia enim in se amara atque pœnalia sunt : ideo quanto diligentius considerantur, tanto plus displicent, sicque facilius exstirpantur. Docet etiam Deus habitus virtutum quæ in nobis sunt, quomodo unaquæque obviet vitio sibi opposito ; prudentiam vero docet, ad repugnandum vitiis universis. Hæc autem docet, infundendo nobis dona Spiritus Sancti, quæ virtutes perficiunt, movent atque expediunt, sicut virtutes perficiunt et movent potentias in quibus subjective consistunt. Per donum namque scientiæ, anima edocetur quis sit compendiosior modus proficiendi in omni virtute : quod sciri non potest, nisi sciatur modus resistendi impedimentis spiritualis profectus. Quoniam vero contra invisibiles, expertissimos ac subtilissimos hostes luctamur, indigemus incessabiliter Dominum invocare : ut doceat manus nostras ad prælium, ut occasiones peccandi abscindamus ; et digitos nostros ad bellum, ut sit rationabile obsequium *Rom.* XII, 1.
nostrum, ut neque ad dexteram, neque ad *Deut.* v, 32.
sinistram declinemus, ut in omnibus debitas virtutis circumstantias observemus.

Ad litteram vero dixit David hunc versum, Domino gratias referendo quod sibi modum pugnandi contra Philistæum ostendit seu inspiravit.

(2) *Misericordia mea et refugium meum.* 2
Ponit abstractum pro concreto, ad designandum ineffabilem magnitudinem divinæ pietatis circa se, seu miserationis divinæ sibi exhibitæ. Ait ergo : Misericordia mea, id est, Deus est miserator meus, mihi adeo clemens, ut melius eum appellem misericordiam meam, quam miseratorem meum. Ipse est etiam refugium meum, id est terminus fugæ meæ, videlicet is ad quem in omni necessitate confidenter confugio, in quo solo tota salus mea consistit. *Susceptor meus,* id est precum mearum pius auditor et animæ meæ misericors amplexator : qui venientem ad se corde *Ps.* L, 19.
contrito ac humili nunquam repellit nec despicit, sed ulnis clementiæ recipit. Unde per Osee dicit : Ego quasi nutricius porta- *Osee* XI, 3.
vi eos in brachiis meis. Et Moyses loquitur : Portavit te Dominus Deus tuus, sicut *Deut.* I, 31.
portare solet homo parvulum filium suum. *Et liberator meus* ab hostibus atque periculis. (3) *Protector meus* in adversis, *et in ipso speravi,* tanquam in summo bono, in quo solo finaliter est sperandum.

Qui subdit populum meum sub me. Hoc ad litteram dixit David de populo quorum vel erat vel paulo post futurus fuit princeps. Postquam Philistæum dejecit,

Digitized by Google

I Reg. XVIII, 5, 13, 14; II Reg. V, 2. constituit eum Saul super viros bellatores; eratque educens et reducens Israel, atque in omnibus se prudenter gerebat, ut scribitur primo et secundo Regum. Prælati quoque et principes Christianorum, qui populum sibi subjectum pacifice regunt, istud verissime dicere possunt, imo et debent, quia non suæ industriæ, sed gratiæ Dei adscribere obligantur quod eorum subjecti eis virtuose et prompte obediant : quoniam superiorum prudens gubernatio, et inferiorum bona subjectio, dona sunt
Job XXV, 2. Dei. De quo in libro Job habetur : Potestas et terror apud ipsum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Propter
Rom. XV, 5. quod ait Apostolus : Deus solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum. Aliqui vero subduntur suis prælatis etiam in rebus illicitis, sed istam subjectionem Deus non facit. Potius vero fit a timore humano aut propria cupiditate, aut dæmone, seu simili malo principio. Verumtamen, sicut Petrus in sua
I Petr. II, 18. Canonica docet, servi subditi esse debent dominis suis, et inferiores superioribus, non solum modestis et bonis, sed etiam dyscolis : non autem in omnibus, sed in licitis et honestis.

Spiritualiter quoque quilibet virtuosus dicere potest : *Qui subdit populum meum*, id est cogitationes, affectiones, et actus animæ meæ, *sub me*, id est sub rationis meæ imperio, ne inordinati motus et cogitatus mihi dominentur, sed per rationem refrenentur et exstirpentur. Sicque similis
Matth. VIII, 9. reddar fidelissimo illi centurioni, qui dixit huic, Vade, et ivit; et huic, Veni, et venit; et servo suo, Fac hoc, et fecit. Simili modo ego populo animæ meæ sic dominer, ut dicam huic cogitationi affectionive malæ, Vade, id est, recede a me, et vadat, nec diutius me pulset; et huic cogitationi et affectioni laudabili, Veni, id est, mane et esto in me, et veniat; et servo meo, id est appetitui meo sensitivo seu corpori, Fac hoc, scilicet jejunando, continendo, vigilando, et faciat.

Consequenter Propheta admirans inæstimabilia viscera misericordiæ Dei circa
totum genus humanum, adjungit : (4) *Do-* 3
mine, quid est homo, id est, cujus nobilitatis et perfectionis exsistit, *quia innotuisti ei* per fidem, per supernaturalem cognitionem, per tui ipsius incarnationem, gratiamque multiplicem? *aut* quid est *filius hominis*, id est Adæ seu primi parentis, *quia reputas eum*, id est, quod dignum ducis tantam gratiam ei conferre, quod tanta pro ejus redemptione fecisti? Quasi dicat : Tantæ dignitatis es tu, et tantæ vilitatis est homo, quod vehementer mirandum est quia sic ei innotuisti, et taliter eum reputasti. Hinc quoque sanctus Job ait : Quid est homo quia magnificas eum? Job VII, 17.
aut quid apponis erga eum cor tuum?
(5) *Homo vanitati similis factus est* peccan- 4
do. Peccatum enim est nihil et vanitas. Unde dum peccat homo, non solum vanus, sed etiam vanitas, id est vehementer vanus ac nihil efficitur. Deus autem fecit hominem Eccle. VII, 30. ab initio rectum; ipse vero per culpam fecit se ipsum vanitati consimilem. Itaque propter multiplicem fragilitatem, instabilitatem et culpam, dicitur homo vanitati similis factus. Unde supra dictum est : Ve- Ps. XXXVIII, 6. rumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. *Dies ejus sicut umbra prætereunt*, id est, cito et indesinenter defluunt atque deficiunt. Propter quod in primo libro Paralipomenon habetur : Peregrini sumus I Par. XXIX, 15. coram te, Domine; dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. In libro quoque Job ait quidam : Hesterni su- Job VIII, 9. mus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri super terram. Et sanctus Job orat : Parce mihi, Domine, nihil enim sunt Ibid. VII, 16. dies mei.

Deinde Propheta de Christi veri Dei in-
carnatione vaticinatus, subdit : (6) *Domine*, 5
Fili Dei, *inclina cœlos tuos*, id est, altitudinem tuam in cœlis habitantem exinanire seu humiliare digneris, *et descende*, non locum mutando, sed per incarnationem humanam naturam assumendo, inter homines conversando, te ipsum hominibus ostendendo. Hunc Dei descensum concupi-

Digitized by Google

est habitus virtuosos seu discretionem, *ad bellum* spirituale contra aerias potestates et ipsa peccata. Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. (*Ephes.* VI, 12.) Prælium autem proprie dicitur, quod de longinquo imminet atque committitur, sicut dum sagittando bellatur : idcirco per prælium intelligitur pugna animæ contra occasiones peccandi. Bellum vero vocatur, quod fit de propinquo, ut quum pugnatur manu ad manum : sicque per bellum exprimitur pugna quæ est directe contra ipsum peccatum.

Tunc insuper docet Deus manus nostras ad bellum, dum confert nobis discretionem spirituum, ita ut cum Apostolo dicere valeamus : Non ignoramus cogitationes Satanæ. (II *Cor.* II, 11.) Qui sic docentur a Deo, agnoscunt qualiter sit singulis vitiis resistendum. Quædam enim peccata aptius superantur per hoc, quod cogitationem nostram ab eis omnino avertimus, ut sunt gula, luxuria, atque similia. Cujus ratio est : nam quanto cogitatio illis diutius immoratur, tanto affectus magis illicitur, propter delectationem materiæ circa quam versantur, videlicet quoniam actus in quibus fundantur talia vitia, in se ipsis delectabiles sunt. Omnino ergo vitare debemus memoriam, adspectum et materiam eorum ex quibus talia oriuntur peccata. Cetera vero vitia superantur per hoc, quod contra ea bellum assumitur, scilicet discutiendo, et considerando diligenter naturam et qualitatem eorum, ut sunt ira, impatientia, amaritudo, invidia, etc. Talia enim in se amara atque pœnalia sunt : ideo quanto diligentius considerantur, tanto plus displicent, sicque facilius exstirpantur. Docet etiam Deus habitus virtutum quæ in nobis sunt, quomodo unaquæque obviet vitio sibi opposito ; prudentiam vero docet, ad repugnandum vitiis universis. Hæc autem docet, infundendo nobis dona Spiritus Sancti, quæ virtutes perficiunt, movent atque expediunt, sicut virtutes perficiunt et movent potentias in quibus subjective consistunt. Per donum namque scientiæ, anima edocetur quis sit compendiosior modus proficiendi in omni virtute : quod sciri non potest, nisi sciatur modus resistendi impedimentis spiritualis profectus. Quoniam vero contra invisibiles, expertissimos ac subtilissimos hostes luctamur, indigemus incessabiliter Dominum invocare : ut doceat manus nostras ad prælium, ut occasiones peccandi abscindamus ; et digitos nostros ad bellum, ut sit rationabile obsequium nostrum, (*Rom.* XII, 1.) ut neque ad dexteram, neque ad sinistram declinemus, (*Deut.* V, 32.) ut in omnibus debitas virtutis circumstantias observemus.

Ad litteram vero dixit David hunc versum, Domino gratias referendo quod sibi modum pugnandi contra Philistæum ostendit seu inspiravit.

(2) *Misericordia mea et refugium meum.* 2
Ponit abstractum pro concreto, ad designandum ineffabilem magnitudinem divinæ pietatis circa se, seu miserationis divinæ sibi exhibitæ. Ait ergo : Misericordia mea, id est, Deus est miserator meus, mihi adeo clemens, ut melius eum appellem misericordiam meam, quam miseratorem meum. Ipse est etiam refugium meum, id est terminus fugæ meæ, videlicet is ad quem in omni necessitate confidenter confugio, in quo solo tota salus mea consistit. *Susceptor meus,* id est precum mearum pius auditor et animæ meæ misericors amplexator : qui venientem ad se corde contrito ac humili nunquam repellit nec despicit, (*Ps.* L, 19.) sed ulnis clementiæ recipit. Unde per Osee dicit : Ego quasi nutricius portavi eos in brachiis meis. (*Osee* XI, 3.) Et Moyses loquitur : Portavit te Dominus Deus tuus, sicut portare solet homo parvulum filium suum. (*Deut.* I, 31.) *Et liberator meus* ab hostibus atque periculis. (3) *Protector meus* in adversis, *et in ipso speravi,* tanquam in summo bono, in quo solo finaliter est sperandum.

Qui subdit populum meum sub me. Hoc ad litteram dixit David de populo quorum vel erat vel paulo post futurus fuit princeps. Postquam Philistæum dejecit,

Digitized by Google

I *Reg.* XVIII, 5. 13, 14; II *Reg.* V, 2. constituit eum Saul super viros bellato- A
res; eratque educens et reducens Israel,
atque in omnibus se prudenter gerebat, ut
scribitur primo et secundo Regum. Prælati
quoque et principes Christianorum, qui
populum sibi subjectum pacifice regunt,
istud verissime dicere possunt, imo et debent, quia non suæ industriæ, sed gratiæ Dei adscribere obligantur quod eorum subjecti eis virtuose et prompte obediant: quoniam superiorum prudens gubernatio, et inferiorum bona subjectio, dona sunt
Job XXV, 2. Dei. De quo in libro Job habetur: Pote- B
stas et terror apud ipsum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Propter
Rom. XV, 5. quod ait Apostolus: Deus solatii det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum. Aliqui vero subduntur suis prælatis etiam in rebus illicitis, sed istam subjectionem Deus non facit. Potius vero fit a timore humano aut propria cupiditate, aut dæmone, seu simili malo principio. Verumtamen, sicut Petrus in sua
I *Petr.* II, 18. Canonica docet, servi subditi esse debent
dominis suis, et inferiores superioribus, C
non solum modestis et bonis, sed etiam dyscolis: non autem in omnibus, sed in licitis et honestis.

Spiritualiter quoque quilibet virtuosus dicere potest: *Qui subdit populum meum,* id est cogitationes, affectiones, et actus animæ meæ, *sub me,* id est sub rationis meæ imperio, ne inordinati motus et cogitatus mihi dominentur, sed per rationem refrenentur et exstirpentur. Sicque similis
Matth. VIII, 9. reddar fidelissimo illi centurioni, qui di-
xit huic, Vade, et ivit; et huic, Veni, et D
venit; et servo suo, Fac hoc, et fecit. Simili modo ego populo animæ meæ sic dominer, ut dicam huic cogitationi affectionive malæ, Vade, id est, recede a me, et vadat, nec diutius me pulset; et huic cogitationi et affectioni laudabili, Veni, id est, mane et esto in me, et veniat; et servo meo, id est appetitui meo sensitivo seu corpori, Fac hoc, scilicet jejunando, continendo, vigilando, et faciat.

Consequenter Propheta admirans inæstimabilia viscera misericordiæ Dei circa
totum genus humanum, adjungit: (4) *Do-* 3
mine, quid est homo, id est, cujus nobilitatis et perfectionis exsistit, *quia innotuisti ei* per fidem, per supernaturalem cognitionem, per tui ipsius incarnationem, gratiamque multiplicem? *aut* quid est *filius hominis,* id est Adæ seu primi parentis, *quia reputas eum,* id est, quod dignum ducis tantam gratiam ei conferre, quod tanta pro ejus redemptione fecisti? Quasi dicat: Tantæ dignitatis es tu, et tantæ vilitatis est homo, quod vehementer mirandum est quia sic ei innotuisti, et taliter eum reputasti. Hinc quoque sanctus Job
ait: Quid est homo quia magnificas eum? *Job* VII, 17.
aut quid apponis erga eum cor tuum?
(5) *Homo vanitati similis factus est* peccan- 4
do. Peccatum enim est nihil et vanitas. Unde dum peccat homo, non solum vanus, sed etiam vanitas, id est vehementer vanus ac
nihil efficitur. Deus autem fecit hominem *Eccle.* VII, 30.
ab initio rectum; ipse vero per culpam fecit se ipsum vanitati consimilem. Itaque propter multiplicem fragilitatem, instabilitatem et culpam, dicitur homo vanitati
similis factus. Unde supra dictum est: Ve- *Ps.* XXXVIII, 6.
rumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. *Dies ejus sicut umbra prætereunt,* id est, cito et indesinenter defluunt atque deficiunt. Propter quod in primo libro Pa-
ralipomenon habetur: Peregrini sumus I *Par.* XXIX, 15.
coram te, Domine; dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. In
libro quoque Job ait quidam: Hesterni su- *Job* VIII, 9.
mus, et ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri super terram. Et sanctus Job
orat: Parce mihi, Domine, nihil enim sunt *Ibid.* VII, 16.
dies mei.

Deinde Propheta de Christi veri Dei in-
carnatione vaticinatus, subdit: (6) *Domine,* 5
Fili Dei, *inclina cœlos tuos,* id est, altitudinem tuam in cœlis habitantem exinanire seu humiliare digneris, *et descende,* non locum mutando, sed per incarnationem humanam naturam assumendo, inter homines conversando, te ipsum hominibus ostendendo. Hunc Dei descensum concupi-

Digitized by Google

Is. LXIV, 1. vit Isaias, dicens : Utinam dirumperes cœlos, et descenderes. Unde per cœlos intelligi possunt cœli materiales, præsertim cœlum empyreum : quos dicitur Deus inclinare sive dirumpere, non localiter neque realiter, sed per similitudinem quamdam. Loquitur enim Scriptura de Deo modo humano. Homo autem, in loco sublimi nullam aperturam habente exsistens, non valet descendere, nisi locus inclinetur aut dirumpatur. Idcirco rogatur Deus cœlos inclinare atque dirumpere. Vel sic : *Domine, inclina cœlos tuos,* id est, angelos sanctos, civesque cœlestes, depone et mitte ad nos, *et descende,* id est, gratiam et misericordiam infundendo veni ad me. Utroque modo Christus descendit. Carnem enim assumpsit, et misericordiæ suæ effectum nobis impendit.

Tange montes, id est superbos, se ipsos inaniter erigentes per vindictam ; *et fumigabunt,* id est dissolventur et corrumpentur, quemadmodum candela dum exstincta fuerit, fumigat. Vel, Tange montes istos per misericordissimam gratiæ infusionem, et fumigabunt, id est, lacrimas pro suis excessibus fundent, gement, et ad
6 cœlestia suspirabunt. (7) *Fulgura coruscationes,* id est, terribiles exerce ultiones ; *et dissipabis eos,* id est, superbos confringes et condemnabis. Vel : *Fulgura,* id est, evidenter emitte, *coruscationes,* id est miracula et verba sanctæ prædicationis ignita ac splendida ; *et dissipabis eos,* id est, superbos a sua elatione disperges, convertes et immutabis, faciendo humiles de elatis, parvos de magnis. *Emitte sagittas tuas,* id est comminationes horribiles, commemorando per sanctos prædicatores districtionem futuri judicii ac pœnas inferni ; vel, Sagittas, id est pœnas castigatorias ; *et conturbabis,* id est terrebis, *eos* ad pœnitentiam salutarem. Talia namque audiendo impii convertuntur.

Ad litteram, David oravit ut Deus ad
I Reg. XVII, 45-47. ipsum descenderet, sibi adstando et victoriam præstando adversus Goliath. *Tange montes,* id est Philistæos superbos, per vindictam, *et fumigabunt,* id est deficient, prout de impiis ab Isaia dicitur : Radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet. Nam et Philistæi, occiso suo gigante, fugerunt. Is. V, 24. I Reg. XVII, 51.

Deinde vir justus divinum auxilium po-
stulans, subdit : (8) *Emitte manum tuam* 7
de alto, id est, de cœlo mitte mihi subsidium, tuamque potestatem extende super me ; *eripe me et libera me de aquis multis,* id est ab hominibus malis, a tribulationibus variis, a dæmonum tentamentis. Per aquas enim interdum populi designantur, juxta illud : Aquæ quas vidisti, populi sunt. Interdum vero per aquam tribulatio importatur, sicut quum a Jeremia dicitur : Inundaverunt aquæ super caput meum. *Et de manu filiorum alienorum,* id est hominum perversorum ac dæmonum : qui per naturam sunt filii Creatoris, tanquam ad ejus similitudinem conditi ; per inobedientiam autem sunt filii iniquitatis : suntque alieni a Deo, et nesciuntur ab eo. Apoc. XVII, 15. Thren. III, 54.
(9) *Quorum os locutum est vanitatem,* id 8
est vana consilia, verba iniqua, *et dextera,* id est potestas *eorum,* est *dextera iniquitatis,* id est origo et causa peccati. Potestate enim sibi divinitus præstita abutuntur, exhibentes vires seu membra sua servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, sicut Apostolus dicit. Rom. VI, 19.

Quoniam vero de his malis misericordi-
ter eripuisti me, Domine, ideo, o (10) *Deus,* 9
canticum novum, id est laudem recentem, ex recenti devotione prodeuntem, *cantabo tibi,* gratias referendo ; *in psalterio decachordo,* id est decem chordas habente, videlicet in spirituali psalterio, quod est observatio præceptorum Decalogi, *psallam tibi :* id est, laudabo te, non solum pulchris sermonibus, sed etiam sanctis operibus, ne inter eos computer de quibus testatus es : Populus iste labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. Is. XXIX, 13. Matth. XV, 8.
(11) *Qui das salutem regibus,* id est victo- 10
riam principibus. Unde Salomon loquitur : Equus paratur ad prælium ; Dominus autem salutem tribuit. Et iterum Sapiens Prov. XXI, 31.

Prov. VIII, 15, 16. protestatur : Per me reges regnant, et A
principes imperant. Vel : Qui das salutem,
id est veram prosperitatem seu felicitatem,
regibus, id est omnibus sensualitati
suæ ac proprio animo dominantibus, quorum
ratio regit omnes vires inferiores.
Qui redemisti David servum tuum de ore
I Reg. XVII, 34-36. leonis et ursi, quos occidit, *de gladio ma-*
11 *ligno,* scilicet Goliath, *eripe me.* (12) *Et*
erue me de manu filiorum alienorum, scilicet
Philistæorum. Iste est sensus litteralis.
— Spiritualiter sic : *Qui redemisti*
David, id est fidelem per gratiam manu B
fortem, et virtutibus speciosum, *servum*
tuum, de gladio maligno, id est ab omni
persecutione injusta, *eripe me. Et erue me*
de manu filiorum alienorum, etc. Iste versiculus
modo expositus est.

Et quoniam reprobi frequenter in hoc
sæculo prosperantur in propria persona,
in prole, in possessionibus (juxta illud :
Jer. XII, 1, 2. Justus es, Domine, si disputem tecum ;
verumtamen justa loquar ad te : Quare
via impiorum prosperatur, et bene est
omnibus qui prævaricantur? plantasti eos, C
et proficiunt), ideo de eis subjungitur :
12 (13) *Quorum filii* sunt *sicut novellæ plan-*
tationes, id est fortes, sani, pulchri atque
jucundi, *in juventute sua.* (14) *Filiæ eo-*
rum compositæ sunt, non moribus virtuosis,
sed sæcularibus honestatibus, *circum-*
ornatæ in vestibus et ceteris ornamentis,
ut similitudo templi, id est tantum, quod
similes sunt templo undique perornato ;
vel, Ut similitudo templi, id est, sicut
ornatur imago seu statua in templo loca-
13 ta. (15) *Promptuaria eorum plena* omni ge- D
nere victualium, *eructantia,* id est affluentia,
ex hoc in illud : quia plenitudine
unius aliud adimpletur. (16) *Oves eorum*
fœtosæ, id est, prole seu fœtibus plenæ
sunt, *abundantes* numero fœtuum, puta
agnorum, *in egressibus suis* ex ovili, ita
quod cum magna multitudine agnorum
14 egrediuntur ad pascua; *boves eorum cras-*
sæ. Per hæc autem signatur aliorum brutorum
affluentia. (17) *Non est ruina mace-*
riæ, id est casus parietis, *neque transitus*
adversitatis, seu inimicorum occursus, *ne-*
que clamor, id est planctus seu vociferatio
dolorosa, *in plateis,* id est in locis seu
habitationibus *eorum;* sed in omnibus bene
eis succedit, et domus eorum firmæ et
fortes sunt.

Porro hæc omnia plenissime scripta
sunt, ubi sanctus Job ait : Numquid con- *Job* XXI, 4, 7-12.
tra hominem disputatio mea est, ut merito
non debeam contristari? Quare ergo impii
vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?
Semen eorum permanet coram eis,
propinquorum turba et nepotum in conspectu
eorum. Domus eorum securæ sunt
et pacatæ, et non est virga Dei super eos.
Bos eorum concepit et non abortivit; vacca
peperit. Egrediuntur quasi greges parvuli
eorum ; tenent tympanum et citharam, et
gaudent ad sonitum organi.

(18) *Beatum dixerunt* homines excæcati, 15
carnales, sola temporalia considerantes,
populum cui hæc sunt, id est, qui prædictis
terrenis prosperitatibus florent. Quum
enim non nisi bona præsentis vitæ quærant,
tanto alios magis beatificant, quanto
viderint eos in talibus amplius abundare.
Unde dicunt : Ergo nunc beatos dicimus *Malach.* III, 15.
arrogantes; siquidem ædificati sunt facientes
impietatem.

Verumtamen, sicut non omnes infelices
et reprobi sunt, qui in prædictis terrenis
bonis abundant et abundaverunt (certum
est enim quod Abraham, Isaac, Jacob, Gedeon,
David et alii sancti, ditissimi erant,
multosque filios habuerunt) : sic non omnes
perversi et reprobi prædictis bonis
abundant; imo multi eorum mendici atque
pauperrimi fuerunt et sunt. Non ergo
universaliter, sed particulariter intelligenda
sunt præinducta verba Prophetæ. Sunt
enim aliqui reprobi, qui non solum in futuro,
sed etiam in præsenti miseri sunt, tam
in spiritualibus, quam in corporalibus. Denique,
sicut electis non obest temporalium
affluentia, eo quod non afficiantur ad ea
inordinato affectu, sed solum eis utantur
quantum necesse est aut utile ad propriæ
vitæ sustentationem, seu aliam rationabi-

Digitized by Google

lem causam, omnia ad Dei honorem finaliter referendo, Deumque super omnia diligendo; sic reprobis non prodest temporalium rerum carentia, quoniam non sponte, sed coacte seu invite talibus carent. Rebus namque caducis adhærent finaliter, et bona creata plus amant quam summum bonum, quod est bonum essentialiter. Igitur inter bonos et malos hoc interest, quod boni utuntur creaturis, mali vero eis fruuntur. Boni enim utuntur eis tanquam mediis seu instrumentis perveniendi ad Deum; mali autem constituunt sibi finem in eis, adhærentes et inhærentes creaturis magis quam Creatori. Propter quod in libro Sapientiæ legitur : Creaturæ Dei factæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium. Id enim quod amabilitatis, suavitatis, delectationis et pulchritudinis in creaturis invenitur, non ordinant ad Creatoris amorem atque honorem seu cultum, sed sistunt in rebus creatis.

Sap. XIV, 11.

Cur ergo Propheta hæc dixit de prosperitate malorum? nisi quoniam justo Dei judicio, sæpe permittuntur in hoc sæculo prosperari, quatenus eorum damnatio appareat justior, vel ut bonorum quæ forte fecerunt, mercedem in hoc mundo recipiant; et ne homines boni turbentur, dum impios prosperari in transitoriis intuentur, imo transitoria spernant, quæ vident reprobis dari ad damnationem eorum majorem; sed neque mirentur dum cernunt justos affligi, atque in omnibus aspera pati, pensantes quod per talia a reatu vitiorum purgantur, vel præmia copiosiora adipiscuntur.

Postremo, quasi interrogaremus sanctum Prophetam, beatissimum David, quid ipse ad opinionem horum responderet, qui beatum dixerunt populum cui hæc sunt : ipse ostendens falsam et frivolam esse talium opinionem, et veram beatitudinem non nisi in Dei fruitione seu possessione consistere, addit : *Beatus populus cujus Dominus Deus ejus :* id est, ego beatum esse definio omnem hominem, qui habet Dominum universorum pro Deo suo, ita quod Dominus est Deus ejus, non aurum, non venter, non Venus, nec quidquam creatum, caducum et vanum. Deus autem uniuscujusque id dicitur, quod ab eo magis amatur et colitur. Illorum ergo Dominus est Deus, qui Deum præ omnibus diligunt, venerantur seu colunt, qui ad Deum omnia referunt, qui omne bonum in eo quærunt atque inveniunt, quorum tota spes Deus est, et totum spiritum suum ad ejus dilectionem convertunt. Talis homo, talisque populus est beatus, nunc per spem et gratiam, postmodum vero beatus erit per rem, seu tentionem et gloriam.

Ecce psalmum veraciter gloriosum atque præclarum audivimus : psalmum utique laudibus plenum, morali doctrina præfulgidum. In cujus exordio Deum pro suis beneficiis devote laudamus, eumque nominibus amorosis exprimimus, appellantes eum, Misericordiam nostram, et, Refugium nostrum, etc., quæ sunt verba affectuosissima : quæ nullatenus proferre debemus, nisi ardenti affectu. Docet nos etiam psalmus iste veram atque præcipuam humilitatem, dum hominem divina illuminatione indignum, vanitatique similem, et tanquam umbram præterire testatur. Multaque alia tanguntur et edocentur in psalmo hoc ipso.

PRECATIO.

Emitte, quæsumus, Domine, manum tuam de alto cœlorum, et erue nos de manu visibilium et invisibilium inimicorum, et de omnibus periculis malorum : ut cunctis sopitis adversitatibus, canticum victoriæ tibi Domino Deo exsultantes cantemus.

Digitized by Google

ARTICULUS LXII

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI QUARTI : EXALTABO TE, DEUS MEUS REX.

EXPLANANDI nunc psalmi iste est titu- A
1 lus : *Laudatio ipsi David:* id est, psalmus
iste qui dicitur laudatio, quoniam totus
pertinet ad Dei præconium, convenit seu
attribuitur ipsi David prophetæ tanquam
auctori, Christo autem significato per Da-
vid, sicut objecto quod laudatur. Christus
namque seu tota supersancta Trinitas, in
psalmo præsenti pulcherrime collaudatur.
Unde etiam huic psalmo pro titulo appro-
priatur laudatio Dei, quamvis in aliis mul-
tis psalmis Deus laudetur. Est autem hic
psalmus mirabiliter delectabilis et suavis, B
pulcher et sententiosus.

IN persona ergo Ecclesiæ seu fidelis De-
um laudantis, loquens Propheta, ita ex-
orsus est : (1) *Exaltabo te, Deus meus rex.*
Quum Deus in summo sit, imo altissimus
et infinitus exsistat, quomodo valet ab ho-
mine exaltari ? Numquid creatura aliquid
poterit conferre aut addere Creatori ? Non
utique ; sed ita dicimur Deum exaltare,
quomodo dicimur eum magnificare, glori-
ficare et sanctificare, videlicet quoniam C
ejus magnitudinem, gloriam, sanctitatem
agnoscimus, profitemur, prædicamus et
veneramur. Itaque, *Exaltabo,* id est, su-
blimiter laudabo, reverentialiter colam,
magnifice prædicabo, et cunctis incompa-
rabiliter præferam, *te,* Domine, *Deus meus
rex :* qui es omnium Dominus per genera-
lem præsidentiam, Deus meus per singu-
larem devotionem, et rex meus per indesi-
nentem et gratiosissimam providentiam. *Et
benedicam nomini tuo,* id est tibi, bene-
dictione gratiarum actionis et laudis, non D
benedictione consecrationis, *in sæculum
et in sæculum sæculi,* id est indesinenter,
scilicet in via atque in patria. Quemadmo-
dum enim caritas nunquam excidit, se- I Cor. XIII,
cundum Apostolum : sic benedictio seu 8.
Dei laudatio nunquam cessat ; imo jam
inchoatur, et in futuro perficitur.
(2) *Per singulos dies,* id est quotidie, 2
imo die ac nocte, videlicet per singulos
dies naturales, qui noctem includunt, *be-
nedicam tibi* in adversis et prosperis, in
omni eventu, pro beneficiis quæ mihi aut
aliis contulisti; et de omni bono quod fi-
eri video aut percipio, tibi benedicturus
sum, a quo omne bonum procedit. *Et lau-
dabo nomen tuum in sæculum, et in sæ-
culum sæculi :* quemadmodum et alibi
scriptum est, Laudabit usque ad mortem Eccli. LI, 8.
anima mea Dominum. Ecce quam sanctum
ac bonum propositum. Asserit Propheta
se die et nocte jugiter atque perpetue Do-
mino benedicturum. Nos ergo agamus quod
psallimus, impleamus quod dicimus, per-
sequamur quod proponimus ; Deum exal-
temus, benedicamus, laudemus ubique et
semper. Si spernimur, si tentamur, si re-
probamur, et quidquid nobis acciderit,
non recedat a corde, non cesset ab ore
divina laudatio, gratiarum actio, benedi-
ctio ; non frangatur animi fortitudo, nec
desistat mentis ad Deum erectio ; non fati-
getur patientia, neque deficiat tranquillitas
interna.
Deinde subjungitur ratio, cur Deus ta-
liter benedicendus atque laudandus sit.
(3) *Magnus Dominus,* non magnitudine mo- 3
lis, sed perfectionis. In omni enim perfe-
ctione summus consistit. Propter quod alio
loco dictum est : Magnus es tu, et ma- Jer. X, 6, 7.
gnum nomen tuum in fortitudine. Quis
non timebit te, o Rex gentium ? *Et lauda-
bilis nimis.* In tantum namque laudabilis
est Deus omnipotens, quantum bonus ex-

Digitized by Google

sistit. Unde, sicut bonitas ejus omnium A
creaturarum bonitatem incomparabiliter
vincit atque transcendit, sic incomparabi-
liter laudabilior, majorique laude dignus
est, quam ab aliqua creatura possit lau-
dari. Propter quod in Ecclesiastico legi-
Eccli. XLIII, 31-33. tur : Magnus Dominus vehementer. Glo-
rificate eum quantumcumque poteritis,
supervalebit adhuc : major est enim omni
laude. *Et magnitudinis ejus non est finis.*
Divina enim essentia, divina potentia, di-
vina sapientia, omnisque perfectio Dei, ve-
re et absolute seu intensive infinita est, ita B
Is. XL, 15. quod totum universum est velut minutis-
sima arena, respectu majestatis divinæ.
Idcirco cum omni reverentia, cum omni
diligentia, cum omni affectu ministran-
dum est Domino tam excelso. Hinc quo-
que verissime dictum est, quod Deus est
ante omnia non solus, post omnia non
præventus, supra omnia non elatus, infra
omnia non oppressus, intra omnia non
inclusus, extra omnia non exclusus ; ma-
nens in sua superessentiali simplicitate,
æternaliter, incircumscriptibiliterque sub- C
sistens ; et ejus lætitia, ejus dulcedo et
pax, ejusque felicitas omnino et omnimo-
de est immensa.
4 (4) *Generatio et generatio,* id est quæli-
bet fidelium natio seu congregatio, *lauda-
bit opera tua,* videlicet opera naturæ, opera
gratiæ, opera gloriæ. Quis enim non lau-
det gubernationem mundi, motum cœli,
vicissitudinem temporum, ordinem spe-
cierum? Et cetera opera sapientissimi Cre-
atoris omni laude dignissima sunt : sic
tamen, ut Deus in eis laudetur, lausque D
eorum ad præconium Creatoris referatur.
Prov. XVI, 4. Universa equidem propter se ipsum ope-
Eccle. III, 14. ratus est Dominus, et cuncta fecit Deus ut
timeatur. *Et potentiam tuam pronuntia-
bunt,* id est, divinam potestatem prædica-
bunt, teque omnipotentem esse dicent,
II Mach. VIII, 18. commemorantes illud Machabæorum : De-
us potest universum mundum uno nutu
5 delere. (5) *Magnificentiam,* id est magnam
efficientiam seu magnificam exsistentiam,
gloriæ, id est gloriosi effectus (vel, Gloriæ,
id est excellentiæ seu claræ notitiæ), *san-
ctitatis tuæ,* id est tui ipsius qui Sanctus
Sanctorum es, *loquentur,* dicentes : Non Deut. XXXIII, 26.
est Deus, ut Deus rectissimus; magnificen-
tia ejus discurrunt nubes. Illud Job quo-
que : Quum vix parvam stillam sermonum Job XXVI, 14.
ejus audierimus, quis poterit tonitruum
magnitudinis ejus intueri? Et item illud :
Benedicta gloria Domini de loco suo. *Et* Ezech. III, 12.
mirabilia tua, id est opera supernaturalia,
seu naturalia humanæ rationis investiga-
tionem excedentia, *narrabunt.* Sic enim
Evangelistæ in Evangeliis narrant mirabi-
lia opera Christi. Unde ab Ecclesiastico
inducitur : Nonne Dominus fecit Sanctos Eccli. XLII, 17.
enarrare omnia mirabilia sua, quæ con-
firmavit Dominus omnipotens, stabilis in
gloria sua? (6) *Et virtutem,* id est poten- 6
tiam, *terribilium tuorum,* videlicet ju-
storum judiciorum, ac districtissimarum
ultionum, *dicent,* recolendo futurum judi-
cium, inferique tormentum; *et magnitu-
dinem tuam,* id est magnam tuam perfe-
ctionem, *narrabunt :* ut te collaudent,
aliosque informent.
(7) *Memoriam abundantiæ suavitatis* 7
tuæ eructabunt, id est, recordationem co-
piosæ dulcedinis tuæ ex cordis plenitudi-
ne et experientia proferent atque effun-
dent. Ructus enim non nisi de plenitudine
fluit. Sancti igitur, qui ex singulari gratia
Salvatoris introduci merentur in cellam Cant. II, 4.
vinariam : quibus Sapientia ait, Comedite, Ibid. V, 1.
amici, et bibite, et inebriamini, carissi-
mi ; dum isti de secreto contemplationis
divinæ et consolationis internæ, in quo gu-
staverunt quam suavis est Dominus, egre- Ps. XXXIII, 9.
diuntur, memoriam abundantiæ suavitatis
Dei eructant, clamantes illud quod dictum
est ante : Quam magna multitudo dulce- Ps. XXX, 20.
dinis tuæ, Domine! et illud Sapientiæ :
O quam bonus et suavis est, Domine, spi- Sap. XII, 1.
ritus tuus in omnibus! De istis enim per
Isaiam Dominus ait : Ecce ego declinabo Is. LXVI, 12.
in eos ut flumen pacis. Hæc autem perfe-
ctio seu eructatio, secundum Gregorium,
maxime convenire debet prælatis, quos
oportet præ cunctis contemplatione esse

Digitized by Google

suspensos, et actione præcipuos, quatenus gregi sibi commisso semper aliquid salubre eructent, eosque ad divinæ suavitatis gustum alliciant. *Et justitia tua exsultabunt,* id est, in tua æquitate divina seu justa vindicta spiritualiter lætabuntur, quemadmodum supra dictum est : Lætabitur justus quum viderit vindictam. (Ps. LVII, 11.) De hoc enim quod Dominus justus est, et omnia juste disponit, singulisque sine personarum acceptione quod merentur largitur, (Sap. XII, 13.) gaudent electi et sancti : imo mallent se ipsos non esse seu perire, quam ita non esse, eo quod Deum plus ament quam se. Propterea superius habetur : Videbunt justi et lætabuntur, videlicet de sublatione impiorum. (Ps. CVI, 42.)

8 (8) *Miserator* in opere *et misericors* in natura est *Dominus ; patiens,* longanimiter exspectando, juxta illud, Omnipotens est patiens redditor ; (Eccli. V, 4.) *et multum,* id est inæstimabiliter, *misericors :* imo infinitæ misericordiæ est Deus, quum ei sit proprium misereri et parcere. Abundantia enim pietatis suæ et merita supplicum excedit et vota. Ideo Moyses dixit : Dominator Domine, misericors et clemens, patiens et multæ misericordiæ et verax. (Exod. XXXIV, 6.) Apostolus quoque : Deus, inquit, qui dives est in misericordia, etc. (Ephes. II, 4.)

9 (9) *Suavis Dominus universis.* Numquid reprobis in inferno Deus suavis est, qui præ dolore et vulneribus linguas suas manducant, mortem desiderant, Deumque blasphemant, sicut in Apocalypsi ait Joannes? (Apoc. IX, 6; XVI, 10, 11.) Et respondendum, quod Deus, quantum in se est, omnibus exstat suavis. Denique universis dicitur Deus esse suavis, quantum ad naturalem appetitum eorum. Sic enim dat omnibus esse et vivere, cunctisque providet, et necessaria tribuit. Quod autem quibusdam (teste Apostolo) severus esse censetur, (Rom. XI, 22.) contingit ex corruptione et vitio appetitus, sicut et febricitanti dulcia videntur amara. Unde, secundum Philosophum, omnium rerum naturalia desideria tendunt ad primum principium, quatenus ab eo gubernentur et conserventur.

A Hinc etiam Sapientia dicitur omnia disponere suaviter, (Sap. VIII, 1.) id est secundum naturalem inclinationem eorum, nisi obicem ponant. Propter culpam namque disponuntur amaritudinaliter, juxta illud : Cor nequam gravabitur doloribus, et cor durum male habebit in novissimo. (Eccli. III, 29, 27.)

Et miserationes ejus super omnia opera ejus. Quum multi sint vocati seu reprobi, pauci vero electi ; (Matth. XX, 16.) in reprobis autem præcipue in inferno exsistentibus, magis appareat justitia quam misericordia Dei (nam B licet in omni effectu divino misceantur misericordia et justitia, tamen in damnatis justitia eminet, maxime quum de impio dictum sit, Obliviscatur ejus misericordia) (Job XXIV, 20.) : quæri potest, quomodo miserationes Dei sunt super omnia opera ejus. Et respondendum, quod istud dupliciter intelligi potest. Primo sic : *Miserationes ejus,* id est divinæ pietatis effectus, *super omnia opera ejus,* id est, ad omnem se creaturam extendunt, omnibus communicantur et insunt. Hoc autem simpliciter et generaliter C verum est. Nil enim divinæ bonitatis participatione expers consistit : sed effusio liberalitatis divinæ ad omnia venit, quantum ad naturalia dona; in damnatis etiam miseris invenitur, dum citra condignum torquentur. Hinc Christus testatur : Eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos ; (Luc. VI, 35.) quia solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. (Matth. V, 45.) Secundo intelligitur sic : Miserationes ejus super omnia opera ejus : id est, effectus divinæ mise- D ricordiæ, majores et evidentiores sunt ceteris Dei operibus, utpote quod plus abundant in creaturis, quam effectus divinæ justitiæ, juxta illud Jacobi : Superexaltat misericordia judicium. (Jacob. II, 13.) Si autem hoc modo intelligatur, non videtur verum esse, nisi quantum ad viatores. Si enim justi sunt, hoc per solam gratiam et misericordiam Dei habent : si vero injusti sunt, per misericordiam tolerantur ; et quamdiu exspectantur a Deo, miseratio Dei in eis præfulget.

Digitized by Google

Insuper sanctus Propheta seu quilibet A
III *Reg.* xix, 10. justus, zelo zelans pro Domino exerci-
tuum, ejusque honorem vehementer affe-
ctans, invitat universa creata ad laudem
10 Dei, dicendo : (10) *Confiteantur* confessio-
ne laudis *tibi, Domine, omnia opera tua,*
id est cuncta creata, visibilia et invisibi-
lia, spiritualia et corporalia, animata et
inanimata, rationalia et irrationalia. Ratio-
nales autem seu intellectuales creaturæ
confitentur Domino creatori directe et co-
gnitive. Cetera vero non nisi materialiter,
secundario seu indirecte, in quantum oc- B
casionem præbent intellectualibus creatu-
ris confitendi Domino. Relucet quippe in
ipsis bonitas, sapientia, atque potentia
Dei : sicque ex consideratione eorum in-
ducitur homo ad summi Opificis laudem.
Et hoc modo dicuntur Deum laudare, be-
nedicere, timere, et similes actus vitales
habere. *Et sancti tui,* id est homines vir-
tuosi et perfecti, quales fuerunt Apostoli,
et successores eorum, *benedicant tibi,* te
in omnibus, tam in te ipso quam in ope-
ribus tuis, laudando. C
11 (11) *Gloriam regni tui dicent,* id est, ex-
cellentiam et beatitudinem regni cœlestis
prædicabunt. Hoc fecerunt Apostoli, qui-
Matth. x, 7. bus Christus dixit : Euntes prædicate, di-
centes, Quia appropinquavit regnum cœlo-
Rom. viii, 18. rum. Hoc fecit Paulus: Non sunt, inquiens,
condignæ passiones hujus temporis ad
futuram gloriam, quæ revelabitur in no-
bis. Unde et Petrus in sua Canonica loqui-
I *Petr.* i, 8. tur : Videntes Jesum Christum, exsultabi-
tis lætitia inenarrabili et glorificata. Istud
quoque quotidie faciunt boni prælati et D
prædicatores devoti. *Et potentiam tuam*
Luc. i, 37. *loquentur,* dicentes : Quia non erit impos-
12 sibile apud Deum omne verbum. (12) *Ut*
notam faciant filiis hominum, scilicet fra-
tribus et proximis suis, *potentiam tuam :*
Esther xiii, 9. cui nullus resistere potest; cujus in ditio-
ne cuncta sunt posita ; quæ omnes super-
Is. xxiv, 22. bos et impios congregabit congregatione
unius fascis, et projiciet humiliabitque eos
usque ad lacum gehennæ, humiles vero
exaltabit. *Et gloriam magnificentiæ regni*
tui dicent, id est magnificam gloriam re-
gni cœlestis. De quo subditur :
(13) *Regnum tuum, regnum omnium* 13
sæculorum, id est, per omnia sæcula durat.
In Ecclesia namque triumphanti sine fine
regnabis. Vel sic : Regnum tuum, regnum
omnium sæculorum, id est, omnibus re-
gnis, quæ unquam fuerunt, sunt, vel erunt,
excellentius est. Hoc autem exponi etiam
posset de regno Christi, quo regnat in Ec-
clesia militanti, quod juxta vaticinia Da- *Dan.* ii, 44, 45.
nielis, majus et fortius fuit omnibus regnis
aliorum regum et principum. *Et domina-*
tio tua in omni generatione et generatio-
ne, id est, tuæ dominationi omnes genera-
tiones subduntur. Omnibus enim imperas,
et in bonis dominaris in hac vita per
gratiam, in Beatis vero per gloriam. Hæc
autem etiam apud Danielem habentur :
Potestas ejus potestas sempiterna, et re- *Ibid.* iv, 31.
gnum ejus in generationem et generati-
onem. Specialiter vero de Christo apud
eumdem dicitur : Omnes populi, tribus et *Ibid.* vii, 14.
linguæ servient ei. Potestas ejus potestas
æterna quæ non auferetur, et regnum ejus
quod non corrumpetur. Cui concordat il-
lud : Regnabit in domo Jacob in æternum, *Luc.* i, 32, 33.
et regni ejus non erit finis. Quod de præ-
senti regno Christi accipi potest, quoniam
usque in finem sæculi Ecclesia stabit, et
Christus in ea regnabit; quumque finitum
fuerit regnum hoc, quoad statum hujus
viæ, perficietur, et sine fine durabit in
patria.
(14) *Fidelis Dominus in omnibus verbis*
suis, quoniam quidquid dicit aut spondet,
verum est atque impletur, dummodo abso-
lute dicatur. Quædam namque dicuntur a
Deo comminative seu conditionaliter, quæ
non semper implentur, sicut de morte *Is.* xxxviii, 1, 5.
Ezechiæ : et tamen in talibus verbis Deus
fidelis est, quoniam eo modo quo ipse ea
dicit, vera sunt atque implentur. Hinc
Christus testatur : Unus apex non præter- *Matth.* v, 18.
ibit de lege, donec omnia fiant. Et iterum
dicit : Cœlum et terra transibunt, verba *Luc.* xxi, 33.
autem mea non transibunt. Dicitur autem
Deus fidelis, non a fide, quæ est virtus

Digitized by Google

theologica, Deo non competens, imo nec A
Christo homini, sed a quadam fidelitate
qua neminem decipit. Sicque Apostolus
Hebr. x, 23. nominat eum fidelem, Fidelis est, inquiens,
I Cor. x, 13. qui repromisit; et alibi, Fidelis autem
Deus, qui non patietur vos tentari, etc. *Et
sanctus in omnibus operibus suis.* Omnia
enim juste fecit, nec reprehendi potest in
Job xxxvi, 23. aliquo, sicut ait Scriptura : Quis ei dicere
potest, Operatus es iniquitatem? Et Apo-
Rom. xiii, 1. stolus dicit : Quæ a Deo sunt, ordinata
sunt.

14 (15) *Allevat Dominus omnes qui corru-* B
unt. Quam multi corruunt, quos Deus non
allevat! ut patet de reprobis qui manent in
culpa et pœna æterna. Quid ergo est quod
ait, Allevat Dominus omnes qui corruunt,
nisi, Omnes corruentes in culpam, qui al-
levantur, a Domino allevantur? Solus enim
Deus lapsum in peccatum, per gratiam al-
Joann. i, 9. levat. Simili modo dicitur de Christo: Erat
lux vera quæ illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum ; non quod
omnes homines a Christo illuminentur,
Ibid. 5, 11. quum statim sequatur, Tenebræ eam non C
comprehenderunt, et, Sui eum non recepe-
runt : nisi intelligatur de lumine naturali.
Et erigit per gratiam *omnes elisos,* id est
in malum prolapsos. Idem est hoc cum eo
quod dixit, Allevat Dominus omnes qui
corruunt. Propter quod idem est modus
intelligendi.

15 (16) *Oculi omnium in te sperant, Domi-
ne.* Si spes proprie accipiatur, tunc istud
non convenit nisi homini viatori in Deo
speranti, ut sit sensus : *Oculi* interiores
omnium fidelium et bonorum, *in te spe-* D
rant, Domine, omne bonum præstolando a
te; *et tu das escam illorum* spiritualem
et corporalem, videlicet panem quotidia-
num, sacramentalem, pœnitentialem, *in
tempore opportuno,* id est hora convenien-
ti. Si autem sumatur spes metaphorice
atque communiter pro quacumque exspe-
ctatione, seu naturali affectione boni fu-
turi ; tunc oculi omnium animantium,
rationalium et irrationalium, sperant in
Domino, id est, bonum suæ sustentationi
atque naturæ necessarium, exspectant ab
eo, naturali motu, quia habere non pos-
sunt escam nisi a Deo, cui cura est de Sap. xii,
omnibus. (17) *Aperis tu manum tuam,* id 13; I Petr. v, 7.
est, bonitatem tuam effundis, *et imples* 16
omne animal benedictione, id est dono si-
bi necessario, scilicet cibo. Si autem per
omne animal intelligatur omnis homo,
qui etiam nominatur omnis creatura, tunc Marc. xvi,
sensus est : Imples omne animal, id est 15.
omnem hominem, cujus oculi sperant in
te, benedictione, id est gratiæ tuæ colla-
tione : quemadmodum ait Apostolus, Be- Ephes. i, 3.
nedictus Deus, qui benedixit nos in om-
ni benedictione in cœlestibus in Christo
Jesu. Et Dominus per Isaiam, Effundam, Is. xliv, 3.
inquit, benedictionem meam super stir-
pem tuam.

(18) *Justus Dominus in omnibus viis suis,* 17
id est in cunctis quæ agit, in omni dispo-
sitione, in omni processu, in se ipso atque
in suis effectibus : secundum quod scri-
ptum est, Justæ et veræ sunt omnes viæ Apoc. xv, 3.
tuæ, Rex sæculorum; et iterum, Non inju- Hebr. vi,
stus est Deus, ut obliviscatur operis ve- 10.
stri. Verumtamen, sicut prædictum est,
Universæ viæ Domini, misericordia et ve- Ps. xxiv,
ritas, seu æquitas. Quum enim in omni 10.
opere Dei misericordia atque justitia in-
veniantur, utrumque verissime dicitur, sci-
licet, Justus Dominus in omnibus viis suis;
et, Misericors Dominus in omnibus viis
suis. Hoc autem superius sæpe declaratum
recordor. *Et sanctus in omnibus operibus
suis.* Hoc paulo ante expositum est.

(19) *Prope est Dominus* per gratiam *om-* 18
nibus invocantibus eum, id est intus seu
ex intimo affectu vocantibus eum, qui
ejus misericordiam pie implorant. Ideo
subditur : *omnibus invocantibus eum in
veritate,* id est in vera fide. Accedentem Hebr. xi, 6.
enim ad Deum oportet credere quia est,
et quia inquirentibus se remunerator sit,
prout dicitur ad Hebræos. Vel, In veritate, id
est in veritate vitæ, videlicet in conversa-
tione divinæ æquitati placente. Peccatores Joann. ix,
enim Deus non audit; sed si quis cultor 31.
est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc ex-

Digitized by Google

Job VIII, 20. audit. Cui consonat illud Job : Deus non A
porriget manum malignis. Ad hoc ergo
quod aliquis meritorie oret, aut de condi-
III Reg. II, 4. gno exaudiatur, oportet ut coram Deo in
veritate, id est in justa conversatione, am-
Job VIII, 6. bulet. Ideo scriptum est : Si mundus et
rectus incesseris, statim evigilabit ad te.
Vel, In veritate, id est vera et pia intenti-
one, ordinando orationem et bonum opta-
tum ad Dei honorem et sui ipsius veram
salutem. Secundum Augustinum, invocare
Deum in veritate, est invocare Patrem per
Joann. XIV, 6. Filium, quoniam Filius Dei est veritas Pa- B
tris æterni.
19 (20) *Voluntatem timentium se faciet,* id
est, actum voluntatis, seu desiderium ti-
mentium se filiali timore, ad effectum
perducet tempore apto et sibi placenti; *et
deprecationem eorum exaudiet,* dummodo
orent instanter, salubriter, et pro se ipsis.
Pro aliis enim non semper exaudiuntur,
propter obicem quem opponunt. *Et salvos
faciet eos,* tollendo ab ipsis mala culpæ et
pœnæ, tribuendoque eis in præsenti bona
gratiæ, in patria vero bona gloriæ. Propter C
Prov. XXIII, 17, 18. quod Salomon monet : In timore Domini
esto tota die, quia habebis spem in novis-
20 simo. (21) *Custodit Dominus omnes dili-
gentes se,* præservando eos ab universis
Rom. VIII, 28. periculis, ne finaliter pereant. Scimus enim
quoniam diligentibus Deum omnia coope-
rantur in bonum. Et cur hoc? nisi quia
Prov. VIII, 17. æterna Sapientia protestatur : Ego diligen-
tes me diligo. Qui autem alium diligit, eum
utique secundum quantitatem dilectionis
pro posse custodit. *Et omnes peccatores* in
vitiis perseverantes *disperdet,* dicendo :
Ite, maledicti, in ignem æternum. Matth. XXV, 41.
(22) *Laudationem Domini loquetur os* 21
meum, non verba scurrilia, nociva, infru-
ctuosa et vana. Et quoniam ego in laude
ejus deficio, ideo *et benedicat omnis caro,*
id est omnis homo, *nomini sancto ejus,*
id est ipsi sancto Deo, *in sæculum et in
sæculum sæculi,* id est æternaliter, scili-
cet nunc inchoando, atque in patria sine
fine continuando. Magnum est, desidera-
re ut Deus ab omnibus benedicatur. Hoc
namque procedit ex amore Dei et pro-
ximi.

Ecce gloriosissimum atque dulcissimum psalmum audivimus : qui utique aliud nihil est, nisi angelicum canticum cœlesteque carmen, in quo nihil triste vel minus deificum continetur. Imo totus hic psalmus de Beatis in patria exponi posset, eisque sublimius convenit, quam viatoribus. Quid ergo finaliter nobis incumbit? nisi ut (juxta Apostolicam admonitionem) mundemus nos ab omni inquinamento carnis (II Cor. VII, 1.) et spiritus : quatenus corde mundo et vere devoto psalmum præsentem cum omni alacritate Domino decantemus, summumque nostrum in hac peregrinatione solatium sit, in laudibus Dei jugiter occupari.

PRECATIO.

Patiens et multæ misericordiæ Deus, nobis peccare cessantibus, ac indulgentiam postulantibus, esto propitius : ut correctis actibus nostris, conferri nobis gratulemur gaudia perpetuitatis.

Digitized by Google

ARTICULUS LXIII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI QUINTI : LAUDA, ANIMA MEA, DOMINUM.

HABET insuper psalmus jam pertractan- A
1 dus, pro titulo, *Alleluia :* cujus interpretatio est, Laudate Dominum. Est enim hic psalmus laus Dei, præcipue admonens in Deo esse finaliter confidendum, et ait :

2 (1) LAUDA, *anima mea, Dominum.* Quidam philosophorum atque theologorum etiam magni, asseruerunt hominem non esse nisi animam. Unde Plato dixit, quod homo est anima utens corpore. Secundum hos igitur, dum dicitur, Lauda, anima mea, Dominum, alloquitur anima B semetipsam. Secundum veritatem autem, homo ex anima et corpore constat, tanquam essentialibus partibus. Et quoniam omnium operationum vitalium, præsertim intellectualium, radix principiumque est anima, ideo totus homo se ipsum ad laudem Dei accendere volens, animam suam affatur. Hæc tamen allocutio convenit homini ex parte animæ. Sæpe alloquitur homo se ipsum tanquam alium. Interdum vero loquitur de se ipso et anima sua, tanquam essent distincta, quum tamen C proprie loquendo, nec idem sint neque distincta, sed unum est aliquid alterius.
Tob. xiii, 9. Unde in Tobia dicitur : Ego autem et anima mea in Deo lætabimur.

Devotus itaque ad Dei præconium se excitans : *Lauda,* inquit, *anima mea, Dominum,* tanquam summum bonum et om-
I Tim. i, 17. nis boni fontanum principium. Soli Deo da honorem et gloriam, quia etsi alium interdum laudas sive honoras, quam Deum, hoc tamen non facis, nisi propter aliquod divinum in illo consistens; nec alium lau- D das et honoras, nisi propter Deum, ad quem etiam refers quidquid honoris et laudis alteri exhibes. Propterea, alios laudando et honorando, magis honoras et laudas Deum, quam illos. Lauda ergo, anima mea, Dominum creatorem, salvatorem ac judicem tuum, quoniam hoc est inter omnia opera tua dignissimum. Lauda autem eum non solum voce oris, sed interioribus verbis cordis : imo mente, ore et opere eum collauda, secundum illud Ecclesiastici : Et nunc in omni corde et ore collau- Eccli.
date, et benedicite nomen Domini. Deinde xxxix, 41.
anima huic admonitioni acquiescens, respondet : *Laudabo Dominum in vita mea,* id est tempore vitæ meæ; vel, In vita mea, id est bene vivendo, sicque laudabo eum in vita gratiæ et gloriæ. Laudare autem Deum in nuda vita naturæ, non est meritorium. *Psallam Deo meo,* id est summo et vero Deo, quem summe et unice colo ac diligo, *quamdiu fuero,* scilicet in præsenti et in futuro. Quam dulce verbum est hoc, Psallam Deo meo quamdiu fuero! Deum enim universorum, nominat Deum suum : quod utique nemo in propria persona veraciter dicit, nisi qui toto corde ad Deum conversus est, ei totaliter stabiliterque inhærens.

(2) *Nolite confidere in principibus.* Advertendum, quod homo dicitur in aliquo confidere seu sperare dupliciter : scilicet principaliter seu directe ; sicque in Deum dumtaxat sperandum est, quoniam ipse est principalis omnis boni largitor. Secundo dicitur homo sperare in aliquo secundario et minus principaliter, in quantum videlicet ejus auxilio potest juvari ut adipiscatur bonum optatum : et ita speramus in Sanctis, qui orant pro nobis, quorum patrocinio confidimus liberari. Sic enim Virginem gloriosam vocamus spem nostram. Præterea agnoscendum, quod pri-

Digitized by Google

mum et proprium spei objectum, est Deus seu beatitudo æterna et increata; secundarium vero spei objectum, est omne id quo indigemus et adjuvamur ad summi boni adeptionem, ut est gratia, virtus, scientia, remissio culpæ. Quantum ergo ad principale seu primum ac proprium spei objectum, in solo Deo speramus. Non enim adipisci valemus hoc bonum infinitum, nisi virtute divina immensa, cui spes directe innititur. Quantum vero ad secundarium spei objectum, confidimus in sanctis angelis atque hominibus, quorum intercessione, virtute ac meritis ea a Deo consequimur, per quæ ad ipsum pertingere promeremur.

Ait ergo: *Nolite confidere,* id est spem ponere, *in principibus,* id est in regibus, ducibus, judicibus, et ceteris inter homines principatum habentibus, ita quod finaliter in eis speretis, seu eorum potestati principaliter innitamini, quum ipsi nihil possint nisi virtute divina. Potestis tamen eorum auxilio instrumentaliter uti, Deo semper principaliter innitendo. Propter
Osee xiv, 3, 4. quod apud Osee dicitur: Convertimini ad Dominum, et dicite ei: Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus. Non quod super equum ascendere sit peccatum, sed ne in velocitate equi potius quam
Ibid. xiii, 9. in Deo speretur, qui ait: In me tantummodo auxilium tuum. Unde sperantibus in equis atque equitibus potius quam in
Is. xxx, 16. Deo, in Isaia dicitur: Dixistis, Ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et super veloces ascendemus: ideo veloces erunt qui persequentur vos. Non est ergo in principibus confidendum, quoniam de iniquo
I *Mach.* ii, 62, 63. principe dicitur: Gloria ejus stercus et vermis; hodie extollitur, et cras non invenietur.
Eccli. x, 11, 12. Unde scriptum est: Omnis potentatus brevis vita; sic et rex hodie est, et cras morietur. Etenim mane præcedit eum exercitus, et vespere jacet in tumulo. No-
3 lite quoque confidere *in filiis hominum,* id est in ceteris qui principibus sunt subjecti, *in quibus non est salus* vera et spiritualis: imo nec se ipsos possunt salvare. Et ideo apud Jeremiam legitur: Vere in Do- *Jer.* iii, 23.
mino Deo nostro salus. De electis quoque et bonis atque fidelibus filiis, ex perversis parentibus natis, scriptum est: Ad te, *Ibid.* xvi, 19.
Domine, gentes venient ab extremis terræ, et dicent: Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.

Quod autem in homine salus non consistat, consequenter ostenditur. (3) *Exibit* 4
spiritus, id est anima, *ejus* de corpore hora mortis, *et revertetur* homo, quantum ad corpus mortale, *in terram suam,* id est in præjacentem materiam, de qua erat formatum, quemadmodum Deus prædixit: Pulvis es, et in pulverem reverteris. *In* *Gen.* iii, 19.
illa die, id est tempore mortis, *peribunt omnes cogitationes eorum,* id est, effectu et fine intento frustrabuntur cogitationes hominum impiorum, quemadmodum alibi inducitur: Peccator conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit. Unde I *Mach.* ii, 63.
sera pœnitentia ducti testantur: Quid no- *Sap.* v, 8, 9.
bis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.

(4) *Beatus* est jam in spe, *cujus* est *Deus* 5
Jacob patriarchæ, scilicet Deus verus atque omnipotens, *adjutor ejus.* Si enim *Rom.* viii, 31.
Deus pro eo, quis contra eum? *Spes ejus,* id est talis hominis quem adjuvat Deus, est *in Domino Deo ipsius,* non in aliquo transitorio ente, sed in summo bono, Deo altissimo, *qui fecit* ex nihilo *cœlum et ter-* 6
ram, mare Oceanum, *et omnia quæ in eis* *Gen.* i, 1.
sunt. Omnia enim fecit mediate vel immediate, quemadmodum in alio loco dicitur: Domine, Rex omnipotens, tu fecisti *Esther* xiii, 9, 10.
cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur. (5) *Qui custodit veritatem,* eam 7
conservando in esse: ipse namque est causa, conservator et finis omnis veritatis; *in sæculum,* id est perpetuo. *Facit judicium injuriam patientibus,* ulciscendo injuriam eis illatam, quemadmodum Scriptura ait: Mihi vindictam, et ego re- *Rom.* xii, 19.
tribuam; et iterum: Deus inultum abire *Job* xxiv, 12.
non patitur. *Dat escam esurientibus.* De

Digitized by Google

hoc præcedenti psalmo dictum est plenius A
Ps. CXLIV, 15. in expositione illius versiculi, Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum.
Matth. V, 6. Denique esurientes et sitientes justitiam, saturabuntur ab eo.

8 (6) *Dominus solvit compeditos; Dominus illuminat cæcos.* (7) *Dominus erigit elisos.* Hæc omnia corporaliter et spiritualiter sæpius facta a Deo sunt. Compeditos enim vinculis corporis, sæpe a carceribus liberavit; compeditos quoque vinculis peccatorum, per gratiam misericorditer solvit. Corporales insuper oculos hominum ex- B cæcatorum, sæpe ad visum corporalem reduxit; peccatores quoque tenebris ignorantiæ, passionum caligine, vitiorumque nebula spiritualiter excæcatos, frequenter misericordissime illustravit, dando eis gratiæ lumen, sapientiæ claritatem, veritatis notitiam. Quorum utrumque in Manasse
II Par. XXXIII. rege Juda, mirabiliter factum describitur in libro Paralipomenon. Quomodo autem Dominus erigat elisos, in præcedenti psal-
Ps. CXLIV, 14. mo ostensum est in illo versiculo, Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit C omnes elisos. Maxime vero omnia ista in Christi adventu impleta sunt, quemadmo-
Is. XXXV, 4-6. dum beatissimus Isaias prædixit : Ecce Deus vester; ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. *Dominus diligit justos.* Similitudo enim est causa amoris, idcirco justus Dominus
Sap. XIV, 9. diligit justos. Et sicut odio sunt Deo impius et impietas ejus, sic amori sunt ei justus et justitia ejus. Justus autem voca- D tur, qui divina præcepta observat. Unde de eo qui præcepta se observasse veraci-
Marc. X, 21. ter dixit, scriptum est: Jesus intuitus eum, dilexit eum.

9 (8) *Dominus custodit advenas; pupillum*
II Cor. I, 3. *et viduam suscipiet.* Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, illorum præcipue Deus et Dominus, pater et custos est, qui aliunde non habent subsidium. Tales vero sunt peregrini, id est a propria terra elongati; pupilli, id est parentibus orbati; et viduæ. Horum ergo Deus custos atque susceptor est. Propter quod scriptum est : Dominus facit judicium pupillo et vi- Deut. X, 18.
duæ, amatque peregrinum. Et iterum per Moysen jubet Dominus : Peregrinum et Exod. XXII, 21; XXIII, 9.
advenam non contristabis. Verumtamen quoniam multos corporaliter advenas, pupillos et viduas conspicimus relinqui a Deo, æternaliterque perire (quoniam, teste Apostolo, vidua quæ in deliciis vivit, vi- I Tim. V, 6.
vens mortua est); ideo melius est, ista spiritualiter explanari hoc modo : *Dominus custodit* per gratiam a ruina peccati et mortis æternæ *advenas,* id est exsules a patria cœlesti, qui hoc mundo velut exsilio utuntur, patriamque cœlestem inqui- Hebr. XI, 14; XIII, 14.
runt, scientes se hic non habere manentem civitatem. *Pupillum,* id est omnem carnalem affectum spernentem, qui illud evangelicum implet, Patrem nolite vocare Matth. XXIII, 9.
super terram; qui veraciter dicit, Pater Ibid. VI, 9.
noster qui es in cœlis; *et viduam,* id est animam omni sæculari solatio destitutam, et solum cœlestis Sponsi amplexibus perfrui cupientem, *suscipiet* in suam providentiam singularem ac paternalem. *Et vias peccatorum disperdet,* id est, peccata eorum damnabit, operationes eorum malas et delectabiles dissipabit. Jam namque prædictum est, quod in illa die peribunt vers. 4.
omnes cogitationes eorum; et in psalmo primo habetur, Iter impiorum peribit. Ps. I, 6.

(9) *Regnabit Dominus* in Ecclesia mili- 10
tanti ac triumphanti *in sæcula,* qui est *Deus tuus, o Sion,* id est, o Ecclesia seu anima Deum per fidem aut speciem videns: est, inquam, Deus tuus *in generationem et generationem,* id est per omnium generationum intervalla et tempora. De hoc in præcedenti psalmo plurima dicta sunt, ubi habetur: Regnum tuum, regnum Ps. CXLIV, 13.
omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem.

Ecce psalmum laudibus Dei dulciter resonantem audivimus : in quo misericordia Creatoris copiose laudatur; in quo ejus omnipotentia, veritas, justitia, liberalitas et beneficentia commemorantur; in

Digitized by Google

quo docemur, in Deo summe finaliterque confidere. Indesinenter igitur laudet anima nostra Dominum, atque cum omni fiducia convertatur in ipsum, ei inhæreat, ei confidat in prosperis et adversis, imo in omni eventu, loco, causa et tempore, dicens cum sancto Job : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Non enim mentitur Scriptura divina, quæ speranti in Deum, beatitudinem repromittit, sicut est illud Isaiæ : Deus judicii Dominus; beati omnes qui exspectant eum.

Job XIII, 15.

PRECATIO.

Viam nostram in peccatis pronam dextera potentiæ tuæ, Domine, disperge : erige nos elisos, ac malis operibus compeditos solve; atque justos redditos dilige, et in dilectione tua in perpetuum fac perseverare.

ARTICULUS LXIV

DECLARATIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI SEXTI : LAUDATE DOMINUM, QUONIAM BONUS EST PSALMUS.

1 PRÆPONITUR autem psalmo nunc exponendo hic titulus : *Alleluia :* cujus ratio plana est. Psalmus etenim præsens totaliter pertinet ad laudem divinam; et describuntur in psalmo hoc multa magnifica opera atque piissima beneficia Creatoris, propter quæ merito semper ac incessanter laudandus est.

AIT ergo : (1) *Laudate Dominum* corde devoto ac hilari, voce strenua atque decenti, opere virtuoso seu vita laudabili, *quoniam bonus est psalmus,* id est, bona est laudatio Dei, sanctumque est Deum laudare : imo quid melius eo? Actus namque specificantur et dignitatem sortiuntur a termino ad quem, seu ab objecto. Idcirco actus qui immediate tendunt in Deum, et circa ipsum directe versantur, optimi atque dignissimi sunt : quales sunt actus latriæ, scilicet adoratio, laudatio, oratio Dei. Imo laudatio Dei, orationem in dignitate excellit, quum sit actus omnino cœlestis atque angelicus, qui tunc in patria æternaliter permanebit, quando omnis cessabit oratio, prout Salvator locutus est : In illo die me non rogabitis quidquam. De perpetuitate vero laudationis dictum est supra : Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te. *Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio,* id est ex spirituali lætitia nascens, et phantasmatibus ac distractionibus impermixta. Debet enim laudatio, qua Deum laudamus, esse jucunda, ita quod in laude Dei intime gloriemur, tanquam in optimo atque justissimo actu, prout Isaias profitetur : Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo. Quid enim tam justum et deliciosum, ut Creatorem a creatura laudari? Unde supra dictum est : Servite Domino in lætitia. Præterea laudatio Dei debet esse decora, id est pura et immaculata, tanquam ex fonte sereno seu corde mundo procedens : quod esse non valet, nisi vita laudantis fuerit virtuosa. Non enim est speciosa laus in ore peccatoris. Oportet etiam ut mens voci concordet, atque intenta sit sensui. De iis enim qui vago et dissoluto corde Dominum laudant, ipse per Isaiam testatur : Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Non est ergo laudatio Deo exhibita, jucunda et decora, nisi anima fuerit spiritualiter læta, stabilis et virtuosa.

Joann. XVI, 23.

Digitized by Google

2 (2) *Ædificans Jerusalem Dominus.* Ad litteram Deus frequenter restauravit civitatem illam Jerusalem in Judæa. — Spiritualiter vero, est Dominus ædificans Jerusalem, id est Ecclesiam militantem, ex
I Petr. II, 5. vivis lapidibus, scilicet hominibus fidelibus. Jerusalem vero supernam atque cœlestem Deus ædificat ex angelis et sanctis hominibus usque ad diem judicii. Similiter animam fidelem, quæ tropologice appellatur Jerusalem, id est Deum pacifice per fidem contemplans, ædificat Deus per virtutum et gratiæ infusionem.

Dispersiones Israelis, id est filios Israel per terram alienorum dispersos, *congregabit,* reducendo eos ad terram patrum suorum. Hoc Deus corporaliter fecit, quan-
I Esdr. II; II Esdr. II. do per Zorobabel et Jesum filium Josedec sacerdotem magnum, per Esdram quoque et Nehemiam, filios Israel reduxit a captivitate Babylonica in Judæam. Unde per
Deut. XXX, 1-5; II Esdr. I, 9. Moysen dixit : Si reversi fueritis ad me, ut custodiatis mandata mea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, et inducam in terram quam dedi patribus vestris. Cur ergo modo non congregat, o Judæi, Deus dispersiones vestras a captivitate ista longissima, in qua nunc per annos mille trecentos et quinquaginta vel circiter fuistis? Utique, nisi aversi fuissetis ab eo aversione gravissima, nequaquam vos tamdiu relinqueret. — Spiritualiter etiam, Christus per se ipsum et Apostolos congregavit dispersiones Israelis, id est populum Israeliticum per multas terras dispersum, colligendo eos per fidem et caritatem in unum ovile Ecclesiæ. Propter quod dicitur ab Evangeli-
Joann. XI, 51, 52. sta : Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. — Mysticus vero sensus est : Dispersiones Israelis, id est populum christianum Deum fideliter contemplantem, per totum orbem diffusum, congregabit nunc in militanti Ecclesia per fidem et spem ac individuam caritatem, postmodum vero in patria per beatificam visionem et

A cohabitationem æternam prorsus dulcissimam.

(3) *Qui sanat,* spiritualem salutem præ- 3
stando, *contritos corde,* id est mente afflictos ac tristes bona tristitia, scilicet ex recordatione peccati, ex dilectione patriæ, ex compassione fraterna; *et alligat,* spiritualem applicando medicinam, *contritiones,* id est afflictiones seu mala *eorum :* dando videlicet consolationem internam, sacramentorum reparativam medelam, virtutum integritatem. Sacramenta
B namque sunt vasa medicinalia, gratiam continentia, morbosque animæ potenter sanantia.

(4) *Qui numerat multitudinem stellarum,* 4
quum sit creator earum, omnia determi- Gen. I, 16.
nate cognoscens : quæ utique stellæ ab hominibus præ multitudine nequeunt nu- Ibid. XV, 5.
merari; *et omnibus eis nomina vocat,* id est, proprias appellationes tribuit et imponit. Nomen enim imponitur a proprietate rei. Sicut igitur omnium stellarum virtutes ac proprietates distinctissime atque
C plenissime Deus cognoscit, sic singulis aptissima nomina tribuit. — Spiritualiter vero, stellæ sunt homines virtuosi et edocti, qui verbo, vita et fama aliis lucent : qui (sicut a Daniele dicitur) fulgebunt qua- Dan. XII, 3.
si stellæ in perpetuas æternitates. Quibus dicit Apostolus : Sitis sine querela, sim- Philipp. II, 15, 16.
plices filii Dei, in medio nationis pravæ atque perversæ : inter quos lucetis sicut luminaria mundi, verbum vitæ continentes. Talibus Christus ait : Vos estis lux Matth. V, 14.
mundi. Harum igitur stellarum multitu-
D dinem numerat Deus, quoniam sibi soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus. Ideo Christus : Ego, Joann. XIII, 18.
inquit, scio quos elegerim. Et omnibus eis nomina vocat, id est, singulos eorum per approbationem distincte cognoscit, sicut ad Moysen ait : Te ipsum novi ex no- Exod. XXXIII, 17.
mine. Scripta quippe sunt nomina eorum Philipp. IV, 3.
in libro vitæ. Unde Apostolus ad Timotheum dicit : Firmum fundamentum Dei II Tim. II, 19.
stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus. Denique Christus

Digitized by Google

Joann. x, 14, 3. tanquam pastor bonus, cognoscit oves suas, et proprias oves vocat nominatim.

5 (5) *Magnus,* imo immensus est *Dominus noster,* universorum creator ac princeps, *et magna virtus,* id est potentia *ejus :* ipse enim est sua virtus. Ideo, sicut ipse immensus est, sic virtus ipsius est immensa. Propter quod non potest in tot et tanta, quin possit in infinities plura atque majora. *Et sapientiæ ejus non est numerus,* id est finis, quum sit infinita, ineffabilis et incomprehensibilis, sicut divina essentia, cum qua substantialiter idem est. Nec solum sapientia mentis divinæ, qua se cognoscit, immensa est ; sed sapientiæ ejus, qua alia noscit, non est numerus. Deus namque cognoscit actualiter infinita.

6 (6) *Suscipiens,* id est pie custodiens, clementer exaudiens, paternaliterque conservans et regens, *mansuetos,* id est homines mites qui iram exstinguunt, *Dominus :* tales enim (teste Scriptura) multum complacent Deo. Propter quod scriptum est :
Eccli. III, 19. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. Sicut
Eccle. VII, 10. autem (teste Salomone) ira in sinu stulti, sic mansuetudo in sinu sapientis requiescit. *Humilians autem,* id est deprimens, *peccatores* in vitiis permanentes, *usque ad terram,* id est usque ad ima, puta infernum, qui in medio terræ creditur situatus. Quum enim peccatores contra Deum intumescant, ejusque præcepta implere
Job XXIV, 13. non curent, juxta illud Job, Ipsi fuerunt rebelles lumini : justum est ut usque ad infima humilientur a Deo, qui dicturus
Matth. XXV, 41. est eis, Ite, maledicti, in ignem æternum.

7 (7) *Præcinite Domino in confessione* duplici, scilicet laudis divinæ et propriæ
Eccli. XV, 9. culpæ. Et quia peccator idoneus non est Deum laudare, idcirco præcinite (id est, primo canite) Domino in confessione propriæ culpæ : quoniam in confessione hac
Prov. XVIII, 17. omnia lavantur, et justus in principio accusator est sui. Sicque purgati, præcinite Domino in confessione laudis divinæ, eum in omnibus per sacra verba laudando. *Psallite Deo nostro,* id est, Deum laudate,
A *in cithara* spirituali et figurata, videlicet in operatione bona atque morali. Non enim sine laude operis sufficit laus sermonis.

(8) *Qui operit cœlum nubibus,* quantum 8
ad nostrum adspectum. Deus enim elevat nubes de terra in aerem : sicque inter cœlum et nostrum adspectum positæ nubes, operiunt illud nobis, ne ipsum in sua diaphaneitate seu puritate videre possimus. Non tamen operiunt totum cœlum, quum sint incomparabiliter eo minores. *Et parat terræ pluviam,* emittendo aquam de nubi-
B bus ad terram irrigandam. (9) *Qui producit in montibus fœnum* ad sustentationem jumentorum, *et herbam* multiplicem *servituti hominum,* id est ad hoc ut hominum utilitati deserviat. Maximam enim virtutem herbis impressit ad solatium atque subsidium hominum. Unde in Ecclesiastico habetur : Altissimus de terra creavit Eccli. XXXVIII, 4.
medicinam. (10) *Qui dat jumentis,* id est 9
animalibus homini ministrantibus in vita humana, sicut sunt equi, boves, muli, vaccæ, *escam ipsorum :* providet enim eis
C de necessariis vitæ, prout Salvator ait :
Pater cœlestis pascit volatilia cœli; *et pul-* Matth. VI, 26.
lis corvorum invocantibus eum, non per aliquam cognitionem Dei, sed per naturalem appetitum quo appetunt cibum, quem nonnisi Deo concedente percipere valent.
Propter quod in libro Job inducitur : Quis Job XXXVIII, 41.
præparat corvo escam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos ? Speciali autem modo providet Deus pullis corvorum. Nam (ut ait Isidorus) corvi pullos suos non alunt, do-
D nec plumis nigrescant : tunc enim recognoscunt eos esse suos. Antequam autem nigrescunt, nutriri dicuntur rore cœlesti, seu muscis quibusdam circa eorum ora volantibus, quas hiando facile glutiunt.

Spiritualiter vero Deus *operit cœlum nubibus,* id est sacram Scripturam verborum et figurarum obscuritatibus, ut veritas occultetur indignis, exercitatis vero detur occasio fructuosæ inquisitionis : et de his nubibus *parat terræ,* id est Ecclesiæ in terra peregrinanti, *pluviam* spiritualis do-

Digitized by Google

ctrinæ, per hoc quod corda doctorum illu-
minat ad exponendum sacram Scripturam
pro informatione Ecclesiæ. *Qui producit
in montibus,* id est in altis et magnis ho-
minibus, ad Christum humiliter conversis,
fœnum, id est spiritualis vitæ ac docu-
menti fructum ; producit in his montibus
et herbam, id est spiritualia medicamen-
ta, videlicet recta consilia, *servituti homi-
num,* id est, ut talia caritative ministrent
proximis suis indigentibus. *Qui dat ju-
mentis,* id est hominibus adhuc rudibus
atque carnalibus, *escam ipsorum,* id est
spiritualem doctrinam seu gratiam eis pro-
portionatam, quemadmodum Apostolus di-
I *Cor.* III, 1, 2. cit : Ego, fratres, non potui vobis loqui
quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus :
tanquam parvulis in Christo, lac vobis
potum dedi, non escam. Deus enim uni-
Matth. XXV, 15. cuique dat secundum propriam virtutem.
Et pullis corvorum, id est filiis idolola-
trarum, videlicet gentibus conversis, *in-
vocantibus eum* in fide et caritate pro
spirituali profectu seu alimento.

10 (11) *Non in fortitudine equi voluntatem
habebit :* id est, Deo placitum non est in
robore equi aut equitis : sicut prædictum
Ps. XXXII, 17. est, Fallax equus ad salutem ; *nec in tibi-
is viri beneplacitum erit ei :* id est, non in
bona dispositione naturalis formationis
corporis humani, non in homine ad gra-
diendum bellandumque forti, seu curiose
ornato, complacet Deo, quasi propter ista
victoriam tribuat vel salutem. Unde ait :
Jer. IX, 23. Non glorietur fortis in fortitudine sua ; et
Amos II, 14. iterum, Peribit fuga a veloce, et fortis non
A salvabit animam suam. Non autem sunt
hæc sic intelligenda, quasi equus aut ho-
mo, seu alia creatura, quantum ad sua
naturalia, Deo displiceat, quum dictum
sit, Lætabitur Dominus in operibus suis ; *Ps.* CIII, 31.
et in libro Sapientiæ, Diligis omnia quæ *Sap.* XI, 25.
sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti ;
sed ideo dicitur Deus non habere benepla-
citum aut voluntatem in istis, quia propter
ea neminem spiritualiter salvat, nec quan-
tum ad vitam æternam acceptat. Sed hoc
modo (12) *Beneplacitum est Domino su-* 11
B *per timentes eum* filiali et casto timore,
*et in eis qui sperant super misericordia
ejus,* non in propriis meritis, viribus, di-
vitiis, aut simili aliquo : qui quum fece-
rint omnia quæ præcepta sunt eis, dicunt:
Servi inutiles sumus ; quod debuimus *Luc.* XVII, 10.
facere, fecimus.

Psalmum hunc occulta virtute atque in-
genti dulcedine plenum, decet nos mente
pura et intenta proferre, ut sit nostra lau-
datio jucunda, itemque decora ; et ut a
Deo jugiter suscipi mereamur, mansueti
C esse curemus, sicut et Christus nos admo-
net : Discite a me quia mitis sum et hu- *Matth.* XI, 29.
milis corde.

PRECATIO.

Contritiones populi tui, Deus Pater om-
nipotens, sana, et omnes dispersiones cor-
dis ejus in bonis operibus congrega : ut
pro beneficiis in confessione tibi laudis
precemur, et in cithara virtutum tibi Deo
nostro psallamus.

ARTICULUS LXV

EXPLANATIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI SEPTIMI : LAUDA, JERUSALEM, DOMINUM.

HABET psalmus nunc declarandus pro
titulo, *Alleluia Aggæi et Zachariæ.* In ali-
quibus tamen Bibliis non ponitur nisi,
D Alleluia. Quid autem Alleluia significet,
sæpe prædictum est. Additur autem, Ag-
gæi et Zachariæ, quoniam psalmus iste

Digitized by Google

loquitur de cœlesti Jerusalem, cujus figu- A
Zach. I, II; ra erat Jerusalem illa terrena, de cujus
Agg. I. reædificatione prophetaverunt Zacharias et Aggæus.

ALLOQUENS ergo Propheta Ecclesiam triumphantem, quæ appellatur Jerusalem, propter plenissimæ pacis abundantiam, et Sion, propter Dei clarissimam speculationem (Jerusalem enim visio pacis, Sion vero speculatio interpretatur),
12 ait : (1) *Lauda, Jerusalem, Dominum,* quem
I Cor. XIII, 12. facie ad faciem felicissime contemplaris ; B *lauda Deum tuum,* quem perfectissime colis, et intime diligis, o *Sion,* id est, Ec-
13 clesia triumphans. (2) *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Portæ et seræ cœlestis Jerusalem, non sunt corporaliter intelligendæ : sed admissio, qua aliquis electus admittitur ad consortium Beatorum, ingrediendo regnum cœlorum, accipi potest et dici porta cœlestis Jerusalem ; sera vero intelligi potest confirmatio Beatorum in Deo. Itaque confirmavit seras portarum tuarum, id est, confirmationes C civium tuorum in se fecit immobiles et securas, ita quod nulla culpa, nulla miseria, nullus adversarius potest irrumpere. Immobiliter ergo conjuncti sunt Deo omnes Beati in patria. Metaphorice itaque dicuntur divinitus confirmatæ seræ portarum cœlestis Jerusalem : quoniam sicut civitas hujus mundi, dum fuerit fortibus seris clausa, secura est, nec valet hostis intrare, nec cives exire ; sic cœlestis Jerusalem omnino securissima est : quam, sicut reprobi nequeunt ingredi, ita Beati nec D volunt, nec valent hanc egredi, benedictionem amittendo. *Benedixit,* id est, omnium spiritualium deliciarum cœlestiumque bonorum munera contulit, *filiis tuis,* id est universis Beatis habitantibus *in te.* Quemadmodum autem viatores fideles, dicuntur filii Ecclesiæ militantis ; sic comprehensores beati, dicuntur filii Ecclesiæ triumphantis.

14 (3) *Qui posuit fines tuos pacem,* id est
pacificos, ita quod muros et terminos tuos nullus valet turbare aut circumvallare, sed posuit fines tuos pacem, in tantum ut pax sit finis tuus. Verumtamen quum in Evan-
gelio dicatur Regni ejus non erit finis, mi- Luc. I, 33.
rum videtur quomodo cœlestis Jerusalem
(de qua quotidie dicimus : Pater, adveniat Matth. VI,
regnum tuum) fines habere dicatur. Et 9, 10.
respondendum, quod regni Christi seu cœlestis Jerusalem non est finis durationis : habet tamen suæ finem essentiæ atque virtutis. Per fines vero, hoc loco, non oportet corporeos intelligere terminos civitatis supernæ, sed interiores spiritualesque fines singulorum Sanctorum in patria, loquendo de finibus consummantibus seu perficientibus, non de finibus consumentibus. Finis autem consummans cujuslibet Beatorum, est visio Dei per speciem. Hunc vero finem posuit Deus in quolibet comprehensore, pacem, id est tam securum et interminabilem, ut aptius nuncupetur tranquillitas seu pax, quam pacificus et tranquillus. Vel, Posuit fines tuos pacem, ita quod pax est finis omnium filiorum tuorum, quoniam pacem finaliter appetunt : non quod pax sit essentialiter ultimus finis Sanctorum, sed proxima quædam dispositio ad ultimum finem. Huic quoque
Jerusalem Dominus per Isaiam ait : Ponam Is. LX, 17.
visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam. *Et adipe frumenti,* id est
beata fruitione Divinitatis, *satiat te,* re- Ps. CII, 5.
plens in bonis desiderium tuum. Ipsa namque superessentialis Divinitas, cibus est omnium Beatorum : cujus visio sive fruitio merito dicitur adeps frumenti, id est dulcis refectio panis æterni. Hæc refectio atque satietas est essentiale præmium Beatorum, quo tam plene ditantur, ut plus nequeant desiderare.

(4) *Qui emittit eloquium suum terræ,* id 15
est, legem divinam, sacram Scripturam, revelationes cœlestes annuntiat hominibus
per angelos sanctos : qui omnes sunt admi- Hebr. I, 14.
nistratorii spiritus, in ministerium missi, secundum Apostolum ; per quos revelationes divinæ deferuntur ad nos, secundum Dionysium. Unde Stephanus ait Judæis :

Digitized by Google

Act. vii, 53. Accepistis legem in dispositione angelorum. Emisit quoque Deus eloquium suum terræ, mittendo Filium suum in mundum,
Act. x, 36. annuntians pacem per Jesum, et per eum evangelicam legem hominibus donans ac prædicans. *Velociter currit sermo ejus :* id est, prædicatio verbi cœlestis, seu annuntiatio evangelicæ legis, cito atque celeriter per mundum diffusa est, et hominibus patefacta per Apostolos ac apostolicos vi-
Ps. xviii, 5. ros. In omnem enim terram exivit sonus eorum. Emisit plane Christus eloquium
Marc. xvi, 15. suum terræ, dicendo Apostolis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Velociter vero cucurrit sermo ejus, quando Apostoli exsequebantur et impleverunt quod Christus eis
Act. i, 8. prædixit : Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.

16 (5) *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Impressiones enim meteorologicæ principaliter fiunt a Deo, tanquam a prima causa : et sic ipse dat nivem sicut lanam, quoniam cadit per modum parvarum partium lanæ ; nebulam sicut cinerem spargit, videlicet per partes minutas, et per modum cineris coloratas.
17 (6) *Mittit crystallum suam,* quæ est glacies fortissime indurata, *sicut buccellas,* id est per modum frustorum candidi panis. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* id est, quis ferre poterit præsentiam frigoris a Deo causati, si vellet Deus illud intendere? quasi dicat, Nemo. Quædam enim loca inhabitabilia sunt propter frigiditatis
18 excessum. (7) *Emittet* Deus *verbum suum,* id est præceptum seu voluntatis suæ effectum, puta calorem seu simile aliquid, *et liquefaciet ea,* id est, crystallum seu glaciem mollificabit; *flabit spiritus ejus, et fluent aquæ,* quæ prius stabant congelatæ. Potest autem per spiritum intelligi ventus glaciem resolvens; vel ipsa Dei voluntas, seu Spiritus Sanctus, quo flante, id est virtutem suam exercente, fluunt aquæ quæ erant solidatæ per frigus. Hæc ad litteram plana sunt.

Porro spiritualem intelligentiam assequendo, *dat* Deus *nivem sicut lanam,* dum peccatorem vitiorum frigore induratum, ad pietatem pœnitentiamque convertit : ut sit mollis et capax gratiæ Dei, qui fuerat durus et frigidus. *Nebulam,* id est vitiosam consuetudinem, seu vitiorum accumulationem, *sicut cinerem spargit,* id est, per gratiam dissipat, dando compunctionem et confessionem, omnia mala expellentem. *Mittit* ad obedientiam et incorporationem Ecclesiæ, *crystallum suam,* id est peccatores quosdam obstinatos, quos interdum clementissime respicit, *sicut buccellas :* id est, sic mittit eos, ut incorporentur Ecclesiæ per fidem et caritatem, atque ut alios nutriant verbo doctrinæ cœlestis. *Ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* id est, quis pati valebit ultionem divinæ justitiæ, qua in præsenti et futuro peccata ulciscitur, non solum infligendo pœnam sensus, sed etiam pœnam damni, indurando videlicet seu infrigidando corda reproborum, saltem permissive per gratiæ subtractionem ?

(8) *Qui annuntiat verbum suum Jacob.* 19
Multa enim futura revelavit Deus per spiritum prophetiæ Jacob patriarchæ : ut patet in Genesi, ubi ait, Congregamini ut Gen. xlix, 1.
annuntiem vobis quæ ventura sunt in diebus novissimis ; illicque de Christo copiose et evidenter prophetat. Annuntiat etiam *justitias,* id est decem præcepta moralia, *et judicia sua,* id est præcepta judicialia,
Israel, id est populo Israelitico. (9) *Non fecit* 20
Deus *taliter,* id est tam gratiose et pie, *omni nationi,* id est ceteris gentibus; *et judicia sua,* id est veteris legis præcepta, *non manifestavit eis,* sicut populo Judæorum. Quoniam enim Deus incarnari elegit ex semine Jacob, idcirco tam ipsi quam filiis ejus, et maxime tribui Juda, specialem gratiam præstitit, convertendo eos ad unius veri Dei cultum, et Christi exspectationem. Decuit namque populum illum, de quo nasciturus fuerat Christus, ab aliis populis dividi, et singulari sanctitate or-
nari. Propter quod Moyses : Te, inquit, Deut. vii, 6; xiv, 2.

Digitized by Google

elegit Dominus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super
Rom. III, 1, 2. terram. Et Apostolus : Quid amplius est Judæo? Multum per omnem modum : primo quidem, quoniam credita sunt illis eloquia Dei.

Nunc vero quoniam Christum quem exspectant, præsentem spreverunt, nec in eum hucusque credere voluerunt; propterea ista nunc non eis, sed populo christiano, conveniunt. Ut sit sensus : *Qui annuntiat verbum suum,* id est prædicationem Evangelii, seu Christum Filium suum, *Jacob,* id est populo christiano vitia supplantanti ; *justitias et judicia sua,* id est præcepta atque consilia in nova lege contenta, *Israel,* id est eidem populo cœlestia contemplanti. *Non fecit taliter omni nationi,* videlicet Sarracenis, Tartaris, Judæis nunc excæcatis ; *et judicia sua,* id est ea quæ ipse judicat esse justa, *non manifestavit eis,* illuminando corda eorum interius, quamvis forte exterius audierunt.
Act. XVII, 30. Unde Paulus ait quibusdam : Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat ut omnes ubique pœnitentiam agant.

Denique quidam exponunt hunc psalmum de Ecclesia militanti, quæ dicitur Jerusalem et Sion, propter causas ubertim præhabitas. Hanc ergo in primo versiculo excitat ut Dominum laudet : cujus rationem annectit : *Quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Portæ Ecclesiæ sunt virtutes, præsertim fides, spes, caritas, quibus intratur ad Deum. Seræ autem portarum istarum, dici possunt sacramenta seu dona Spiritus Sancti, quæ per virtutes muniuntur. Has igitur seras confortavit Dominus, dando sacramentis efficaciam sanctificandi, virtute dominicæ passionis, usque ad finem mundi. Possumus quoque per portas Ecclesiæ intelligere sacramenta ; per seras vero portarum, virtutes sacramentorum. *Benedixit filiis tuis,* id est fidelibus, *in te,* id est in ecclesiastica unitate perseverantibus, dando eis munera gratiarum. *Qui posuit fines tuos pacem,* id est, particulares Ecclesias fecit pacificas. Christus enim annuntiavit, annuntiarique jussit pacem hominibus. Unde in Michæa habetur : Pax erit in terra nostra quum Cf. Mich. v, 5, 6.
venerit. Et Christo nato angeli cecinerunt :
Gloria in altissimis Deo, et in terra pax ho- Luc. II, 14.
minibus bonæ voluntatis. *Et adipe frumenti,* id est corpore Christi, quod in pane de frumento facto consecratur, *satiat te* spirituali satietate, quemadmodum Christus testatur : Caro mea vere est cibus. Qui Joann. VI, 56, 57.
manducat meam carnem, in me manet, et ego in eo. Itemque : Qui manducat hunc Ibid. 59.
panem, vivet in æternum. Cetera exponuntur sicut nunc patuit.

Quidam vero exponunt psalmum istum de illa terrena urbe Jerusalem et Sion ; sed expositio hæc non videtur fructuosa, neque conveniens : propter quod eam non prosequor. Verumtamen si in Hebræo, vel translatione Hieronymi juxta Hebræum, haberet hic psalmus titulum illum, quem habet in aliquibus Bibliis nostris, videlicet, Alleluia Aggæi et Zachariæ ; tunc litteraliter psalmus præsens loqueretur de Jerusalem illa terrena, de cujus reædificatione vaticinabantur prædicti Prophetæ. Sed in Hebræo psalmus iste sine titulo est.

Ecce psalmum omnino jucundum ac elevatum audivimus : qui mentes nostras ad cœlestia dirigit ; in quo Ecclesia militans seu quilibet fidelis, Ecclesiam triumphantem ad Creatoris ac beatificatoris sui laudem invitat : non quod illa nostra indigeat admonitione, sed ut nos ei congratulemur, ejus beatitudinem contemplemur, et adipisci conemur. Dum igitur psalmi hujus primum versum proferimus, cor nostrum ad supercœlestis palatii gaudia erigamus, cœlestem Jerusalem oculis fidei circumspiciamus, ad ejus beatitudinem suspiremus, ob cujus amorem universa sensibilia atque carnalia aspernari debemus. Cogitemus ut possumus quanta sit Beatorum felicitas, quorum civitas ita munita est ut nihil adversi in eam possit incurrere, nullum periculum propinquare : cu-

Digitized by Google

jus cives æterna et incessanti benedictione replentur, cujus fines sunt pax, ita ut inæstimabili securitate de sua perpetua confirmatione lætentur omnes Beati, qui summi boni beatifica fruitione æternaliter satiantur, æternæ pacis suavissimo gustu pascuntur, atque in sui Creatoris amplexibus invariabiliter requiescunt.

PRECATIO.

Terroribus, Domine, ac bellis spiritualis nequitiæ sedatis, pone placatus fines nostros in pace ; conforta seras portarum domus tuæ, et benedic nobis filiis novæ gratiæ ; et non sinas tenebrarum filios adversum nos ultra prævalere.

ARTICULUS LXVI

ELUCIDATIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI OCTAVI : LAUDATE DOMINUM DE CŒLIS.

TITULUS demum psalmi jam exponendi est : *Alleluia.* In aliquibus tamen Bibliis
1 additur, *Aggæi et Zachariæ*, propter causam in præcedenti articulo introductam. Est autem hic psalmus cœlesti dulcedine atque deifica jucunditate repletus, in quo ardentissimus Dei amator, zelo divini honoris succensus, universa creata ad omnipotentis exhortatur præconium Creatoris, et ait :

(1) LAUDATE *Dominum de cœlis ; laudate eum in excelsis.* Iste versiculus dupliciter explanatur. Primo, ut sit invitatio omnium creaturarum ad laudem divinam ; eritque sensus : Laudate Dominum de cœlis, id est Dominum cœlestem in cœlis habitantem, o cuncta creata ; laudate eum in excelsis, id est in altis exsistentem, in sublimibus demorantem, videlicet in mentibus contemplativis ac puris, in thronis cœlestibus, summisque cœlis. Secundo exponitur, ut sit invitatio excellentium creaturarum ad laudandum Deum, ut sit sensus : Laudate Dominum de cœlis, id est, vos qui estis in cœlis, videlicet creaturæ superiores atque cœlestes ; laudate eum in excelsis, id est, vos qui estis in magnis dignitatibus, in excelsis ordinibus constituti ; vel, Laudate eum in excelsis, id est magnis perfectionibus, summisque laudibus, adscribendo ei prædicata non parva aut mediocriter magna, sed omnino excelsa. Dupliciter autem laudatur Deus sublimis et benedictus ab intellectu creato. Primo in se ipso, attribuendo videlicet ei sublimia attributa, ejus increatam perfectionem designantia, sicut dum dicimus : Deus æternus, immensus, omnipotens, felix, justus, misericors. Secundo, commemorando opera ejus, et in illis ipsum opificem collaudando, sicut dum dicimus : Tu creasti cœlum et terram, et omnem ornatum eorum. *Gen.* II, 1 ; II *Esdr.* IX, 6.

(2) *Laudate eum, omnes angeli ejus ; laudate eum, omnes virtutes ejus.* Nomen 2
Angelorum, et nomen Virtutum, interdum ponuntur pro specialibus choris sive ordinibus spiritualium substantiarum, quas Dionysius communiter nominat supermundanos animos, deiformes intellectus, cœlestes essentias, quarum sunt tres hierarchiæ, et ordines novem. Sed hoc loco angeli et virtutes non accipiuntur pro specialibus ordinibus ; imo utrumque ipsorum significat omnes prædictas spirituales substantias. Omnes enim appellatæ sunt angeli, quoniam omnes sunt aliquo modo administratorii spiritus, in ministerium missi propter electos, eo modo quo Dionysius docet. Omnes quoque dicuntur virtutes, eo quod sint fortes et viriles at- *Hebr.* I, 14.

Digitized by Google

que idoneæ ad exsequendas omnes operationes divinas eis divinitus præstitutas. Hos ergo angelos et virtutes, custodes et dominos nostros alloquimur, invitantes eos ad Dei præconium, non quasi indigeant, aut torpentes seu lassi fieri queant in laude Altissimi; sed quasi congratulantes eis, ut dictum est plenius in præcedenti articulo. Sic enim loquimur operanti quod nobis placet, Age, age. Porro nequaquam debemus ista sine attentione diligenti proferre, sed triumphantis Ecclesiæ cives ac Regem corde sereno adspicere, cogitando quam hilariter, indesinenter, ac speciose Deum collaudent omnes sancti angeli, quemadmodum apud Isaiam inducitur : Clamabat alter ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus. Unde Dominus ait ad sanctum Job : Ubi eras quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ?

Is. vi, 3. — Job xxxviii, 4, 7.

3 (3) *Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ,* videlicet astra fixa et planetæ, *et lumen* sensibile et insensibile, naturale et supernaturale. Si autem poneremus corpora cœlestia animata, sicut posuerunt summi philosophi, scilicet Aristoteles, Plato, Socrates, Avicenna, et sequaces eorum : quos etiam Judæorum præcipui theologi atque philosophi, scilicet Rabbi Moyses, et David auctor libri de Causis, multique alii sunt secuti : quibus christianorum quoque doctorum aliqui consenserunt, videlicet Origenes, sicut beatus Thomas in prima parte testatur; ipse quoque sanctus, sublimis et gloriosus Hieronymus idem sentire videtur, exponens illud Ecclesiastæ, Lustrans universa in circuitu pergit spiritus : si, inquam, taliter poneremus, possemus corpora cœlestia, videlicet orbes et astra, solem ac lunam, invitare ad laudem Dei, quemadmodum angelos. Quamvis Augustinus super Genesim et in Enchiridio, sub dubio relinquat, an corpora ista sint animata; non autem relinquit sub dubio quin, si animata essent, pertinerent utique ad societatem angelorum. Si

Eccle. i, 6.

A vero amplius complacet opinio S. Basilii et Damasceni, dicentium quod corpora cœlestia sunt inanimata, quod etiam communius existimatur; tunc invitantur ad laudem Dei eo modo quo cetera inanimata et irrationalia. Generalis etenim modus quo omnis creatura Deum laudat, est, quod ejus bonitatem, sapientiam atque potentiam repræsentat, ejusque voluntati obedit, agendo et patiendo quod ipse præfixit. Laudant igitur sol et luna, stellæ et lumen Dominum, quoniam suo decore, di-
B gnitate atque potestate inducunt intellectuales creaturas ad laudem ac admirationem Creatoris. Et item quia a suo officio atque obsequio non recedunt, ipsorum motus et servitium laus Dei est.

(4) *Laudate eum, cœli cœlorum,* id est 4
cœli majores et principaliores, videlicet cœli qui sunt supra septem cœlos planetarum. Vel, per cœlos cœlorum designat cœlum empyreum; ponitque plurale pro singulari, quia, secundum Chrysostomum, hoc nomen, Cœlum, in Hebræo caret nu-
C mero singulari. Unde et alibi Scriptura singulariter exprimit, Cœlum cœlorum, juxta illud Nehemiæ : Tu, Domine, fecisti cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum. *Et aquæ quæ * super cœlos sunt,*
laudent nomen Domini. Quid per aquas
has intelligendum sit, diversimode assi- 5
gnant doctores. Antiqui enim doctores, præter Augustinum, dicunt supra firmamentum seu cœlum stellatum, esse veras aquas, quas Beda asserit glaciali soliditate supra firmamentum per modum crystalli
D esse suspensas : et ita essent ejusdem naturæ cum aqua elementari. Moderni vero doctores, Augustinum sequentes, communiter dicunt nequaquam esse aquas veras supra cœlos, sed per aquas has intelligendam esse nonam sphæram mobilem : quæ dicitur cœlum crystallinum seu aqueum, non quod sit de natura aquæ, sed quia cum aqua convenit in diaphaneitate : quemadmodum cœlum empyreum dicitur igneum, non quasi de natura ignis exsistens, sed tanquam cum igne in luciditate seu

II Esdr. ix, 6. — * omnes quæ

Digitized by Google

claritate conveniens. Verumtamen, secun- A
dum Thomam super secundum Sententia-
rum, cœlum empyreum non dicitur ideo
lucidum, quod sensibiles radios fundat,
quum non sit compactum (talis namque
luciditatis causa, est congregatio seu com-
pactio partium diaphani, ut dicunt Avi-
cenna et Averroes, propter quod ignis in
propria sphæra non lucet) ; sed dicitur
lucidum, quoniam naturam lucis habet in
se, quum sit maxime formale. Ad nonam
sphæram seu cœlum aqueum reducunt as-
trologi motum cœli stellati ab occidente B
in orientem. Ponunt autem quidam eorum
et decimam sphæram mobilem, quam di-
cunt esse causam diurni motus firma-
menti seu cœli stellati ab oriente in occi-
dentem.

Consequenter ponitur ratio cur omnia
Deum teneantur laudare. (5) *Quia ipse di-*
xit, id est, intellectualiter intra se protulit
practico intellectu, ut crearentur, *et facta*
sunt ex nihilo ; *ipse mandavit,* id est, per
voluntatem imperialiter jussit, *et creata*
Rom. IV, 17. *sunt.* Vocat enim ea quæ non sunt, tan- C
Gen. I, 3, 6. quam sint. Unde in Genesi habetur : Dixit
Deus, Fiat lux, Fiat firmamentum : et ita
omnia dicendo creata sunt. Deus quippe
est causa rerum per intellectum, juxta
Ps. CIII, 24. illud, Omnia in sapientia fecisti ; et per
voluntatem, quemadmodum dictum est,
Ps. CXXXIV, 6. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.
6 (6) *Statuit,* id est, firmiter collocavit, *ea*
jam prædicta, videlicet angelos, virtutes,
solem, lunam, stellas, lumen, cœlos cœle-
rum, et aquas quæ super cœlos sunt, *in*
sæculum sæculi, id est perpetuo. Dedit D
enim eis incorruptibile esse, quamvis cœ-
li et luminaria, quantum ad formam ac-
cidentalem, mutanda atque in melius com-
mutanda credantur. *Præceptum posuit,* id
est, certam legem operandi eis præfixit, *et*
non præteribit, id est, præceptum istud
non desinet. Unde Hieronymus ait : Præce-
ptum posuit soli ut luceret per diem : et
ecce per tantos annos nunquam præce-
ptum ejus præterivit. Lunæ præceptum
posuit ut per triginta dies crescat et de-
crescat : nunquam cursus ejus mutatur.
Mari præceptum posuit ut littora sua non
egrediatur : venit Oceanus tumens flucti-
bus, et ipse redit, et præceptum observat.
Grandis hominis honor, et grandis mise-
ria ; sol tibi currit, et elementa tibi ser-
viunt : et tu ignoras Creatorem tuum ! Totus
mundus Deo servit, et præcepti ejus me-
minit : solus homo illud contemnit aut
negligit ! O infelix hominum genus ! de-
scendit ad te Deus, quoniam tu ad cœlum
non vis ascendere : non tibi sufficit quod
ipsum non suscipis, sed crucifigis, bla-
sphemas, flagellas, nec tamen pœniten-
tiam agis !

(7) *Laudate Dominum* universorum *de* 7
terra, id est, o terrena et inferiora, videli-
cet *dracones,* id est serpentes squamosi et
magni : qui habitant in cavernis seu spe-
luncis aquosis, in temperamentum sui na-
turalis caloris, qui non repunt in terra,
sed volant in aere, et cetera animantia
terræ in quantitate excedunt. Aliqui per
dracones intelligunt cete grandia, quo-
niam in Genesi, ubi nos habemus, Creavit Gen. I, 21.
Deus cete grandia, in Hebræo dicitur, Dra-
cones magnos. *Et omnes abyssi,* id est
particularia profundaque maria, seu pro-
funda loca Oceani, in quibus habitant ce-
te ; (8) *Ignis,* id est elementum supremum, 8
grando, nix, glacies, spiritus procella-
rum, id est venti tempestuosi, concitantes
procellas in mari, *quæ faciunt verbum*
ejus, id est, divino præcepto obediunt, id-
que operantur ad quod divinitus ordinan-
tur ; (9) *Montes et omnes colles,* id est magni 9
et parvi montes, *ligna fructifera* habentia
sementem generis sui in se ipsis, *et omnes*
cedri, quæ sunt arbores altæ ; (10) *Bestiæ* 10
silvestres atque indomitæ, *et universa pe-*
cora domestica, *serpentes,* id est animalia
repentia, *et volucres pennatæ.* Omnia hæc
laudent Deum, unumquodque secundum
modum suum. Sed quid est quod inani-
mata et irrationalia et bruta alloquimur ?
Et respondendum, quod ea alloquimur,
non ut ipsa intelligant verba nostra, sed
ut nos ipsi ea nominando et consideran-

Digitized by Google

que idoneæ ad exsequendas omnes operationes divinas eis divinitus præstitutas. Hos ergo angelos et virtutes, custodes et dominos nostros alloquimur, invitantes eos ad Dei præconium, non quasi indigeant, aut torpentes seu lassi fieri queant in laude Altissimi; sed quasi congratulantes eis, ut dictum est plenius in præcedenti articulo. Sic enim loquimur operanti quod nobis placet, Age, age. Porro nequaquam debemus ista sine attentione diligenti proferre, sed triumphantis Ecclesiæ cives ac Regem corde sereno adspicere, cogitando quam hilariter, indesinenter, ac speciose Deum collaudent omnes sancti angeli, quemadmodum apud Isaiam inducitur : Clamabat alter ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus. Unde Dominus ait ad sanctum Job : Ubi eras quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei ?

Is. vi, 3.

Job xxxviii, 4, 7.

3 (3) *Laudate eum, sol et luna, laudate eum, omnes stellæ,* videlicet astra fixa et planetæ, *et lumen* sensibile et insensibile, naturale et supernaturale. Si autem poneremus corpora cœlestia animata, sicut posuerunt summi philosophi, scilicet Aristoteles, Plato, Socrates, Avicenna, et sequaces eorum : quos etiam Judæorum præcipui theologi atque philosophi, scilicet Rabbi Moyses, et David auctor libri de Causis, multique alii sunt secuti : quibus christianorum quoque doctorum aliqui consenserunt, videlicet Origenes, sicut beatus Thomas in prima parte testatur; ipse quoque sanctus, sublimis et gloriosus Hieronymus idem sentire videtur, exponens illud Ecclesiastæ, Lustrans universa in circuitu pergit spiritus : si, inquam, taliter poneremus, possemus corpora cœlestia, videlicet orbes et astra, solem ac lunam, invitare ad laudem Dei, quemadmodum angelos. Quamvis Augustinus super Genesim et in Enchiridio, sub dubio relinquat, an corpora ista sint animata; non autem relinquit sub dubio quin, si animata essent, pertinerent utique ad societatem angelorum. Si vero amplius complacet opinio S. Basilii et Damasceni, dicentium quod corpora cœlestia sunt inanimata, quod etiam communius existimatur; tunc invitantur ad laudem Dei eo modo quo cetera inanimata et irrationalia. Generalis etenim modus quo omnis creatura Deum laudat, est, quod ejus bonitatem, sapientiam atque potentiam repræsentat, ejusque voluntati obedit, agendo et patiendo quod ipse præfixit. Laudant igitur sol et luna, stellæ et lumen Dominum, quoniam suo decore, dignitate atque potestate inducunt intellectuales creaturas ad laudem ac admirationem Creatoris. Et item quia a suo officio atque obsequio non recedunt, ipsorum motus et servitium laus Dei est.

Eccle. i, 6.

(4) *Laudate eum, cœli cœlorum,* id est 4
cœli majores et principaliores, videlicet cœli qui sunt supra septem cœlos planetarum. Vel, per cœlos cœlorum designat cœlum empyreum; ponitque plurale pro singulari, quia, secundum Chrysostomum, hoc nomen, Cœlum, in Hebræo caret numero singulari. Unde et alibi Scriptura singulariter exprimit, Cœlum cœlorum, juxta illud Nehemiæ : Tu, Domine, fecisti cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum. *Et aquæ quæ * super cœlos sunt,*
laudent nomen Domini. Quid per aquas 5
has intelligendum sit, diversimode assignant doctores. Antiqui enim doctores, præter Augustinum, dicunt supra firmamentum seu cœlum stellatum, esse veras aquas, quas Beda asserit glaciali soliditate supra firmamentum per modum crystalli esse suspensas : et ita essent ejusdem naturæ cum aqua elementari. Moderni vero doctores, Augustinum sequentes, communiter dicunt nequaquam esse aquas veras supra cœlos, sed per aquas has intelligendam esse nonam sphæram mobilem : quæ dicitur cœlum crystallinum seu aqueum, non quod sit de natura aquæ, sed quia cum aqua convenit in diaphaneitate : quemadmodum cœlum empyreum dicitur igneum, non quasi de natura ignis exsistens, sed tanquam cum igne in luciditate seu

II *Esdr.* ix, 6.

* omnes quæ

Digitized by Google

claritate conveniens. Verumtamen, secun-
dum Thomam super secundum Sententia-
rum, cœlum empyreum non dicitur ideo
lucidum, quod sensibiles radios fundat,
quum non sit compactum (talis namque
luciditatis causa, est congregatio seu com-
pactio partium diaphani, ut dicunt Avi-
cenna et Averroes, propter quod ignis in
propria sphæra non lucet) ; sed dicitur
lucidum, quoniam naturam lucis habet in
se, quum sit maxime formale. Ad nonam
sphæram seu cœlum aqueum reducunt as-
trologi motum cœli stellati ab occidente
in orientem. Ponunt autem quidam eorum
et decimam sphæram mobilem, quam di-
cunt esse causam diurni motus firma-
menti seu cœli stellati ab oriente in occi-
dentem.

Consequenter ponitur ratio cur omnia
Deum teneantur laudare. (5) *Quia ipse di-
xit*, id est, intellectualiter intra se protulit
practico intellectu, ut crearentur, *et facta
sunt* ex nihilo ; *ipse mandavit*, id est, per
voluntatem imperialiter jussit, *et creata*
Rom. IV, 17. *sunt*. Vocat enim ea quæ non sunt, tan-
Gen. I, 3, 6. quam sint. Unde in Genesi habetur : Dixit
Deus, Fiat lux, Fiat firmamentum : et ita
omnia dicendo creata sunt. Deus quippe
est causa rerum per intellectum, juxta
Ps. CIII, 24. illud, Omnia in sapientia fecisti ; et per
voluntatem, quemadmodum dictum est,
Ps. CXXXIV, 6. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.
6 (6) *Statuit*, id est, firmiter collocavit, *ea*
jam prædicta, videlicet angelos, virtutes,
solem, lunam, stellas, lumen, cœlos cœlo-
rum, et aquas quæ super cœlos sunt, *in
sæculum sæculi*, id est perpetuo. Dedit
enim eis incorruptibile esse, quamvis cœ-
li et luminaria, quantum ad formam ac-
cidentalem, mutanda atque in melius com-
mutanda credantur. *Præceptum posuit*, id
est, certam legem operandi eis præfixit, *et
non præteribit*, id est, præceptum istud
non desinet. Unde Hieronymus ait : Præce-
ptum posuit soli ut luceret per diem : et
ecce per tantos annos nunquam præce-
ptum ejus præterivit. Lunæ præceptum
posuit ut per triginta dies crescat et de-

A crescat : nunquam cursus ejus mutatur.
Mari præceptum posuit ut littora sua non
egrediatur : venit Oceanus tumens flucti-
bus, et ipse redit, et præceptum observat.
Grandis hominis honor, et grandis mise-
ria ; sol tibi currit, et elementa tibi ser-
viunt : et tu ignoras Creatorem tuum ! Totus
mundus Deo servit, et præcepti ejus me-
minit : solus homo illud contemnit aut
negligit ! O infelix hominum genus ! de-
scendit ad te Deus, quoniam tu ad cœlum
non vis ascendere : non tibi sufficit quod
B ipsum non suscipis, sed crucifigis, bla-
sphemas, flagellas, nec tamen pœniten-
tiam agis !

(7) *Laudate Dominum* universorum *de* 7
terra, id est, o terrena et inferiora, videli-
cet *dracones*, id est serpentes squamosi et
magni : qui habitant in cavernis seu spe-
luncis aquosis, in temperamentum sui na-
turalis caloris, qui non repunt in terra,
sed volant in aere, et cetera animantia
terræ in quantitate excedunt. Aliqui per
dracones intelligunt cete grandia, quo-
C niam in Genesi, ubi nos habemus, Creavit Gen. I, 21.
Deus cete grandia, in Hebræo dicitur, Dra-
cones magnos. *Et omnes abyssi*, id est
particularia profundaque maria, seu pro-
funda loca Oceani, in quibus habitant ce-
te ; (8) *Ignis*, id est elementum supremum, 8
*grando, nix, glacies, spiritus procella-
rum*, id est venti tempestuosi, concitantes
procellas in mari, *quæ faciunt verbum
ejus*, id est, divino præcepto obediunt, id-
que operantur ad quod divinitus ordinan-
tur ; (9) *Montes et omnes colles*, id est magni 9
D et parvi montes, *ligna fructifera* habentia
sementem generis sui in se ipsis, *et omnes
cedri*, quæ sunt arbores altæ ; (10) *Bestiæ* 10
silvestres atque indomitæ, *et universa pe-
cora* domestica, *serpentes*, id est animalia
repentia, *et volucres pennatæ*. Omnia hæc
laudent Deum, unumquodque secundum
modum suum. Sed quid est quod inani-
mata et irrationalia et bruta alloquimur ?
Et respondendum, quod ea alloquimur,
non ut ipsa intelligant verba nostra, sed
ut nos ipsi ea nominando et consideran-

Digitized by Google

do, inducamur ad Creatoris admirationem A
ac laudem. Nam, sicut in libro Sapientiæ
Sap. xiii, 5. dicitur, A magnitudine speciei creaturæ
poterit Creator horum cognoscibiliter vide-
Rom. i, 20. ri. Invisibilia quoque Dei, per ea quæ fa-
cta sunt, cognoscuntur, testante Apostolo.

Deinceps invitatur et excitatur ad lau-
dem Dei ipse homo, propter quem facta
11 sunt omnia ista terrena. (11) *Reges terræ,*
id est regnorum et insularum, *et omnes*
populi eis subjecti, *principes,* regibus in-
feriores, *et omnes judices terræ,* id est
habitantes in terra, seu hominum in terra B
12 manentium, (12) *Juvenes et virgines, senes*
cum junioribus : id est omnis conditio,
omnis sexus, ætas et status humanæ cre-
aturæ, *laudent nomen Domini,* id est Do-
13 minum nomine designatum; *quia exalta-*
tum, id est cunctis prælatum, *est nomen*
ejus solius : id est, ipse solus universis
sublimior est, imo omnia in infinitum ex-
cedit in omni nobilitate et perfectione.
Propter quod in Ecclesiastico inducitur :
Eccli. i, 8. Unus est Altissimus creator omnium, omni-
potens Rex et metuendus nimis. Et Moyses C
Deut. iii, 24. ait : Non est alius deus in cœlo vel in ter-
ra, qui possit facere opera tua, et compa-
rari fortitudini tuæ.

14 (13) *Confessio ejus,* id est laus Dei, est
super cœlum et terram, id est in Ecclesia
triumphanti ac militanti, in patria atque
Habac. iii, 3. in via. Unde alibi legitur : Operuit cœlos
gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. *Et*
exaltabit in præsenti vita per gratiam, et
in futura per gloriam, *cornu populi sui,* id
est virtutem et dignitatem fidelium atque
Luc. xviii, 14. humilium. Humiles enim exaltat quotidie, D
dando eis spiritualem profectum. In die
Matth. xxv, 33. autem judicii collocabit eos ad dexteram
suam; deinde ponet eos cum corpore et
anima in regno majestatis paternæ, qua-
Joann. xvii, 24. tenus ubi ipse fuerit, et illi sint secum. De
qua exaltatione electorum impii mirabun-
Sap. v, 4, 5. tur in die judicii, dicentes : Nos insensati,
vitam illorum æstimabamus insaniam, et
finem illorum sine honore : ecce quomodo
computati sunt inter filios Dei, et inter
Sanctos sors illorum est.

(14) *Hymnus,* id est laus Dei cum cantico, est atque debetur *omnibus sanctis ejus* in cœlo et in terra. Nam et ipsi laude digni sunt, et Deum incessabiliter laudant. Qui autem sint sancti ejus, exemplificat : *filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Ad litteram Psalmista vocavit filios Israel seu Jacob patriarchæ, sanctos Dei, quoniam tempore illo pene totus mundus declinavit ad idololatriam præter eos. Unde Moyses sæpe ait ad eos : Populus sanctus es Domino Deo tuo. (Deut. vii, 6; xiv, 2.) Et hi filii Israel erant populus appropinquans Deo, bene vivendo. Sicut enim a Deo receditur per peccatum, sic ei appropinquatur per virtutes. Fides namque ostendit viam et finem seu terminum; spes vero incipit tendere; caritas autem unit nos Deo; et ceteræ virtutes, in quantum per caritatem informantur, Deo nos copulant. — Spiritualiter vero, per filios Israel intelliguntur omnes fideles seu Christiani Deum per fidem contemplantes : et istis est aut debetur hymnus, quemadmodum dicit Apostolus : Loquimini vobismetipsis in psalmis et hymnis et (Ephes. v, 19.) canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.

Ecce psalmum cœlicæ amœnitatis decore fulcitum, et sancti amoris zelo refertum, audivimus : in quo devotissimus Dei cultor totam universitatis machinam, paucis creaturis nominatim expressis, ad summæ Trinitatis laudem hortatur : quatenus quod ipse per se implere non valet, ab illis impleatur. Dum ergo psalmum hunc canimus, mentem nostram ab omni distractione revocemus, zelo divini amoris accendamus, et omni custodia præservemus. Contemplemur insuper in universis creaturis, præsertim in cœlestibus, excellentiam Creatoris, in ejus contemplatione epulemur, in ejus præconio delectemur, ejus beatitudini affectuosissime congratulemur. Denique id personaliter impleamus, ad quod cetera omnia exhortamur, videlicet Deum laudantes et glorificantes, ad cujus laudem et gloriam omnia facta sunt. Vere etenim possibilius esset, cœlum

Digitized by Google

et terram annihilari, quam hominem in laudibus Dei gloriantem non salvari. A

PRECATIO.

Laudabilis Domine et gloriose, fac nos, precamur, cum angelis tuis et omni creatura te digne laudare : ut devotas tibi laudes jugiter proclamantibus cœtibus angelicis in gloria æternitatis nos associes.

ARTICULUS LXVII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI QUADRAGESIMI NONI : CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM.

PORRO titulus huic psalmo præscriptus B
1 est : *Alleluia.* Est namque hic psalmus laus Domini Salvatoris, atque totius supergloriosissimæ Trinitatis : præsertim pro beneficio perfectæ victoriæ atque finalis triumphi, quem per Christi virtutem adepturi sunt fideles in secundo ejus adventu, quando omnes adversarii electorum æternaliter damnabuntur, et ipsi electi ab omni malo pœnæ et culpæ liberabuntur, resumentes corpora glorificata.

AIT ergo sanctus Propheta : (1) *Cantate Domino canticum novum,* id est, re- C
cens carmen et novam laudem Deo offerte, in qua nova ejus beneficia contineantur. Dicitur autem canticum novum, non propter temporis novitatem, sed propter materiæ atque devotionis spiritualem innovationem. Itaque monemur Deum laudare pro beneficiis ejus, nobis in fine sæculorum per Christum collatis, videlicet de Christi incarnatione, prædicatione, passione, Spiritus Sancti missione; de ejus
Philipp. III, 21. quoque futuris beneficiis, quibus refor- D
mabit corpus humilitatis nostræ, configu-
Apoc. XIX, 2. ratum corpori claritatis suæ, et vindicabit perfecte injuriam servorum suorum humilium. *Laus ejus,* scilicet Dei, est *in ecclesia sanctorum,* id est in congregationibus devotorum, in Ecclesia militanti ac triumphanti, quemadmodum apud Isaiam
Is. LI, 3. recolitur : Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.

(2) *Lætetur Israel,* id est populus fidelis 2
seu christianus, qui per fidem et vitam reputatur in semine Patriarcharum, multo amplius quam filii carnis, prout Apostolus memorat : Non qui in manifesto, Judæus; Rom. II, 28, 29.
neque quæ in manifesto in carne est circumcisio : sed qui in abscondito, Judæus est; et circumcisio cordis in spiritu, non littera. Unde de filiis carnalibus carnaliter circumcisis, sed Christum negantibus, ait Joannes : Dicunt se Judæos esse, et non Apoc. III, 9.
sunt, sed mentiuntur. Unde rursus Paulus testatur : Qui ex fide sunt, hi filii sunt Galat. III, 7.
Abrahæ. Itaque iste verus Israel lætetur spirituali lætitia *in eo qui fecit eum,* id est in suo Creatore ac Salvatore, in ejus contemplatione, dilectione et cultu cordialiter gloriando, sicut Apostolus monet : Qui gloriatur, in Domino glorietur. I Cor. I, 31.

Et filiæ Sion, id est particulares Ecclesiæ cœlestia speculantes, vel animæ devotæ, quæ sunt filiæ Ecclesiæ per Sion designatæ, *exsultent in rege suo,* Sponso cœlesti. De quo in Canticis canticorum habetur : Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Cant. III, 11.
Salomonem; et iterum, Introduxit me rex Ibid. II, 4.
in cellam vinariam. Iste rex noster est Christus, de quo scriptum est : Dominus Is. XXXIII, 22.
judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse veniet et salvabit nos. In hoc rege animæ piæ modo gaudent spiritualiter. (3) *Laudent nomen ejus* 3
in choro corporali, videlicet societate per caritatem concordi; et item in choro spi-

rituali, id est in concordia morum, in con-
sonantia operum bonorum, in connexione
virtutum. *In tympano et psalterio psal-
lant ei.* Utitur enim interdum Ecclesia in
laude divina his musicis instrumentis. —
Spiritualiter vero per tympanum, carnis
mortificatio significatur, quia in tympano
corium extenditur. Per psalterium vero,
in quo chordæ extenduntur, bona operatio
figuratur. Itaque, Filiæ Sion *in tympano,*
id est in carnis castigatione, in concupi-
scentiarum refrenatione, in propria mor-
tificatione, *et psalterio,* id est vita laudabi-
li, *psallant,* id est, laudem annuntient, *ei,* id
est regi suo, Domino Salvatori : quatenus
vita et mores consonent verbis, et talis sit
vita, quæ reddat animam ad laudandum
Deum idoneam.
4 (4) *Quia beneplacitum est Domino* Chri-
sto *in populo suo* christiano, æternaliter
Prov. viii, 31. præelecto, quemadmodum fatetur : Deli-
ciæ meæ esse cum filiis hominum; et ite-
Joann. xv, 9. rum, Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi
vos. *Et exaltabit* in die judicii *mansue-
tos,* id est veraciter Christianos, qui didi-
cerunt ab eo illam lectionem quam om-
Matth. xi, 29. nibus nobis proponit : Discite, inquiens, a
me, quia mitis sum et humilis corde. Hos
ergo mansuetos exaltabit *in salutem* men-
tis et corporis, dando eis duplicem sto-
lam, beatitudinem plenam, vitam æter-
5 nam. Propterea subditur : (5) *Exsultabunt
Sancti in gloria* beatificæ visionis in pa-
Is. lxv, 18. tria, prout Dominus ait : Exsultabitis et
gaudebitis usque in æternum; *lætabuntur
in cubilibus suis,* id est in cœlestibus man-
sionibus, in quibus dulciter requiescunt,
atque in Deo feliciter somno sincerissimæ
contemplationis obdormiunt. De his cubi-
Joann. xiv, 2. libus ait Salvator : Vado parare vobis lo-
Ibidem. cum; et rursus, In domo Patris mei man-
siones multæ sunt.
6 (6) *Exsultationes Dei,* id est exsultationes
spirituales atque divinæ, laudes perpetuæ,
erunt *in gutture eorum.* Si hoc de gutture
corporali intelligatur, sequi videtur quod
in patria erit laus vocalis : quod ego pro-
babilius reor quam aliud. Potest tamen
exponi de gutture spirituali : de quo Spon-
sa ait in Canticis, Fructus ejus dulcis gut- Cant. ii, 3.
turi meo; et Salomon, Veritatem medita- Prov. viii, 7.
bitur guttur meum. Hoc est guttur per
quod verbum cordis profertur, quo spiri-
tualis dulcedo gustatur. Itaque, Exsultati-
ones Dei, id est divinæ, et ad Deum or-
dinatæ, erunt in gutture Beatorum, ita
quod in eorum gutture spirituali erunt
exsultationes seu delectationes internæ et
spirituales; in gutture autem eorum cor-
porali erunt exsultationes seu laudes exte-
riores atque sensibiles. Qualiter vero voces
et soni laudum vocalium in cœlo empyreo
formabuntur, difficultatem habet, quæ hoc
loco discutienda non est. *Et gladii anci-
pites in manibus eorum.* In Apocalypsi de
Christo inducitur : De ore ejus gladius Apoc. i, 16.
ex utraque parte acutus exibat. Et palam
quod ibi per gladium intelligatur districta
sententia judicis contra injustos. Simili-
ter nunc ait Scriptura de Sanctis cum
Christo judicaturis (quibus ipse loquitur :
Quum sederit Filius hominis in sede ma- Matth. xix, 28.
jestatis suæ, sedebitis et vos super sedes
duodecim, judicantes duodecim tribus Is-
rael) : *Gladii ancipites,* id est sententia
judicis contra iniquos, *in manibus,* id est
in potestate *eorum.* Simul enim cum Chri- I Cor. vi, 2.
sto judicabunt.
(7) *Ad faciendam vindictam in nationi-* 7
bus, id est, ut simul cum Christo ulciscantur
in nationibus perversorum peccata atque
injurias Deo et sibi illatas; et ad facien-
das *increpationes,* id est justas reprobati-
ones et pœnas, *in populis* reprobis. Di-
cuntur autem Sancti ista facturi, quoniam
Christo ista agenti consentient et adsta-
bunt. (8) *Ad alligandos reges* injustos *eo-* 8
rum, scilicet impiorum, *in compedibus,* id
est in vinculis æternæ damnationis, a qui-
bus nunquam erui poterunt, *et nobiles eo-
rum* superbos *in manicis,* id est ligami-
nibus, *ferreis.* Per hoc enim quod Sancti
impios cum Christo damnabunt, reges no-
bilesque eorum, puta tyrannos injustos-
que præsides, ligabunt in compedibus et
manicis ferreis, secundum quod Christus

Digitized by Google

Matth. XXII, 13. locutus est : Ligatis manibus et pedibus, A projicite eum in tenebras exteriores.
9 (9) *Ut faciant in eis judicium conscriptum,* id est, ut sic judicent impios, sicut in divina præscientia scriptum, atque in sacris Scripturis digestum est. Unde Dominus alio Malach. IV, 2, 3. loco justis promittit : Egrediemini et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios in die qua ego facio, dicit Dominus.

Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus, id est, universis electis cedet ad gloriam præinducta ultio Beatorum, quemadmodum B Ps. LVII, 11. scriptum est : Lætabitur justus quum viderit vindictam. Vel, Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus, id est, omnes electi tunc vindicabunt in nationibus, sicut jam patuit. Omnes enim cum Christo per approbationem judicabunt, et fortiter, imperterrite et constantissime contra reprobos stabunt, et maxime martyres contra ty- Sap. V, 1-3. rannos, juxta illud : Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes (impii) turbabuntur ti- C more horribili, etc., gementes præ angustia spiritus, dicentes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. In libro quoque Ibid. III, 8. Sapientiæ iterum legitur : Judicabunt justi nationes, et dominabuntur populis. Hæc sunt incomprehensibilia Dei justi judicia: ut taliter exaltentur in die judicii, qui nunc propter justitiam patiuntur, veraciter humiliantur, et Deo humiliter obsequuntur. Matth. V, 10. Sic quoque tunc humiliabuntur, qui modo justos affligunt, contra justitiam tument, et temporaliter prævalent.

Denique movere non debet, quod primo dicit Sanctos exsultaturos in gloria, et lætaturos in cubilibus suis; et postea subdit, Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, etc., quod tamen præcedet. Sacra namque Scriptura non semper enumerat dona Dei eo ordine quo præstantur. Sed et Christus talem ordinem ponit in verbis, sicut nunc psalmus præsens. Ait namque discipulis : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et Luc. XXII, 29, 30. bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.

Ecce hic psalmus ad laudem divinam et spiritualem lætitiam hilariter nos invitat, beatitudinem electorum jucunde describit, reproborumque pœnas salubriter pandit : quatenus ad Sanctorum societatem pertingere satagamus, impiorumque opera atque tormenta abhorrere et fugere laboremus.

PRECATIO.

Qui nos fecisti, Domine, præsta nobis te diligendo lætari et exsultare in te; et beneplacitum tibi sit in nobis, et exaltes nos in salutem æternæ beatitudinis.

ARTICULUS LXVIII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI : LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS.

TITULUS hujus novissimi psalmi est : D
1 *Alleluia.* Præsens enim psalmus Ecclesiam triumphantem invitat ad laudandum suæ fontem beatitudinis, suæ salutis auctorem. Quia enim psalmus immediate præcedens, translationem Sanctorum ad patriam reseravit, merito nunc Psalmista hortatur eamdem Sanctorum societatem, ut Domino Deo pro tantis beneficiis laudes et gratias referat.

Digitized by Google

rituali, id est in concordia morum, in consonantia operum bonorum, in connexione virtutum. *In tympano et psalterio psallant ei.* Utitur enim interdum Ecclesia in laude divina his musicis instrumentis. — Spiritualiter vero per tympanum, carnis mortificatio significatur, quia in tympano corium extenditur. Per psalterium vero, in quo chordæ extenduntur, bona operatio figuratur. Itaque, Filiæ Sion *in tympano,* id est in carnis castigatione, in concupiscentiarum refrenatione, in propria mortificatione, *et psalterio,* id est vita laudabili, *psallant,* id est, laudem annuntient, *ei,* id est regi suo, Domino Salvatori : quatenus vita et mores consonent verbis, et talis sit vita, quæ reddat animam ad laudandum Deum idoneam.

4 (4) *Quia beneplacitum est Domino* Christo *in populo suo* christiano, æternaliter
Prov. viii, 31. præelecto, quemadmodum fatetur : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum; et iterum,
Joann. xv, 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. *Et exaltabit* in die judicii *mansuetos,* id est veraciter Christianos, qui didicerunt ab eo illam lectionem quam omnibus nobis proponit :
Matth. xi, 29. Discite, inquiens, a me, quia mitis sum et humilis corde. Hos ergo mansuetos exaltabit *in salutem* mentis et corporis, dando eis duplicem stolam, beatitudinem plenam, vitam æter-
5 nam. Propterea subditur : (5) *Exsultabunt Sancti in gloria* beatificæ visionis in pa-
Is. lxv, 18. tria, prout Dominus ait : Exsultabitis et gaudebitis usque in æternum; *lætabuntur in cubilibus suis,* id est in cœlestibus mansionibus, in quibus dulciter requiescunt, atque in Deo feliciter somno sincerissimæ contemplationis obdormiunt. De his cubi-
Joann. xiv, 2. libus ait Salvator : Vado parare vobis lo-
Ibidem. cum; et rursus, In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

6 (6) *Exsultationes Dei,* id est exsultationes spirituales atque divinæ, laudes perpetuæ, erunt *in gutture eorum.* Si hoc de gutture corporali intelligatur, sequi videtur quod in patria erit laus vocalis : quod ego probabilius reor quam aliud. Potest tamen exponi de gutture spirituali : de quo Sponsa ait in Canticis, Fructus ejus dulcis gut- Cant. ii,
turi meo; et Salomon, Veritatem medita- Prov. viii, 7.
bitur guttur meum. Hoc est guttur per quod verbum cordis profertur, quo spiritualis dulcedo gustatur. Itaque, Exsultationes Dei, id est divinæ, et ad Deum ordinatæ, erunt in gutture Beatorum, ita quod in eorum gutture spirituali erunt exsultationes seu delectationes internæ et spirituales; in gutture autem eorum corporali erunt exsultationes seu laudes exteriores atque sensibiles. Qualiter vero voces et soni laudum vocalium in cœlo empyreo formabuntur, difficultatem habet, quæ hoc loco discutienda non est. *Et gladii ancipites in manibus eorum.* In Apocalypsi de
Christo inducitur : De ore ejus gladius Apoc. i, 16.
ex utraque parte acutus exibat. Et palam quod ibi per gladium intelligatur districta sententia judicis contra injustos. Similiter nunc ait Scriptura de Sanctis cum Christo judicaturis (quibus ipse loquitur:
Quum sederit Filius hominis in sede ma- Matth. xix, 28.
jestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel) : *Gladii ancipites,* id est sententia judicis contra iniquos, *in manibus,* id est
in potestate *eorum.* Simul enim cum Chri- I Cor. vi, 2.
sto judicabunt.

(7) *Ad faciendam vindictam in nationi-* 7
bus, id est, ut simul cum Christo ulciscantur in nationibus perversorum peccata atque injurias Deo et sibi illatas; et ad faciendas *increpationes,* id est justas reprobationes et pœnas, *in populis* reprobis. Dicuntur autem Sancti ista facturi, quoniam Christo ista agenti consentient et adsta-
bunt. (8) *Ad alligandos reges* injustos *eo-* 8
rum, scilicet impiorum, *in compedibus,* id est in vinculis æternæ damnationis, a quibus nunquam erui poterunt, *et nobiles eorum* superbos *in manicis,* id est ligaminibus, *ferreis.* Per hoc enim quod Sancti impios cum Christo damnabunt, reges nobilesque eorum, puta tyrannos injustosque præsides, ligabunt in compedibus et manicis ferreis, secundum quod Christus

Digitized by Google

Matth. XXII, 13. locutus est : Ligatis manibus et pedibus, A
9 projicite eum in tenebras exteriores. (9) *Ut faciant in eis judicium conscriptum,* id est, ut sic judicent impios, sicut in divina præscientia scriptum, atque in sacris Scripturis digestum est. Unde Dominus alio
Malach. IV, 2, 3. loco justis promittit : Egrediemini et salietis quasi vituli de armento, et calcabitis impios in die qua ego facio, dicit Dominus.

Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus, id est, universis electis cedet ad gloriam præinducta ultio Beatorum, quemadmodum B
Ps. LVII, 11. scriptum est : Lætabitur justus quum viderit vindictam. Vel, Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus, id est, omnes electi tunc vindicabunt in nationibus, sicut jam patuit. Omnes enim cum Christo per approbationem judicabunt, et fortiter, imperterrite et constantissime contra reprobos stabunt, et maxime martyres contra ty-
Sap. V, 1-3. rannos, juxta illud : Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes (impii) turbabuntur ti- C more horribili, etc., gementes præ angustia spiritus, dicentes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. In libro quoque
Ibid. III, 8. Sapientiæ iterum legitur : Judicabunt justi nationes, et dominabuntur populis. Hæc sunt incomprehensibilia Dei justi judicia: ut taliter exaltentur in die judicii, qui nunc propter justitiam patiuntur, veraciter humiliantur, et Deo humiliter obsequuntur. Matth. V, 10. Sic quoque tunc humiliabuntur, qui modo justos affligunt, contra justitiam tument, et temporaliter prævalent.

Denique movere non debet, quod primo dicit Sanctos exsultaturos in gloria, et lætaturos in cubilibus suis; et postea subdit, Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, etc., quod tamen præcedet. Sacra namque Scriptura non semper enumerat dona Dei eo ordine quo præstantur. Sed et Christus talem ordinem ponit in verbis, sicut nunc psalmus præsens. Ait namque discipulis : Ego dispono vobis regnum, ut edatis et Luc. XXII, 29, 30.
bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.

Ecce hic psalmus ad laudem divinam et spiritualem lætitiam hilariter nos invitat, beatitudinem electorum jucunde describit, reproborumque pœnas salubriter pandit : quatenus ad Sanctorum societatem pertingere satagamus, impiorumque opera atque tormenta abhorrere et fugere laboremus.

PRECATIO.

Qui nos fecisti, Domine, præsta nobis te diligendo lætari et exsultare in te; et beneplacitum tibi sit in nobis, et exaltes nos in salutem æternæ beatitudinis.

ARTICULUS LXVIII

EXPOSITIO PSALMI CENTESIMI QUINQUAGESIMI : LAUDATE DOMINUM IN SANCTIS EJUS.

TITULUS hujus novissimi psalmi est : D
1 *Alleluia.* Præsens enim psalmus Ecclesiam triumphantem invitat ad laudandum suæ fontem beatitudinis, suæ salutis auctorem. Quia enim psalmus immediate præcedens, translationem Sanctorum ad patriam reseravit, merito nunc Psalmista hortatur eamdem Sanctorum societatem, ut Domino Deo pro tantis beneficiis laudes et gratias referat.

Digitized by Google

ITAQUE dicit : (1) *Laudate,* o vos cives
cœlestes, *Dominum,* vestræ felicitatis
objectum et causam, *in Sanctis ejus,* id
est in universis comprehensoribus et Be-
atis, gratias ei agendo pro omnibus bonis
quæ largitus est eis, et quidquid felicitatis
et gloriæ in ipsis est, ei principaliter ad-
Ps. LXVII, 36. scribendo. Vere enim mirabilis est Deus
in Sanctis illis. *Laudate eum in firma-
mento virtutis ejus,* id est in stabilitate
fortitudinis, quam dedit Beatis, confirman-
do eos in bono. Hanc ergo beneficentiam
Deo adscribite, atque pro ea ipsum lauda-
te. Vel, In firmamento virtutis ejus, id est
in cœlo empyreo a divina virtute causato.
Sicut enim Deus in hoc cœlo esse cense-
tur, ita in eo laudandus perhibetur. De
Deut. XXVI, 15. hoc enim firmamento scriptum est : Re-
spice, Domine, de sanctuario tuo, de ex-
celso cœlorum habitaculo.

2 (2) *Laudate eum in virtutibus ejus,* id
est in angelis sanctis, qui virtutes dicun-
tur, ut in præcedentibus dictum est ; vel,
In virtutibus ejus, id est magnis atque
potentibus ejus effectibus, scilicet quod
tanta pro hominibus fecit et passus est,
quod Sanctos suos tam mirabiliter exalta-
vit in judicio, in patria, in corpore et ani-
ma. *Laudate eum secundum multitudi-
nem magnitudinis ejus,* id est secundum
quod ipse Deus multipliciter magnus est
in se ipso et suis operibus. Est enim ma-
Ps. CXLVI, 5. gnus in sapientia, quia sapientiæ ejus non
est numerus ; magnus in potentia, quia
Jer. XXXII, 17. non est difficile ei omne verbum ; magnus
in misericordia, magnus in justitia, ma-
gnus, imo immensus in omni perfectione.
Eccli. XLIII, 33. Sed quum Deus in infinitum major et di-
gnior sit omni laude, quam sibi offerre
potest omnis creatura, quomodo aliquis
potest Deum laudare secundum multitudi-
nem magnitudinis ejus ? Et respondendum,
quod hoc est Deum laudare secundum
multitudinem magnitudinis ejus : lauda-
re eum totis viribus, et tamen profiteri
se nihil dignum agere, neque sufficere
ad ejus præconia persolvenda, et nihilo
minus reverenter atque humiliter facere

A ad gloriam Dei quidquid possibile fuerit.

(3) *Laudate eum in sono tubæ,* etc. Per 3
hæc septem musica instrumenta quæ hic
nominantur, designatur ineffabilis et mul-
tiformis seu multiplex Beatorum jucundi-
tas in Dei laudatione consistens : suntque
instrumenta hæc spiritualiter intelligen-
da. Itaque, *Laudate eum in sono tubæ,* id
est laude magnifica et summo præconio,
tanquam regem regum et omnis triumphi
datorem. *Laudate eum in psalterio,* id est
in gratiarum actione, de hoc quod præstitit
B vobis gratiam custodiendi mandata : quo-
rum observatio per psalterium designatur,
ut dictum est sæpe ; *et cithara,* id est in
gratiarum actione de hoc, quod contulit
vobis carnis mortificationem in sæculo is-
to : quæ significatur per citharam. (4) *Lau-* 4
date eum in tympano, id est pro dono
immortalitatis, vestræ carni olim mortali
collato. De spirituali autem significatio-
ne tympani, dictum est in psalmo præ-
cedenti. *Et choro,* id est, in choro seu or-
dine angelorum, cui adunati estis, Deum
C laudate qui vos fecit angelis pares. *Lauda-
te eum in chordis,* id est in virtutum con-
sonantiis, in longitudine quoque, latitudi-
ne et profunditate caritatis, *et organo,* id
est in dulci modulamine omnium ad divi-
nam laudem spectantium. Per organa enim,
quorum usus manet in Christi militanti
Ecclesia, generalitas laudis divinæ expri-
mitur. (5) *Laudate eum in cymbalis bene-* 5
sonantibus. Cymbala benesonantia sunt
labia oris et cordis, Deum devote laudan-
tia. In istis laudant Deum Beati. Unde quod
D de istis cymbalis animatis loquatur Pro-
pheta, sequentia verba ostendunt : *laudate
eum in cymbalis jubilationis,* id est in
cymbalis talibus, de quibus jubilatio, id est
jucundissima atque inenarrabilis quædam
Dei laudatio, oritur, scilicet in labiis cor-
dis seu oris. Labia vero cordis aliud pror-
sus non sunt, nisi intellectus, quo verbum
mentale profertur, vel habitus intellectua-
lis et vis intellectiva. Cupit ergo Propheta,
ut Sancti in patria Deum tota mente col-
laudent, et oris quoque præconiis eum, ut

Digitized by Google

decet, attollant : quod utique incessabiliter agunt, sicut apud Isaiam Dominus pro-
Is. LXV, 14. testatur : Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis. Neque enim idcirco invitantur et admonentur a nobis ad laudem divinam, quasi nostra exhortatione indigeant, sed ut nos eis congratulemur, et propria invitatione accendamur.

Denique quoniam nostra perfectio ab operatione morali inchoatur, et in laude divina finitur; idcirco sicut exordium libri præsentis admonet ad bene agendum, sic finis ejus hortatur ad Dei præconium, dum
6 subditur : *Omnis spiritus* intellectualis, bene dispositus, utpote angelus et anima rationalis, *laudet Dominum* omnipotentem, æternum, immensum, in substantia unum et simplicem, in personis trinum :
Jacob. I, 17. a quo tanquam a Patre luminum, descendit omne donum optimum, et omne datum perfectum.

PRECATIO.

Spiritualibus vitiis cunctis a nobis expulsis, infunde sensibus nostris, Domine, unctionem Spiritus Sancti : cujus nobis habitaculum factis, omnis spiritus noster laudet te Dominum cœli.

Ecce ad laudem, honorem et gloriam superbenedictæ et superessentialis et supergloriosissimæ Trinitatis, unius simplicissimæ atque purissimæ Deitatis, utcum-

A que finita est expositio libri Psalmorum, prout Dominus dare dignatus est, juxta formam a principio conceptam, videlicet simplici planoque stilo, imo et sensu perfacili, sed tamen frequenter multiplici, utpote litterali, allegorico, tropologico, et anagogico. Saluberrima demum scientia est, intelligere librum Psalmorum, quoniam (contestante magno itemque divino Dionysio) quidquid in sacra Scriptura describitur, continetur et clauditur, hoc liber Psalmorum per modum laudis divinæ
B complectitur. Incessabiliter ergo et infatigabiliter in psalmorum cantibus occupemur; jugiter fluant ex corde per ora sacratissima verba psalmorum. In hoc exercitio habituetur anima nostra, donec perfecte habituata, sine labore delectabilissime psallat; et omnem occupationem, statum et curam ab hoc exercitio cœliformi atque angelico impedientem, fastidiat, vitet, et quantum licet seu expedit, deserat. Hoc est
in terra angelicam vitam ducere, conver- *Philipp.* III, 20.
sationem in cœlis habere, ad futuram bea-
C titudinem disponi et appropinquare. Tanto equidem Deum in patria jucundius beatiusque laudabimus, quanto nunc Deum devotius, frequentius delectabiliusque laudamus, qui est super omnia Deus fortis et gloriosus : cui gloria, magnificentia, imperium et potestas, quoniam ipse est universorum superfelix creator, omnipotens gubernator, misericordissimus quoque salvator, Deus sublimis et benedictus. Amen.

Sequitur tractatulus De modo devote psallendi, sive Conclusio commentariorum in Psalterium.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCLUSIO
COMMENTARIORUM IN PSALTERIUM

TRACTATULUS
DE MODO DEVOTE PSALLENDI

PROŒMIUM

IN *omni opere* David *dedit confessionem* Deo *excelso et sancto in verbo gloriæ. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum qui fecit illum. Stare fecit cantores contra altare, et in sono eorum dulces fecit modos. Dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora usque ad consummationem, ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent Dei sanctitatem.* Eccli. XLVII, 9-12.

In his verbis electus David, admirabile vas misericordiæ Dei, multipliciter atque magnifice commendatur. Primo, ex devotissimis actibus latriæ, quæ est virtus moralis præcipua, summo omnipotentique Deo cultum ac cærimoniam exhibens, quia in omni opere suo dedit Deo confessionem : Deo, inquam, excelso, imo altissimo et superaltissimo, utpote prorsus infinitæ et incomparabilis excellentiæ regi, omnium creatori; essentialiter sancto, qui solus ex sua natura impeccabilis est. Huic dedit David confessionem in omni opere suo, id est in cunctis operibus Dei, sive in omnibus creaturis, de
quibus tres pueri cecinerunt, Benedicite, omnia opera Domini, Domino; in omnibus *Dan.* III, 57.
quoque operibus suis, puta ipsius David, qui quidquid boni effecit, Deo adscripsit
humiliter, et de omni opere suo malo pœnituit vehementer. Et ita confessus est Deo II *Reg.* XII,
confessione laudis divinæ, et confessione propriæ culpæ : et hoc, in verbo gloriæ, id 13.
est in gloriosis verbis psalmorum, et item in Verbo æterno, de quo fertur in Eccle-
siastico, Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. De omni corde suo, id est toto intel- *Eccli.* I, 5.
lectu et affectu, Confitebor, inquiens, tibi, Domine, in toto corde meo, laudavit Deum *Ps.* IX, 2; CX,
cum omni attentione, reverentia et caritate, sine qua nihil Deo acceptum meritoriumve 1; CXXXVII, 1.
consistit : sic quippe psallendum est, Psallam spiritu, psallam et mente. I *Cor.* XIV,
15.

Qualiter autem David rex ordinavit et stare fecit cantores in templo circa altare
seu contra altare, id est ex opposito altaris, primo Paralipomenon recitatur : in quo- I *Par.* XVI.
rum sono, id est psalmodia et laude vocali, modulos fecit dulces, quoniam ita dispo-

Digitized by Google

suit, quod consonanter, concorditer et devote psallebant. Dedit quoque in celebrationibus decus, id est in divinis officiis et sacris solenniis pulchritudinem magnam, per hoc quod cantica sua præclara in illis tunc cantabantur, et nunc usque cantantur in
Ps. CXLIX, 1. domibus Dei ecclesiisque sanctorum. Per quod ornavit tempora usque in finem, quia sic canentur, quamdiu durabit Ecclesia, in qua psalmi præ Scripturis ceteris frequentantur ac solenniter decantantur : ut fideles laudent nomen Dei sanctum, id est ipsummet Deum, nomine nominante significatum, et amplificent, id est divulgent, sanctitatem ipsius, ad ejusdem notitiam, cultum, et honorificentiam alios inducendo.

Hinc innotescit sententia, virtus, fervor, præclaritasque psalmorum, ex quibus totus cultus Creatoris, Officium omne divinum, et tempus durationis vitæ præsentis, sic decorantur. Etenim quanta sententiositas sit psalmorum, quam igniti affectus eorum, quam ingens eorum suavitas, quam mira jucunditas, quam profunda contritio, quam affectuosa oratio, quam pulchra varietas personarum, ex quarum parte proferuntur, quam alta contemplatio, quam frequens inflammatio, quam compendiosa descriptio mysteriorum Christi atque Ecclesiæ, quanta humiliatio sui ipsius, quam salubris consideratio mutabilitatis et defectuositatis rerum inferiorum et humanarum, quam moralis instructio, quam compendiosa continentia Scripturarum, quis eloqui queat?

Hinc jam libro Psalmorum quadrupliciter, id est litteraliter, tropologice, allegorice, ac anagogice (prout Domino concedente quivi) exposito, nihilo minus a devotis ac studiosis confratribus in Christo carissimis, rogatus sum addere, pro conclusione Psalterii et instructione devote psallendi, etiam ista sequentia.

Occasionem istud rogandi (ni fallor) sumpserunt ex verbis venerabilis magistri Hugonis de S. Victore, in tractatu suo de Oratione dicentis : Quia igitur in affectibus pietatis est omnis virtus orandi, enumeremus aliquot ex ipsis, et exemplis demonstremus, ut quia omnes enumerare non possumus (infiniti enim sunt affectus), quid tamen in omnibus laudabile sit, et Deo acceptum, ex quibusdam conjiciamus. Est affectus dilectionis, quum forte mens vel videns vel reminiscens id quod amat, subito amoris igne corripitur. Est quoque admirationis affectus, dum quis aliquid novum atque mirabile contemplans, in stuporem mox excitatur. Est etiam affectus congratulationis, quum acceptabile quid beneplacitumque conspiciens, hilaritate perfunditur. Est item affectus humilitatis, quando ex consideratione propriæ infirmitatis et defectuositatis, ab omni elatione se reprimit. Est demum mœroris affectus, dum ex consideratione culparum et adversitatum suarum, intra se contrahitur ac tabescit. Est affectus timoris, dum ex consideratione imminentium periculorum concutitur. Est insuper affectus indignationis, quum in odium aut detestationem adversariorum, ex attentione malignitatis eorum movetur. Est rursus affectus zeli, dum amore justitiæ ad desiderium ultionis provocatur. Est præterea affectus bonæ præsumptionis, dum ex nova et singulari fiducia ad vindicandum aut apprehendendum aliquid, plus solito quispiam animatur. Hæc Hugo. In quibus verbis, quod asserit infinitos esse affectus, verificari potest loquendo de affectibus in particulari, et ex parte subjecti; non autem loquendo de speciebus affectuum, et ex parte objecti, quum et species rerum determinatæ sint et finitæ, omniumque affectionum origo et radix sit amor.

At vero præter prætactos affectus, alii quidam poterunt assignari. Est affectus con-
Sap. VI, 21. cupiscentiæ, tam intellectualis, de qua legitur, Concupiscentia sapientiæ deducit ad

Digitized by Google

regnum perpetuum; quam sensitivæ ac fœdæ, de qua jubetur, Post concupiscentias tuas non eas. Amplius, est affectus pusillanimitatis, de quo Isaias, Qui pusillo animo (inquit) estis, convalescite; et Psalmographus, Exspectabam (ait) eum qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Est et affectus magnanimitatis, de quo in libro Judicum Debora cecinit : Diviso contra se Ruben, magnanimorum contentio reperta est. Iterum, est affectus devotionis, qui est promptitudo animi ad divina, juxta illud Psalmi : Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua; itemque, Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Sic etiam est affectus obdurationis, ac ferreæ insipiditatis, atque internæ sterilitatis, secundum illud : Noluit Sehon rex Hesebon filiis Israel dare transitum, quia induraverat Dominus Deus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius; et juxta illud, Indurasti, Domine, cor nostrum, ne timeremus te. Amplius, est affectus spei * et bonæ fiduciæ, affectus spei, affectus audaciæ, affectus querelæ, affectus iræ et impatientiæ, affectus pigritiæ et repausationis carnalis, affectus honoris et laudis humanæ. Quemadmodum etiam sunt multæ species amoris, et timoris, ac mœroris, aliorumque prætactorum, ita et multæ sunt species affectuum prædictorum. Postremo, quum dicitur affectus dilectionis, affectus timoris, etc., potest intelligi intransitive, id est affectus qui est dilectio, atque causaliter, id est affectus qui ex dilectione procedit, prout ex virtute et habitu procedit et oritur actus.

Eccli. XVIII, 30. *Is.* XXXV, 4. *Ps.* LIV, 9. *Judic.* V, 16. *Ps.* CXVIII, 60. *Ps.* LVI, 8; CVII, 2. *Deut.* II, 30. *Is.* LXIII, 17.

* fidei

Est ergo intentio in conclusione ista, breviter tangere affectus pios et caritativos, devotionales, ignitos, contemplativos ac varios, quibus proferuntur et proferenda sunt verba psalmorum, et qualiter in his ipse psallens et chorus psallentium formare debent suos affectus, seque conformare sensibus atque affectibus, verbis ac versibus ipsorum psalmorum. Nempe in psalmis, imo nonnunquam in psalmo eodem, quædam dicuntur in persona hominis perfecti et innocentis, quædam in persona peccatoris ac pœnitentis, quædam in persona proficientis, aliqua in persona Christi, aliqua in persona Ecclesiæ, aliqua in persona psallentis; quædam per modum historiæ, quædam in spiritu prophetiæ, nonnulla per modum doctrinæ; sed et aliqua comminando, avisando, terrendo, ac aliis modis. Estque perutile scire qualiter in omnibus his psallens debeat se habere, et suos affectus, conceptus, intentiones, considerationes repente ac multiformiter variare : ut sit vere, salubriter, fructuoseque psallens, et psallendo se ipsum compungens, exhortans, instruens, elevans, dirigens, terrens, humilians, roborans, lætificans, et inflammans.

ARTICULUS PRIMUS

QUID SIT COMPUNCTIO, ET DE MULTIPLICI SPECIE COMPUNCTIONIS IN PSALMODIA.

SICUT contritio in spiritualibus metaphorice dicitur a contritione quæ in corporalibus invenitur, ita compunctio. Quemadmodum enim in corporalibus res A conteri perhibetur, dum sic in minutissimas frangitur partes, quod nihil in ea integrum permanere videtur; sic contritio in spiritualibus, quæ pœnitentiæ pars est,

Digitized by Google

appellatur, dum peccandi voluntas prorsus abjicitur, defletur, annihilatur, et bene agendi, satisfaciendi, et perseverandi firmum succedit propositum. Ita compunctio in exterioribus primo vocata est stimulatio quædam aut constimulatio : siquidem pungere, stimulare exponitur. Hinc spiritualiter compunctio nominatur quædam transfixio cordis, quæ primo et maxime fieri videtur per pœnales affectiones, ut sunt dolor internus, mœror, formido. Unde compunctio pro contritione frequenter accipitur, juxta illud in Psalmo (*Ps.* IV, 5.) : Quæ dicitis in cordibus vestris, id est de his quæ in mentibus vestris culpabiliter cogitastis et proposuistis, in cubilibus vestris compungimini, id est, in secretis animorum vestrorum contritionem habete.

Quumque amor, ratione absentiæ et offensæ amati, tristitiam pariat et dolorem, in tantum ut Sponsa testetur (*Cant.* II, 5.), Quia amore langueo ; hinc et amor gignit compunctionem, præsertim quum et amor usque ad intima dilecti sit penetrativus : propter quod amor fertur intrare, ubi notitia remanet foris. Ideo Sponsus hortatur (*Ibid.* VIII, 6.) : Pone me ut signaculum super cor tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Denique istæ compunctiones interdum ex inspiratione superna, interdum ex admonitione fraterna causantur in nobis. Unde oravit Psalmista (*Ps.* CXVIII, 120.) : Confige timore tuo carnes meas. Scriptum quoque est (*Eccle.* XII, 11.) : Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, id est profunde incussi.

Ex his innotescit intellectus verborum S. Gregorii, asserentis : Quatuor sunt considerationes et modi, quibus anima hominis boni in compunctione vehementer afficitur. Primus est, dum suorum reminiscitur vitiorum, considerans ubi, id est in quibus erroribus, negligentiis, culpis atque periculis, fuit. Secundus est, dum judiciorum Dei districtionem et retributionem perpendens, metuit et scrutatur ubi erit et in æternum manebit. Tertius, dum mala et dura vitæ præsentis attendens, solerter considerat ubi est, utpote in præsenti exsilio. Quartus, dum supernæ patriæ gaudia contemplatur, deplorans quod ibi non sit, sicque cum Apostolo clamat (*Rom.* VII, 24.) : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Præterea super Cantica S. Bernardus : Sensum, inquit, ex integro te recuperasse scias, si conscientiam tuam quadruplici sentis compunctione morderi, pudore gemino, et gemino metu. Pudeat te offendisse Patrem cœlestem ; erubesce quod summum illum benefactorem tam frequenter, tamque enormiter inhonorasti ingratus, et mala reddidisti pro bonis, imo tot et tanta mala pro innumerabilibus beneficiis ejus dignissimis. Conformiter time, eo quod tuum offenderis Creatorem; et denuo, quoniam Deo ac judici tuo inobediens toties fuisti, et ei ac ipsius vicariis superioribus rebellis.

ARTICULUS II

DE PSALMIS VERSIBUSQUE PSALMORUM, IN QUIBUS AFFECTUS DIVINI AMORIS SPECIALITER FRAGRAT AC FLAGRAT.

In psalmis non est semper continuatio ejusdem materiæ, sed frequens mutatio ac variatio numeri et temporis et personarum, de uno quoque affectu mutatio ad alium repentina. Denique multæ sunt causæ inflammationis divini amoris in nobis. Prima et maxima, principalis et effectiva, est ipsemet Dominus Deus, qui solus infusor, conservator, augmentator et perfector est caritatis : et eam interdum gratiosa

Digitized by Google

præventione infundit, interdum precibus A et operibus bonis ex genere, ejus cui infundit eam, seu precibus et meritis aliorum. Unde angeli sancti et homines boni, frequenter sunt causæ dispositivæ, meritoriæ ac instrumentales gratiæ ac virtutum in nobis.

Insuper consideratio bonitatis, amabilitatis, pulchritudinis, perfectionis et munificentiæ Dei, parit et accendit in nobis
I *Joann.* IV, 10. divinum amorem; et rursus, quoniam ipse prior dilexit nos, et tam gratiose, amorose, largiflueque se habuit ad nos. Deinde consideratio beneficiorum et promissorum ipsius, verba quoque spiritualiter amorosa, non parum accendunt amorem sanctum in amatore sincero ac mente devota. Itaque psalmi et versus, in quibus ista diffusius continentur, ad affectum caritatis deificæ specialius pertinent, atque cum æstuantiori fervore sunt proferendi ac decantandi : quales communius sunt versus et psalmi in persona Christi et Sanctorum in patria, aut perfectorum viatorum conscripti, sive ad litteram, sive ad C
Ps. XII. mysticum sensum, ut psalmus ille, Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem, id est tam diu? Cujus psalmi omnes versiculi, sunt affectuosissima verba amantis, tardationem Sponsi, dilationem gloriæ, mala sæculi hujus, et imperfectionem propriæ
Eccle. VII, 21. vitæ, quæ sine peccato non agitur, deplorantis, seque ad libitum exaudiri non sentientis. Tali equidem amatori etiam brevis mora dilecti, et ejus perbrevis absentia, est molesta. Hinc cito et pie conqueritur se relictum, non penitus, sed quantum D ad desideratam præsentiam concupitamve gratiam. Ideo dicit cum Sponsa illud in
Cant. V, 6. Canticis : Quæsivi, et non inveni illum;
Ibid. II, 17. vocavi, et non respondit mihi. Revertere, dilecte mi.

Præterea tales sunt multi versiculi psal-
Ps. XVII. mi illius, Diligam te, Domine, fortitudo mea : cujus psalmi tres primi versiculi, sunt velut ardentissimæ faculæ. Quocirca sciendum, quod laudatio et invocatio Dei interdum fit per nomina sola, quandoque per sola verba, aliquando per utraque. Quum per sola fit nomina, quamvis expressa significatione sit imperfecta, tamen interiori intelligentia est ferventissima, efficacissima, et ad impetrandum præsertim idonea : quoniam præcedentis nominis apprehensio, et apprehensionem sequens affectio, per sequentis nominis apprehensionem et affectionem foventur, continuantur, et succenduntur. Et ita quum dicimus : *Diligam te, Domine, fortitudo* *Ps.* XVII, 2, 3.
mea, Dominus firmamentum meum et re- B *fugium meum, et liberator meus; Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum; protector meus et cornu salutis meæ, et susceptor meus :* fervor sanctæ devotionis, sapor internæ dulcedinis, confortatio cordis, et dilatatio ejus in Deo, valenter increscunt et invalescunt; imo exsiliunt et erumpunt velut si igni oleum infundatur. Porro, quum laudatio et invocatio Dei per sola fit verba, est etiam fortis et fervida, ut quum in Daniele inducitur : Laudo, *Dan.* IV, 34.
magnifico, glorifico Regem cœli; et denuo : Exaudi, Domine, placare, et fac; ne *Ibid.* IX, 19.
moreris. Dum autem oratio et invocatio fit per nomina simul et verba, sensum habet completiorem, affectum minorem, quoniam mens ad plura dispergitur. Hæc ergo et consimilia nomina et verba, et ex utrisque complexa, cum omni attentione et ardore psallamus.

Insuper in his dictionibus ordo pensandus est. Quum enim Dominus Deus sit fortitudo nostra, ipse quoque firmamentum *Ps.* XVII, 2, 3.
nostrum, id est causa totius stabilitatis nostræ; idcirco etiam ad ipsum nos debemus refugere : quod si fecerimus, non erit hoc nobis infructuosum, quoniam ipse erit liberator, imo et post liberationem rursus erit adjutor noster contra adversa et tentamenta sequentia. Sicque in aliis est pensandum. Qui autem hæc experitur in se, Dominum habet laudare, non se ipsum stulte extollere; atque laudando debet eum orare. Hæc quippe efficacissima est oratio, quæ ex laudibus et invocationibus Dei componitur. Idcirco subjun-

Digitized by Google

Ps. xvii, 4. gitur, *Laudans invocabo Dominum :* cujus invocationis fructus et effectus sub-
Ibidem. jungitur, *et ab inimicis meis salvus ero.* Quumque ad exaudiendum inclinetur, ipse quoque invocatur ex hoc, quod orans vere fatetur se magnis et variis periculis, tribulationibus, miseriisque circumdatum; [ideo] recte in psalmo isto subjungitur,
Ibid. 5. *Circumdederunt me dolores mortis.*

Præterea ad istum dilectionis affectum spectant et alii plures psalmi, saltem pro parte, aut quantum ad aliquos suos ver-
Ps. xli. sus : ut psalmus, Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; itemque,
Ps. lxxxiii. Quam dilecta tabernacula tua, Domine vir-
Ps. cxiv. tutum! et item, Dilexi, quoniam exaudiet
Ps. xxv, 1. Dominus. Item, Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum :
Ibid. 2, 8. ubi subsequitur : Ure renes meos et cor meum; Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.
Ps. lxxii. Psalmus quoque, Quam bonus Israel Deus!

In quibus omnibus et consimilibus incalescat mens nostra, vehementique impetu feratur in superdeliciosissimum illud objectum, dulcissimum atque superpulcherrimum Deum, qui prorsus incomparabiliter est amandus. Cujus supermundissima essentia, est bonitas penitus infinita, amabilitas purissima, dulcedo immensa; cujus universæ bonitates, amabilitates, dulcedinesque creatæ, quantumlibet magnæ et intensæ, sunt veluti quidam permodici rivuli, obscuri radioli, ac tenues umbræ. Ipsum ergo intentissime diligamus, et instar ebullientium aquarum, quæ præ fervore sese extra se et supra jactant, moxque in se ipsas resiliunt, fervor sanctæ caritatis corda nostra supra se moveat, in ecstasim vertat, in primum et summum illud amabile incomparabiliter amplecten-

A dum, strictissime retinendum, erigat atque stabiliat : et ita, sicut desiderat cervus a Ps. xli, 2.
venantibus defatigatus, veneno accensus, siti arescens, ad fontes aquarum; sic animæ nostræ in deserto sæculi hujus, in corpore isto mortali, tanquam in terra de- Ps. lxii, 3
serta, invia et inaquosa afficiantur, sitiant et adspirent ad suum superdignissimum Creatorem, ut sic unusquisque etiam in propria persona ex sententia dicat : Siti- Ps. xli, 3.
vit anima mea ad Deum fortem, vivum. O quando veniam et apparebo ante faciem
B Dei? non abjiciendus ab illa tanquam vas putredinis, velut vas iræ, sed sine fine Rom. ix, 22
mansurus cum ipsa. Et, Osculetur me os- Cant. i, 1;
culo oris sui; apprehendamque illum et viii, 1, 2.
deosculer, et de cetero nec velim, nec valeam separari a Deo salutis meæ.

Heu me miserum, vilem et fœdum! qui hæc sacratissima ac ferventissima verba psalmorum istorum toties distracto et frigido corde pronuntio. Væ filiis sceleratis, Is. i, 4.
qui ad carnalia et terrena, ad caduca, vana et impeditiva salutis, tam proni et fervidi
C sunt; ad hoc vero superpræstantissimum bonum desides, gelidi et ignavi, negligentes, somnolenti, pigri et sine sapore etiam in divinis. Sed resipiscamus et erubescat cor nostrum, recolens quod maledictus sit Jer. xlviii,
qui opus Dei perficit negligenter, ac toto 10.
conatu clamet ad Deum : Usquequo, Do- Ps. xii, 1.
mine, oblivisceris me in finem? ac cetera verba psalmi illius. Interim dum in isto detinemur exsilio, sint nobis lacrimæ no- Ps. xli, 4.
stræ panes die ac nocte, deplorando præsens exsilium, et peccata quæ in ipso in-
D cidimus, et suspirando ad beatissimam illam æternalem Deitatis præsentiam et adspectum : quæ desiderantissima beatitudo præ cunctis ceteris incomparabiliter est optanda, exquirenda, ac postulanda.

Digitized by Google

ARTICULUS III

PROSECUTIO DE IGNITIS AFFECTIBUS CARITATIS PRÆTACTORUM PSALMORUM.

Ps. XLI. *Ps.* LXXXIII. PSALMOS prætactos, Quemadmodum desiderat cervus, et, Quam dilecta, ac quosdam consimiles, aliqui fantur ad litteram scriptos de vehementia desiderii quorumdam devotorum Israelitarum, in Babylonica captivitate olim suspirantium ad reædificationem et inspectionem templi Dei in Jerusalem, atque ad cultum Dei in illo. Quod si devotissimi quidam Prophetæ ac Dei cultores, tam ardenter suspirabant ad reparationem et visionem templi illius temporalis et terreni, in quo non nisi modico tempore poterant permanere, orare, sacrificare, ac Deum laudare : de qua re etiam tractat, *Te decet hymnus, Deus, in Sion;* (*Ps.* LXIV, 2.) quod reputabant tam gloriosum ac grande, ut in psalmo illo subdatur : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis; replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate :* (*Ibid.* 5, 6.) quam frequentissime suspiraremus, et merito æstuaremus ad instaurationem plenam ruinæ cœlestis Jerusalem, (*Ps.* CIX, 6.) ad ædificationem triumphantis Ecclesiæ ex nobis ipsis ac aliis electis fidelibus; ad ingressum ac mansionem in paradiso illo cœlesti, in cœlo empyreo, ad societatem civium supernorum et omnium angelicorum spirituum ; ad permanendum ibidem, non ad aliquantulum tempus, sed usque in sempiternum ; ad contemplandum Deum deorum, non per fidem et speculum, et per creaturam subjectam, (I *Cor.* V, 7; *Cor.* XIII, 12.) et gratiæ relucentiam perobscuram, sed ad inspiciendum superspeciosissimum omnium Creatorem æternaliter, facialiter, cum inæstimabili suavitate et gaudio, cum contentatione et assecuratione immobili !

Ad hoc igitur indefesse ferventissima affectione acceleremus, gemamus, et lacrimose oremus, puritati et omni spirituali profectui strenue insudantes. Etenim, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. (*Matth.* V, 8.) Felices qui taliter concupiscunt in atria patriæ Beatorum, (*Ps.* LXXXIII, 3.) ad thronum gloriæ, ad regionem lucis æternæ et increatæ, atque præ vehementia et ardore tam mundæ ac spiritualis concupiscentiæ deficiunt, id est, corporalibus viribus destituuntur, ad raptum et ecstasim pertingentes, sicque in divitias gloriæ per mysticæ theologiæ contemplationem, quantum in isto fieri valet exsilio, absorbentur. Denique tam dulce est hoc, ut cor exsultet, et præ jucunditate quasi extra se saliat in Deum viventem ; fiat quoque redundantia tanta in partem sensitivam, ut etiam caro in eodem lætetur, per participationem et quamdam alacritatem in Deitatis obsequio, prout in alio dicitur psalmo, Et refloruit caro mea; (*Ps.* XXVII, 7.) et rursus in alio, Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea ! (*Ps.* LXII, 2.)

Præterea in Numerorum libro narratur, quemadmodum Balaam videns Israelem in tabernaculis tentoriisque morantem : Quam pulchra, inquit, tabernacula tua, Jacob ! tentoria tua, Israel ! (*Num.* XXIV, 5, 6.) ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui. Qui et compunctus : Moriatur, inquit, anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. (*Ibid.* XXIII, 10.) Si tam decoræ fuerunt papiliones, mansiones, et casulæ carnalium Israelitarum in solitudine collocatæ, tamque amabiles et dilectæ : quam ineffabiliter et incomparabiliter pulchriora sunt tabernacula illa supercœlestis ac supermundanæ Jerusalem ! De quibus in Evangelio deprompsit Salvator : In domo Patris (*Joann.* XIV, 2.)

Digitized by Google

Luc. xvi, 9. mei mansiones multæ sunt; et denuo, Fa-
cite vobis amicos de mammona iniquita-
tis, ut quum defeceritis, recipiant vos in
æterna tabernacula.

Has mansiones ordinum angelicorum, ad
quas homines electi secundum differentias
meritorum suorum assumuntur et perdu-
cuntur, fideliter contemplemur, fervide
diligamus, assidue cupiamus, dicentes :
Ps. lxxxiii, 2. Quam dilecta tabernacula tua, Domine vir-
tutum! id est, o tu, Deus Sabaoth, Deus
virtutum cœlestium, dominator omnipo-
tens, princeps exercituum supernorum,
quam cara, quam diligenda, quam vehe-
menter dilecta sunt nobis prætacta taber-
Matth. xxv, 34. nacula curiæ tuæ cœlestis ac regni electis
parati ab origine mundi! Unde testatus
II Cor. v, 1. est sanctus Apostolus : Scimus quoniam
si terrestris domus nostra hujus habita-
tionis dissolvatur, quod ædificationem ha-
bemus a Deo, domum non manufactam,
æternam in cœlis. Ubi, ut beatus quoque
Thomas apostolus fassus est, innumerabi-
lia exstant palatia, ab initio sæculi præ-
parata, quæ fidei pretio et eleemosynis
comparantur.

Ad horum ingressum flammescit, fervet
et stillat spiritus et oculus noster : qui
quamvis præ desiderio affligatur, juxta
Prov. xiii, 12. quod scriptum est, Spes quæ differtur af-
fligit animam; nihilo minus ex certa spe
ac fidei speculatione pertingendi ad bea-
Ps. lxxxiii, 3. titudinem tantam, cor nostrum et caro
exsultant in Deo vivo. Nempe ad primum
horum pertinet illud psalmi, Heu mihi, Ps. cxix, 5
quia incolatus meus prolongatus est; et
quod dixit Vas electionis, Infelix ego ho- Rom. vii, 24
mo! quis me liberabit de corpore mortis
hujus? Ad secundum vero, illud psalmi
alterius, Lætatus sum in his quæ dicta Ps. cxxi, 1
sunt mihi, In domum Domini ibimus. Sic
et anni quibus Jacob servivit pro Rachel, Gen. xxix, 20.
pauci et breves sibi præ amoris magnitu-
dine videbantur. In re namque optata con-
siderari potest amabilitas et pretiositas
ejus : sicque pro ea magni et diuturni
labores æquanimiter tolerantur. Propter
quod nullus labor durus, nulla passio gra-
vis, nullum tempus longum videri debet,
quibus æterna beatitudo meretur et obti-
netur. Neque enim condignæ sunt pas- Rom. viii, 18.
siones temporis hujus ad gloriam illam
futuram. Ex qua consideratione deprom-
psit Apostolus : Id quod in præsenti est II Cor. iv, 17.
momentaneum et leve tribulationis no-
stræ, supra modum in sublimitate æter-
num gloriæ pondus operatur in nobis.

Quum itaque tam desiderabilia et dile-
cta sint, Domine, tabernacula tua, merito
psallimus et fatemur : Beati qui habitant Ps. lxxxiii, 5.
in domo tua, Domine. Sed quia ad hoc
propriis viribus pertingere non valemus,
imo gratiæ tuæ indigemus auxilio, recte
subjungo : Beatus vir cujus est auxilium Ibid. 6.
abs te. Et juxta hunc modum in psalmis
communiter pulcherrima exstat connexio
sensuum, si quis intus perspiciat sapien-
tiæ radio perlustratus.

ARTICULUS IV

DE ALIIS MULTIS PSALMIS, AD ISTUM CARITATIS AFFECTUM SPECTANTIBUS.

AD prætactum caritatis fervorem perti-
Ps. xxvi. nent psalmi : Dominus illuminatio
xxvii. mea et salus mea; Ad te, Domine, clama-
xxix. bo, Deus meus, ne sileas a me; Exaltabo
xxx. te, Domine, quoniam suscepisti me; In te,
Domine, speravi, non confundar in æter-
num (quantum ad aliquos suos versus);
Benedicam Dominum in omni tempore; Ps. xxxiii.
Dixi, Custodiam vias meas, ut non delin- xxxviii.
quam in lingua mea; Judica me, Deus, et xlii.

Digitized by Google

discerne causam meam de gente non san-
Ps. XLIII. cta ; Deus, auribus nostris audivimus ;
XLV. LIII. Deus noster, refugium et virtus ; Deus, in
LVI. nomine tuo salvum me fac ; Miserere mei,
LXI. Deus, miserere mei ; Nonne Deo subjecta
LXII. erit anima mea ? Deus, Deus meus, ad te
LXIV. de luce vigilo ; Te decet hymnus, Deus, in
LXV. Sion ; Jubilate Deo, omnis terra, psalmum
LXIX. dicite nomini ejus ; Deus, in adjutorium
LXX. meum intende ; In te, Domine, speravi,
non confundar in æternum, in justitia tua
LXXVI. libera me, et eripe me ; Voce mea ad Do-
minum clamavi, voce mea ad Deum, et
LXXIX. intendit mihi ; Qui regis Israel, intende ;
LXXXV. Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi
me, quoniam inops et pauper sum ego ;
XCIV. Venite, exsultemus Domino ; psalmi quo-
XCV. XCVII, CXLIX. que quorum exordium est, Cantate Domi-
XCIX. no canticum novum, etc., et psalmus, Ju-
CII. bilate Deo, omnis terra ; Benedic, anima
mea, Domino, et omnia quæ intra me
CVII. sunt ; Paratum cor meum, Deus, paratum
CXII. CXIV. cor meum ; Laudate, pueri, Dominum ; Di-
lexi, quoniam exaudiet Dominus vocem
CXV. orationis meæ ; Credidi, propter quod lo-
CXVIII. cutus sum ; et multi versiculi psalmi, Beati
CXXI. immaculati ; Lætatus sum ; Domine, pro-
CXXXVIII. CXLIII. basti me ; Benedictus Dominus Deus qui,
CXLIV. etc. ; Exaltabo te, Deus meus rex ; ac ceteri
psalmi sequentes, ad Dei specialiter præ-
conium pertinentes.

Nec solum hi psalmi, sed et alii multi, non quod singuli, sed quod multi versus eorum, includant præcipue divini et igniti A amoris affectum, quamvis non omnes includant talem affectum immediate et elicitive : imo quidam psalmi ac versus includunt hunc virtualiter et mediate aut concomitanter vel causaliter, seu per redundantiam quamdam : quemadmodum psalmi tractantes de beneficiis Dei, quorum consideratio caritatem accendit, auget, conservat ; similiter psalmi et versus de donis et promissionibus futuræ felicitatis conscripti. Attamen gratum esse Deo de beneficiis suis, et super eis ac bonis B promissis in cœlo, elicitive et immediate procedit ex virtute morali quæ dicitur gratitudo, atque ex latria. Utrumque vero procedit ex caritate imperialiter et dispositive. Quanto enim quis plenius diligit Deum, tanto libentius reminiscitur beneficiorum ipsius cum gratiarum actione, et promissa ipsius speculatur cum adspiratione affectuosa.

Denique idem numero actus ex diversis virtutibus potest oriri. Sicque plura genera compunctionum et piarum affectionum C in eodem psalmo ac versu queunt notari, includi, ardere : sicut et dare eleemosynam, procedit ex caritate, ex pietate, ex liberalitate, ex justitia quoque et obedientia, si fiat ex promissione et superioris commissione ; et rursus ex latria, si detur pro construenda ecclesia, vel altari. Et quanto actus ex pluribus ac eminentioribus originatur virtutibus, tanto plus meritorius et complacentior Deo est.

ARTICULUS V

QUALITER PRIMUM PSALMUM EX DIVERSIS VIRTUTIBUS AC VARIIS CONSIDERATIONIBUS POTERIMUS PRONUNTIARE.

QUONIAM tota hominis vita ad veram
est beatitudinem ordinanda, potest to-
tus hic psalmus per modum doctrinæ ex-
Ps. I, 1. poni ac legi, dicendo : *Beatus vir qui non*

D *abiit in consilio impiorum.* Tanquam dicatur : O homo, beatitudinem naturaliter cupis, et veram felicitatem quam promittit Deus in Scripturis, ex fide cognoscis et

Digitized by Google

appetis. Idcirco attende qualiter ad illam
queas pertingere; idque in primis adver-
te, quod ab illa te nil elonget et impediat,
Ps. i, 1. nisi peccata tua. Hinc dicere habes : *Bea-
tus vir qui non abiit,* id est, a Deo non
recessit, *in consilio impiorum,* acquiescen-
do pravis suggestionibus dæmonum, ho-
Ibid. 2. minumque malorum ; *sed in lege Domini
voluntas ejus,* id est, deliberata voluntate
adhæsit ac obedivit præceptis legis divi-
næ. Quod quam fructuosum sit, subditur :
Ibid. 3. *Et erit tanquam lignum quod plantatum
est secus decursus aquarum.* Quumque op-
posita ad invicem comparata, clarius agno-
Ibid. 4. scantur, apte de iniquis subjungitur : *Non
sic impii, non sic.*

Denique hæc psallendo, tibi ipsi applica
hanc doctrinam : felices reputa eos qui in
innocentia permanserunt, nec adversariis
suæ consenserunt salutis ; atque te ipsum
contemne, deplange, castiga, eo quod to-
ties suggestionibus dæmonum, vanitatibus
mundi, tentationibus carnis, motibus im-
probæ voluntatis ac vitiorum consensisti ;
de cetero quoque ab his cavere et absti-
nere propone ac satage ; impiorum levita-
tem, instabilitatem, inquietudinem prorsus
devita. Insuper sapienter pensando, quam
vehementer et ineffabiliter peccata noce-
ant homini, quam maxime etiam virtutes
expediant ei, quam viles et miseri sint
iniqui, potissimeque qui jam æternaliter
sunt damnati, quam item laudandi ac di-
gni, qui Creatori suo fideliter obsequun-
tur, præsertim qui æternam jam beatitu-
dinem sunt adepti, psalle et dic ex intimo
Ibid. 1. et compunctissimo corde : Beatus vir qui
non abiit in consilio impiorum, etc. Sic-
que reproborum et intimoratorum abhorre
consortia, et obedientium Deo, qui inde-
sinenter et sollicite coram illo conversan-
Num. xxiii, 10. tur, sectare vestigia, ut moriaris morte
justorum, et fiant novissima tua horum
similia. Sic legendo et canendo hunc psal-
mum, affectum compunctionis, motum con-
tritionis, elevationem contemplationis, ti-
morem salubrem, zelum justitiæ, emendandi
ac proficiendi propositum, concipies et

A habebis : eritque grandis et multiplex tua
devotio ; psallendo demum studebis, ac te
ipsum in primis salubriter informabis.

Præterea, juxta modum hunc alii multi
psalmi sunt decantandi, videlicet psalmus,
Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Ps. xiv, 1.
Ad quod ipsemet Propheta divinitus in-
spiratus respondit : *Qui ingreditur sine* Ibid. 2.
macula, et operatur justitiam, etc. Ex qui-
bus versiculis discimus, quid unicuique
homini necessarium sit ad salutem. Ideo
si salvari optamus, curemus hæc omnia
B adimplere, hoc est : sine macula ingredi,
id est, sine labe culpæ mortalis domum
Dei intrare, interiora nostra examinare, per
viam salutis incedere ; et operari justi-
tiam, custodiendo præcepta Decalogi, quæ
sunt de actibus justitiæ : sicque de ceteris
virtutum actibus, qui in psalmo isto tan-
guntur, ut simus sinceri, veraces, nequa-
quam dolosi, nec proximis aliquo modo
nocivi. Itaque, dum psalmum istum pro-
ferimus, Deum cordialiter deprecemur ut
gratiose tribuat nobis peragere ; ac intime
C doleamus quod non solum ista non feci-
mus, verum etiam vitia his bonis contra-
ria, frequenter enormiterque patravimus.

Præterea, sicut hic psalmus tractat de
actibus virtuosis necessario exsequendis ;
sic psalmus ille, *Dixit insipiens in corde* Ps. xiii, lii.
suo, agit de vitiis necessario evitandis, ut
nec cogitatu, nec factu negemus Deum aut
providentiam ejus : prout scriptum est de
quibusdam, Audacter provocant Deum ; Job xii, 6.
itemque, Dicunt se nosse Deum, factis au- Tit. i, 16.
tem negant. Contra quorum insipientiam
D et inconsiderationem subjungitur : *Domi-* Ps. xiii, 2; lii, 3.
*nus de cœlo prospexit super filios homi-
num,* etc. Quo non obstante, tam inti-
morate ac impie, tamque irreverenter et
viliter plurimi vivunt ac ambulant coram
Deo, quasi non sit omnium justus judex.
Nempe quia non cito profertur judicium, Eccle. viii, 11.
absque ullo timore filii hominum peccant,
prout in psalmo isto describitur. Hinc
psalmum istum canamus, nos ipsos deflen-
do quod tales exstitimus ; proximis quo-
que adhuc taliter prævaricantibus condo-

Digitized by Google

lendo. Sicque humani generis deploremus peccata, et exoremus pro omnibus.

Insuper, juxta affectum hunc dicendus
Ps. XI, 2. est psalmus ille, *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Etenim quo magis abundat impiorum iniquitas, eo amplius boni clamare debent ad
Ps. XVII, 27. Deum ut præserventur, nec cum perversis pervertantur. Ex caritate quoque et zelo justitiæ, debent optare et petere ut *Do-*
Ps. XI, 4. *minus disperdat universa labia dolosa et linguam magniloquam,* ita ut in eis mala
Marc. XVI, 17. destruat culpæ, et novis linguis loquantur verba gratiæ ac salutis, quemadmodum in
Prov. XII, 7. Proverbiis legitur : Verte impios, et non erunt, ut fuerant, impii. Quod si converti omnino renuerint, conformare nos debemus rectitudini divinæ justitiæ, cupiendo
Ps. XI, 8. ut pereant, ac confidenter dicere Deo : *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum.* Tales quippe versiculi sæpissime habentur in psalmis, qui quamvis non exprimantur per modum optativum aut deprecativum, sed per verba temporis futuri, virtualiter tamen sunt orationes et verba bonæ spei in
Ps. L, 9. Deo, ut illud in psalmo : Adsperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, etc. Unde et sensus est : Tu, Domine, servabis nos et custodies, etc., id est, speramus quod præservabis nos a generatione pravorum,

A et exoramus ut ab ipsis nos præservare et custodire digneris, ne illis conformemur in vitiis.

Amplius, juxta modum et sensum psalmi illius, Domine, quis habitabit in taber- *Ps.* XIV.
naculo tuo ? cantandum est illud in psalmo, *Domini est terra et plenitudo ejus ;* *Ps.* XXIII, 1, 3.
Quis ascendet in montem Domini ? cum tribus versibus ibi immediate sequentibus. Quod totum cantando, pensemus quid nobis sit necessarium ad salutem, et quantum a perfectione quæ in illis tangitur B versibus, simus distantes, id est ab innocentia manuum atque munditia cordis, et a carentia vanitatis, omnis quoque dolosi ac illiciti juramenti. Estque notandum, quod in psalmo illo subjungitur : *Hic ac-* *Ibid.* 5.
cipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Si enim misericordia est et divinæ pietatis effectus, quod homo tantæ innocentiæ ac virtuositatis salvatur, quis poterit de suis virtutibus aut meritis gloriari, extolli, præsumere, et non potius cum Apostolo recognoscere ac C fateri, Gratia Dei sum id quod sum, et *I Cor.* XV, 10.
rursus, Qui gloriatur, in Domino glorie- *II Cor.* X, 17.
tur ? Studeamus igitur pertinere ad generationem hanc electorum, Dominum in *Ps.* XXIII, 6.
veritate quærentium et clarum, imo desiderabilissimum divini vultus adspectum : ad quem nemo nisi purgatissima mente valet pertingere.

ARTICULUS VI

DE ALIQUIBUS PSALMIS MORALIBUS, ET OPTIMIS DOCUMENTIS PLENIS, QUI MENTE COMPUNCTA, DEVOTA, GRATA, JUCUNDA, ALACRITER SUNT CANTANDI.

ADVERTE et recole, a quantis periculis et adversis, a quantis tentationibus, insidiis, laqueis, et peccatis te Deus eripuit, præservavit, ac liberavit. Sicque cum omni gratiarum actione et spirituali læti-
Ps. XXXIII, 2. tia, devotissime profer, *Benedicam Domi-*

D *num in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Nec optes te ipsum laudari nisi in Deo, a quo datum est et conservatur quidquid in te est aut esse potest laudabile : et sic psalle, *In Domino laudabi-* *Ps.* XXXIII, 3.
tur anima mea. Et quia ad laudandum

Digitized by Google

Altissimum tu solus non sufficis, nec satis est tibi ut tu solus sis Deo gratus, acceptus et salvus; hinc et proximos admone, (Ps. xxxiii, 4.) *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in id ipsum.* Qualiter autem ad tantam gratiam perveniatur, ostendit Psalmista exemplo sui, (Ibid. 5.) *Exquisivi,* inquiens, *Dominum:* nec frustra, quoniam (Ibid. 6.) *exaudivit me :* idcirco consulo vobis, *Accedite ad eum* per mentis conversionem, *et illuminamini,* quum ipse sit lumen verum, (Joann. i, 9.) illuminans omnem hominem ipsum fideliter invocantem. Juxta hunc modum, totus hic psalmus doctrinis, admonitionibus, præconiis Dei est plenus. Hinc juxta hortamenta ipsius conemur gustare, et (Ps. xxxiii, 9.) per experientiam contemplari, quam dulcis sit Dominus, aspernando delectamenta carnalia et omnem consolatiunculam vilem, ipsumque Creatorem super omnia sinceriter contemplando, ferventer amando, reverenter colendo, et omni felicitati, perfectioni ac gloriæ ejus totis præcordiis congratulando. Nec tribulationibus superemur, pensantes hunc versum, (Ibid. 20.) *Multæ tribulationes justorum :* quæ et celeriter finiuntur, et æquanimiter toleratæ, æterna consolatione remunerantur.

Præterea, secundum hos affectus, modos et sensus, decantandus est psalmus, (Ps. xxxvi.) *Noli æmulari in malignantibus.* In cujus exordio admonemur, non torqueri invidia de impiorum prosperitate, quæ brevis et fallax est; sed sperare et delectari in Domino, qui in præsenti suos electos adversis exercet, purgat et salvat. In hoc itaque psalmo pulchre distinguit Propheta inter justos et impios, inter electos et reprobos, diversitatem meritorum ac præmiorum ipsorum describens.

Dum ergo hunc psalmum dicturus es, zelum assume justitiæ, atque divinæ justitiæ judicio te conforma, mentem tuam in arce speculationis constitue : sicque alta consideratione perpende quam vana, instabilis, periculosa, damnabilis sit injustorum prosperitas, qui spreto ac derelicto Creatore ac Salvatore suo summo,

A utique infinito et prorsus incomparabili bono, excæcatam ac miseram mentem suam in his carnalibus et terrenis defigunt, non pensantes illud Apostoli: Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. (Coloss. iii, 1, 2.) Hoc ponderantes, tanto plus vilipendamus omnem prosperitatem terrenam, hominesque carnales temporali prosperitate florentes, secundum quod tales, quanto certius scimus quam celerrime defluent ac peribunt, quam districtum B judicium imminet eis et quam intoleranda damnatio, qui sibi ipsis quotidie, imo assidue, gravissime nocent, et pœnas accumulant sempiternas.

Contra, sapientialiter contemplemur statum et dispositionem justorum et electorum in sæculo isto, in quo per adversa purgantur, donis gratiæ adimplentur, ac virtuose agendo, opulentissimum sibi thesaurum colligunt et reponunt in cœlo. (Matth. vi, 20.) Ideo eis conformari conemur, qui tanto sunt feliciores quanto plura ac acriora pro C Deo et æquitate æquanimiter patiuntur adversa; improborum quoque persecutiones, irrisiones, importunitates, cum gaudio perferamus. Etenim Abel esse non promeretur, qui ex Cain malitia ad impatientiam concitatur. Nempe qui talis est, non perpendit quam fructuosum et gloriosum est, Christi atque Sanctorum patientiam, mansuetudinem, tranquillitatem strenue imitari, divinæ quoque providentiæ dispositionem et censuram sapienter attendere, et nos ei humiliter subdere, ac con- D tentari de ea.

Amplius, secundum hunc intellectum et affectum, decantandus est etiam psalmus ille, *Dixi, Custodiam vias meas.* (Ps. xxxviii.) In cujus initio, sancti Prophetæ exemplo docemur nos spiritualiter armare et præmunire per taciturnitatem, humilitatem et salubrem compunctionem, adversus pravorum insultationem, criminationem et insectationem; sicque incalescere Deitatis amore, ac Dominum invocare ut præstet nobis vitæ nostræ brevitatem, substantiæ nostræ fra-

Digitized by Google

gilitatem salubriter considerare, et totam spem, exspectationem et affectionem nostram collocare ac fixam tenere in ipso. Itaque psalmum hunc cum ingenti compunctione, inflammatione, circumspectione cantemus, memores mortis, fragilitatis, imo et multiplicis prævaricationis ac negligentiæ nostræ. Ideoque veniam et gratiam humillime deprecemur, sicut in versibus hujus psalmi optime continetur; carnalium quoque et avarorum hominum insaniam devitantes, miserantes et deplorantes.

Insuper, ex zelo justitiæ et pro propria cautela depromere debemus contra quemcumque, imo et ad reprehensionem propriam in quantum vitiosi exstitimus, psalmum illum, Quid gloriaris in malitia? (*Ps.* LI.) psalmum quoque illum sequentem, Dixit (*Ps.* LII.) insipiens in corde suo; similiter psalmum illum, Si vere utique justitiam loquimini. (*Ps.* LVII.) Itemque psalmum, Quam bonus Israel Deus! (*Ps.* LXXII.) in quo psalmo Propheta compendiosissime disputat contra negantes providentiam Dei, et impiorum vanitatem, disperitionem, condemnationemque probat; deinde in Deo mentem suam recolligit et accendit, protestans totum bonum suum in illo consistere. Specialiter demum possunt hæc legi contra iniquos qui persecuti sunt Christum in carne mortali: quemadmodum etiam ille psalmus, Deus ultionum Dominus; (*Ps.* XCIII.) similiter psalmus ille, Deus, laudem meam ne tacueris, qui ad litteram de Christi traditore Juda conscriptus est; (*Ps.* CVIII.) sed et psalmus ille, Eripe me, Domine, ab homine malo. (*Ps.* CXXXIX.)

ARTICULUS VII

DE PSALMIS IN PERSONA JUSTI CONSCRIPTIS, QUI EX AFFECTU CONGRATULATIONIS, ET INVITATIONIS, AC ÆDIFICATIONIS, GRATIARUMQUE ACTIONIS SUNT PROFERENDI.

Quum in medio laqueorum et tentationum versemur, ubi non est nobis principalis aut sola colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed præcipua, incessabilis, imo et periculosissima pugna contra invisibiles, crudelissimos, callidissimos, atque innumerabiles nostræ salutis hostes, aerias potestates, aut etiam visibiles inimicos; (*Ephes.* VI, 12.) potest unusquisque fidelis pia querela et admiratione non parva ad Dominum exclamare: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me,* (*Ps.* III, 2.) imbecillem et fragilem, quorum unus me facile posset dejicere? qui inter se præsumptuose affirmant, *Non est salus ipsi in Deo ejus.* (*Ibid.* 3.) Ad quod vir justus in tribulationibus constitutus, blande loquitur Deo: *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum:* (*Ibid.* 4.) quæ sunt verba bonæ spei ad Deum, imo et magnæ familiaritatis et caritatis ad ipsum, sicut et istud quod subditur, *Non timebo millia populi circumdantis me.* (*Ps.* III, 7.)

Simili sensu in persona devotæ personæ potest proferri psalmus, *Quum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ,* (*Ps.* IV, 2.) qui in adversis dedit mihi patientiam meam: sicut subjungitur, *in tribulatione dilatasti mihi:* (*Ibidem.*) id est, tu, Domine, in afflictionibus meis largitus es mihi consolationem, roborationem, illuminationemque tantam, ut cor meum specialiter dilatatum sit ad suscipiendum et patiendum plura ac graviora adversa, et expansum in te in deliciis caritatis. Quod quum ita sit, cur, o *filii hominum gravi corde,* (*Ibid.* 3.) ad carnalia et terrena depressi, *diligitis vanitatem* magis quam summam et incommutabilem veritatem,

Digitized by Google

et quæritis mendacium, excusando vos false? quum tamen Deus altissimus tam pronus sit exaudire, indulgere, succurrere, bonaque gratiæ tribuere in præsenti et bona gloriæ in futuro, sicut et ego in me ipso expertus sum, et in Sanctis suis sæpissime ac copiosissime monstravit : per quod merito confirmari debetis in fide, stabiliri in spe, ac divino accendi amore. Hinc quemcumque Sanctorum vobis in exemplar propono, dicendo : *Et scitote quoniam Dominus Sanctum suum mirificavit,* (*Ps.* IV, 4.) id est, innumerabiles Sanctos per præclara miracula et innumerabilia signa supernaturaliter honoravit, ac honorandos ostendit, qui testes sunt fidei nostræ : ita ut nos ipsi qui credimus, tot non simus, quot veritatis testes habemus, juxta illud Apostoli : Ideo et nos tantam habentes nobis impositam testium nubem. (*Hebr.* XII, 1.) Ad quorum imitationem, vos hortor, *Irascimini et nolite peccare.* (*Ps.* IV, 5.)

A Denique eodem sensu legendus est psalmus, *Verba mea auribus percipe, Domine:* (*Ps.* V, 2.) in quo præmittitur oratio, et verba boni propositi subjunguntur; verbum etiam bonæ spei, quum subditur, *Mane exaudies vocem meam.* (*Ibid.* 4.) Deinde Dei justitia, sanctitas, zelusque æquitatis, et ultio justa in impios, in hoc psalmo tanguntur et commendantur, ut attendamus qualiter in sanctitate et justitia oporteat nos ei servire cum omni reverentia ac timore, etc. (*Luc.* I, 75.)

B Juxta hunc modum, cor mundum (cui datur etiam in hac vita Deum videre per speculum in ænigmate, estque optimus ac certissimus Scripturæ interpres) formare sibi potest varios intellectus et affectus in omnes psalmos, imo in omnia quæ videt, audit, legit, aut cantat, adjuvante Domino nostro, qui est super omnia Deus gloriosus, sublimis, et benedictus in sæcula. Amen. (*Matth.* V, 8. *I Cor.* XIII, 12.)

FINIS

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

II, 21. Immisit... Dominus Deus soporem in Adam, 240 C.
XLIX, 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura, 98 B.

EXODI.

XVIII, 11. Nunc cognovi quia magnus Dominus super omnes deos, 623 A'.
XXXIII, 5. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi, 643 B.
— 18. Qui (Moyses) ait : Ostende mihi gloriam tuam, 128 A'.

NUMERORUM.

XXIV, 18. Erit Idumæa possessio ejus, 482 C'.

DEUTERONOMII.

XXXIII, 2. Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis; apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia, 161 B.
— 3. Omnes Sancti in manu illius sunt, 161 A'.

I REGUM.

XIX, 5. Posuit (David) animam suam in manu sua, et percussit Philistæum, 566 C.

III REGUM.

II, 19. Surrexit rex in occursum ejus (matris suæ), adoravitque eam, 399 D'.

IV REGUM.

IX, 11. Quid venit insanus iste (filius prophetarum) ad te? 561 B'.
XIII, 14. Pater mi,... currus Israel et auriga ejus, 162 D.

II PARALIPOMENON.

XV, 15. In omni... corde suo juraverunt (Judæi Domino), et in tota voluntate quæsierunt eum et invenerunt, 132 A'.
XXVIII, 9. Occidistis eos (filios Juda)..., ita ut ad cœlum pertingeret vestra crudelitas, 474 A'.

TOBIÆ.

XIII, 9. Ego autem et anima mea in eo lætabimur, 134 C'.

JOB.

V, 17, 18. Increpationem... Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, et medetur; percutit, et manus ejus sanabunt, 150 C.
IX, 2. Vere scio... quod non justificetur homo compositus Deo, 661 A.
XII, 15. Si (Deus) continuerit aquas, omnia siccabuntur;... si emiserit eas, subvertent terram, 623 D'.
XV, 26. Cucurrit (impius) adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est, 215 B.
XXII, 11. Putabas te tenebras non visurum, et impetu aquarum inundantium non oppressum iri, 171 C'.
XXVI, 8. Qui ligat aquas in nubibus..., ut non erumpant pariter deorsum, 623 D'.
XXVIII, 28. Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, 322 C'.
XXXI, 18. Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum, 102 A.
XXXIII, 14. Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit, 125 D'.

Digitized by Google

XXXIV, 17. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? 71 B.
XL, 18. Absorbebit fluvium, et non mirabitur; et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus, 301 D.
XLI, 16. Quum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur, 99 C'.

PSALMORUM.

IV, 9. In pace in id ipsum dormiam, 240 C.
XX, 9. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inveniat omnes qui te oderunt, 343 D.
XLIV. Obliviscere populum tuum, 422 A'.
LXVI, 7. Terra dedit fructum suum, 313 A'.
LXVIII, 3. Veni in altitudinem maris, 13 A'.
CIII, 25. Hoc mare magnum et spatiosum manibus, 13 A'.

PROVERBIORUM.

II, 21. Qui... recti sunt, habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea, 308 A'.
III, 16. Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria, 343 C.
VI, 23. Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ, 565 B'.
VIII, 22-24. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio; ab æterno ordinata sum... Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram, 2 D.
X, 25. Justus... quasi fundamentum sempiternum, 123 A'.
XIII, 12. Spes quæ differtur, affligit animam; lignum vitæ, desiderium veniens, 561 B.
XIV, 27. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis, 578 D.
XVII, 8. Gemma gratissima, exspectatio præstolantis, 200 A.

ECCLESIASTÆ.

IX, 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet, 545 C.

SAPIENTIÆ.

XIV, 11. Creaturæ Dei... factæ sunt... in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium, 668 B.
XV, 3. Nosse... te (Domine), consummata justitia est; et scire... virtutem tuam, radix est immortalitatis, 307 B'.

ECCLESIASTICI.

I, 5. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, 2 A.
— 36. Ne accesseris ad illum duplici corde, 546 D.
III, 22, 23. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper;... in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis, 570 C', 611 C.
IV, 33. Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia, 562 B.
V, 4. Altissimus... est patiens redditor, 430 A'.
XXI, 1, 2. Fili, peccasti? non adjicias iterum; sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata, 583 B'.
— 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam, 381 B.
XXIV, 5. Ego (Sapientia) ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, 502 A'.
XXVII, 30, 31. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non agnoscet unde adveniat illi illusio, 652 A.
XXXV, 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, 653 A'.

ISAIÆ.

I, 24. Heu, consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis (ait Dominus), 99 C.
II, 2. Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, 22 B'.
— 3. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem, 22 C, 501 C.
— 10. Ingredere in petram,... abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, 94 A, 265 D.
IV, 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis, 153 D.
V, 20. Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, 654 C.
VIII, 7. Ecce Dominus adducet super eos aquas

Digitized by Google

fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, 171 D'.
XI, 1. Egredietur virga de radice Jesse, 220 B'.
— 4. Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium, 7 B'.
XIV, 13, 14. Sedebo in monte testamenti,... ascendam super altitudinem nubium, 393 B.
XXIV, 15, 16. In doctrinis glorificate Dominum, in insulis maris...; a finibus terræ laudes audivimus, gloriam Justi, 92 B'.
XXV, 8. Præcipitabit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrimam... et opprobrium populi sui, 663 B.
— 10. Triturabitur Moab sub eo, 207 B'.
XXVI, 5. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, 15 A', 117 C'.
— 6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum, 15 A'.
— 20. Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio, 94 A.
XXX, 16. Dixistis...: Ad equos fugiemus; ideo fugietis. Et super veloces ascendemus; ideo velociores erunt qui persequentur vos, 676 C.
XL, 22. Extendit velut nihilum cœlos, 94 A'.
XLII, 1. Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, 87 B'.
XLIII, 2. Quum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, 585 C.
XLV, 8. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem, 153 D, 313 B.
XLVIII, 4. Scivi... quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea, 473 A.
— 17. Hæc dicit Dominus redemptor tuus...: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas, 281 C.
XLIX, 2. Posuit (Dominus) os meum quasi gladium acutum, 4 A'.
— 8, 9. Dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et... diceres his qui vincti sunt : Exite; et his qui in tenebris : Revelamini, 181 D'.
LII, 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, 198 B.
LIII, 1. Brachium Domini cui revelatum est? 395 D'.
— 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur, 74 A'.
LVII, 17. Abscondi a te faciem meam... : et abiit vagus in via cordis sui, 214 A.
LXI, 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, 8 C.
— 10. Exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, 175 C'.
LXII, 6. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes; tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt, 596 B'.
LXIII, 16. Tu... (Domine), Pater noster; et Abraham nescivit nos, 432 A.
LXVI, 19, 20. Mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam,... in Italiam et Græciam, ad insulas longe...; et adducent omnes fratres vestros... in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, 162 B.

JEREMIÆ.

IV, 3. Novate vobis novale, et nolite serere super spinas, 598 C'.
IX, 2. Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum? 82 A'.
XI, 19. Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam; et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, 657 C'.
XIV, 8. Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? 174 D'.
XXIII, 6. In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, 424 D.
XXX, 8, 9. Non dominabuntur ei (Jacob) amplius alieni; sed servient Domino Deo suo, et David regi suo quem suscitabo eis, 339 D.
XXXI, 16. Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrimis, quia est merces operi tuo, 526 B'.
— 18, 19. Converte me (Domine), et convertar... Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, 5 C'.
L, 17. Primus comedit eum rex Assur; iste novissimus exossavit eum, Nabuchodonosor rex Babylonis, 275 A'.

THRENORUM.

III, 54. Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi : Perii, 172 D, 666 B'.

Digitized by Google

BARUCH.

III, 10, 11. Quid est, Israel, quod... inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum? 429B'.

EZECHIELIS.

V, 13. Complebo furorem meum, et requiescere faciam indignationem meam..., et consolabor, 99C.

VI, 9. Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me, 218A.

XXXIV, 22, 23. Salvabo gregem meum...; et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David, 350D, 615B.

XXXVI, 25. Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, 265B'.

XLVII, 1, 9. Ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem... ; et omnis anima vivens quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet, 14D.

DANIELIS.

II, 44, 45. Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur;... secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam et ferrum et æs et argentum et aurum, 7B.

VII, 13, 14. Adspiciebam... in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit; et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, 317C'.

OSEE.

III, 5. Revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, 615B.

V, 1. Audite hoc, sacerdotes,... quoniam laqueus facti estis speculationi, et rete expansum super Thabor, 593D'.

IX, 16. Radix eorum exsiccata est; fructum nequaquam facient, 87D.

X, 2. Divisum est cor eorum, nunc interibunt, 546D.

XI, 7. Populus meus pendebit ad reditum meum, 123B.

XIV, 3, 4. Convertimini ad Dominum, et dicite ei :... Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, 676C.

JOEL.

III, 18. Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum, 145A.

AMOS.

III, 6. Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? 259A.

IV, 12. Præparare in occursum Dei tui, Israel, 156C'.

VI, 1, 13. Væ qui... convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium, 654C.

IX, 11. In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, 175D.

ABDIÆ.

21. Erit Domino regnum, 6A.

MICHÆÆ.

IV, 2. De Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem, 22C.

V, 5. Et erit iste pax, quum venerit Assyrius in terram nostram, et quando calcaverit in domibus nostris, 7A.

VI, 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo, 569A.

NAHUM.

I, 4. (Dominus est) increpans mare et exsiccans illud, 475A'.

HABACUC.

II, 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet, 270A.

AGGÆI.

II, 8. Veniet Desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum, 24A'.

Digitized by Google

ZACHARIÆ.

III, 9. Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus, 208 C.
VI, 12, 13. Ecce vir, Oriens nomen ejus;... et ædificabit templum Domino,... et consilium pacis erit inter illos duos, 23 B, 418 C, 616 A'.
VIII, 16. Hæc sunt... verba quæ facietis, 142 A'.
IX, 11. Tu quoque, in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua, 157 D', 171 C'.
XII, 8. Erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi David, 352 D.
XIII, 1. In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ, 145 A.
XIV, 8, 9. In die illa... erit Dominus rex super omnem terram, 6 A.

MALACHIÆ.

III, 1. Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam, 24 D.
— 5. Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris..., et qui calumniantur..., et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, 27 B'.
IV, 2, 3. Egrediemini et salietis sicut vituli de armento, et calcabitis impios... in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum, 60 B.

MATTHÆI.

I, 25. Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, 591 D'.
V, 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 611 C'.
VI, 33. Quærite... primum regnum Dei et justitiam ejus, 335 C.
XXII, 13. Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, 691 A.

LUCÆ.

I, 48. Beatam me dicent omnes generationes, 317 B.
— 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, 598 D.
— 50. Et misericordia ejus a progenie in progenies, 337 C'.
— 54, 55. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula, 396 A'.
IV, 18. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, 8 C.
XI, 24. Quum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, 128 B.
XXI, 26. Virtutes cœlorum movebuntur, 282 A.

JOANNIS.

I, 17. Lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est, 95 A'.
III, 17. Non... misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, 206 D'.
— 18. Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, 508 A.
— 31. Qui est de terra,... de terra loquitur, 102 C.
V, 22. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, 206 C'.
— 27. Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est, 207 A.
VIII, 37. Sermo meus non capit in vobis, 102 B.
— 50. Ego... non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet, 206 D'.
— 58. Dixit eis :... Antequam Abraham fieret, ego sum, 354 C.
X, 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, 107 D.
XI, 51, 52. Jesus moriturus erat..., ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum, 418 D'.
XII, 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora, 104 B', 202 C.

ACTUUM.

VI, 14. Audivimus... eum (Stephanum) dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses, 349 B'.

AD ROMANOS.

VIII, 1. Nihil... damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, 8 D.
— 15. Non... accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, 602 B.
— 16. Ipse... Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, 321 C'.

Digitized by Google

I AD CORINTHIOS.

III, 4. Quum... quis dicat : Ego quidem sum Pauli ; alius autem : Ego Apollo ; nonne homines estis ? 63 A'.
X, 11. (Nos sumus) in quos fines sæculorum devenerunt, 106 A.
— 17. Unus panis, unum corpus multi sumus, 556 D'.
XIII, 4, 6. Caritas... non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, 559 D.

AD GALATAS.

V, 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, 546 B.
VI, 1. Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, 406 B'.

AD EPHESIOS.

I, 17, 18. Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ... in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, 547 C'.
II, 21, 22. In quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu, 588 D.
V, 14. Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis ; et illuminabit te Christus, 95 B'.

AD PHILIPPENSES.

III, 8. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, 543 D'.

AD COLOSSENSES.

I, 15. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, 3 C.

I AD THESSALONICENSES.

V, 17. Sine intermissione orate, 548 C.

II AD THESSALONICENSES.

III, 1, 2. Orate... ut liberemur ab importunis et malis hominibus, 581 A.

I AD TIMOTHEUM.

II, 8. Volo... viros orare... levantes puras manus sine ira et disceptatione, 662 A.
VI, 9. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, 360 C.

II AD TIMOTHEUM.

I, 7. Non... dedit nobis Deus spiritum timoris, sed... dilectionis, 602 C.
II, 10. Omnia sustineo propter electos, 481 C'.
— 19. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui sunt ejus, 339 B, 679 D'.
— 25, 26. Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, 360 C.

AD HEBRÆOS.

V, 8. Didicit, ex iis quæ passus est, obedientiam, 203 A'.
XIII, 15. Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, 72 C'.
— 16. Beneficentiæ... et communionis nolite oblivisci ; talibus enim hostiis promeretur Deus, 72 C'.

JACOBI.

I, 18. Voluntarie... genuit nos verbo veritatis, 617 D'.
III, 2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, 655 A'.

I PETRI.

I, 18, 19. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, 95 A.

I JOANNIS.

II, 18. Novissima hora est, 106 A.
III, 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, 394 A'.
V, 18. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat ; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum, 394 A'.

Digitized by Google

APOCALYPSIS.

III, 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, 9 C.

XII, 1, 2. Signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim ; et... clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat, 9 B.

XIII, 8. Adoraverunt eam (bestiam) omnes... quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi, 309 D', 432 B.

IV ESDRÆ.

VIII, 31. Tu... (Deus), propter nos peccatores misericors vocaberis, 318 C.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

AARON, frater Moysis, vir eloquens, 449 B'. — Pluries graviter peccavit, 401 B, et ob incredulitatem a terra sancta exclusus est, 289 B, 465 B. — Mystice, quid significet Aaron, 250 B, 456 B', et domus Aaron, 524 B, 535 B, 626 A, C.

ABIRON Rubenita, contra Moysen rebellis, 462 B', pessime obiit, 462 D'.

ABRAHAM patriarcha propheta fuit, 448 A. — Semen Abrahæ, quid, 452 D'.

ABYSSUS, id est Oceanus, quasi amictus est terræ, 436 C. — Abyssi, quid ad litteram, 248 A', 687 C', et mystice, 249 A', 436 C'.

ACHIMELECH, sacerdos a Doeg occisus, num pro David consuluerit Dominum, 54 D. — Quid allegorice, 55 D', et tropologice, 58 C.

ACTUS ab objecto specificantur, 678 C. In Scriptura, per pedes designantur, 88 B. *Cf.* Operatio. — Actus conjugalis meritorius esse potest, 43 A'; in ipso tamen peccatur quasi inevitabiliter, 43 B'.

ADINVENTIO pro peccato sumitur, 289 C', 464 A', 465 B'. Quomodo Deus in Sanctorum adinventiones ulciscatur, 401 B. — Quid sit exerceri in adinventionibus Dei, 247 D, A'.

ADJUTORIUM. Quomodo habitet anima in adjutorio Altissimi, 359 B, D, et quantum ibi tutamen inveniat, 361 B', 362 A. — Impii adjutores sunt dæmonum, justi adjutores Dei, 302 D.

ADORATIO, quum sit cultus latriæ, 147 D, soli Deo debetur, 9 A'; sed in Scripturis sæpe late sumitur, 399 D'. — Quot modis adoretur Christus, 400 A, D, et humanitas Christi, 399 A', 400 B, B'.

ADVENA a Domino peculiariter custoditur, 677 D. — Hi sunt vere advenæ, qui mundo tanquam exsilio utuntur, 677 B'.

ADVERSA. Per adversa, Deus corda hominum probat, 292 C, et illuminat, 114 C; nos ad se revocat, 557 D', et docet quam sit bonum servire Domino, 558 A; ideo in his desperare non decet, 31 A', 525 C', sed potius lætari, 535 D', 643 A', et fiducialiter invocare Dominum, 292 A. — Magnum est non deficere in adversis, 575 C'. — *Cf.* Tentatio, Tribulatio.

ÆGYPTUS dicitur etiam Mizraim, 259 D, tabernaculum seu terra Cham, 259 D, 449 B, et populus barbarus, quare, 517 D'. Quid mystice, 264 B', 268 B', 291 C', etc. — Plagæ Ægypti describuntur, 258 B et seq., 449 C' et seq., et spiritualiter exponuntur, 268 C' et seq. Quid Ægypti primogeniti, 270 A. — Eductio Hebræorum ex Ægypto describitur, 450 D'; quid significet, 467 B. — Multi ex Ægyptiis ad Deum conversi sunt, 166 B.

ÆRUGO, quid sit ad litteram, 258 A', et mystice, 269 A.

ÆSTAS, quomodo a Deo plasmata dicatur, 224 B, et quid designet, 229 C, D.

ÆTERNITAS, quid sit, 354 A, B, 420 A, 501 D'. Unus dies et multi dies dici potest, 120 A; et vocatur dies virtutis Christi, quare, 501 B', C'. — Æternitas Beatorum proprie ævum nuncupatur, 120 A, 365 B'.

ÆTHIOPIA a B. Matthæo conversa est, 166 D, prius quam Ægyptus, 166 C. — Allegorice, gentilium est figura, 209 A', 223 C, 326 D.

AFRICUS, ventus flans inter meridiem et occidentem, 256 A, quid signet, 266 D'.

AGAR, alias Cetura, uxor Abrahæ, fuit mater Agarenorum, 298 D. — Agareni, Judæis infensi, 298 D, falsos fratres figurant, 301 D'.

AGER mystice fideles signat, 476 D', sive bonos, sive malos, 606 B'. — Quid bestiæ agri, 438 A. — *Adde* 35 B'. *Cf.* Campus.

ALÆ Dei, quid, 91 C', 94 B', 119 D, 121 C'. Ibi tutissimum est animæ refugium, 94 B'.

ALIENIGENÆ, seu Allophyli, id est Philistæi, 261 A, Judæis infensissimi, 298 A', varia significant, 85 D, 88 D, præcipue ebriosos,

Digitized by Google

302 B, et infideles, 326 D, 482 B'. — Quomodo facti sint amici Christi, 117 B', 482 B', et Ecclesiæ, 485 C.

ALLEGORIA. Quid sit sensus allegoricus, 55 D.

ALLELUIA, quid significet, 445 A. — Cur bis in Missa cantetur, 459 A. — Cur psalmo CXXXIV præfigatur, 622 C.

ALTARE Dei. Sic vocantur vel humanitas Christi, 47 C', vel cœlestes mansiones, 305 D'.

AMALEC, primus hostis Israel, 298 A', mystice varia signat, 61 B, 64 B, 302 B. — Psalmi « pro Amalec », quomodo intelligendi, 61 C, 64 C.

AMBROSIUS (S.), Mediolanensis episcopus, allegatur, 2 C', 373 D, 515 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 14-17.)

AMBULARE coram Deo, quid sit, 387 C'.

AMMONITÆ, filii Lot, 298 A', figura iracundorum, 302 A.

AMOR, quid sit, 567 B, 642 A, quotuplex, 186 B; et unde oriatur, 43 D', 379 B, 677 C. — Est sui diffusivus, 588 B', et penetrat dum simplex notitia remanet foris, 698 B. — Radix est timoris, 286 C, origo omnium affectionum, 696; et quia prævertit judicium, 101 B, causa omnium bonorum et malorum, 286 B. — Amare Deum plane divinum est, 411, et nihil nisi in Deo est amandum, 113 A'. — Amicorum est eadem velle et nolle, 577 B. — *Vide* Caritas.

ANGELUS modo chorum specialem, modo angelicas substantias significat, 685 C'.

Angeli, cur sic dicti, 685 D'. Omnes et angeli dici possunt, 433 A, 435 B', et virtutes, 159 D', 165 D, 433 D; omnes dii vocantur, 32 C', filii Dei, 340 C', currus Dei, 161 C, 162 B, cœli, 339 C', nubes, 166 D', montes, 143 D', 236 C, 239 B', ignis, 435 C'; omnes sunt thronus Dei, 435 D'. — Quanta eorum multitudo, 161 C, et potentia, 433 B. — Indesinenter confitentur mirabilia Dei, 339 C', etsi non omnia comprehendere valent, 640 A; nihil præter divinam voluntatem agunt, 26 A. Quo sensu Deum timere dicantur, 60 A. — Inferiores a superioribus illuminantur, 339 D', 435 D', et vicissim viatores illuminant, 338 A', 340 A. Quomodo colloquantur, 598 B. — Eorum ministerio revelat Deus sua secreta, 266 C, 682 D', et suum beneplacitum, 433 A, suum præstat auxilium, 584 B, loquitur hominibus, 350 B, 400 D'. — Ipsis subditur corporalis creatura et ecclesiastica hierarchia, 641 D; alii hominibus, alii regnis, alii Ecclesiæ præsident, 239 C'. — Legem Moysi in Sinai dederunt, 161 B, A'; multos gentiles ad cognitionem unius Dei adduxerunt, 239 D'; sed multo frequentius in N. L. mittuntur quam ante, 267 C. Quanta beneficia primitivæ contulerint Ecclesiæ, 165 D. — Frequenter in specie ignis apparuerunt, 436 A. — In circuitu Christianorum sunt discurrentes, 596 A', die ac nocte, 361 C, nam præter angelum unicuique deputatum, 363 A', sunt alii eidem adsistentes, 363 B'; et sunt in hominibus causæ dispositivæ et ministeriales gratiarum, 699 A, animas custodientes, 363 B', adjuvantes et illustrantes, 363 C', quarum preces offerunt Deo, 417 B'; dæmonum dissipantes insidias, 593 A', multa impedientes peccata, 194 B', et corpora ipsa a multis periculis tuentes, 267 D. — Christo, non ad custodiam, sed ad honorem dati sunt angeli, 364 A. — In judicio extremo, mortuorum cineres colligent, 34 D, et Judici visibiliter adstabunt, 34 A, 392 B', tanquam assessores, 34 B'. Quomodo portas cœli aperire dicantur, 537 C'. — Tunc angelorum ruinæ per homines reparabuntur, 47 D', 338 C, 504 B, qui ad sedes eorum ascendent, 641 A'. — Angelum custodem sæpe invocare decet, 585 C', præsertim mane et sero, 366 A.

Angelus nostra sacrificia ad Deum proferens, Christus est, 120 C'. — Homines sæpe « angeli » vocantur, 387 A'. — Archangeli regnis præsident, 239 C'. — *Cf.* Seraphim, Throni, Virtutes.

ANIMA rationalis omnium formarum hujus mundi dignissima est, 559 A. — Quot partes habeat, 505 C. — Per transgressionem Adæ quadruplici vulnere sauciata est, 428 A', quod in cœlo dumtaxat sanabitur, 428 B'; et in appetitu sensitivo habet fontem discordiæ, 127 C', et peccati, 127 D'; peccato demum occidi potest, 81 D', 418 B'.

Anima fidelis est Dei templum, 402 D', sedes, 20 D, 432 B', et domus, 150 D; Christi sponsa, 11 B, et sedes, 339 B'. Quo pacto ejus domus efficiatur, 376 A. — Quid ejus oculi, 547 A', renes, 217 A, genua, 498 C, ossa, 45 A, juventus, 194 D, 429 B', et senectus, 195 C', 429 B'; quid introitus et exitus, 585 A', viæ et semitæ, 643 C', sacrificia, 72 C', holocausta, 36 C, 150 A', vituli, 36 D, et hirci, 36 A'. — Multis hostibus lacessita, 184 D, continua Dei directione indiget, 153 C; ideo ejus locutiones diligenter advertere debet, 312 C,

Digitized by Google

et voci ejus docilem se præbere, 384 D, 419 A, quia ex hoc tota ejus pendet perfectio, 483 D. Eam decet omnem spem in Deo constituere, 12 B', 72 A, 82 B', 559 A', illum in prosperis et adversis benedicere, 31 C, 669 B', illi pro beneficiis rependere venerationem, 167 A', cum casto timore, 322 A', 544 B'; et sicut omnia ab eo recepit, ita omnia ad eum referre, 72 B', 276 A'. Ad eum sitiat, 127 C; illi soli placere studeat, 66 A', ita ut non nisi in illo cupiat laudari, 445 B'; illi demum unice adhæreat, 217 A', 524 B', 526 C, quia eum diligendo fit nobilior, 290 D', ei adhærendo, perfectior, 129 A'. Expedit illi frequenter recogitare Dei præsentiam, 578 B, et misericordias, 427 D', et semper ad eum oculos dirigere, 591 C', exemplo Christi, 592 A'. — Quomodo ad illuminationem divinam disponatur, 378 A'; qualiter coram Deo ambulare debeat, 387 C', Deum quærere, 446 B, ad Deum ire, 382 B, ut eum gustare valeat, 17 A; quomodo ab eo satietur, 471 B, et coronetur, 429 A. — Semper ante oculos proponat Christi mirabilia, 452 B', et judicia, 452 C', eique compati studeat, 333 C, summam existimans felicitatem cum eo crucifigi, 336 A'. — Eam oportet Ecclesiam defensare, 25 D, diligere, 25 A', instruere, 25 B', fulcire orationibus, 603 C'; omnium zelare salutem, 153 D', et omnes pro posse ad Dei præconium inducere, 170 A, gratiam adeptam eis communicando, 291 A', et a scandalo sollicite cavendo, 38 A'.

Anima fidelis de non pertinentibus sibi curare omittat, 26 A; superfluam sollicitudinem abjiciat, 79 D, 486 C'; a terrenis satagat se abstrahere, 96 A', et a vanis consolationibus, 244 D. Super terram se reputans exsulem, 307 B, mundum contemnens, 32 A, ac fugiens, 524 A', transitoria despiciens, 354 A', ad cœlestia anhelet, 634 A, et gloriam patriæ jugiter meditetur, 684 D'. — Nullo modo sibi confidere debet, 28 A', 359 D, nec de se præsumere, 493 B, quantumvis ornetur meritis, 60 C, 246 C', vel divitiis, 60 D; sed, judicia Dei timens, 39 A', humiliter incedere, 48 A', et timorate, 82 A, 527 B', sibi omnia mala tribuens, 405 A', et omnia bona Deo, 111 C, 197 D', 246 D', 359 B', 538 C', a quo omnis ejus procedit fortitudo, 538 C'. — Imprimis sanctitatem quærat, 401 A', et pro posse peccatum fugiat, 404 B', quo displiceret Deo, 394 B. Detractionem et credulitatem vitet, 407 A; foveat concordiam fraternam, 620 C', pacem, 239 B, 626 B', qua fit Dei filia, 238 C', et caritatem, 590 C', quia per hanc ad cœlestem pertingit gloriam, 591 A, et tanto plus in Deo lætabitur quanto magis eum dilexerit, 588 D. Corripi non dedignetur, 495 B', et conversionem quotidie quasi inchoare se reputet, 246 B'. — In tribulationibus nunquam debet desperare, 31 A', 227 A', 643 A', sed patientiam servare, 84 D', 559 D', et ad Deum clamare, 121 B, 358 A', 535 C'; expedit enim ei tribulari, 116 C, quia per adversa illuminatur, 114 C, et per necessitates carnis ad Deum ducitur, 127 B'; ideo in ærumnis ipsi gaudendum est, 138 B', 535 D', et in ariditatibus adoranda justitia Dei, 367 D. — *Cf.* Homo, Justus, Limbus, Mors, Psalmi, Purgatorium.

Anima contemplativa. *Vide* Contemplatio.

Anima Christi, a primo instanti virtutibus et scientiis plena fuit, 513 D, et per supernam illuminationem vidit Dei essentiam, 203 C, multo clarius quam omnes simul Beati, 607 B; attamen eam non plene comprehendere poterat, 637 D'. Omnia cognovit, 640 B, etiam nomina prædestinatorum, 641 C. — Plus de beatitudine accepit quam universi electi, 500 B'. — Quomodo redempta dicatur, 205 B. — Summos angelos illuminat, 640 B.

ANNUS. Quid sint anni Dei, 419 C, annus benignitatis Dei, 141 B, 145 A'.

ANSELMUS (S.) Cantuariensis episcopus, 59 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 158, 159.)

ANTICHRISTUS vera faciet miracula, 627 A'. — Contra Deum vociferabit, 300 C'. — Quot modis persecuturus sit Ecclesiam, 300 A. — Ejus exercitus describitur, 301 B'. — A Christo confundetur et destruetur, 207 B'.

ANTIOCHUS (Epiphanes), Jerusalem partim destruxit, 274 A, et extraneis replevit, 274 C'. — Quomodo templum polluerit, 274 A', et quot occiderit Judæos, 275 A. — Dicitur aper et singularis ferus, 284 C'. — Ejus persecutionem David præcognovit, 274 C.

ANTONIUS (S.), abbas, quo sensu se non timere Deum professus sit, 602 C. (Acta SS. die XVII^a Jan.)

APER de silva, vineam Dei disperdens, quis, 284 A', 285 B'.

APES. Sic dici possunt persecutores Christi, 536 B', et adulatores, 538 D.

Digitized by Google

APOSTOLI mundum inter se partiti sunt, 270 C', et in gentibus conversis principatum obtinuerunt, 10 C'. — In his mirabiliter apparuit virtus Christi, 167 A, B, a quo vehementer exaltati sunt, 20 D', quocum judicabunt nationes, 589 A. — Sunt quasi Christi oculi, 331 D, barba, 620 D, genua, 492 D, sedes, 589 A, et Ecclesiæ pedes, 617 A ; dicuntur currus Dei, 162 A', filii Ecclesiæ, 10 B', dii terræ, 20 C', principes populorum, 20 B', fontes Israel, 164 D' ; cœli nuncupantur, 340 B, nubes, 93 C'. 167 A, 340 A', dies, 640 B', montes, 13 A', 239 D', senes, 456 A, candidi et rubicundi, 21 A ; sagittis comparantur, 601 B'. — Prophetarum sensum magis quam verba allegare solent, 162 A.

AQUA ad figuram rotundam tendit, 436 B' ; in medio Oceani altior est montibus terræ, 436 A'. — Quomodo aquis terminum posuerit Deus, 437 C, A', et eas quasi in utre concluserit, 265 B ; qualiter super has fundata dicatur terra, 628 B ; quo sensu stent super montes, 436 D, et Deum vidisse asserantur, 248 D, 249 D. — Aquæ cœlum tegentes, quid, 434 B', 686 C'. — Aquæ Ægypti in sanguinem versæ, 450 A, quid significent, 268 C', 456 C'. — Ad litteram, aqua quemcumque potum exprimit, 254 C' ; mystice, varia signat, 13 C', 171 C', 473 D', 593 C, etc. ; per ignem et aquam universa tribulationum genera designantur, 150 B. — *Cf.* Flumina, Mare.

AQUILA senex, quomodo juvenescat, 429 D. — Figura est animæ, 429 A'.

AQUILO et latera aquilonis, quid, 22 A', 23 A. — Per aquilonem diabolus designatur, 342 C'.

ARABIA. Quomodo de Arabia aurum Christo afferatur, 210 B'. Reges Arabum et Saba, quid ad litteram et mystice, 209 B'. — Arabes auctores : Averroes (Ibn-Roschd), 687 A ; Avicenna (Ibn-Sina), 112 D', 687 A.

ARANEA. Ipsi jure comparatur homo, 356 A.

ARCA fœderis, primo in Silo posita, 613 A, exinde per varia loca delata est, 613 B. Ut introduceretur, ultro aperta sunt ostia templi, 613 D'. — Quid continuerit, 613 B'. — Super hanc sedere dicebatur Deus, 613 C ; ideo vocatur virtus Israel, 261 A. — Allegorice, figurat Ecclesiam, 617 D.

ARCUS. Quid significet arcus, 239 A', arcus Dei, 98 B', 102 B', diaboli, 239 D, malorum, 16 C', 133 B', 137 A'. — Arcui pravo comparantur impii, 260 C.

ARGENTUM, divinum eloquium figurat, 166 A, vel scientiam, 457 D, vel fidem, 457 A'.

ARIANI hæretici, innumerabiles jugulaverunt Christianos, 226 D', et multa damna intulerunt Ecclesiæ, 278 D. — Confutantur, 6 D.

ARIETES. Sic dicuntur prælati, 145 D', 150 D', quare, 151 A.

ARISTOTELES, quomodo definiat Deum, 112 D'. Astra animata credit, 686 C. Passim allegatur, 368 D', 403 D, 432 D. — Antonomastice, dicitur « Philosophus », 5 B', 58 D', 93 A', etc.

ARNON. Scopuli Arnon viam dederunt Hebræis, 518 C'.

ARSENIUS (S.) « illustris pater noster », optimum proficiendi modum tradit, 246 C'. (Acta SS. die XIX^{a} Julii.)

ASAPH, cantor principalis David, 212 C', num psalmos conscripserit, 32 C, 219 B. — Quid significet, 32 C, 231 B. — Quomodo intelligendi psalmi « Intellectus Asaph », 219 B, 250 D, « Psalmus Asaph », 297 C, « Testimonium Asaph », 279 D.

ASPIS, quomodo incantatoris artes eludat, 98 B. — Tropologice, typus est impiorum, 102 B, et invidorum, 364 D. — *Cf.* Serpens.

ASSYRII ab angelo in cineres redacti sunt, 236 A'. Clades eorum a David prænuntiatur, 235 B. — Quid figurent, 238 B, 302 C. — Quomodo intelligendi psalmi « Ad Assyrios », 235 C, 238 B, vel « Pro Assyriis », 280 A.

ASTRA. *Vide* Sidera.

ATRIUM, quid sit ad litteram et mystice, 589 D'. In templo triplex fuit atrium, 586 C. — Atria Domini sunt, vel mansio Beatorum, 304 C', quæ nunquam satis concupiscetur, 304 C', vel templa sancta, 389 B', vel corda nostra, 371 B, 389 C'. Quid sit ea introire in hymnis, 403 B'. — *Cf.* Tabernaculum, Templum.

ATTENTIO in orando necessaria est, 20 A, maxime monachis, 20 C. — *Cf.* Oratio.

AUGUSTINUS (S.), Hipponensis episcopus, omnes Psalmos Davidi tribuit, 32 C, 205 D, 309 C. Quid de astris sentiat, 686 D, et de superioribus aquis, 686 C'. — Passim allegatur, 42 B', 61 C', 66 D, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 32-46.)

AURIS. Ex ejus perfectione evincitur providentia Dei, 377 D'. — Quid aures Dei, 68 B, 307 C', 316 A'. Quomodo auribus Deus percipere dicatur, 659 D'.

AURORA, quomodo a Deo facta dicatur, 223 D'. — Allegorice, B. V. Mariam signat, 229 B.

Digitized by Google

AURUM, quomodo de Arabia Christo afferatur, 210B'. — Illud avari pro Deo colunt, 523D. — Spiritualiter, caritatem exprimit, 9C, 160C, 457A', vel sapientiam, 210B'.

AUSTER, ventus meridionalis, 255D', pluviam inducit, 597A'. — In Hebræo vocatur mare, 469C'. — Quid significet, 266D'.

AVARITIA judicibus maxime fugienda est, 101B. — Avari aurum pro Deo colunt, 523D. Cum eis an expediat epulari, 407C.

B

BABYLON, quid significet, 326C, 632B, 633B'; quid Babylonis flumina, 632C, D, salices, 632B', parvuli, 631D', 633C'. — Captivitas Babylonica, longissima antiquorum Judæorum pœna, 347D', a David prænuntiatur, 139A. Captivitatem generis humani figurat, 141D', 385D, 386B.

BALAAM vere fuit propheta, 304C.

BAPTISMUS est quasi uterus Ecclesiæ, 194C', in quo remittuntur omnia peccata, 44A', 320D', et penitus destruitur potestas diaboli, 228A', 629A'. — Per mare Rubrum signatus est, 145B, 467C, et dici potest flumen Dei, 144D'. — Quam late pateant vota Baptismatis, 142B.

BARBARI. Sic vocabantur omnes populi, præter Græcos, Romanos et Hebræos, 517D'; sic jure dicuntur reprobi, 522A.

BASAN, terra vicina Judææ, 164B, quid exprimat, 168B.

BASILISCUS, quid sit ad litteram, 364A', et mystice, 364B', C'.

BASILIUS (S.), « excellens ille » Cæsariensis episcopus, 515A', quid de igne judicii sentiat, 33B', et de astris, 686A'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 29-32.)

BEATITUDO, quotuplex, 176C', 542D, 575C. Hanc omnes appetunt, 470C. — Beatitudo hominis in actu intellectus consistit, id est in visione Dei, 282D', et in laude Dei, 323B. Quid sit beatitudo vitæ activæ, vitæ contemplativæ, 543A', C'. — Plus de beatitudine accepit Christus quam omnes electi, 500B'. — Octo beatitudines sunt quasi salvationes Christi, 163C.

Beati angelorum ruinas implent, 47D', et in cœlo empyreo habitant, 306D. Quomodo sint in circuitu Dei, 340D', vel potius Deus in circuitu eorum, 341A. — Nec spem nec fidem habent, 611B', sed præceptum caritatis perfecte implent, 48A, 509D', et Deo totaliter intenti, 143B', eum optime sanctificant, 388D. — Deum omnes possident, sed non æque, 588D; cum sine intermissione laudant, 306A', 327D', 509D', et indesinenter confitentur mirabilia ejus, 339C', 388A, prout suggerit eis Spiritus, 509D'. Quomodo eum timeant, 509A, 510B. — In visione Dei, 460C', et divinitatis Christi, 365D', est essentialis felicitas, 282D', finis, 682B', et cibus eorum, 682C'; in contemplatione operum Dei, accidentale præmium, 131B. Duplicibus vestiti, 429D, nunc in anima lætantur, post judicium in corpore plenissime gavisuri, 143A', ita ut nihil quod desiderent habeant, 306D, et eorum felicitatem nemo intelligere valeat, 560C'. — Omnia in Verbo vident, 365C'. Quomodo a Deo doceantur, 203B'. — De beatitudine mutua gaudent, 588B'; nostram salutem summopere cupiunt, 659A', et in cœlo collocati sunt ut orent pro nobis, 588C'. Ad damnatos descendere possunt, 30A', et de pœnis eorum multipliciter lætantur, 100A'. — In extremo judicio, cum Christo sedentes, 690B', tanquam assessores, 589B, impios condemnabunt, 690D', et in nationibus vindicabunt, 691B. — Vivi proprie dicuntur, 526C'. Quis ad eorum cœtum aggregari dignus sit, 306B'. — *Cf.* Sancti.

BEDA (Ven.) Ord. S. Benedicti, quid de cœlestibus aquis senserit, 686C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BEELPHEGOR, turpissime ab Hebræis cultus, 464C.

BELLUM, quid sit proprie et quomodo a prælio differat, 664A. — Quo sensu a Deo confractum dicatur, 236B, 239A'. Qualiter digitos nostros doceat Dominus ad bellum, 663D', 664B. — Quid mystice, 239D, B'. — *Cf.* Prælium.

BENEDICTIO, quid sit, 427B, quotuplex, 622A, quibus competat, 427D. — Quomodo Deus benedicere dicatur creaturis, 152C, 427D, vel tempori, 141B. Benedictio Dei, id est, largitio gratiarum, 5A, 307D, 309D', causa est bonitatis nostræ, 427C; eam Deus tribulatis liberalius impendit, 498C'. — Qualiter Christus sit a Deo benedictus, 5B, et in Christo benedictæ omnes tribus terræ, 211B'. — Quo sensu Deo benedicant creaturæ, 128C', 152C, 427A', potentiæ et actus hominis, 427B', irrationabilia, 433A'. Deus

Digitized by Google

pro beneficiis benedicendus est, 428 C, jugiter, 669 B', in prosperis et adversis, 431 D, corde purificato, 621 D, et pacato, 626 B'. Optimum est desiderare ut Deus ab omnibus benedicatur, 674 A'. — Homo homini quomodo benedicat, 541 B. Judæi prætereuntes laborantibus benedicebant, 606 B'.

BENEFICIA Dei in hominem, generalia et specialia, quæ, 337 A', et quanta, 94 C', 353 D, 529 A. Ad ea cognoscenda opus est gratia Spiritus Sancti, 362 A'. — Animæ sæpe expedit ea recolere, 703 A', commemorare Deo, 220 D, narrare ceteris, 151 C, 232 A. — Dona Dei nobis solummodo commodata sunt, 514 B'; quid pro eis Deo rependendum sit, 167 A'. — Beneficia Christi, quanta, 598 D. Quid sit beneficiorum et mirabilium ejus meminisse vel oblivisci, 264 C, A'.

BENJAMIN adolescentulus, quid ad litteram, 165 A, et mystice, 169 C, 280 D'.

BERNARDUS (S.), « devotissimus » abbas Claræ Vallis, passim allegatur, 214 B', 313 C, 314 B', 642 B', 698 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BLASPHEMIA cujusdam impii refertur, 301 A. — Judæi, quomodo in Spiritum Sanctum blasphemaverint, 175 B'.

BOETIUS (B.), philosophus, citatur, 470 D, 578 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, 64.)

BONITAS ita Deo competit, 2 D', ut bonitas creaturarum non sit nisi tenuis umbra, 700 C. — Bonitas Dei omnia transcendit, 670 A, ad omnes extenditur, 213 A; sed peccatis ligatur, 213 B. Nos ad spem inducere debet, 459 C. — Bonitas prælatis maxime necessaria est, 557 B'.

Bonum, quid sit, 213 A. Ex integra causa est, et in medio consistit, 553 B'. Bonum honestum dignius est utili, 451 D'. — Summum hominis bonum Deus est, 588 A', 622 C', et observantia legis, 555 C'. — Omnia bona viatorum imperfecta sunt, 645 A', et Deo adscribenda, 197 D', 246 D', 405 A', 538 C', quia ab eo est omnis inchoatio et prosecutio boni, 287 A, 383 B', 600 C'. — Omne bonum quod licite desideratur, licite oratur, 317 B'. — Fastidium boni non parum nocet, 473 C.

BOS sæpe in Scripturis prædicatores significat, 36 B', 150 D', quare, 151 A.

BRACHIUM Dei, quid sit, 132 B, 198 B, 204 A.

BRUCHUS, quid ad litteram, 450 B', et mystice, 457 C.

BRUTA proprie non creantur, 442 B'; instinctu divinitus impresso aguntur, 439 D'; nullo modo resurgent, 442 C'. — Cur ad laudandum Deum invitentur, 687 D'.

C

CALCANEUM, quid significet, 27 A', 87 B, 89 D'.

CALIX in Scripturis pro pœna sumitur, 231 A, 233 D', vel pro persecutione, 529 D, 531 C. — Calix Domini, cur vini meri plenus mixto, 231 A, 234 A, B.

CAMPUS. Per campos designantur corda fidelium, 145 B', 390 C', vel inferiores, 437 C. — Quid campi silvæ, 613 B, D, 616 C', D', ligna campi, 439 A.

CANTICUM. Quid sit canticum, 328 B, B', 480 C, psalmus cantici, 21 C, 324 C, laus cantici, 381 C, canticum graduum, 580 A; quæ cantica Sion, 633 A. Quid sit laudare cum cantico, 181 C, canticum novum cantare, 386 C, C', 689 C, canticum cantare in terra aliena, 633 B. — *Cf.* Psalmi.

CAPILLUS pro cogitatione sumitur, 168 A. — Quid vertex capilli, 167 D'.

CAPTIVITAS. Christus cepit captivitatem antiquorum justorum, 161 B', et generis humani, 162 D'. — Hodierna Judæorum captivitas cur tam diu duret, 679 C. — *Adde* Babylon.

CAPUT sæpe principales populi significat, 163 C', 228 C'. — Quomodo Christus dicatur caput Dei, 117 A, et factus sit in caput anguli, 539 D'. — Quid sit caput circuitus impiorum, 649 C, 651 D'; quid extollere caput, 298 A, 300 C'.

CARBONES, quid in Scripturis significent, 581 C, D, C', 582 C', 649 A'.

CARITAS est quasi liquefactio animæ, 269 D, dilatatio cordis, 551 B. — Omnium virtutum regina est, 620 A, et custos, 358 A', vita animæ, 115 D', 269 D', janua justitiæ, 538 A, plenitudo legis, 403 C', omnis profectus principium et finis, 620 C', perfectio vitæ, 10 B. — Sine caritate nihil prodest, 620 D', nihil meritorium est vitæ æternæ, 62 A, 511 C. Per eam Ecclesia Christo unitur, 540 A; per eam in Ecclesia manemus, 182 B; et ad regnum pertingimus cœlorum, 590 C', ubi ipsa erit quasi mensura felicitatis nostræ, 588 D, quia actus caritatis nunquam deficient, 337 C. — Ad omnes se extendens, 533 D, tam lata est, 142 B, ut præceptum ejus a viatoribus

Digitized by Google

impleri nequeat, 544 C', et in cœlo dumtaxat perfecte servetur, 48 A, 509 D'. — Caritas Dei et amor proximi idem sunt, 621 B, et in his duobus cetera legis præcepta includuntur, 550 C. — Cunctis necessaria est, 590 C', præcipue religiosis, 620 D'. A quo et quomodo in nobis accendatur, 698 D', 699 A. — Per aurum significatur, 9 C, 160 C. — *Cf.* Amor.

CARMEN. Psalmi « in carminibus », quomodo intelligendi, 67 C', 74 C, 80 D.

CARO sæpe pro toto homine sumitur, 142 C. — Quo sensu ad Deum sitire dicatur, 127 D, vel adversus animam concupiscere, 127 C'. — Necessitatibus carnis anima ad Deum ducitur, 127 B'. — *Adde* Corpus.

CARTUSIANI, quæ potissimum vitare debeant, 468 C'.

CASIA, quid significet, 8 A'.

CASSIANUS (S.) « illustrissimus pater noster », allegatur, 191 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 49.)

CASSIODORUS (Aurelius), Vivariensis abbas, « nobilis noster Cassiodorus », 494 C', « vir catholicus », 636 D', omnes Psalmos Davidi tribuit, 205 D. — *Adde* 32 C, 73 C', 136 D, 273 D', 489 B. (Migne *Patrol. lat.* tom. 69, 70.)

CAUSA prima plus in effectum influit quam ceteræ, 223 D'. — Quomodo Deus sit causa rerum, 687 B. — Liber de Causis (David Judæi) citatur, 686 C.

CEDAR et habitantes Cedar, quid, 582 A, 583 B.

CEDRUS optime figurat justum, 371 A, 439 A. — Quid cedri Dei, 283 D', 284 B, 285 C.

CETUS, seu draco, 687 C', quantus sit, 441 D. — Facile illuditur, 441 A'. — Allegorice, typus est diaboli, 441 C'. — *Cf.* Draco.

CHAM, pater Ægyptiorum, 449 B, quomodo interpretetur, 270 B. — Tabernacula vel terra Cham, quid ad litteram, 259 D, 449 B, et mystice, 270 B, 456 B.

CHANAAN. Terra Chanaan, id est regna trans Jordanem, 624 D, inter Hebræos partita, 453 C', varia signat, 453 D', 625 B. — Chananæis ex avaritia Israelitæ pepercerunt, 465 C.

CHERUBIM. Qualiter super eos sedere dicatur Deus, 280 D', vel Christus, 398 C.

CHORUS. Quid sit laudare Dominum in choro, 689 D', 692 B'.

CHRISTIANI. Nomen « Christianus » primo Antiochiæ fidelibus impositum est, 210 A'. — Christiani, quomodo ab exitio Jerusalem erepti, 164 C'. — Veri Christiani pauci sunt, 106 D, 120 B ; in Christo unum sunt, et se mutuo juvant, 556 C' ; recte christi dicuntur, 617 B', et reges, 121 D', 169 D'; per pisces et aves designantur, 290 D ; nihil ipsis ita sapere debet ut incarnatio Christi, 397 C'. — Populus christianus, quantis gratiis refertus, 159 A'. Solus est inter populos liber, 334 C. — *Cf.* Ecclesia.

CHRISTUS. Duplex ejus natura insinuatur, 8 A, 326 D'. — Divina virtute mundum redemit, 131 A ; et totam suam virtutem, vel increatam, Deo tribuit, 107 C. — In ejus incarnatione relucent potentia et justitia Dei, 204 C, obviaverunt sibi misericordia et veritas, 312 C', justitia et pax osculatæ sunt, 312 D'. — Multipliciter pulcher est, 3 A, et magnus, 398 B'. — Primus ejus adventus in humilitate fuit, 207 B, 208 D, ut judicaretur, 503 C' ; secundus erit in gloria, ut judicet, 503 C'. Cur in primo occultus fuerit, in secundo manifestandus, 33 C; in primo tacens, in secundo locuturus, 33 D, 300 A'. — Quomodo Judæos deceperit, 76 C', mundum et diabolum vicerit, 95 B ; quo sensu dicatur contra inimicos orasse, 69 A, 78 B, pacem attulisse, 208 B', viam invenisse disciplinæ, 247 B', decorem et fortitudinem induisse, 372 C', et quando, 373 A. — Christus est finis legis, 66 C, et omnis prophetiæ, 66 C, salus unica mundi, 280 B, lapis angularis Ecclesiæ, 23 B, angelus nostra sacrificia ad Deum perferens, 120 B', pax nostra, 16 B', et firmamentum nostrum, 210 D'. Multipliciter nos salvat, 124 D, et regit, 26 B. — In Scripturis vocatur Dei virtus et brachium, 249 C, misericordia et veritas, 95 D, 311 B', Sanctus, 116 A', 481 D', et salutare, 197 B, 311 C'; dicitur Patris primogenitus, 351 D', servus, 350 D, 531 B', caput, 117 A, gloria, 128 D, 312 B', olla, 117 B ; nuncupatur vir dexteræ Dei, 286 D, sol justitiæ, 98 C', 103 A, princeps pacis, 209 A ; comparatur olivæ, 57 D', et petræ, 121 A ; exprimitur per David, 615 B, et Israel, 607 A. Quomodo sacerdos dicatur, 502 B', in æternum, 502 D', secundum ordinem Melchisedech, 503 A. — Per Joseph patriarcham signatus : triginta argenteis venditus est, 454 D', et factus est Dominus orbis, 455 B' ; per petram Horeb : sanguinem emisit et aquam, 265 D, 458 A ; per lapidem Nabuchodonosor : regna mundi comminuit, 7 B. — Quid ejus dextera, 6 A',

Digitized by Google

genua, 492 D, femur et gladius, 5 C, sedes, 339 B', virga, 7 A', hereditas, 19 C, psalterium et cithara, 93 B. — Exemplorum ejus quantum meminisse juvet, 263 C', 264 C. — Psalmi de Christo expositi dulcius sapiunt, 53 A'. — *Adde* Psalmi.

Christus Deus. Divinitas Christi probatur, 6 C, 7 D', 9 A', 157 A, 164 B'. In omnibus humanitati cooperabatur, 68 A', cui causa erat omnis meriti, 105 B. Quomodo humanitati fuerit unita in vita, 638 B'; in triduo mortis, 68 B'; post resurrectionem, 638 C'. — Christus Deus dicitur dextera et brachium Patris, 395 D', justitia Dei, 396 C. Ab initio possedit Ecclesiam, 226 A, et ad electos quotidie invisibiliter mittitur, 460 A'.— *Adde* Verbum.

Christus homo instantanee in utero B. Virginis formatus, 637 B', et mirabiliter, 208 C, mirabiliter inde exivit, 639 B'. Eo nascente, moti sunt cœli, 15 D', et terra, 16 A. — Speciosus fuit, 3 A', optimæ complexionis, 492 C', et naturaliter a morte exemptus, 348 C'; sed laboribus attenuatus, præmature senuit, 492 C'. — Eloquentia pollebat. 4 A', 455 C, et dono linguarum, 4 B'. — Quanta misericordia sit præventus, 107 B', 109 B', 131 D, quanta gratia repletus, 91 D'; quomodo sit a Deo electus, 272 C', 350 C, benedictus, 5 B, susceptus, 107 B', unctus, 7 D', edoctus, 203 B', directus, 119 A, auditus, 78 A', 87 B', 332 A', exaltatus, 118 C'. — A Matris utero fuit vir, 327 A', 398 C', 454 B', confirmatus in bono, 200 C', 285 D', 315 C, 642 A', plenus virtute et gratia, 8 C, et lumine gloriæ, 130 C, quo jugiter Deum videbat, 203 C, 513 D, 607 B, et beatifica visione gaudebat, 316 A. Quotuplicem sapientiam habuerit, 203 A'. — Solus innocens, 6 A', et immaculatus, 543 C, nunquam peccare poterat, 200 D', 514 D', nunquam præmium essentiale meruit, 74 A', nec in gratia habituali profecit, 131 C', 201 B; legem perfectissime implevit, 513 D'; sancta conversatione vincit omnes, 315 C, 398 D', et glorificari meruit, 6 B'. Tota vita ejus merito dies dicitur, 203 A. — Quia viator simul et comprehensor erat, 130 B', 421 C', et indetrahibiles humanitatis defectus assumpserat, 422 A, 640 A', ut famem, sitim, fatigationem, etc., 492 A', quoad corpus multis fuit obnoxius doloribus, 130 C', et mutationibus, 172 B; mortem vere timuit, 75 C', 86 D', et naturaliter horruit, 582 C. Quomodo ipsi tribuantur insipientia, 173 B', et malum, 329 C. — Verumtamen, turbationem non novit, 75 B, nec pusillanimitatem, 76 A', nec tristitiam inordinatam, 74 D', aut inordinatum timorem, 70 A, 638 B; nunquam passiones rationem ejus prævenerunt, 75 C'; nulla occupatione abripiebatur ab oratione, 131 A', 315 C', 329 B, et contemplatione Dei, 130 C; nullam mentis evagationem passus est, 318 A. — Licet in conceptione dominium universorum accepisset, 6 B, 319 A, 372 A', quod post passionem exercuit, 372 B', 389 D', ita ut ipsi invito nemo nocere valeret, 91 C', 607 A', et ad libitum se invisibilem facere posset, 133 A', præ omnibus mansuetudini studuit, 615 C, humilitati, 264 C', 332 D', paupertati, 172 C, 181 B, 490 D', tam in vestitu, 176 B, quam in cibis, 423 A', et labori, 332 C'; ideo dictus est pupillus, 296 C, et incola in terra, 583 C. — Humanitas in Christo fuit velut divinitatis indumentum, 8 A', 373 C, calceamentum 117 A', 482 A', scabellum, 399 A', instrumentum, 350 B', altare, 47 C', et propter dona adjuncta, decor, 372 C'. Quomodo divinitati fuerit unita, 638 B'; qualiter adoretur, 399 A'. — Ex divinitate totum erat ejus meritum, 105 B, tota salus, 126 A; omnes gratias ex sola Dei misericordia recepit, 493 B, et continuo Dei auxilio indigebat, 200 D, 615 D'; ideo Christus pro seipso orare debuit, 615 C', 642 C'. Quomodo in Deo sperare potuerit, 58 B, 80 A', 514 C', 657 A', Deum timere, 317 D', 513 D', ad eum sitire, 130 D, C'. An vota quandoque et juramenta emiserit, 616 A. — *Cf.* Anima Christi.

Christus patiens pertimuit vehementissime diem passionis, 86 A', et mortem, 75 D'; libenter tamen morti se obtulit, 69 B, 423 B'. Quo sensu ab inimicis eripi deprecatus sit, 104 A'. — Universa pœnarum genera pertulit, 330 B', ita ut defecerint oculi ejus, 173 A, 331 C, raucæ factæ sint fauces, 172 B', aruerint ossa, 422 A, cor exsiccatum sit, 422 C, et caro exhausta, 422 C'. An et quid in cruce biberit, 178 D'. — Quasi extraneus Judæis factus, 174 D', tanto acerbius doluit quanto a propinquioribus torquebatur, 78 A, 85 D', a pluribus lacessebatur, 173 A, et ampliori afficiebatur opprobrio, 174 A'. — A Deo derelictus visus est, 329 C', et inferior pars animæ ejus omni consolatione fuit destituta, 422 D, alioqui mori non potuisset, 422 B';

Digitized by Google

sed nunquam Dei adjutorio caruit, 330 A, nunquam a beatifica visione excidit, 332 B'. — Patiendo meruit sibi præmium accidentale, 74 D, resurrectionem beatam, 658 A, corporis sui glorificationem, 639 A, potestatem regalem, 74 A', 209 C, 389 D', et judiciariam, 391 D', 504 C, exaltationem super omnes creaturas, 499 C'; minoravit dæmones, 155 A, et idololatriam depulit, 155 B, 162 A; mortem æternam abstulit, 173 A', universa delens peccata, 310 C, et vitam reparavit, 311 C; patres salvavit antiquos, 309 C', et justis omnibus præmium essentiale obtinuit, 105 C, gratiam et formam dedit vincendi, 95 C. — In vulneribus ejus tutissimum est refugium nostrum, 94 A. Quomodo meritum suæ passionis nobis applicetur, 310 D. — *Cf.* Passio, Psalmi.

Christus, quomodo inter mortuos liber dicatur, 330 B. — Anima ejus statim a morte ad limbum descendit, 639 B, et justos ibi detentos beatificavit, 639 C, quibuscum post resurrectionem eductis, 157 D', quadraginta dies in paradiso terrestri mansit, 638 D. — Quo sensu spolia divisisse dicatur, 160 A, cepisse captivitatem, 161 B', 162 D', accepisse dona in hominibus, 161 B'. — Eo ascendente super occasum, 156 C', usque ad apicem cœli, 166 A', apparuit omnis gratia ejus, 161 C', et virtus ejus in nubibus, 166 C'. — Ad dexteram Dei sedens, 500 D, 503 D, eum incessabiliter laudat, 493 D', et ostensis vulneribus placat, 642 B'. — In die judicii extremi cunctis apparebit, 641 B', et potestatem manifestabit, 500 A. — *Cf.* Judicium, Resurrectio.

Christi Dei. Qui sic vocentur, 447 D', 454 D.

CHRYSOSTOMUS (S.), Constantinopolitanus episcopus, pluries allegatur, 327 C, 468 C, 516 B', 686 B'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 47-64.)

CINIS in panibus subcinericiis miscebatur, 425 A'. — Quid sit cinerem ut panem manducare, 416 C', 423 B'.

CISON torrens, juxta quem percussi sunt Chananæi, 298 D', quid significet, 302 B'.

CITHARA, instrumentum musicum, 291 C, varia designat, 93 B, 96 C', 204 D', 367 B', etc. — Quomodo laudemus Deum in cithara, 199 B, 397 A, 692 B'.

CIVITAS Dei ad litteram est Jerusalem, 21 D', 24 A; allegorice, B. Virgo, 14 D', vel Ecclesia, 14 D, 22 A', 106 B. — Civitates Juda, quid, 182 A, A'.

CLAMOR. Quid sit clamare ad Deum, 243 C, in toto corde, 573 B', a finibus terræ, 121 A. — Optimum est in tribulatione remedium, 322 C, 535 C', 580 D. — Irrationales creaturæ, quomodo sic clamare dicantur, 141 B'.

CLERUS pro hereditate sumitur, 160 D. — Quid sit dormire inter medios cleros, 160 B.

COELUM, quomodo in intellectu dicatur factum, 628 A, D. — Sphæricum est, 431 B, 434 A'. — Ab angelis movetur, 433 B, ideoque ab æterno moveri nequit, 420 A, et post judicium quiescet, 241 C', 419 B'. — In fine mundi quoad modum essendi peribit, 419 A', non autem substantialiter, 419 D'; imo, cœlestia corpora magis splendescent, 131 B. — Christo nascente, motum est, 15 D'. — Quid cœli januæ, 255 A', 266 D; quomodo ab angelis aperiantur, 537 C'. — Cur Deus vocetur Deus cœli, 630 B; quomodo in cœlis habitare dicatur, 519 B', 591 B', vel cœlos inclinare, 666 A, aut de cœlis respicere, 62 A, 418 A', de cœlo facere audiri judicium, 237 A, 241 C; quo sensu misericordia ejus prædicetur usque ad cœlos magnificata, 93 B', vel super cœlos exaltata, 484 A'. — Quid cœli cœlorum, 686 B'. — Mystice, varia signat : angelos, 339 C', Apostolos, 158 D', 241 C, 340 B, Ecclesiam, 435 A, etc.

Cœlum immobile, 434 C', quod absolute cœlum dicitur, 156 D', cur empyreum vocetur, 686 D'. — Quid sit, 584 A'. — Non est compactum, 687 A. — Ad oblectamentum Beatorum creatum est, 303 C', 521 B, et ibi clarius refulget gloria Dei, 157 D; ideoque dicitur Dei tabernaculum, 303 C', 304 B, domus, 306 C, thronus, 374 B, sedes, 432 A', firmamentum, 692 A. — Cœlum crystallinum, seu nona sphæra, cur sic dictum, 434 C', 686 D'. Cœlum stellatum movet ab occidente in orientem, 687 A.

Regnum cœlorum. *Vide* Ecclesia triumphans.

COGITATIO, et reliquiæ cogitationis, quomodo diem festum agant Deo, 237 A', 242 A. — Displicent Deo cogitationes superbæ, 167 D', et vanæ, 271 B. — Cogitatio Dei, quid et quotuplex, 369 A, A'. In creatione mundi inscrutabilis est, 369 B, et in prædestinatione hominum, 369 C.

COGNITIO Dei, quanti æstimanda, 365 D. Duplex est : informis, 365 C, et formata, 365 D. — Omnes cognitiones nostræ sine illuminatione S. Spiritus vanæ sunt, 460 C'. —

Digitized by Google

Quomodo Deus cognoscere hominem dicatur, 643B. — *Cf.* Doctrina, Scientia.
COLLES, quomodo a facie Dei exsultasse dicantur, 518A', 522C'. — Spiritualiter, varia signant, 145D', 207D, 271A. — *Cf.* Montes.
COLUMBA, typus est Ecclesiæ, 160D. — Quid ejus dorsum, 160C, et pennæ, 82C; cur vocentur deargentatæ, 160B; quare eas optaverit Christus, 76A.
COMPUNCTIO, quid sit, 698A. — Ex amore procedit, 698B, et quatuor considerationibus excitatur, 698A'. — Sæpe pro contritione sumitur, 698A.
CONCORDIA fraterna pro posse fovenda est, 157B', etsi perfecta inveniri nequeat in hac vita, 157C'. — In concordia oportet Deum laudare, 626B'.
CONCUPISCENTIA alia sancta est, alia fœda, 304A'. — Ad concupiscentiam proni sunt juvenes, 545D'. Quomodo refrenetur, 546A.
CONFESSIO. Quid sit confiteri Domino, 322D', in toto corde, 505C, 634C, in conspectu Dei, 387C'. — Duplici modo confitemur Domino, 231C, 387D', 466D', 652B' : confessione culpæ, viatoribus propria, 387D', quæ animam purgat, 388D', et ad confessionem laudis disponit, 366C', quam præcedere debet, 403B', 680D; et confessione laudis, Beatis consueta, 388A, 652B', quæ maxime Deo placet, 388B. — Utraque observantiam mandatorum requirit, 545A', utraque Deum honorat, 366C', 388D'; sed prior longe inferior est altera, 366C', quia si confiteri culpas humanum est, confiteri Domino est angelicum, 411. — Quid intersit inter confessionem justi et impii, 31C. — Quomodo creaturæ irrationales confiteantur Domino, 672A. — Quo sensu confessionem indutus sit Dominus, 434B, et Christus, 434C. — *Cf.* Laus.
CONFUSIO quotuplex, 190C. — Nec in Christo nec in perfectis invenitur, 174B'. — Confusio in confitendis peccatis non parum ad remissionem confert, 196B'.
CONSILIUM, quid sit, et quatenus Deo competat, 148D. — Dei consilia terribilia valde sunt, 147C', nec nisi sobrie scrutanda, 148C. — Quid sit confiteri Domino in consilio justorum, 505C'.
CONSOLATIO. Divinam consolationem per constantiam in adversis meremur, 380A, 475D'. — Sæpe hæc a justis aufertur, ad accendendum fervorem, 335B', et deprimendam superbiam, 545B'. — Consolatio vana fugienda est, 244D.
CONSUETUDO mala absorbet animum, 187C, et difficillime corrigitur, 158B. — Comparatur catenæ, 472B, 530A, puteo, 187D, portæ æreæ, 472D'. — *Cf.* Peccatum.
CONTEMPLATIO theologica, quomodo a philosophica differat, 544C. — Quomodo anima ad contemplationem perveniat, 543B', in contemplatione deficiat, 217B', 218C'. — In hac prælatos ceteris præstare oportet, 670D'. — Quæ sit vitæ contemplativæ beatitudo, 543A', C'.
Animæ contemplativæ ceteris sunt præstantiores, 325A'; recte comparantur cervis, 439C, Sion nuncupantur, 594D'.
CONTEMPTUS. Quempiam contemnere, quantum peccatum, 548B'. — Contemptu gaudere debet anima, 573A. — Incorrigibiles sunt, quos Deus despicit, 260B'.
CONTRITIO, quid sit, 697A. — Summe Deo placet, 47A. — Consumit carnem, 415A'. — *Cf.* Compunctio.
CONTUMELIA sanctis illata, Deo irrogata censetur, 186A'. — In contumeliis gaudent justi, 185B', pusilli turbantur, 185C'. — Propter Deum sustinere contumeliam, optima est patientia, 185C; propter culpas, minus meritorium, 185D. — *Cf.* Injuria.
CONVERSIO animæ a Deo omnino procedit, 286C', D', nec sine gratia fieri potest, 282C'. — Majus est miraculum quam creatio mundi, 158A, 232B, 474C, 522B. — *Cf.* Peccator.
COR pro intellectu sæpe sumitur, 1B', 134C'. Quid ejus labia, 692D'. — Cor hominis caritate dilatatur, 551B. Vocatur abyssus, 249A'. Quomodo corrumpatur, 61C'. — Cordis munditia omnium exercitiorum est finis, 45D, et optima S. Scripturæ interpres, 708B'. — Quid sit cor effundere, 124C', 658C, cor paratum habere, 96C, accedere ad cor altum, 134D', 138A, toto corde confiteri Domino, 505B', 634C. — Fidelium corda campo comparantur, 145B'; peccatorum, deserto, 145C'.
CORE Levita, in Moysen rebellis, 462C', vivus absorbetur, 462D'. — Filii ejus patri consentientes, pœnituerunt, 309D, et a paterna clade mirabiliter erepti, 309B', 462D', psalmos composuisse dicuntur, 309C, B', plenos lætitia, 309C'. — Core et filii Core, mystice quid, 309C. — Psalmi « filiis Core », quomodo intelligendi, 1B, 12B, 21C, etc.

Digitized by Google

CORNU exaltare, modo in bono sumitur, 344 B', 370 D. 513 C, 688 C, modo in malo, 230 B', 233 B, C. — Quid cornu Christi, 515 A, David, 614 C', animæ, 370 A'; cornua justi, 234 C', 513 B, et peccatorum, 234 B'.

CORONA anni benignitatis Dei, quid ad litteram, 141 B, et mystice, 145 A'. — Quomodo anima in misericordia et miserationibus coronetur, 429 A.

CORPUS humanum omnium mixtorum præstantissimum est, 559 A. — Animam in præsenti aggravat, 549 B'; sed post resurrectionem ei perfecte serviet, 549 D'. — Dicitur cilicium et saccus, 176 B, terra inaquosa, 128 A, pavimentum, 549 B', et stercus, 516 D'. — *Cf.* Caro.

CORREPTIO grato animo suscipienda est, 495 B'. — Qui alios vult corripere, a se incipiat, 468 C.

CORUSCATIONES Dei, quid ad litteram, 248 C', et mystice, 249 D'. — In die judicii horribiliter terrebunt homines, 392 D'.

CORVUS. Pulli corvorum, quomodo ad Deum clament, 680 C', et ab eo nutriantur, 680 D'. — Quid mystice, 681 B.

COTURNICES, aves regiæ, 451 C, mirabiliter Hebræis allatæ, 256 B, ex Africa, 256 A, quid figurent, 267 A, B, 457 D'.

CREATIO mundi evincitur, 35 C', 403 D. — Libere, non ex necessitate facta est, 628 A. — Minus est opus quam mundi salvatio, 368 D, et justificatio peccatoris, 158 A. — In opere creationis relucet potentia Dei, 223 B'; pernosci nequeunt cogitationes ejus, 369 B.

Creaturæ in essentia divina velut in exemplari relucent, 643 B', ita ut quidquid in eis perfectionis est, excellentius in Creatore inveniatur, 378 A; quidquid amabilitatis, tenuis sit umbra amabilitatis divinæ, 700 C; ideoque, licet de ipsis prope nihil intelligere valeamus, 368 D', ex his tamen discere possumus Dei sublimitatem, bonitatem, 368 B, et sapientiam, 440 C, 644 C. — Omnes a Deo mediate vel immediate factæ sunt, 676 C'; omnes ab eo accipiunt cibum, 673 A', 680 B', et necessaria, 673 D; nulla expers est misericordiæ ejus, 671 C'. — Deo quodammodo assimilari possunt, 198 B', æquari minime, 340 D. — Creaturas Creatori subjici decet, 486 C; itaque omnibus est obedientialis erga Deum potentia, 248 D, 341 D', et ei inavertibiliter obediunt universæ, 255 A', 687 D, præter hominem, 687 A'. Cunctæ sunt Christo subjectæ, 209 C, 319 A, et angelicæ subduntur directioni, 641 D. — Creaturæ non competit nisi potestas ministerialis et delegata, 383 B. — Quomodo irrationalia Deo benedicant, 141 B', 433 A', vel confiteantur, 672 A. — Omnia creata, respectu Dei, nihil sunt, 94 A', 374 D; ideo vanitas est eis adhærere, 125 A. Quatenus in eis delectari liceat, 367 D', aut oporteat, 368 A, C, et sperare, 675 C', 676 B. His boni utuntur, mali fruuntur, 668 A.

CREMIUM, quid sit, 414 D'. — Cur ipsi comparentur ossa pœnitentis, 414 D'.

CRYSTALLUS, quid ad litteram, 683 C, et mystice, 683 B'. — *Adde* Cœlum.

CULTUS exterior interiorem non parum fovet, 128 D'. — In cultu Dei nunquam exceditur, 388 A'; creaturis non nisi cultus finitus exhibendus est, 388 B'.

CURRUS Dei. Sic dictus est Elias, 162 D; sic vocantur angeli, 161 C, 162 C, et Apostoli, 162 A'.

CUSTODIA pro vigilia sumitur, 354 D'. Custodia noctis tribus horis constabat, 354 C'. Quid custodia matutina, 609 C'. — Tropologice, significat limbum, 657 D', vel vitam præsentem, 354 C', 659 A.

CYMBALA bene sonantia, 692 C', et jubilationis, quid, 692 D'.

CYNOMYIA, quid ad litteram, 258 C, 450 C, et mystice, 268 D', 457 A.

D

DÆMONES et diabolus. Diabolus natura bonus est, voluntate malus, 441 C'. — Dicitur peccator, 194 A, et pater superborum, 558 D. — Quid corpus ejus, 223 D, et cibus, 442 B. — Quomodo illudatur, 441 D', et hominibus in escam detur, 223 C.

Dæmones similitudinem Dei inordinate appetentes, 651 C, ob superbiam dejecti sunt, 548 C, et æternaliter maledicti, 548 A'. Eorum superbia ascendit semper, 596 A. — In eis naturalia integra permanserunt, 433 B. Incomparabiliter sunt homine astutiores, 593 A', 651 B; ideo ad detegendas eorum insidias opus est gratia Dei, 109 D. Verumtamen, merito Passionis ligati sunt et minorati, 155 A, et in fine mundi in infernum retrudentur, 155 C. — Homines a Deo avertere satagunt, 556 D, et iter nostrum ut latrunculi obsident, 651 A', summa indu-

Digitized by Google

stria, 549 B, maxime diebus festis, 227 A, perfectis præcipue insidiantes, 301 C, et devotis, 137 C'. Peccatoribus dominantur, 496 D', quos interim derident, 651 D'. — Semel victi, an adhuc tentare queant, 362 D. — Quandoque per idola loquebantur, 625 C'. — Venantibus comparantur, 360 A, 593 B', leoni, 364 C', vulpi, 129 C', 132 C, draconi, 364 D', aspidi, 364 D, basilisco, 364 A'. — Eis maledicere licet, 72 A'.

DAMASCENUS (S.) astra inanimata credidit, 686 A'. — Passim allegatur, 28 D, 148 D, 315 D', 329 C, etc. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMNATI vitam amittere nequeunt, 28 C', quanquam id exoptent, 28 D'; et æternaliter damnati sunt, 105 A', quia pœna eos torquet et servat, 30 C. — Omni auxilio sunt destituti, 30 A', et jugiter blasphemant, 29 A, 130 A'; verumtamen misericordiæ Dei non sunt omnino expertes, 671 C'. — An impiorum damnationem optare liceat, 83 C', 377 A. — *Cf.* Infernus, Reprobi.

DATHAN Rubenita, in Moysen rebellis, 462 C', pessime obit, 462 D'. — Quid nos doceat, 467 B'.

DAVID, an unquam scholas frequentaverit, 197 D. — Ter unctus est, 345 C. — Sanctissimus, 51, mitissimus, 612 C, pius in hostes, 567 D, nullum in regibus Juda æqualem habuit, 346 B, spiritualis vitæ perfectionem attigit, 411, summopere placuit Deo, 51, 612 A'. Ad invocationem ejus ultro apertæ sunt januæ templi, 613 D'; propter eum servatum est regnum Juda multo tempore, 614 C'. — Magnus theologus et excellens philosophus, 444 A', ac præ ceteris Prophetis illuminatus, 44 A, 656 C, ita ut antonomastice « Propheta » dicatur, 142 D, SS. Trinitatis mysterium innuit, 45 C', Salvatoris accepit promissionem, 614 A, et quæ ad Christum et Ecclesiam pertinent, lucidius cognovit, 51. Pugnans contra Goliath, se victurum sciebat, 663 C. — In Uriam peccavit, 39 D, et in Miphiboseth, 527 D, ideo ad horam derelictus est, 346 B, et spiritum prophetiæ amisit, 45 B', justeque a filio persecutionem passus est, 660 A'. Numquid perjurus fuerit, 612 C'. — Sine labore psalmos edebat, 2 B', qui ei universi videntur tribuendi, 205 D, et in quibus omnibus Christum intendisse credendus est, 66 D', quia spiritu prophetiæ plenus, 66 C', se figuram Christi gerere sciebat, 66 C', 656 C; ideo psalmi de eo conscripti, non sunt semper de eo exponendi, 66 D. Per psalmos perfectissimam dedit Deo confessionem, 695, et mundum docere non cessat, 198 C. — Semen David usque ad Sedeciam solium tenuit, 338 C', 346 A'; deinde, ob sua peccata, 614 C, usque ad Christum a regno excidit, 347 A; demum a Christo renovatum est, 338 D', et perpetuatur, 346 C, C'. — Sæpe, vel ad litteram, significat Christum, 55 D, 74 B, 91 C, 339 C, 480 D; allegorice, Ecclesiam, 126 D, 141 D, vel fidelem, 58 C, 80 D, etc. — *Adde* Psalmi.

DECALOGUS idem est in utroque Testamento, 251 C.

DESERTUM. Sic in Scripturis vocantur impiorum corda, 145 C', gentilitas, 476 C, B', mundus, 158 D', 268 D, vita præsens, 270 C.

DESIDERIUM est quasi sitis animæ, 127 C, quam capacem accipiendi facit, 471 A'. — Quid sit desiderium purum et efficax, 471 A'. — Desideria sancta Deum honorant, 88 A; ideo summopere cupere debemus ut ipse ab omnibus benedicatur, 674 A', et a nobis in patria possideatur, 701 B, D. — Beatitudinem omnes appetunt, justitiam non pauci, voluptatem plurimi, 470 C.

DETRACTIO peccatum est grave, 59 D', 196 A', pejus furto, 196 B', 406 C', et abominabile coram Deo, 269 B, præsertim si de justis detrahatur, 497 C'. — Detractoris lingua novaculæ comparatur, 54 C. Quid cum eo agendum, 406 D'.

DEUS proprie dicitur Deus ex causalitate, 113 A, et creatione, 622 D', Dominus, ex gubernatione, 663 C'. Quomodo vocetur Deus deorum, 627 B, Deus virtutum, 159 D', Deus cœli, 630 B, Deus Israel, 105 D, Deus salvos faciendi, 163 C, B'. Cur nonnunquam ter nominetur, 153 C'. — Universa continet et ambit, 595 B'. Quomodo in ente creato esse dicatur, 591 C; ubi potissimum habitet, 157 D, 591 B'. — Ei proprie competit esse, 374 D; et in eo idem est esse et esse justum, 506 D, misericordem, 534 C', ac sapientem, 680 A. — Omnia cognoscit creata et creabilia, 502 C, etiam futura contingentia, 43 D', quoniam in divina essentia, velut in exemplari omnia relucent, 643 B', et scientia ejus causa est omnium rerum, 341 C'; omnia respicit, 148 D', 355 C', vel interiora hominis, 378 C; omnia potest, 623 A', quia in eo idem est velle et posse, 341 C, et ac-

Digitized by Google

cingitur potentia, 140C, prorsus infinita, 341D. — Ei proprium est esse bonum, 2D', 3A, et quidem infinite, 69D; et quantum in se est, omnibus est bonus, 671C, maxime justis, 213A; sed bonitas ejus peccatis ligatur, 213B, et fit severus ex nostra culpa, 671D. — Cur ei tribuatur misericordia et justitia, 125C'; quomodo vocetur ex una parte mitis, 316C, suavis, 316B, patiens, 318C', miserator et misericors, 430D, ex altera, terribilis in operibus, 147B, et in consiliis, 147C'. — Quo sensu dicatur in cœlo habitare, 519B', de cœlo respicere, 62A, recordari, 257A', 396D, vel reminisci, 275B', exacerbari, 258A, aut commoveri, 15C, pœnitere, 466A', oriri, 512A, esurire, 36C'; quomodo requiescat, 618A', aut exsurgat, 155A', ambulet, 435D, vel egrediatur, 117D', 158D, investiget, 637D, et inveniat, 247A'. — Quid Dei aures, 68B, alæ, 91C', 119D, 129D, scapulæ, 360B', manus, 343B, dextera, 129B', 343C; quid ejus domus, 77D', tabernaculum, 14A', C', 15A, civitas, 14D, D', 21D', etc., hereditas, 119A', virtus et gloria, 131C, magnalia, 198A'.

Deus causa est omnis entitatis, 403D. Universa molitus est propria sapientia, 369D, et propter semetipsum operatus est, 368A; omnia ordinatissime disposuit, 462D, nihil agens frustra, 348C, nec quemquam in vanum constituens, 348D, ne reprobos quidem, 348B'. Mirabilem in mundi creatione potentiam, in ordinatione sapientiam ostendit, 341B', mirabiliorem in recreatione, 368D. Quo sensu in operibus suis lætari dicatur, 443A. — Fons est omnis sanctitatis, 42A, universæ veritatis et justitiæ causa, 371B', et mensura, 401A'; ab eo omnis inchoatio et prosecutio boni, 287A, in ejus visione tota felicitas Beatorum est, 460C'. — Quomodo omnium salutem velit, 147D'; cur Paulum Asianos evangelizare noluerit, 148A, Ezechielem ad non convertendos miserit, 148B. Cur et qualiter homines probet, 149D, tentet, 643A, cognoscat, 643B, visitet, 105D, eisque occurrat, 110D'; quo pacto illuminet vultum suum super eos, 152C. — Justos multipliciter tribulari sinit, 334A', sed eos diligit, 379A, 677C, et paterne castigat, 401B, sibique factum reputat quod eis irrogatur, 186A'. Tribulatis propitius est, 12C', derelictis patrocinatur, 677D, in mansuetis sibi complacet, 680B, in obedientibus habitat, 162C', mirabilis est in Sanctis, 167B. Optime dicitur animæ virtus, 12C, misericordia, 112C', spes, 121D, tutissimum refugium, 121A'. Quo sensu de morte impiorum lætetur, 99C. — Licet a nemine ignorari possit, 61A', a nulla creatura perfecte comprehendi valet, 638A. Philosophis innotuit ejus majestas, Judæis justitia, Christianis misericordia, 266A. An quis eum odisse possit, 301A. — Eum « suum » dicere non omnibus competit, 113A, 306B; sed his tantum qui illi toto corde serviunt, 662C', 668A'. Quatenus ei quis assimilari possit, 198B', 297D, 340D. — Quomodo a creaturis sanctificetur, magnificetur, 181D, 323A, exaltetur, 669B, benedicatur, 152C, 433A'. Qualiter quærendus sit, 546C, cur præcipue amandus, 525B, laudandusque, 69B', et quantum, 700C, C'. Locutiones ejus quomodo dignoscendæ, 312C. — Dei præsentis cogitatio nos incitat ad virtutem, 578B. — *Cf.* Laus, Miraculum, Potentia, Sapientia, etc.

Deus Pater. Ipsi in Trinitate appropriatur æternitas, 3B. — In eo idem sunt essentia, potentia et operatio, 502C. — Per actum intellectus, 1B', 502B, id est, intelligendo seipsum, Verbum profert, 1B', sibi simillimum, 502C, in quo omnia continentur, 502D, et cui eum generando, omnia dicit, 2A, 500A'. — Quomodo Christum probaverit, 637A, Christi Deus dicatur, 648D'. — Quid ejus cor, 1B', et lingua, 2C. — *Cf.* Spiritus, Trinitas, Verbum.

Dii. Multi sic vocati sunt : angeli, 32C', Sancti, 383B, judices, 294C, et sacerdotes, 296A; sed Deus solus proprie Deus dicitur, 317D, 383B. — Dii gentium, id est idola, 387B, 623D, quomodo vocentur dæmonia, 387D. — Quod quis maxime diligit, deus ejus est, 217C', 292B', 523A'.

DEVOTIO, quid sit, 697. Mane est ferventior, 89D. — Devoti ad mensam velut ad carcerem accedunt, 89D. Eis incessabiliter insidiantur dæmones, 137C'. — *Cf.* Fervor.

DEXTERA in Scripturis prospera signat, 361D'. — Dextera Dei modo in bono sumitur, 129B', 222B', 285C', etc., modo in malo, 343C, 357A. Quomodo repleatur justitia, 25A. Christus, quo sensu vir dexteræ Dei dicatur, 286D, vel ad dexteram Dei sedeat, 500D. — Dextera Christi est divinitas ejus, 6A', 395C'. Qualiter a dextris Christi stet

Digitized by Google

Ecclesia, 8D', 9A. — Dextera iniquitatis, quid, 666C'. — *Cf.* Manus, Sinistra.

DIES, quomodo a Deo facta dicatur, 540A'. Optimum est diem a laudibus Dei incipere, 367B. — Dies hujus vitæ brevissimi, 665C', et apud impios vacui, 414C'. — Dies æternitatis et una et multiplex dici potest, 120A; nulla nocte interrumpitur, 120A; quantum prosit illam recogitare, 245A'. — Quid sit ab altitudine diei timere, 89C. — Dies, quid mystice, 229A, 329A, 640B'. — *Cf.* Annus, Nox.

DILUCULUM, hora orationi aptior, 96C', 484C, 574A, quid significet, 14B', 574B. — *Cf.* Mane.

DILUVIUM generale hominis complexionem infirmavit, 355D.

DIONYSIUS (S.). « magnus ille atque divinus Areopagita », 113B, 452B, « sacratissimus », 168A', 223C', et « gloriosissimus theologorum princeps », 239C', 304B, 553B', simul amicus et inimicus Christi fuit, 168A'. — Eclipsim, Christo patiente, miratus est, 268B'. — Sæpissime allegatur, 3A, 26A, 59B, 161D, etc.

DIONYSIUS Cartusianus, qua methodo librum Psalmorum explanaverit, 51, 411, 693A'. Quosdam expositores carpit, 67C. — Prælatorum hujus temporis deflet insipientiam, 29D', et nequitiam, 83A, sacerdotum scandala, 524C, terræ sanctæ amissionem, 225C, et vastationem Bohemiæ, 227B, signorum carentiam, 227D, ac prophetalium raritatem gratiarum, 227B'. — Quanta ejus humilitas, 650D, 700B', et pietas, 700C.

DISCIPLINA, id est rigor justitiæ, prælatis maxime necessaria est, 557A', B'.

DIVITIÆ. Fas est divitias diligere, 125D, quanquam non careant periculo, 125D; sed in his non est confidendum, 60D, nec de illis anxie curandum, 265C'. Mortuis nihil conferunt, 240C. — Divites ut tales Deus non abjicit, 125A'. — *Cf.* Prosperitas.

DOCTRINA. Proximum docere ad omnes pertinet, 46B, et est omnium perfectissimum, 46C. Quisnam huic officio sit idoneus, 46D. — Doctrina Christi comparatur oleo, 79C. Judæis fuit scandalum, 349A'. — *Cf.* Scientia.

DOEG Idumæus, servus et armiger Saul, 53A, ditissimus, 55A, inimicus David, 54B, falsus pontificis accusator, 54D, interfector sacerdotum, 53B, redarguitur, 53D'. — Una cum Saul occisus est, 54B', et filius ejus misere periit, 54C'. — Allegorice, Judam proditorem signat, 55D, D'; tropologice, detractores, 58C.

DOLOSI Deo invisi sunt, 59B'. Sic erant Judæi, 77D. — Lingua dolosa in Scripturis non semel damnatur, 495C, 581A.

DOMINUS nomen proprium est Dei et Christi, 157B, unde, 663C'. — *Cf.* Deus.

DOMUS Dei. Sic dicitur Synagoga, 77D', anima vel Ecclesia, tam militans quam triumphans, 150D, 375C', 587D.

DONEC, in Scripturis, quomodo accipiatur, 500B, 591D'.

DORSUM pro homine sumitur, 149C'. Quid dorsum mentis, 179C'. — Quomodo dorsum Judæorum incurvaverit Dominus, 179D', et super dorsum justi fabricent peccatores, 605C'.

DRACO cetum designat, 441D, vel serpentem squamosum et magnum, 687B'. Quid mystice, 223B, 228C', 364D', 441C'. — Draconum capita, qualiter a Deo contribulata, 223A, 228D. — *Cf.* Cetus, Serpens.

DULCEDO Dei, quanta et a quibus gustetur, 404A.

E

EBRIETAS damnatur, 186D'. — Deus ebrio comparatur, quomodo, 261D.

ECCLESIA. Una est Ecclesia Dei, ab origine usque ad finem mundi, 280B, ex omnibus justis coalescens, 605C.

Ecclesia militans præstantior est Synagoga, 325B. — Quantopere a Prophetis magnificata, 325B'. — Primo parvula, 616D', et sterilis, 517A', varia persecutionum genera pertulit, 300A, 456A'; sed a Christo firmata, 373C', 374D', et ab angelis, 165D, in tribulationibus mirabiliter crevit, 138A, 605B'; et multos filios generans, 517B, totum prope convertit orbem, 456C. Quomodo hanc Christus ab initio possederit, 226A. — A multis hostibus lacessitur, 184C; sed a Deo custodita, 600C', Christo per fidem et caritatem unita, 540A, a Michaele gubernata, 239C', illuminata ab angelis, 239B', cunctis fortior est regnis, 672A'. Ipsi totus subjiciendus est mundus, 19B, et usque ad finem sæculi permanebit, 672C'. — Multos complectitur peccatores, 83B, et personarum varietate decoratur, 160A. — Arcæ comparatur, 10A, 617C, et columbæ, 160B;

Digitized by Google

dicitur terra, 116 A, Judæa, 238 C, Jacob, Israel, 263 D, 273 B, Jerusalem, 278 D, 589 B', Sion, 418 C'. Est Dei domus, 143 B, 157 A', atrium, 143 A, tabernaculum, 119 C, templum, 278 D, congregatio, 225 D', hereditas, 226 C; Dei civitas, angulari innixa lapidi, Christo, 23 B, Domini vinea, 280 C, in Apostolis radicata, 285 B, cujus umbra operuit montes et cedros Dei, 285 C. Recte vocatur Christi semen, 352 B, et vestis, 620 A'. Regina est, a dextris Christi sedens, 8 D', amicta sole, 9 B, in vestitu deaurato, 9 C; mons, 22 B', 160 B', sanctus, 270 A', 401 A', pinguis et coagulatus, 160 C', in quo habitat Deus, 160 D'; navis quæ ducit ad portum cœlorum, 441 C. — Quid ejus vultus, 9 D', uterus, venter, 194 C', et pedes, 617 A; quid patres ac filii, 10 B', fundamenta, 324 B', et fines, 684 D, portæ ac seræ, 684 C. — Extra eam nulla est salus, 160 D'; ideoque pro bono ejus statu enixe orandum est, 603 C'.

Ecclesia triumphans est Dei domus, 143 D, 587 D, atrium, 143 A, tabernaculum, 119 D, 121 B', templum, 143 B', locus sanctus, 157 D. Recte dicitur hereditas gentium, 507 C', civitas, 588 D, Jerusalem, 169 C', 588 B, et Sion, 682 A. Quid ejus fines, 682 D, portæ et seræ, 682 B. — Quomodo ædificetur, 588 C. — Ibi non est successio dierum et noctium, 308 B, sed continuata duratio quæ vocatur ævum, 120 A, 365 B'. Excluditur inde omne malum, 362 D', ita ut nec misericordia nec veritas in ea requirantur, 120 C; ibi reperire est talem bonorum copiam, 143 A', 560 C', ut nihil optandum maneat, 306 D. In regno cœlorum probabilius erit laus vocalis, 690 D. — Non nisi auxiliante Deo illuc pervenitur, 306 C'. Quinam mereantur in eam introduci, 306 B', 588 A, 590 C'. — Quantum a nobis appetenda, 587 D', 590 D'. — *Cf.* Beati.

ECCLESIASTICUS liber, licet non canonicus, 446 A, non est parvi pendendus, 446 B.

EDOM, cognomen Esau, 298 C, 301 B'. — Mystice, quid Edom, 115 D, et filii Edom, 633 A'. — *Cf.* Idumæi.

ELECTI nec omnes assumpti sunt, 142 D', nec omnes prædestinati, 267 C'; quomodo a reprobis discrepent, 599 B. — Eorum numerus a Deo dumtaxat est cognitus, 679 D', quia non universi Ecclesiæ filii sunt electi, 595 C. — Continuis tribulationibus laborant, 188 A, D', et per reprobos corriguntur, 189 A; sed eorum præcipue memor est Deus, 460 D, et ad eos quotidie invisibiliter mittitur Christus, 460 A'. — Sunt Christi fructus, 211 A, et merces, 600 B, et ipse est merces eorum, 601 A'. — Christus, ut homo, ad electorum numerum pertinet, 63 C', 272 C', 350 C. — *Cf.* Beati, Prædestinati.

ELEEMOSYNA commendatur, 515 B. — Potius justitia diceretur, 515 A', quoniam superflua nostra sunt pauperum, 515 B'.

ELEMENTA in fine mundi non destruentur, quare, 419 C'.

ELIAS propheta virgo mansit, 604 B'. — Eo prædicante, convertentur Judæi, 106 C'.

EMAN Israelita, auctor psalmorum, juxta quosdam, 328 C'. — Psalmi « intellectus Eman », quomodo intelligendi, 328 C.

EPHRAIM, quomodo interpretetur, 272 D, 482 C. — Tribus Ephraim, numerosissima et fortissima, 485 D', regnum Israel ad aquilonem protegebat, 114 C'. Ipsi quodammodo competebat regnum, 262 A. — Ephratæi præsumptuosi erant et ambitiosi, 253 B. — Spiritualiter, quid Ephrem et filii Ephrem, 116 D', 263 D', 280 D', 482 C. Quo sensu dicantur susceptio capitis Christi, 116 D', et Ecclesiæ, 485 A. — Quomodo anima efficiatur Ephraim, 486 B'.

EPHRATA ipsa est Bethlehem, 613 D, 616 B', et non Silo, uti falso quidam contenderunt, 613 B. — Ibi ortum cepit Ecclesia, 616 D'.

EPISCOPI sunt successores Apostolorum, 489 C.

EQUUS. In ejus velocitate non est nimis confidendum, 676 C, ne inde displiceamus Deo, 681 C, A'. — Quid sit ascendere equos, 240 A'.

ESTHER, quam sancta fuerit, 320 A. — Optime nos humilitatem docet, 320 B.

ETHAN fluvius, quid ad litteram, 223 A', et mystice, 228 D'.

EUCHARISTIA recte in Scriptura sacrificium laudis vocatur, 35 D', panis cœli, 266 A', et angelorum, 266 B', placenta tritici, 211 B, memoriale mirabilium, 506 A', et testamentum Christi, 506 C'. — Figuratur per manna, 145 C, 266 A', et coturnices, 267 A; per mel designatur, 293 D'. — Sumentem in Christum convertit, 438 C'. — Nullus vere dignus est eam conficere, 532 B.

EUNUCHI. Sic dicuntur virgines, 10 A'.

EXCELSA. In excelsis, manente arca in Silo, non jam licebat sacrificare, 260 D; quod tamen, dispensatione divina, nonnulli Sancti fecerunt, 260 A'.

Digitized by Google

EXCOMMUNICATI in primitiva Ecclesia, mox a dæmone vexabantur, 99B', et plerumque mortem subibant corporalem, 226C'.

EXCUSATIO peccatorum, quantum noceat, 654B, et quotuplici modo fiat, 654C.

EXERCITATIO hominis duplex ; utraque laboriosa, 81A.

EXITUS. Quo sensu Deus exire dicatur, 483B ; quomodo custodiat introitum et exitum nostrum, 585A'. — Exitus matutini et vesperi, quid ad litteram, 140B', et mystice, 144C, D.

EXSULTATIO, quid sit, 288B, 382A'. Diversimode potentiis hominis tribuitur, 305B. — Quid sit exsultare in conspectu Dei, 156B, 288A, 382D. Optima est animæ occupatio, 290C'. — *Cf.* Jubilus.

EZECHIEL propheta coævus fuit Jeremiæ, 222A. — Cur tam sæpe dictus sit filius hominis, 285D', et ad non convertendos missus sit, 148B.

F

FACIES Dei, quid, 187C', 413B'; quomodo Deus eam ostendat, 281B', vel illuminet super hominem, 571D'; quis dignus sit eam videre, 287B, A'. — Quid sit faciem Dei præoccupare in confessione, 382B', quærere, 446D, vel deprecari, 556A.

FASTIDIUM boni non parum nocet, 473C.

FAUCES. Quomodo raucæ factæ sint fauces Christi, 172B', vel Ecclesiæ, 183D'.

FEL, an Christo patienti datum sit, 178C'. — Quid sit fel alicui dare, 188D.

FEMUR quandoque significat intellectum, 5D, quare, 5B'.

FERRUM tribulationem duram exprimit, 448A', aut tristitiam vehementem, 455B. — Ferrei vectes, quid, 472D'.

FERVOR. Opera hominis eo sanctiora sunt quo ferventiora, 483C'. — In fervore humilitas servanda est, 551C. — Ad accendendum fervorem, expedit recolere beneficia Dei, 703A'. — *Cf.* Caritas.

FIDES idem est atque exspectatio, 58B'. In discipulis præcipue requiritur, 557D'. — Fides formata est primum Dei donum, 270A, sine quo nihil valet, 439D'; ostium justitiæ, 180B'; via ad regnum cœlorum, 470A, C'. — Sine gratia inveniri nequit, 470B; absque sapientia sterilis est, 603D. — Quum non adsit comprehensoribus, 611B', quatenus Christo tribui possit, 530C. Quomodo Deus fidelis in verbis suis dicatur, 672D'. — Per fidem Ecclesia capiti suo unitur, 540A. — Loquentibus quibusvis non facile credendum est, 407A. Quantum in creaturis confidere liceat, 675C', 676B. — Fides catholica, utpote auctoritati divinæ innixa, 327C, certissima est, 576B. Ad hanc confirmandam suscitati sunt philosophi, 457A'. Quandonam confitenda sit, 528C; quatenus scrutanda, 611C.

FILII, an et quomodo pro parentibus puniri possint, 489D', 490B. Filii hominum in Scripturis nunc in bono sumuntur, 97C, nunc in malo, 101C. — Per filias sæpe intelliguntur populi, 25C, 633C'. — *Cf.* Babylon, Sion.

FINIS. Propter finem ultimum, qui est visio Dei, 682B', omnia sunt agenda, 128D. — Quid fines terræ, 118D, 121A, et Jerusalem, 682D. — Psalmi « in finem », quomodo intelligendi, 1B, 12B, 26D, etc.

FLUMINA, quomodo elevaverint vocem, 374A', vel fluctus, 374B'; qualiter in desertum sint posita, 476C. Mystice, varia signant, 14D, 148A', 301D, 397C. — Flumen Dei, ad litteram Jordanis, 140D', allegorice Baptisma, 144D', quomodo lætificet civitatem Dei, 14D, C', D'.

FONS in Scriptura varia exprimit, 228C', 437C'. — Quid fontes Israel, 164D'.

FORNICATIO merito nuncupatur omne peccatum, 218A, maxime idololatria, 465C'.

FORTITUDO hominis a Deo est, 538C'.

FRIGUS quædam loca inhabitabilia facit, 683C; quid significet, 683B'.

FRUSTRA. Deus et natura nihil agunt frustra, 348C.

FUNES peccatorum, quid, 556D; quomodo extendantur in laqueum, 648B', 651D.

FURTUM grave est peccatum, 406C'. — Furatur qui gloriam Deo debitam sibi tribuit, 38C.

FUTURA contingentia nosse, Deo et Prophetis proprium est, 43D'.

G

GABAA, prope Cariathiarim, non est Campus silvæ, 613D, uti quidam falso contendunt, 613B.

GALAAD terra trans Jordanem sita erat, 485D'. Quomodo anima efficiatur Galaad, 486A'. — Galaaditæ fortitudine nominati, 114B', typus sunt martyrum, 116C', 482B, 485A.

Digitized by Google

GAUDIUM tripliciter nobis a Deo donatur, 44 B'. — Gaudia hujus vitæ æterna gaudia excludunt, 302 A', 599 B'. Quantum ab eis distent, 308 A. — Causam gaudendi in incarnatione Christi habemus, 390 B', et in peccatorum conversione, 597 D'. — *Cf* Lætitia.

GEBAL, populus Israelitis infensus, 298 A', quid figuret, 301 D'.

GENERATIO, post judicium non erit amplius, 419 B'. — « Generatio et generatio » in Scripturis perpetuitatem significat, 337 C'.

GENTILITAS olim infensa Judæis, 275 B, et sterilis, 517 A', in adventu Christi illuminata, 476 D, multos Ecclesiæ generavit filios, 517 B. Vocatur Idumæa, 19 A, Sichima, 116 B', 482 A, B, Æthiopia, 209 A', Arabia, 210 B', mare, 228 B, desertum, 476 C, B'. — Gentiles fidei luce privati, quasi indesinenter peccabant, 470 C'; verumtamen multi ex eis per illuminationem angelicam ad cognitionem unius Dei venerunt, 239 D', nonnulli ex Cyri decreto ad Judaismum conversi sunt, 597 C. Eis Christus nunquam aut raro prædicavit, 93 C. — Orientem versus orabant, quare, 157 A. — Gentilium conversio prænuntiatur, 9 C', 106 A, 147 A'.

GENUA Christi, quid, 492 D. — Genua animæ, quomodo jejunio infirmentur, 498 C.

GETH Philistinorum, quomodo interpretetur, 85 B', quid significet, 85 D.

GLADIUS in Scripturis varia designat : verbum Dei, 5 D, 106 C, 271 D', tribulationes, 106 D', 271 C', districtam justitiam, 690 B', inobedientiam, 239 D, A', etc. — Quid gladius malignus, 667 B.

GLORIA, quid sit, 95 D', 147 A, 389 C, etc.; quomodo acquiratur, 308 C. — Gloria Dei est vel Christus, 128 D, 312 B', vel effectus divinæ potestatis, 131 C; quomodo super cœlos exaltetur, 516 D. Quid sit Deo gloriam dare, 147 A, 166 B', aut afferre, 389 C. — Gloria hominis est ejus anima, 96 D; summa gloria, ad Deum converti, 218 B, et bona gaudere conscientia, 483 D'. — Non nisi in Deo gloriari oportet, 124 B', quia gloriam Deo debitam qui sibi retinet, fur est, 38 C. — In malo, ut tali, nemo gloriari potest, 59 A. Quantum peccet qui de peccatis gloriatur, 58 C'. — *Cf.* Honor.

GRANDO vineas Ægyptiorum conterens, 258 C', 450 A', quid figuret, 269 C, 457 B.

GRATIA habitualis, vita est animæ, 547 A', ita ut melius sit omnino non esse quam extra hanc vivere, 128 B'. Nemo sine speciali revelatione vel instinctu scire potest an eam habeat, 321 C', 543 D, 645 D'. Per eam Ecclesia Christo unitur, 540 A. — Gratia actualis homini summopere necessaria est, 442 C, ut possit fidem invenire, 470 B, ad Deum converti, 282 C', viam rectam incedere, 163 B, servare præcepta, 470 B, diaboli detegere insidias, 109 D, mortale vitare peccatum, 470 B', et fructum facere, 662 B. — Primam gratiam nemo mereri potest, 111 C'. — Gratia humilibus data, 516 C', humilitate custoditur, 217 C. — Gratias acceptas quandoque aliis narrare expedit, 151 C, et communicare oportet, 291 A', præsertim gratias gratis datas, quæ ad utilitatem proximi conceduntur, 67 B. — Lex nova merito dicitur tempus gratiæ, 144 D'; sed tota hujus mundi gratia umbra est respectu gloriæ cœlestis, 283 A'. — Christus adeo gratia repletus est, 91 D', 109 B', ut in ea crescere non potuerit, 5 B, et eam, tanquam caput, in totum corpus Ecclesiæ infunderet, 161 C'. Eo ascendente, tota ejus gratia apparuit, 161 C'.

GREGORIUS (S.) Papa, passim allegatur, 34 A, 73 C', 391 A, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GRESSUS animæ sunt ejus opera, 571 A'. — Quibus gressibus ad infernum deveniat, 594 A'.

GULA, quomodo vincatur, 664 B.

GUTTA, species aromatica, humilitatem signat, 8 A'.

H

HEBRÆI, quomodo de Ægypto sint educti, 450 D'. Non injuste tulerunt vasa Ægyptiorum, 451 A. — Inviti mare Rubrum transierunt, 461 D; et in deserto peccaverunt ex ignorantia, 461 B, ac ingratitudine, 461 D; verumtamen, intercedente Moyse, non simul sed paulatim sunt occisi, 464 A, et filii eorum terram sanctam intraverunt, 464 B. — Ex avaritia Chananæis pepercerunt, 465 C. — In pallio quatuor fimbrias portabant, quare, 547 C. — Populus Hebræus vocatur Dei sanctificatio, 518 A, et potestas, 518 B. Quid significet exitus ejus ex Ægypto, 467 B. — Lingua Hebraica XXII litteris constabat, 542 C. — *Cf.* Israel, Judæi.

HERBA. Maxima vis herbis insita est, 680 B'. — Quid spiritualiter exprimant, 681 A.

Digitized by Google

HEREDITAS Christi est Judæa, 274 D, vel Jerusalem, 277 D, sed præcipue populus christianus, 19 C, 271 C', 278 C. — Quid sit hereditas gentium, 507 B', aut timentium Deum, 119 B', quid funiculus hereditatis, 447 D. — Quo sensu reprobi hereditas Dei dicantur, 261 B.

HERICIUS, quid ad litteram, 439 C, et mystice, 439 D.

HERMES Trismegistus (Toth) stulte idola colenda docuit, 520 B.

HERMON mons, ubi situs, 342 D', et quid significet, 343 A. — Ros Hermon figurat caritatem, 620 C, et gratiam Christi, 620 B'.

HERODES I (Ascalonita) ad Judaismum conversus erat, 607 B. — Naves Tharsis confregit, 24 A.

HERODIUS avis describitur, 439 B.

HIERONYMUS « sanctissimus noster », 486 C', « sublimis et gloriosus », 686 C, et « studiosissimus ille Hieronymus », 544 A, Psalmos pluribus tribuit auctoribus, 32 C, 205 D, 212 C'. — Quomodo Judæos rejectos esse demonstret, 494 B. — Frequenter citatur, 38 C', 73 C', 166 C, etc. — *Cf.* Scriptura. (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)

HILARIUS (S.), Pictaviensis episcopus, 3 B, 636 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 9, 10.)

HIRCUS, animal fœtidum, 151 A, peccatores signat, 150 D', vel hypocritas, 36 A', 37 C.

HISTORIA ecclesiastica (Eusebii; lib. III, cap. V.) allegatur, 164 C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 20.)

HISTORIA scholastica (P. Comestoris), 461 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198, col. 1158.)

HOLOCAUSTUM medullatum, quid, 150 D', 151 A. — Quid holocausta animæ, 36 C, 150 A'.

HOMO. In hominis excellentia exaltatur scientia Dei, 644 C. — Homo ex anima et corpore tanquam partibus constat, 675 B. Anima ejus, Trinitatis imagine insignita, 96 D, omnium hujus mundi formarum dignissima est, 559 A, et merito vocatur gloria, 96 D; sed spiritualium substantiarum infima, 191 B, ob instabilitatem dicitur spiritus vadens, 257 B'. Corpus, licet de limo terræ factum, 431 A', omnium mixtorum præstantissimum est, 559 A. — Ipsi soli inter creaturas Deo resistere accidit, 687 A'. — Primus homo in paradiso velut in portu erat, 183 C; nunc humana complexio post diluvium debilitata, 355 D, juventute brevi florens, 355 B, et senectute arescens, 355 C, optime araneæ comparatur, 356 A. — In iniquitate conceptus, 43 B, pronus ad malum, 431 A', circumvallatus hostibus, 89 A, in præsenti sæculo velut in mari magno jactatus, 183 D, viribus propriis nec viam rectam incedere potest, 163 B, 282 C', nec legem implere, 545 A, nec dæmoni resistere, 593 A', 651 A, nec vitare peccata mortalia, 349 A, aut etiam omnia venialia, 321 A'; a Deo indesinenter salvandus est, 70 C, et quamdiu vivit, illustratione divina indiget, 547 C'; sed ipsa sua fragilitas causa est cur ei facilius ignoscatur, 257 B', 348 B, 431 A'. — Ejus mala omnino mala sunt, 645 A', et ipsi tribuenda, 645 B'; ejus bona non pure bona, 645 A', sed quasi pannus menstruatæ, 191 C, et insuper Deo adscribenda, 645 B', a quo ejus fortitudo, 538 C', et salus, 123 B; ideo semper, licet sanctus, pavidus esse debet, 555 A, non nisi in Deo glorians, 124 B', et ad eum omnia referens, a quo omnia accepit, 72 B', 403 A'. — Quo sensu dicatur mendax, 528 B'. — Sine caritate nihil est, 115 D', et nescit an eam habeat, 645 D'; sed Deum laudando, fit ejus amicus, 516 A, pacem sectando, filius, 238 C', fratres amando, Deum ligat, 279 A, Creatorem diligendo, fit nobilior, 290 D'. Quomodo Deum exaltet, 669 B, vel magnificet, 323 A. — Nullus in vanum creatus est, 348 A', ne reprobi quidem, 348 B'. Omnes, velint nolint, Christo subditi sunt, 209 C. Cur et quomodo a Deo tententur, 149 D. — In fine mundi homines non destruentur, 419 C', sed generare cessabunt, 419 B'. Tot sunt salvandi quot sunt angeli stantes, 641 A'. — Hominibus quatenus placere liceat, 63 B, C. — Homo dupliciter sumitur, 63 D; item, filii hominum, 97 C, 101 C, 124 D'. — Christus filius hominis dicitur, 285 D', utpote filius B. Virginis, 286 D. — *Cf.* Anima, Corpus, Intellectus, Justus, Peccator, etc.

HONOR, quid sit, 389 D, 399 C', et quot modis cuipiam deferri possit, 399 B'. — Quomodo honorem Deo afferamus, 389 D. — *Cf.* Gloria.

HOREB mons, pes est Sinai, 463 A. — Horeb petra a Moyse percussa, 253 D', 451 D, 519 A, figura est Christi, 265 C, 458 A, 523 B, vel induratorum, 523 A.

HOSTIÆ animæ, quid, 389 A'. — *Cf.* Sacrificium.

HUGO (a S. Victore) « venerandus theologus », 59 A', 218 C, et « magister », 696, « vir ca-

Digitized by Google

tholicus », 636 D', sæpissime citatur, 61 A, 73 D', 205 D', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS omnibus commendata, 234 D', peccatoribus maxime congruit, 88 B'. — In ea tota residet disciplinæ christianæ sapientia, 48 A', quia humilitate redemptus est mundus et salvatur homo, 48 B'. — Gratiam meretur, 516 C', et illuminationem divinam, 197 C'; custos est gratiæ, 217 C, ac virtutum, 610 D, et unica via ad gloriam, 308 C. — Humiles a Deo præcipue exaudiuntur, 418 C, et in præsenti custodiuntur, 526 A, postmodum exaltandi, 688 D. — Christus humilitatem potissime coluit, 264 C', 332 D', et per eam obtinuit judiciariam potestatem, 6 B'. — Dionysii Cartusiani humilitas, 650 D.

HYSSOPUS, quid ad litteram et mystice, 44 B, D.

I

IDITHUN, de præcipuis cantoribus templi, 122 D', quid significet, 122 D. — Psalmi « pro Idithun », quomodo intelligendi, 122 D, 243 A.

IDOLOLATRIA summa est stultitia, 312 B, et omnis mali causa, 393 B'. Merito fornicatio dicitur, 465 C'. Virtute passionis Christi depulsa est, 155 B. — Idola varie a Romanis colebantur, 520 A. Stulte Hermes ea colenda docuit, 520 B. Quandoque dæmonum ope responsa dabant, 625 C'.

IDUMÆA spiritualiter varia exprimit, 19 A, 126 D, 485 B. Quomodo in eam Christus calceamentum extenderit, 117 A', 482 A'. — Idumæus, quomodo interpretetur, 55 D'. Idumæi Hebræis infensi, 298 C, 631 B', avaros figurant, 301 B'. — *Cf.* Edom.

IGNIS, elementum supremum, 687 C', in propria sphæra non lucet, 687 A. — In die judicii mundum exuret, 33 B', cunctos interficiens, et malignos devorans, 392 C'. — Mystice, multa signat : illuminationem S. Spiritus, 265 C, caritatem, 457 C', passionum impetus, 102 D', ut avaritiam, 269 B', et concupiscentiam, 271 D'; sed præcipue adversa, 98 C', 103 A. Per ignem et aquam universa tribulationum genera exprimuntur, 150 B. — Quo sensu Deus ministros suos ignem urentem faciat, 435 C'.

IMMACULATUS. Diverso modo immaculati dicuntur, Christus, 543 C, B. Virgo, 543 C, viatores, 543 D.

IMPATIENTIA, quomodo vincatur, 664 C.

IMPII venatoribus comparantur, 360 A, 593 C', aspidibus, 102 A, B, jaculis, 84 C', arcui pravo, 260 C, fœno, 606 B, agro sterili, 606 B'; lingua eorum, gladio, 95 C'; dentes eorum, sagittis, 92 D, 95 C'. Recte dicuntur dæmones, 387 D, et sedes iniquitatis, 380 B; sunt diaboli adjutores, 302 D, et cibus, 442 B. — Justorum tribulationibus decepti, 196 B, donis Dei abutuntur, 523 D', falso putantes non esse vitam futuram, 29 B, seque non resurrecturos, 29 D. — Quandoque, justis de causis, vita eorum protrahitur, 214 B, et, Deo permittente, ita prosperantur, 668 C, ac dominantur, 150 A, ut Sancti sæpe conquesti sint, 213 A'. Sed eorum prosperitas Providentiæ non contradicit, 215 A', nec de ea dolendum est, 213 D : sunt enim miserrimi, 30 A, stulte timentes, 62 B', et pace carentes, 213 A'. Licet pœnitentiæ fugiant opera, 214 D, vita eorum laboriosior est vita justorum, 214 A', et sæpe abbreviatur, 216 D; eorum dies sunt vacui, 414 B', viæ, tenebrosæ et obliquæ, 544 A', vita, imago mortis æternæ, 472 A. Insuper momentanea est eorum prosperitas, 369 D', nam si ad horam abundent, in judicio vacui apparebunt, 599 A', et amplius cruciabuntur, 370 A; maledictionem quasi vestimentum induent, 497 B'; capita eorum confringentur, 167 C', conterentur dentes, 102 D, deseretur habitatio, 188 C', memoria ipsa peribit, 490 B'. — Quatenus liceat eorum punitionem appetere, 99 A', 377 A, vel de ea gaudere, 99 C; quo sensu postulet Ecclesia dejici eos, 82 C', aut damnari, 83 C'. — Justi vexationibus eorum purgantur, 605 A', casu eorum erudiuntur, 99 B'. Quomodo cum eis conversari debeant, 406 A'. — Quamvis non sint omnino odiendi, 370 C', 567 B, vitandi sunt, 110 A, 646 A, et interdum occidendi vel excommunicandi, 407 C'. — Impii conversio majus est miraculum quam mundi creatio, 158 A, 232 B, 474 C. — *Cf.* Peccator.

INCARNATIO Christi universis fuit causa salutis, 280 B, et gaudii, 390 B'; nihil ardentius optaverunt patres antiqui, 280 C, nihilque dulcius sapere debet Christiano, 397 C'. — Eam angeli comprehendere non valent, 640 A. — *Cf.* Christus.

INCENSUM, quid ad litteram et mystice, 653 A'. — Ut incensum ascendere debet oratio, 653 C.

INDULGENTIÆ, unde vim sortiantur, 556 D'.

INFANTES, quomodo originale peccatum in-

Digitized by Google

currant, 43 B'. — Infantibus in utero datur angelus custos, 194 A', 363 C'. — *Cf.* Puer.

INFERNUS quadrupliciter sumitur, 323 C. — Sub terra situs est, 323 D, 680 C, in infimo loco limbi, 323 D, tenebrosus, 31 D', 330 A', et æternus, 28 B', quidquid contra senserint nonnulli, 246 D, quia pœna damnatos torquet et servat, 30 C. — Ibi damnati omni destituuntur auxilio, 30 A', et gratia, 31 D'; verumtamen non sunt omnino expertes misericordiæ Dei, 105 C'. — Vocatur puteus interitus, 79 D', et terra oblivionis, 331 D'. Quid pericula inferni, 525 D, A'. — Quomodo Deus in inferno inveniatur, 638 D. Quibus gradibus illuc deveniatur, 594 A'. — « Infernus inferior » est limbus patrum, 318 A'. — *Cf.* Damnati, Limbus.

INGRATITUDO magnum est peccatum, 254 C, sollicite vitandum, 428 B, 429 C'. — Ingrati suis bonis privari merentur, 271 B'.

INIMICUS. Erronee putabant Judæi sibi licere inimicos odisse, 567 C, quum lex istud vetet, 567 A'. — Debemus inimicos amare simul et odisse, 370 C', et pro ipsis orare, 488 B, quia qui pro ipsis orat, Deum ligat, 279 A. Quomodo eis sit respondendum, 552 C'. — Præceptum diligendi inimicos excedit rationem, 570 C. — Qui sint inimici Ecclesiæ, 456 A', et animæ, 575 B'.

INJURIA. Ob injuriam Dei peccatum odisse perfectissimum est, 577 A; injuriam Dei dissimulare, impiissimum, 468 C. — Sancti vituperati, magis de aliena culpa dolent quam de propria injuria, 555 C. — Omnium, sed maxime pauperum, injuriæ a Deo vindicantur, 652 D. Quid injuriantibus respondendum, 552 C'. — *Cf.* Contumelia.

INSIPIENTIA, quo sensu Christo adscribatur, 173 B'. — Maxima est peccatorum insipientia, 184 B'; sed eam confitendo, justificationem merentur, 184 C'.

INTELLECTUS varie sumitur, 559 C. — Est quasi lingua cordis, 54 B, os animæ, 571 B. — In principio est velut tabula rasa, 191 B, et de imperfecto ad perfectum progreditur, 548 B. Non nisi obscure separatas substantias cognoscere valet, 368 D'; sed ad proprios actus reflecti potest, 548 A, et in se lætari, 156 D. In actu ejus consistit beatitudo, 282 D'. — Ex nimia intellectualium potentiarum occupatione obstupescunt sensitivæ, 305 A. — Quid psalmi « Ad intellectum », 1 A', « Intellectus David », 53 B', 58 C, 61 B.

INTENTIO semper ad ultimum finem dirigenda est, 446 A'.

INVIDIA, quid sit, 135 D, et quomodo vincatur, 664 C. — Hominem parvulum facit, 135 C, 633 C'.

IRA bona ex caritate procedit, 112 B. — Ira mala, quomodo vincatur, 546 B, 664 C. Ad eam maxime proni sunt juvenes, 545 D'. — Ira et furor, quo sensu Deo tribuantur, 220 B; quid sint iræ Dei, 333 B, 336 A, ira Dei maxima, 218 A', 241 A, 269 C'. Antiqua Dei ira in homines, Christo nato, mitigata est, 310 B'. — Peccatis Deus ad iram concitatur, 254 C, præsertim culpis Christianorum, 311 A; sed electis non in perpetuum irascitur, 430 B'.

ISAAC patriarcha propheta fuit, 448 A. — Quid figuret, 453 D.

ISAAC anachoreta mirifice quemdam psalmi versiculum extollit, 191 D'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 49, col. 831.)

ISAIAS propheta, quomodo Deum viderit, 607 A, et SS. Trinitatis mysterium insinuet, 45 D', 153 C'.

ISIDORUS (S.) Hispalensis episcopus, citatur, 680 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 81-84.)

ISMAELITÆ, Judæis infensi, 298 C, gulosos signant, 301 C'.

ISRAEL ad litteram patriarcham Jacob vel Hebræos exprimit, 35 A, spiritualiter, varia, 64 A, 238 A', 521 C', etc. Quid Israel Deus, 105 D, 170 B', 213 A, domus, 524 A, 626 A, filii, 430 D. — Populus Israel diu fuit populus sanctus Dei, 688 A', præ omnibus electus, 683 D', Dei possessio, 623 B, et potestas, 518 B, 522 C. Quo sensu magnum in Israel dicatur nomen Domini, 235 B', 238 A'. — In regno Israel multi Deum verum colere perrexerunt, 235 B'. — *Cf.* Juda.

ITER nostrum, ut latrunculi, obsident dæmones, 651 A'. — Quomodo iter faciamus Deo, 156 B'.

J

JABIN, rex Chananæorum, oppressor Israel, 298 C', quid significet, 302 B'.

JACOB ad litteram patriarcham vel progeniem ejus exprimit, 280 C', 623 A, spiritualiter, varia, 64 A, 290 C', 456 B, etc. Quid Jacob Deus, 234 A', filii, 453 A, tabernacula, 325 A. — Jacob patriarcha, qui et Israel, 447 C, a Deo electus, 623 A, et dono prophetiæ repletus,

Digitized by Google

448 A, templi prænuntiat constructionem, 586 B', et inimicorum Christi nequitiam, 98 A. Quomodo Deum viderit, 607 A. Omnium typus est fidelium, 310 B. — *Cf.* Israel.

JEJUNIUM, quomodo operiat animam, 175 C', D'. In jejunio vitanda est hypocrisis, 498 D. — Adeo jejunavit Jesus ut fatigaretur, 492 A'. — Impii jejuni sunt, 498 C, et apud eos jejunat Christus, 176 A.

JEREMIAS propheta, coævus Ezechielis, 222 A, in utero sanctificatus est, 321 A, et virgo mansit, 604 B'. — Quid psalmus « Jeremiæ Canticum », 139 A.

JEROBOAM, rex Israel, ad tempus tantum electus erat, 261 C'.

JERUSALEM, metropolis Judææ, 164 B, a Salomone decorata, 586 D, triplici cingebatur muro, 586 C, et altissimis turribus, 284 A. — Ibi erat locus sacrificiorum, 626 D, sedes regalis et sacerdotalis, 586 C'; ibi maxime resplenduit majestas Dei, 22 A; ideo dicitur Dei civitas, 21 D', 24 A, et hereditas, 277 D, exsultatio terræ, 22 C, vertex capilli, 164 A. — Bis eversa et sæpius vastata, 595 B, ab Antiocho partim demolita est, 274 B, extraneisque repleta, 274 C', a Tito capta, 164 B, et penitus destructa, 180 C, quadragesimo anno post Christi mortem, 489 C'. Christiani, jussu divino, inde discesserant, 650 A', plurimi autem occisi sunt Judæi, 164 D. Hæc eversio prænuntiata est, 274 C. — Postmodum reædificata, diu Christianis cessit, 182 B'. — Spiritualiter varia signat : Ecclesiam triumphantem, 169 C', 588 B, vel militantem, 278 D, 418 C', 589 B', et fidelem animam, 679 A. Quid ejus muri, 47 A', D', et dies, 633 A'.

Jerusalem cœlestis, quomodo ædificata, 588 C. An ibi sit templum, 635 A. — Quanto studio illam debeamus concupiscere, 701 B, D, mirari, 701 C', contemplari, 702 A, omnia tolerantes ad illam acquirendam, 702 A'. — *Cf.* Sion.

JOANNES evangelista peccatorem mortuum suscitavit, 158 C.

JOANNES Hyrcanus primus post captivitatem regnum in Judæa accepit, 347 B.

JONADAB et filii ejus, qui fuerint, 192 D, et quid significent, 192 D'.

JONAS propheta, in signum Judæis datus est, 319 A', ut figura Christi, 474 B.

JORDANIS, alias flumen Dei, 140 D', vel fluvius Ethan, 223 A', inundatione Palæstinam fecundabat, 141 A. — Quomodo conversus sit retrorsum, 518 D. — Quid mystice, 301 D, 522 D.

JOSEPH in Scripturis varia designat, 280 B', C', 281 B. — Joseph patriarcha a David celebratur, 448 D. Quo sensu dicatur in Ægyptum a Deo missus, 448 C. Ægyptios veram docuit fidem, 449 A. Ipsi quodammodo competebat regnum, 261 D', utpote ceteris fratribus sanctiori, 261 D', 288 B'. Multipliciter fuit figura Christi, 454 C', 455 B', 474 A, Judæorum, 272 C, ac gentilium conversorum, 291 B'.

JOSEPH (S.), sponsus B. Mariæ, cum Virgine virgo permansit, 500 C, 591 D'.

JUBILATIO, quid sit, 343 D', 382 A', et unde oriatur, 344 A. — Jubilare Deo optima est animæ occupatio, 290 C'; quomodo illud peragere debeamus, 146 D, 288 B, 402 A, cur et quantum, 402 B. — Jubilus, quid sit, 18 C, 146 C; qualiter in jubilo ascenderit Christus, 19 A'.

JUDA tribus ad austrum protegebat Israel, 114 C'. — Ad regnum, excluso Ephraim, electa est, 261 D'; ex ea orti sunt nonnulli Apostoli, 165 B. — Quomodo dicatur rex Christi, 482 D, vel Ecclesiæ, 485 A; quid Juda, 117 A, 482 D, ejusque principes, 169 D, filiæ, 25 B, 393 D', civitates, 182 A, A'; quomodo anima efficiatur Juda, 486 C'. — Regnum Juda diu propter David servatum est, 614 C'. — *Cf.* Israel.

JUDÆA in medio est terræ, 222 C', 228 A. — Ad aquilonem ab Ephraim, ad meridiem a Juda protegebatur, 114 C'. — Quo sensu vocetur Domini sanctificatio, 518 A, 522 C, vel hereditas, 274 D; quomodo Deus ibi notus dicatur, 235 D, 238 B. — In ortu Christi cœpit excæcari, 476 C. — Quid allegorice, 238 C.

JUDÆI, dolosi, avari, 77 D, de genere superbientes, 57 C', ad fidem pervenire non potuerunt, 57 B'. — Christum persequendo, 57 B, calumniando, 75 D, 175 B', irridendo, 176 D, tentando, 648 D, negando, 64 B', 222 A', facti sunt inexcusabiles, 64 B', 78 B', et abominabiles, 65 B : a Deo repelli meruerunt, 92 A, 164 A', et a gentibus supplantari, 79 B. Eo quod Jesum felle potaverint, juste siti afflicti sunt, 179 A. — Licet Christum per ignorantiam occiderint, 296 A', gravissimi reatus arguuntur, 179 C, 679 C, et mendacii, 135 C'. — A Christo decepti, 76 C', 132 A', 134 D, percussi a Deo, 154 B', 536 D, ab om-

Digitized by Google

nibus despecti, 78 C', confusione replentur, 202 C, et maledictione sicut diploide involvuntur, 493 B'. — Incorrigibiles sunt, 66 A, indurati, 78 D', excæcati, 179 B', supra modum, 180 A, ita ut Scriptura sit eis occasio quotidiani erroris, 179 D; rejecti, 494 B', sed non penitus, 383 D, derelicti, sed non in toto, 384 B': nam multi variis temporibus conversi sunt, 220 A, et universi in fine sæculi convertentur, 17 C, 106 A', 108 B', ab Elia propheta, 106 C'. — In testimonium veritatis servati sunt, 107 C', nec licet eos occidere, 108 A. — Aspidibus comparantur, 98 B, leonibus, 92 C, 98 A', apibus, 536 B'; filii sunt Judæ proditoris, 489 D. Quo sensu vocentur Dei populus, 35 A, 289 A', vel dilecti, 289 B', filii regni, 180 D', oves pascuæ Dei, 219 B'. — Perperam exspectant quotidie Messiam, 424 D, et Salvatorem gloriosum, 179 D', 491 A. — *Cf.* Hebræi.

JUDÆI auctores : Josephus (Flavius) historiographus, 489 B'. — Philo, B. Petri familiaris, qui Ecclesiæ Alexandrinæ præconia edidit, 166 C. — Rabbi David, auctor libri de Causis, 686 C. — R. Moyses (Maimonides), 366 D, 433 D, 686 C. — R. Salomon (Jarchi), 436 A'.

JUDAS proditor ad sustentandos filios furabatur, 489 C. — Quo sensu contra Christum prævaluisse dicatur, 57 A. — Gravissime Christum offendit, 77 D, 85 D', magisque desperando quam eum tradendo, 489 A. Quomodo oratio ejus facta sit in peccatum, 488 D'. — In Cœna sententiam damnationis accepit, 488 C', et reapse damnatus est, 56 B'. — In Psalmis sæpius increpatur, 56 B, 77 C', 85 C', dicitur peccator, 200 A', filius iniquitatis, 350 D', vir linguosus, 649 B'. — Patrem agnoscit Doeg, 55 D, 56 A; filios, Judæos infideles, 489 D.

JUDEX, tanquam lex viva, 100 C', causas discutere debet, 101 A, cavere a personarum acceptione, 101 A, timore humano, 100 D', avaritia et odio, 101 B, pauperum jura tueri, 295 A, in judicio servare juris ordinem, 100 D', et juxta mentem legis judicare, 295 B. — Judices cur dii vocentur, 294 C, 295 D, et filii excelsi, 295 A'. Eos manet durissimum judicium, 294 B'. — Quomodo Deus in medio judicum sedeat, 294 C. — Judici Christo nullus assimilari potest, 300 C.

JUDICIUM varie sumitur, 508 A, 574 D. — Est actus prudentiæ, 101 B'. — In omnibus operibus Dei misericordiæ commiscetur, 405 C'; a Christo præcipue diligitur, 399 B; dicitur præparatio sedis Dei, 343 A'. Quomodo illud de cœlo Deus audiri faciat, 237 A, 241 C; quo sensu opera Christi vocentur veritas et judicium, 507 D'. — Quid sit judicium facere, 568 D', custodire, 460 B, cantare Domino, 405 C, A'. — Quantum alios judicare prohibemur, 100 D, tantum nos ipsos dijudicare jubemur, 100 C', 405 B'. — Ad reges et sacerdotes deferebantur judicia, 586 C'. Quæ et quanta in his observanda, 100 C'.

Judicium Dei duplex est, 70 D', 206 D, 508 B, aliud discretionis, quod in adventu Christi potissimum inchoatum est, 71 A, quo separantur nunc electi a reprobis, 153 A, aliud districtæ discussionis, 232 C, quo post vitam separabuntur boni a malis, 153 A, et istud iterum duplex est, particulare et universale, 397 A'. — Judicium Dei, utpote strictissimum, 232 C, et metuendum, 71 B, 661 A, quinam exspectare valeant securi, 153 B; quatenus absque præsumptione illud desiderare liceat, 70 C', 153 B, vel invocare, 660 D. — Judicia Dei, quid, 446 B', D'. Inscrutabilia sunt, 356 C', 546 C', sed adeo æqua ut merito æquitas dicantur, 559 A'. Eorum meditatione refrenatur luxuria, 568 B'. Christus, quomodo judicium acceperit, 206 B', quatenus, 206 D', 232 A', et quando, 391 D'; qualiter in æquitate judicet terram, 397 D, 503 C', populos, 390 D, pauperes, 207 A', judicaturus sit justitias, 232 C. — Judiciorum ejus meminisse juvat, 452 C'.

Judicium extremum describitur, 33 C. — Merito dicitur dies mala, 27 A', C', et terribilis, 394 C', quia post signa in cœlis apparentia, 393 C, horribilesque coruscationes, 392 D', ignis terram et mare exuret, 232 B', aeremque usque ad XV cubitos supra omnes montes, 33 B', cunctos interficiens, ac malignos devorans, 392 C'. — Tunc, tempore noctis, 392 D, Christo visibiliter apparente, 418 B, 641 B', in nube, 392 C, et caligine, 392 A', ipsique visibiliter adstantibus angelis ac Beatis, 34 A, tanquam assessoribus, 34 B', cuncti tremebundi, 241 B', ad judicium trahentur, 34 B. — SS. Trinitas auctoritative judicabit, Christus ministerialiter, Beati approbative, 589 B, 690 B', D', 691 B. Ab omnibus accusabimur, 27 A'; nullum erit auxilium, 28 A, nullus pœnitentiæ locus, 28 C. Impii tremore horribili concuti-

Digitized by Google

entur, 33 C'; sed justis erit exsultandi occasio, 512 C', 561 D'.—Post judicium terra complanabitur, 393 B, et fulgebit ut aurum, 241 C', cœli quiescent, 241 C', splendidioresque radiabunt, 131 C.

JUMENTA a Deo providente aluntur, 438 D, 680 B'. — An ad judicium sint præsentanda, 142 D. — Mystice quid, 36 B', 269 A', D', 477 C, 681 A.

JURAMENTUM est actus virtutis, 129 D', quæ vocatur latria, 616 B. Non omnino prohibetur, 130 A, 565 C'. — Deus multoties jurasse legitur, 504 B'; num Christus unquam juraverit, 616 A.

JUSTITIA optime Deo tribuitur, 125 C', dupliciter, 193 A'; præparatio sedis ejus dicitur, 343 A', cum ipso manet in æternum, 506 D. In omnibus operibus ejus invenitur, 673 B', misericordiæ sociata, 92 B, 234 B, 673 C'; sed in reproborum damnatione misericordiæ præminet, 671 A', et est terribilis, 147 B. Quid sit justitiam Dei annuntiare, 196 D', 393 C. — Quomodo, Christo nascente, justitia de cœlo prospexerit, 313 B, osculata sit pacem, 312 D', Christum anteierit, 313 B', D'. — Tota hominis justitia a Deo est, 193 A', 314 A, 660 C, et duo requirit : primo ut quis de peccatis pœniteat, 313 D', deinde ut caritatem sectetur, 538 A; et quantum quisque eam esurierit, tantum a Deo accipiet, 471 D. Verumtamen semper imperfecta est, 645 A', nec in ea confidere debemus, 60 C. — Quid sit facere judicium et justitiam, 568 D', vel in justitia liberari, 193 D. — Via justitiæ et lata dici potest et arcta, 553 A'.

JUSTUS. Coram Deo nemo proprie justus est, 660 B'. Quis sic vocetur, 218 B', 677 C; quo sensu multi se justos dixerint, 660 C'. — A Deo præcipue justi illuminantur, 51, reficiuntur, 156 A, diliguntur, 379 A, ita ut contumeliæ eis illatæ Deo censeantur irrogatæ, 186 A', 360 A'. Ejus sunt adjutores, 302 D, et templum, 143 C, mirabile, 143 D. — Multis agitantur tribulationibus, 116 B, 334 A', 525 B', ab hostibus impugnantur, 184 C, deridentur ab impiis, 186 B', 360 D, laboribus exercentur, 335 C'; insuper propriis contristantur infirmitatibus, 81 A, alienisque peccatis turbantur, 81 D. — Etsi Deus illos in tribulationem incidere sinit, 184 A', imo et in peccatum, 401 C, nec sine causa, 196 D, 417 A, eos tamen non deserit, 538 B': nam increpationibus acquiescunt, 102 B, in contumeliis gaudent, 185 B', 292 C, 357 C', in calumniis gloriantur, 81 B', in opprobriis non deficiunt, 195 C, in prosperis et adversis Deum æque benedicentes, 31 C, et fixi in bono manentes, 79 B'; jucundiusque vivunt quam impii, 214 B'. — Ad mensam tanquam ad carcerem accedunt, 89 D; laudibus non delectantur, 335 D', quin potius affliguntur, 519 D. — Quandoque suas justitias recolere possunt, 560 A', et prædicare, 110 C', 404 D'; sed omnes Dei misericordia indigent, 574 C. — Quo sensu de morte impiorum lætari dicantur, 99 D, de malorum prosperitate conquesti sint, 213 A', vel de justorum oppressione, 221 C'; quomodo manus suas lavent in sanguine peccatoris, 99 B', 100 A'. — Illis competit misericordias Dei eructare, 670 C', et per imitatores Deum honorare pergunt, 337 D'. Quomodo Domino confiteantur hic et in patria, 652 B', aut in lumine vultus ejus ambulent, 344 B. — Palmæ comparantur, 370 D', et cedro, 371 A.

JUVENTUS est quasi flos vitæ, 355 B; in ipsa bonum est servire Domino, 194 C. Quid animæ juventus, 194 D, 429 B', et adolescentia, 572 D'. — Juvenes ad iram et concupiscentiam proni sunt, 545 D'.

L

LABOR. De labore proprio vivere valde meritorium est, 602 C'. — Quomodo labore manuum suarum pascatur homo, 602 C', labore labiorum suorum operiatur, 652 A. — In hac vita laborant pariter justi, 335 C', et impii, 214 D; nam licet hi laborem fugiant, 214 C, laboriosissimam vitam agunt, 214 A'.

LACRIMÆ. Quinque sunt lacrimarum sanctarum genera, 598 C', quibus promittitur consolatio, 598 B'. — Quomodo Deus oculos nostros eripiat a lacrimis, 526 A'.

LACUS sæpe limbum designat, 657 D'. — Quid descendentes in lacum, 329 B', 334 C.

LÆTITIA timorem Domini comitatur, 511 A'; in adversis præcipue servanda est, 535 D'. — Quo sensu Deus in operibus suis lætari dicatur, 443 A. — Quid sit servire Deo in lætitia, 402 A'; cur sic ei famulari debeamus, 402 B'. — *Cf.* Gaudium.

LAPIS angularis Ecclesiæ Christus est, 23 B, a Judæis quidem reprobatus, 539 C', sed super quem ædificantur Judæi et Gentiles, 533 B, 539 D'. — *Cf.* Petra.

Digitized by Google

LAQUEUS in genere deceptionem significat, 96A, vel insidias, 134B. Quid laquei diaboli, 360B, impiorum, 566D, venantium, 593B', mortis, 92B'. — An et qualiter in laqueum inducat nos Deus, 149C'.

LATRIA, quid sit, 400B. — Soli Deo exhibetur, 383C'.

LAUS ex amore procedit, 195A', et tanto jucundior est quanto flagrantior, 129B, 205A. — Quid sit sacrificium laudis, 35D', 37D. Acceptabilius est sacrificiis legalibus, 181A'. — Multas ob causas laudandus est Deus, 69B', nec satis unquam laudari potest, 387A, 459C'. Laudare Deum opus est angelicum, 516A, perfectius quam orare, 678C; tota est occupatio Christi, 493D', et Beatorum in cœlo, 327D', ubi probabilius est laus vocalis, 690D; optimum hujus vitæ exercitium, 195B', via ad beatitudinem, 39B, et gloriam, 195C'. — Variis modis fit laudatio Dei, 685B': vel per nomina, 699D, et est ad impetrandum efficacissima, 699A', vel per verba, et est valida, 699B', vel per utraque, et minus affectum movet, 699C'. Optime Deum laudat qui virtutibus studens, 18B, transitoria contemnit, 433C', ac simpliciter ambulat, 443D', atque sciens omnem viatorum laudem infirmam esse, 196D', cum tremore et humilitate Deo exsultat, 460A. — Quid sit laudare Deum cum cantico, 181C, de cœlis, 685C, in firmamento virtutis ejus, 692A, secundum multitudinem magnitudinis ejus, 692D. — Octies in die Judæi, septies Christiani laudes Dei celebrant, 577C. — Perfecti et prælati quandoque seipsos laudare possunt, 445C'; sed non nisi in Deo laudem appetere licet, 445B'. Sancti laudes molestissime ferebant, 519D, nedum eis delectarentur, 335D'. — Quantum quisque bonitatis habet, laudari potest, 21C', sed in Deo dumtaxat, 675C; et, de lege communi, neminem laudare expedit, 445D', maxime imperfectos, 446A. — *Cf.* Oratio.

LENTULUS (Publius), quomodo Christum describat, 4 in nota.

LEO in Scripturis varia exprimit, 92C, 95A', 364C'. — Quid catuli leonum, 440A.

LEO (S.) Papa, allegatur, 48A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 54-56.)

LEPROSUS non nisi leprosum generat, 43C.

LEVI tribus in terra Chanaan partem non accepit, 259D'. Omnes Levitæ regno Juda adhæserunt, 235C'. — Quid significet domus Levi, 626B.

LEX nonnunquam testimonium dicitur, quare, 252D. — Lex divina providentiam Dei demonstrat, 378B, et omnibus divitiis præferenda est, 569B'. — In duobus caritatis præceptis tota includitur, 550C, et duas partes complectitur, testimonia et præcepta, 260A, 375B, 570C, utraque pariter servanda, 572A'. — Non sine gratia observatur, 470B, 545A, nec sine labore, 380B; imo sunt quædam mandata quæ in patria tantum perfecte implebuntur, 566B'. Verumtamen in ejus exsecutione maximum est hominis bonum, 555C', 577D, unica spes salutis, 263D'; et qui mandatum unum solverit, omnium reus est, 545C. — Legis meditatio, licet salubris, 573D, sine opere non sufficit, 554B, et vana est, 555A'. Quomodo in lege meditari discamus, 551A'. Quo plus quis in lege meditatur, eo ardentius Deum diligere convincitur, 564A. — L. V. ministerio angelorum tradita est Moysi, 508B'. Cur Hebræis tantum data sit, 338B'; quare ejus tabulas Deus servari jusserit, 252D. — N. L. dicitur tempus gratiæ, 144D', 352D, et beneplaciti, 176B', annus benignitatis, 145A', tanquam perfectior lege veteri, 208A', et medium tenens inter legem Mosaicam et statum Beatorum, 452B. Ipsi nulla alia succedet, 573C.

LIBANUS, quid sit et significet, 211A, D.

LIBER Dei, quid sit et contineat, 640A'.

LIMBUS patrum sub terra erat, 323D. — Puteus dicitur, 177A', infernus inferior, 318A', nox, 639B, custodia et lacus, 657D'. — Illuc ante Christum properabant omnes, 349A. — Justi in limbo adventum Salvatoris exspectabant, 174B, qui ipsis essentiale præmium obtineret, 105C. — Ad eos statim post mortem descendit anima Christi, 639B, ut præsentia sua illos beatificaret, 639C; et post triduum, cum illis exivit, 157D', 658A.

LINGUA est organum intellectus speculativi, 5A. — Hanc refrenare omnium interest, 512D, maxime religiosorum, 652C, quia qui custodit linguam, magnam sortietur perfectionem et beatitudinem, 655A'; linguosus autem perdit animam suam, 268D', et ad infernum quotidie appropinquat, 652B, et qui loquitur dolum, a Deo maledictus est, 581A', ac in finem destruetur, 54B, B', 56C, B'. Ad recte loquendum, multa sunt pensanda,

Digitized by Google

655 A'. — Lingua Dei calamo scribæ comparatur, 2 C. Quomodo locutiones ejus dignoscere valeamus, 312 C. — Lingua impiorum gladio comparatur, 95 C', 137 D; quomodo transeat in terra, 215 C, vel a Domino præcipitetur, 82 C'. — Linguæ omnes barbaræ dicuntur, præter Hebræam, Græcam et Latinam, 517 D' : cunctarum scientiam habuit Christus, 4 B'. Linguam ignotam quandonam audierint Hebræi, 288 B', 291 C'.

LOCUS. Ob incolarum merita eliguntur vel repelluntur loca, 260 C', 587 A'. — Quid sit locus sanctus Dei, 157 D, 236 A ; quo sensu dicatur in pace constitutus, 238 B'.

LOCUSTA detractores optime signat, 269 B, vel elatos, 457 C. — Quomodo ipsi comparetur Christus, 492 C.

LONGÆVITAS priscorum hominum supra naturam fuit, 356 D. — Diei comparatur, 354 C'.

LOT et filii Lot, quid mystice, 302 C, 416 D.

LUCERNA David a Deo parata, quid, 614 C', 618 D'. — Scriptura sacra recte lucerna animæ dicitur, 565 A'.

LUMEN quasi vestimentum Dei est, 434 C. Quid sit lumen vultus Dei, 344 B, lumen viventium, 88 A'. — Christus lumine gratiæ et gloriæ a principio repletus est, 130 C. — Illuminatione divina opus est ad bene vivendum, 547 C', et ad intelligendum Scripturam, 547 B'. Quomodo ad hanc disponamur, 378 A'. — Etsi bonum est de luce surgere, 127 A, vanum est, ante lucem, 600 D', 601 C. — Luminaria cœli, quid ad litteram, 376 C, et mystice, 376 D. Post judicium splendidius fulgebunt, 420 B.

LUNA, planetarum infimus, 439 A', cur creata sit, 628 D. — A nonnullis creditur animata esse, 686 C, et ad societatem angelorum pertinere, 686 D, sed communius inanimata dicitur, 686 A'. — Quo sensu dicatur Christus ante lunam permanere, 207 D', vel dare pacem donec auferatur luna, 208 C'. — Allegorice B. Virginem signat, 628 A', vel militantem Ecclesiam, 207 C', 439 B'.

LUXURIA in renibus viget, 645 B. Quomodo refrenetur, 568 B', et vincatur, 664 B. — *Cf.* Concupiscentia.

LYRA (Nicolaus de), Ord. Min., notissimus postillator, sæpe citatus, 189 D', 613 D', etc., refellitur, 273 D', 274 C', 359 A, etc. — Nonnunquam, tacito nomine, verbo « Quidam » designatur, scilicet quum improbanda videtur ejus sententia, 372 A, 382 A.

M

MADIANITÆ, hostes Israel, 298 C', quid significent, 302 A'.

MAGI, adoratores Christi, quomodo a David prænuntientur, 23 A', 209 B'.

MAGNANIMITAS. Ad magnanimos pertinet cito indulgere, 220 A'.

MAGNITUDO Dei, quanta, 670 B, 692 C, quam terribilis, 639 C'. — Qualiter Deus a creaturis magnificetur, 181 D, 323 A ; quid sit eum laudare secundum multitudinem magnitudinis ejus, 692 D. — Magnalia Dei, quid, 198 A', 204 D. — *Cf.* Miraculum.

MAHOMETUS, Sarracenorum legislator, vocatur inimicus, 226 D', et aper, 285 B'.

MALEDICTIO. Impii maledictionem diligere arguuntur, 497 D ; ea vestiuntur et ligantur, 497 B'. — Maledictiones Scripturæ, quomodo intelligendæ, 105 B', 149 A, 155 C', 191 B', etc. — *Cf.* Benedictio.

MALUM, quotuplex, et qualiter Deo tribuatur, 259 A, vel Christo, 329 C. A regno cœlorum omnimode excluditur, 362 D'. — Malum culpæ pessimum est, utpote separans a Deo, 62 D ; potentia illud agendi rectius impotentia dicenda est, 59 B ; nemo valet illud, ut tale, appetere, 491 B, nec in eo gloriari, 59 A. In malum consentire pro opere reputatur, 101 C. — Hominis mala omnino mala sunt, 645 A', ipsique imputanda, 405 A', 645 B'. — Malum pœnæ, quatenus imprecari liceat inimicis, 72 C, aut diabolo, 72 A'.

MANASSE tribus, propter Gedeonem celebris, 114 C', 485 D', quid significet, 116 C', 281 A, 482 C, 485 A. — Quo pacto anima efficiatur Manasses, 486 A'.

MANDATA legis universa in præcepto caritatis continentur, 563 C'. — In veritate et æquitate facta, 508 A', adeo sunt vera, ut veritas merito vocentur, 562 A, adeo sancta, ut æquitas dici possint, 578 D'. — In eorum observatione sita est beatitudo vitæ activæ, 543 C'. — *Cf.* Lex, Præcepta, Testimonium.

MANE hora est ad devotionem aptissima, 89 C; ideo tunc præcipue orandum est, 127 B. — Spiritualiter, quid mane, 14 B', 84 A, 109 B, 332 D, et exitus matutini, 140 B', 144 C, D ; quomodo mane repleamur misericordia Dei, 357 D, D'. — *Cf.* Diluculum, Vespere.

MANNA, panis cœli, 451 D, et angelorum, 255 B', describitur, 255 C'. — Allegorice, typus est Eucharistiæ, 145 C, 266 A', 467 D.

Digitized by Google

MANUS instrumentum est intellectus practici, 5A. — Manus ad Deum orando expandere, 331A', 662A, non modicum confert ad devotionem, 335A. Quid sit manibus Deum quærere, 243B', vel animam in manibus habere aut ponere, 566B. — Quid manus Dei, 343B, dextera, 129B', 222B', 285C', et sinistra, 343C. Qualiter Deus ponat manum super nos, 644B, vel manus nostras doceat ad prælium, 663C', 664B. — *Cf.* Dextera, Sinistra.

MARE, seu Oceanus, terram circumdat, 383B', ideoque spatiosum manibus dicitur, 441A. In maria particularia derivatur, 383B'. Hinc elucescit potentia Dei, quod illud coerceat, 437C, et confirmet, 222C'. — Spiritualiter, mare significat sæculum præsens, 144B, 168B, 473D', in quo fluctuamus, 183D; homines, et sic a Deo dicitur creatum, 342C'; gentilitatem, 228B, et sic a Deo pervagatum est, 250A, et a Christo interruptum, 264D'; peccatores, et sic in aridam sæpe convertitur, 148A'; tribulationem quamcumque, 172D, et sic expressius vocatur altitudo maris, 172D, 183C, A', 374D'. — *Cf.* Aqua.

Mare Rubrum, cur sic dictum, 629D. — In XII partes divisum est, 629B, quas inviti transierunt Hebræi, 461D, ac statim ad priorem locum rediit, 249A. — Quo sensu dicatur coram Deo fugisse, 518D, 522C, et exsiccatum fuisse, 461C'. — Mystice, præsens figurat sæculum, 629A', vel Baptisma, 145B, 467C.

MARIA Magdalene (S.), quantopere dilexerit Christum, 324D.

MARIA Virgo ab originali peccato præservata, 543D, sanctificata in utero matris, 15A, et in omni gratia stabilita, 15B, ac confirmata, 326D', nulla unquam labe fuscata est, 543C, adeoque placuit Verbo, ut ipsum ad se attraheret, 11B'. — Virginitatem vovisse creditur, 616B, et virgo prorsus intacta, 500C, 591D', Christum mirabiliter concepit, 7C, 208C, 637B', et edidit, 639B'. — Dignissimum est Ecclesiæ membrum, 326C', virginum primiceria, 12A, Sponsa Christi singularis, 11A, summa Regina Christo adsistens in vestitu deaurato, 11C, electa Dei civitas, 14D', purissimumque tabernaculum, 15A, terra optima, 313C, quæ benignitate Dei aspersa, 313D, veritatem protulit, 313B, deditque fructum suum, 153D, 313A', virga florens Jesse, 220B', fulgida luna, 628A', aurora Solis justitiæ, 229B, præcipua miserorum advocata, 628B', spes nostra singularis, 675D'. — Per Sion figurata, Christi agnovit divinitatem, 327B; per Gedeonis vellus, nullam passa est corruptionem, 208B. — Sæpe cum ipsa dormivit infantulus Jesus, 11D'.

MARTINUS (S.) Turonensis episcopus, mortuum peccatorem suscitavit, 158D.

« Delirus Martinus », 387D'.

MARTYR testis interpretatur, 116C'. — Non nisi adjuvante Deo martyres tanta sustinuerunt tormenta, 593B. Juste colles dicuntur, 145C'. Ipsis accommodantur nonnulla in Psalmis, 188C, 528B, 593A. — Innocentium Martyrum strages prænuntiatur, 23D'. — In martyrio omnia condonantur peccata, 320D'.

MATRIMONIUM. Actus conjugalis meritorius esse potest, 43A'; in ipso tamen peccatur quasi inevitabiliter, 43B'.

MATTHÆUS (S.) evangelista, quomodo Æthiopes converterit, 166D. — Cum S. Marco conciliatur, 178C'

MEL in Palæstina frequens est, 290A'. — Figurat Eucharistiam, 293D'.

MELCHISEDECH, rex Salem, cur sine genealogia dicatur, 503B. — Sacerdotium ejus typus est sacerdotii Christi, quomodo, 503A.

MENDACIUM, quotuplex, 528D'. — Diabolus quum mendacia loquitur, ex proprio loquitur, 364A. — Quo sensu dicatur omnis homo mendax, 528B'; quomodo Deo mentiamur, 147C.

MERIDIES. Horam hanc timent devoti, quare, 89C. — Quid mystice, 84A. — *Cf.* Mane, Vespere.

MESOPOTAMIA, cur sic dicta, 345C', et quid significet, 115D.

MICHAEL (S.) archangelus, custos paradisi terrestris, Synagogæ, Ecclesiæ, 239C'.

MIRACULUM varie sumitur, 627B'. Quænam miracula a Deo, quæ a creaturis patrari queant, 212A, 627C'. A Sanctis non nisi ministerialiter perpetrantur, 211D'. — Miracula non semper incredulos convertunt, 332A, ut patet de Judæis qui ea carnaliter intelligebant, 384C'. — Majus miraculum est impii justificatio quam mundi creatio, 158A, 232B, 474C, 522B. — Mirabilia Dei in specie enarrari nequeunt, 445A'. Quo sensu hæc viderint Judæi in profundo, 474A, 479B; qualiter in his exerceamur, 550C. —

Digitized by Google

Mirabilia Christi, quanta, 395D, 471B. Horum meminisse oportet animam, 452B'.

MISERATIO Dei, quid, 40D', 177D, et cur multiplex dicatur, 41A, 177C'. An ceteris Dei operibus præstet, 671C'. — Deus occasiones miserendi quærit, 246B.

MISERICORDIA, quid sit, 430D. — Recte Deo tribuitur, 125C', cujus præcedit faciem, 343C'; et ita ipsi competit, 430D, ut idem sit ei esse et esse misericordem, 534C', ac ipse misericordia merito appelletur, 112C', 664B'. — Omnibus operibus Dei præsidet, 493B, justitiæ sociata, 92B, 234B, 605C', sed justitiam vincens, 534D', præterquam in damnatione reproborum, ubi a justitia vincitur, 671A'; nec tamen ab hac omnino abest, 535A, nec ab inferno, 105C', ubi damnati citra condignum puniuntur, 459D, nec a cœlo, 459D, etsi ibi locum habere non videatur, 120C. — Misericordia Dei varie sumitur, 337B, et multiplex est, 41A. Quomodo ab æterno, 432A, et in sæculum, 459C, in cœlis ædificetur, 338C, super cœlos exaltetur, 93B', 484A', repleat terram, 557A. — Universis opus est, 574C, quia causa est præcipua cur exaudiamur, 177C, et salvemur, 111C', unica spes peccatorum, 40D, multa impediens peccata, 194B', et in immensum miseriam nostram superans, 40C'. — Immensa fuit in Christum, 107B', 318D, 351A', in quo obviavit veritati, 312C', 314B'; immensa pariter in homines, 431A, 471A, 665A', etiam impios, 429D', et multiplex, 318C, 323B, 428A, maxime in eorum redemptione, 540B. Quomodo mane ea repleamur, 357D, D'. — Hanc jugiter recogitare expedit, 630A', præsertim pœnitentibus, 40C. Quid sit cantare Domino misericordiam, 405C, A', et quibus illud competat, 670C'. — Misericordia Dei maxima Christus est, 95D, 311B'. — Misericordia in proximum summopere Deo placet, 308D, omnibusque commendatur, 405B', 515B; potius vocaretur justitia, quia superflua nostra sunt pauperum, 515A'. — *Cf.* Eleemosyna.

MITITAS, quid sit et qualiter Deo tribuatur, 316C. — Mititate commendatur Christus, 615C, et David, 612C. — Mansueti optime Deo placent, 680B, atque ab eo exaltantur, 690B.

MOAB, quomodo dicatur olla spei Dei Patris, 117B, Christi, 482D, Ecclesiæ, 485B, David, 114D'. — Spiritualiter, Moab et Moabitæ varia exprimunt, 117C, 207B', 301C'.

MONTES in die judicii destruentur, 393B. — Quo sensu de superioribus a Deo rigentur, 438C, tangantur, 443A', conturbentur, 13C'; qualiter in conspectu Dei exsultent, 518B', 522B'; quid sit oculos in montes levare, 584B, C. — Sic vocantur Christus, 22B', Ecclesia, 401A', angeli, 143D', Beati, 595A', Apostoli, 13A', 144A, Prophetæ, 210D', prælati, 207C, sacerdotes, 211C, superbi, 666B. — Quid montes æterni, 236C, 239B', a quibus nos illuminat Deus, 236C, 239C'; quid mons sanctificationis, 259B', 270A', aut altitudines montium, 383A'. — Ecclesia mons est, 160B', pinguis et coagulatus, 160C', in quo habitat Deus, 160D'. Quomodo in montibus sanctis fundetur, 324B'. — *Cf.* Colles.

MORS omnibus hominibus debetur, tam necessitate conditionis, 348C', quam demerito culpæ originalis, 355D; sed in Christo voluntaria fuit, 348C'. — Sæpe somnus dicitur, 236A', C', et justis est janua vitæ, 529C'; verumtamen Christus eam horruit, 582C; sancti, vel miraculis ornati, eam formidant, 530B; eam cupere non nisi ad perfectos pertinet, 581D', 659B. — Quid mortis dolores, 525D, A', vel laqueus, 92B'. — Mortui quid in terra agatur nesciunt, 431D', 432A; sed in purgatorio sciunt se liberandos, 527A'. — Psalmus cxiv morientibus accommodatur, 526D'. — *Cf.* Limbus, Purgatorium.

MOYSES sacerdotio fungebatur, 400B'. — A Deo electus ut salvaret Israel, 449B', ita suos diligebat, ut pro his Domino obstaret, 463A', et pœnam eis debitam mitigaret, 464A, aut tolleret, 464B. — Ob incredulitatem a Terra sancta exclusus est, 289B, 465A. — Num psalmos aliquos scripserit, 353B. — Allegorice, varia signat, 250C, 430C, 456B'.

MUNDITIA cordis est finis exercitiorum ultimus, 45D, optimaque Scripturæ interpres, 708B'. — Sacerdotes maxime decet, 617B'.

MUNDUS certe a Deo creatus est, 35C', cujus potentiam prædicat et sapientiam, 341B', sublimitatem et amabilitatem, 368B: decuit enim illum pulcherrimum esse, quasi a pulcherrimo factum, 368D. — Quamdiu duraturus sit, incertum est, 645C'. Instante judicio, igne consumetur, 33B'. — Mundus nequam et contemnendus, 32A, 634A, dicitur terra inaquosa, 128B, 130D', mare, 144B, spatiosum manibus, 441B, desertum,

Digitized by Google

158 D', et solitudo, 469 D', lutum, 177 A, 187 B, et limus, 172 A, 183 B, Ægyptus, 456 A, 521 C.
MYRRHA, quid sit et significet, 8 D.

N

NABUCHODONOSOR, rex Babylonis, aper et singularis ferus dicitur, 284 B'.
NEBULA, quid sit ad litteram, 683 C, et mystice, 683 A'.
NEOMENIA a Judæis colebatur, quare, 288 D. — In hac oportet nos buccinare, 291 D.
NEPHTHALI tribus quosdam dedit Christo Apostolos, 165 C. — Quid principes Nephthali, 169 D.
NIX a Deo, tanquam a prima causa, procedit, 683 B. — Quid mystice, 683 A'.
NOMEN Domini, quomodo super omne magnificatum dicatur, 635 C, sanctum ac terribile, 399 A, 509 A, in Judæa magnum, 235 C'. — Quid sit laudare nomen Domini, 515 D', nomini ejus confiteri, 399 A.
NOX ad nutum Dei occurrit, 223 C'. In quatuor vigilias olim dividebatur, 354 D'. — Tempus est operibus pœnitentiæ aptissimum, 415 D', et orationi, 243 C', præsertim media nox, 556 B', ceteroquin periculosissima, 556 A'. — Spiritualiter, varia signat, 229 A, 243 D', 329 A, 439 D', 609 C'. — Timor nocturnus magnæ imperfectionis indicium est, 361 B. Quomodo excutiatur, 361 C. — *Cf.* Tenebræ.
NUBES ex Oceano ascendunt, 623 C', et divino nutu aguntur, 435 B. — Quomodo super nubes ambulet Dominus, 435 B, A', vel usque ad nubes exaltetur veritas Dei, 93 B', 481 A', 484 B'; qualiter in nubibus apparuerit virtus Christi, 166 C', 170 C. — Nubes deducens Hebræos describitur, 253 C', 451 B. — Spiritualiter, nubes varia exprimunt : angelos, 166 D', 266 B, 340 B', Apostolos, 93 C', 249 B', Prophetas, 340 A', prædicatores, 624 A', vel S. Spiritus consolationem, 265 B, 457 C'.
NUMERUS septenarius perfectionem signat, 277 A; duodenarius, totalitatem, 115 C'; millenarius, perfectionem, 161 C, vel numerum indeterminatum, 362 B.
NYCTICORAX, quid sit ad litteram, 415 C', et mystice, 415 D', 423 A, 425 C.

O

OBEDIENTIA. Nos Deo obedire decet, 122 D', quia sic eum sanctificamus, 389 A, et magnificamus, 389 B. — Creaturis inest quædam obedientialis erga Deum potentia, 248 D, 341 D', 562 D'; omnesque ei fideliter obediunt, 253 A', 687 D, præter hominem, 687 A'.
OBLIVIO non semper negligentiæ adscribenda est, 422 A'. — Quo sensu dicatur Deus oblivisci, 275 C'; qualiter Christus oblitus sit comedere panem suum, 422 D.
OCCASIO peccandi fugienda est, 663 C'.
OCCASUS. Quomodo Christus super occasum ascenderit, 156 B'. — Occidentem versus orabant Judæi, quare, 157 A.
OCCURSUS. Qualiter et quot modis in occursum nostrum exsurgat Deus, 110 D'.
OCEANUS seu abyssus orbem circumdans, 436 C, mole terram plurimum excedit, 441 A. — Ex eo maria omnia derivantur, 383 B'. — Aquæ in medio ejus altiores sunt montibus terræ, 436 A'. — *Cf.* Mare.
OCULI incustoditi magnopere nocent, 406 C, 552 A; elati, superbiam mentis manifestant, 611 A. — Quid oculi animæ, 547 A'. Hos ad Dominum semper dirigere debemus, 591 C', 592 B, et ad montes sanctos, 584 B, C, 585 C'. Quid sit Deum ante oculos sibi proponere, 71 C'. — Oculi Christi, quomodo defecisse legantur, 172 C'.
ODIUM, quid sit, 567 B, 642 A, et quotuplex, 642 C; quid odium pessimum, 495 A'. — Pervertit judicium, 101 B, animam quasi gelu constringit, 269 C, de claustro facit infernum, 620 D'. Qui odit fratrem homicida est, 123 B', et quoties dominicam recitat Orationem, peccat, 489 A. — An quis Deum odisse possit, 301 A. Peccatum, et in se et propter Deum, odisse licet, 576 D', peccatores et impios non in se, sed propter iniquitatem, 370 C', 567 B, 642 A. — Inimicos odisse naturæ consonum videtur, 570 D, idque sibi licere falso putabant Judæi, 567 C, quod tamen in lege vetatur, 567 A'.
OFFICIUM divinum in peccato solvere melius est quam omittere, 37 C'. — *Cf.* Oratio.
OG, rex Basan ab Hebræis occisus, 624 D, quid figuret, 625 B.
OLIVA figura Christi, 57 D', et bonorum prælatorum, 60 B'. — Oleum mystice unctionem S. Spiritus significat, 438 C', prædicationem Christi, 79 C, vel S. Scripturam, 84 A'. — Quid sit oleum lætitiæ, 8 B, oleum peccatoris, 654 A'.
ONAGER, id est asinus silvestris, 437 D', Judæorum typus, 438 A.

Digitized by Google

OPERATIO per pedem designatur, 88B. Ipsa est quæ præcipue Deum honorat, 146D'. — Opera sunt quasi animæ filii, 604B, et vestes, 175C'. Et nostra et Dei sunt, 358A, 399D; omniaque ad Dei visionem referenda sunt, 128D, etsi minoris sit meriti agendo intendere mercedem, 566C', quam puram Dei gloriam, 566D'. — Opus bonum recte pretium dicitur, 123D'; semen est gloriæ, 599A, et vim orationis participat, 243C'; tanto melius est quanto ferventius, 325A', 483C'. — Opera Dei, quomodo dicantur terribilia, 147B, quum in eis commisceantur misericordia et justitia, 92B, 234B, imo, emineat misericordia, 534D'. Ea ne angeli quidem comprehendere valent, 640A. Summopere laudanda sunt, 670C. Qualiter Deus in eis lætetur, 443A.

ORATIO, quid sit, 315D', 525A, et quomodo ab obsecratione differat, 660A. Minus perfecta est quam laudatio, 678C. — Sæpe in Psalmis per verba futuri exprimitur, 705B. — Scutum est animæ tribulatæ, 495C'. — Oratio debitis instructa dotibus falli non potest, 244B, 335A'. Ad quod requiritur : 1° ex parte orationis, ut in nomine Jesu fiat, 335A', id est, ut petantur salubria, 414C, aut saltem licita, 317B'. An et quatenus liceat mala imprecari diabolo, 72A', vel Ecclesiæ hostibus, 226B', 275B', aut inimicis propriis, 72C, et impiis, 83C'. Qui pro inimicis orat, fit filius Altissimi, 187A, ac Deum ligat, 279A. Optime liberationem a persecutionibus petere possumus, 581A, saltem ne in his deficiamus, 650C, aut in impatientiam labamur, 650D. — 2° ex parte orantis, ut fidem habeat, 673D', et spem, 525A, quoniam juxta mensuram fiduciæ recipimus, 94A'; ut a peccatis et vitiis emendari proponat, 16B, 151B', nam peccatores non audiuntur, 151A'; ut juste coram Deo ambulet, 320A', 674A, et humiliter, 418C, suam Deo miseriam exponat, 320D; ut pro seipso oret, 414D, etenim pro aliis orans non semper exauditur, 256A', 674B; denique, ut rogare perseveret, 322A, 414D, nec unquam a spe cadat, 184B, si Deus ad probandum illum, tardet audire, 335D. — 3° ex parte modi, ut oratio debite præparetur, 653B, et attente fiat, 20A, 389C', quia deprecatio vaga infructuosa est, 20B. Per nomina fieri potest, et est efficacissima, 699A', vel per verba, et est valida, 699B', vel per utraque, et minus affectum movet, 699C'. Expedit orando causas subjicere exauditionis, 225D, maxime honorem Dei, 276D, proprias quandoque exponere virtutes, 319D', eadem sæpe repetere, 414B, laudibus deprecationem intexere, 699D', et pietatis affectibus insistere, in quibus tota est virtus orationis, 696. Justus a laudatione, injustus a prece orationem incipiat, 445C. — Christus indesinenter oravit, 315C', et quoties « ex ratione deliberata », toties exauditus est, 78A', 87B', 332A'. Præmium accidentale petere debuit, 642C'. Quomodo pro Christo David orare præsumat, 206A', 615D. — Oratio Judæ, quomodo facta sit in peccatum, 488D'. — Quo magis abundat impiorum iniquitas, eo amplius orandum est, 705A. — Quomodo orare debeant tribulati, 70C, 495C', et tentati, 155C', 183A. — Quid sit invocare Dominum in veritate, 673D', faciem Dei deprecari, 556A. — *Cf.* Laus.

OREB, dux Madianitarum, ab Ephratæis occisus, 299B, quid significet, 302C'.

ORGANUM. Quomodo laudemus Deum in organo, 692C'.

ORIENS. Quo sensu Christus ad orientem ascenderit, 166A'. — Orientem versus orabant gentiles, quare, 157A.

ORIGENES astra animata credidit, 686C. — Damnatos tandem salvandos falso putavit, 105A'.

OS ex abundantia cordis loquitur, 195D, et illud custodire magna est gratia, 653C'. — Impii ore Deum diligunt, 257C, 268B, et os in cœlum ponunt, 215B; sed tandem obmutescent, 130A', 477D'. — Os animæ est intellectus, 571B, vel desiderium, 289D. Quid voluntaria oris, 566A. — *Cf.* Lingua.

OSEE propheta. Textus quidam ejus explanatur, 494A'.

OSSA siccantur per abstinentiam et timorem, 414D'. — Ossa animæ, quid, 45A, 415A, 655B.

OTIUM tentatori dat locum, 549C.

OVES pascuæ Dei. Sic olim dicti sunt Judæi, 219B'; multo perfectius sic vocantur Christiani, 225B'. — Oves quomodo Christus pascat, 273A'.

P

PALMA arbor, cur figuret justum, 370D'.

PANIS siccus non sufficit homini, 438C'. —

Digitized by Google

In Scripturis ad litteram quemlibet cibum designat, 254 B', mystice, varia, 415 C, 422 D, 438 B'. — Quid sit panis cœli, 255 B', 266 A', vel angelorum, 255 B', 266 B', panis doloris, 601 B, D, aut lacrimarum, 282 A, C.

PARABOLA, quid sit, 251 A'. — Parabolis indesinenter usus est Christus, 251 D.

PARADISUS terrestris. Ibi protoparentes velut in portu erant, 183 C. — Ibi Christus per XL dies cum justis de limbo eductis mansit, 638 D.

PARENTES, quomodo soboli originale peccatum transfundant, 43 B'. — Filios erudire debent, 263 A'. — Quatenus pro ipsis puniri possint filii, 490 B. — Propinquorum persecutiones acerbiores sunt, 77 D'. — *Cf.* Filii, Paradisus.

PARVULUS in Scriptura modo in bono sumitur, 135 A', 571 A, modo in malo, 135 C, 633 C'.

PASSER in cedris vel in tectis nidificans, 439 A, rationem signat, 305 C', et typus est pœnitentium, 305 A', B', 439 A, non quorumcumque, sed claustralium, 416 D.

PASSIO Christi, unde fuerit acerbior, 78 A. Hujus diem Jesus vehementissime pertimuit, 86 A'. — Paganis fuit in scandalum, 349 B'.

Passiones animam vulnerant, 334 A, perturbantes cor, 81 D', rationem obtenebrantes, 103 A, et si vehementes fuerint, impedientes, 479 D. Prius refrenet eas qui vult ad contemplationem pervenire, 543 B'. — Passiones in Christo nunquam voluntatem prævenerunt, 75 C'.

PATIENTIA, quid sit, quomodo Deo tribuatur, 318 C', et quantum, 265 D'. — Non nisi a Deo procedit, 124 B, qui recte dicitur patientia animæ, 194 C. — In adversis commendatur, 84 D', 116 C, et in humiliationibus, 559 D', quas propter Deum sustinere perfecta est patientia, 185 C, propter culpas, minus perfecta, 185 D.

PAULUS apostolus juvenis ad Christum conversus est, 165 A. — Fuit præstantior Job, 321 C, et Deum per essentiam vidisse creditur, 165 B. — Cur a Deo non exauditus, 414 C, aut ab evangelizandis Asianis prohibitus sit, 148 A.

PAUPER. Ille vere pauper est qui non coacte egestatem patitur, 206 B', et humilis est, 181 A', B', 209 D', 477 C'. Hic a Christo misericorditer in præsenti judicatur, 206 D, 207 A', 210 B, liberatur, 209 D', ex usura redimitur, 210 C, honoraturque, 210 A', et in futuro regnum cœlorum obtinebit, 477 C'. — Pauperes præcipue ad fidem conversi sunt, 14 A, 477 C. Eorum vexatio ad Deum clamat, 497 B, atque ab eo dire vindicatur, 652 D. Judicibus enixe commendantur, 295 A. — Quanta paupertas Christi, 490 D', et hominis, 191 B. — Peccatum summa pauperies est, 275 D', ideo gentiles recte pauperes vocati sunt, 477 B'. — *Cf.* Divitiæ, Prosperitas.

PAX, quid sit, 213 A', 238 B'. — Justitiæ comes, 313 A, et observantiæ legis, 577 D, ignota est superbis, 14 A, ac impiis, 213 A'. — Hominem facit quietum, 239 A, et filium Dei, 238 C', qui præcipue in pacificis habitat, 238 B'; ideoque omnibus summopere commendatur, 239 B, 577 A', 626 C', maxime religiosis, 238 D'. — Christus, pax nostra, 16 B', et princeps pacis, 209 A, quomodo pacem attulerit, 208 B', 312 A, donec auferatur luna, 209 A. Quanta, eo nascente, fuerit pax, 16 D; quo sensu justitiam tunc osculata sit, 312 D', 314 C'. — In pace qualiter constituti sint fines Jerusalem, 682 D.

PECCATOR jumentis assimilatur, 29 C', vocatur tenebræ, 75 D'. — Peccando, primum sibi nocet, 68 C', 72 C, 92 D', 474 B', nam Deum ignorans, 61 A', ejusque donis abutens, 523 D', tanto longius ab eo recedit, quanto gravius delinquit, 574 A'. In Ecclesia exsistens, 83 B, corpore tantum ad eam pertinet, 84 C; in corpore vivo mortuam gerens animam, 332 C, nihil de condigno meretur, 430 C', nihil efficitur, 665 B'. — Peccati servus, 291 D', ac passionum, 101 D, fit etiam diaboli debitor, 496 C', mancipium, 496 D', et ludibrium, 651 D'; vita meretur privari extemplo, 379 B', vel saltem citius, 102 C', et sæpe præmature obit, 80 A. — Vera carens sapientia, 59 C, insipiens est, 184 B', recteque judicare non valet, 101 A'. Insipientiam suam confitendo, justificatur, 184 C', excusando, viam justitiæ sibi claudit, 473 A. — Quo sensu dicatur ab utero errare, 97 C', 101 D', habitare in inferno, 379 A'. — Peccatores, ut tales, despiciendi sunt, 70 A', et odiendi, 406 D, 642 A; fragilitate tamen aliqualiter excusantur, 43 A, 257 B'.

Peccator, quamdiu vivit converti potest, 380 A', benigneque a Deo suscipitur, 144 A', gaudendi materiam præstans angelis, 144 D,

Digitized by Google

et hominibus, 597D', ideoque falso excusationes obtendit, 380B'. — Attamen, non nisi a Deo converti potest, 673B, et incorrigibiles sunt quos Deus despicit, 260B'. Cur alii resipiscant, alii indurentur, 522D'. — Per humiliationem potissimum corriguntur, 303A'; idcirco peccatorem nunc prosperari gravissima est Dei vindicta, 241A, 468B. — Peccatorem ad frugem reducere valde meritorium est, 46C; sed non est hoc omnium, 468C. Induratis sæpe deneganda est prædicatio, 632B', quia difficillime corriguntur, 158B. — *Cf.* Impii.

PECCATUM vanitas est, 665B', insipientia, 184B', et nihilum, 102D, 125B; recte dicitur somnus, 240A, et labor, 77C; est quasi idolum animæ, 292B', dæmonis pecunia, 210D, et laqueus, 360B. — Ex se amarum est, 214D, et primum auctori nocet, 68C', 72C, 96B, 188A', quem facit miserum, 40C', pauperem, 275D', instabilem, 79C', 123D, turpem, 41D, cujus animam vulnerat, 213D', et occidit, 81D', 418B', eam exuens gratia, 466A, atque virtutibus, 655A, separans a Deo, 62D, 380C, ac diabolo subdens, 95A', 466A. — Omne peccatum contra Deum est, 42A. Veniale ad mortale disponit, 334B; grave merito vocatur porta inferni, 334B, vel mortis, 473C. Ex infirmitate levius est, 58C'; ex malitia, pessimum, 58C', 264B. Non deletum, ad graviora trahit, 554B', quia sæpe peccatum est pœna peccati, 180A'. Peccandi consuetudo absorbet animam, 187C, jure comparatur puteo, 187D, et catenæ, 472B. — Peccandi potestas reapse impotentia est, 59B, quia multo facilius est male agere quam virtuose, 553C'; imo nullus propria virtute vel mortale vitare potest, 349A, 470B', vel omnia venialia, 321A', nullus, præter Jesum et Mariam, unquam sine peccato fuit, 110A'; unde fit ut peccata facilius condonentur, 348B. — Originale peccatum, quo sensu vocetur iniquitates, 43D; quomodo transmittatur, 43A'. Mortem induxit in mundum, 355D, et humanam corrupit naturam, 355A'.

Ad expianda peccata, oportet ea cognoscere, 41D', detestari, tum in se, 576D', tum, quantum fieri potest, propter Deum, 394B, 577A; confiteri, quia malorum confessio initium est bonorum, 41C'; et de cetero occasionem labendi vitare, 550C'. — Manifesta manifeste confitenda sunt, 484A', nam confusio in accusandis peccatis valde ad eorum remissionem confert, 196B'. Mortale sine aliis non remittitur, 428D, nec sine gratiæ infusione, 41C. Universa in Baptismo et martyrio delentur, 320D'. — Peccatorum excusatio, quantum noceat, 654B; quotupliciter fiat, 654C. — Dei solius est peccata dimittere, 158A, 163A'; quæ pœnitentibus indulget, 45B, et diversimode vindicat, 401B. Quomodo peccatis nostris justificetur, 42B. — *Cf.* Pœnitentia.

PELAGIUS, « inimicus gratiæ Dei », 545A, redarguitur, 306D'.

PELECANUS, quid sit ad litteram, 422D', allegorice, 422D', et tropologice, 415B'.

PENNA. Quid pennæ columbæ, 82C; quomodo has optaverit Christus, 76A. — Qualiter Deus super pennas ventorum ambulet, 435C, A'.

PERFECTIO. Omnis creata perfectio a Deo datur et perficitur, 37A, 200B'; in interiori mentis decore consistit, 10B, et in operibus caritatis, 10C; bono opere inchoata, in laude divina finitur, 693A. — Quindecim perfectionis gradus xv templi gradibus significantur, 580A: 1us est a vitiis sæculi recedere, 580B; 2us divinum auxilium invocare, 584A; 3us spem perveniendi concipere, 587C; 4us in angustiis servare fiduciam, 591B; 5us Deo liberationem suam adscribere, 592C; 6us in spe immobiliter firmari, 594D; 7us de liberatione Deo gratias referre, 596D; 8us Deo omnem tribuere profectum, 601D'; 9us filialem concipere timorem, 602B; 10us patientiæ studere, 605A; 11us pro excessibus divinam quotidie misericordiam implorare, 609A; 12us humilitatem sectari, 610D; 13us interiorem domum construere, 612A; 14us fraternam fovere caritatem, 619C; 15us divinum amorem consequi, 621B. — Magna perfectio paucorum est, 61C'. — Perfecti nec scandalizantur nec scandalizant, 38C', 577B'. Cur turturi assimilentur, 305B'. His præcipue insidiatur diabolus, 301C.

PERSECUTIO a propinquis illata, acerbior, 77D'. — Optime potest quis liberationem a persecutionibus petere, 282B', ne in eis deficiat, 650C, aut in impatientiam cadat, 650D, vel ut liberius Deo vacet, 581A. Quatenus persecutores fugere liceat, 83D. — Tria persecutorum genera pertulit Ecclesia, 300A, 456A'; quot modis ab Antichristo persequenda sit, 300B.

Digitized by Google

PERSONA. Acceptio personarum judicibus maxime fugienda est, 101 A, quia valde iniqua, 294 C'.

PES in Scripturis varia exprimit : intellectum, 213 C, affectus, 90 C', 584 B', desideria, 149 C, 168 D, operationem, 88 B. Quid pedes Ecclesiæ, 617 A. — Quibus pedibus ad regnum cœlorum pertingamus, 591 A.

PETRA allegorice Christum designat, 634 A, tropologice, peccatum, 363 D'. — Quomodo judices juncti petræ absorbeantur, 654 B'. — *Adde* Horeb.

PHARAO, rex Ægypti, cur exaltaverit Joseph, 448 D'. — Pharao in mari submersus, vocatur draco, 223 A, et typus est diaboli, 629 A'. — In ejus dejectione apparuit potentia Dei, 248 B.

PHILOSOPHIA ex admiratione ortum cepit, 570 A', mirabilesque adnexas habet delectationes, 565 B. — De philosophica scientia non est gloriandum, 197 B. — Philosophi ad corroborandam fidem suscitati sunt, 457 A'. Eis innotuit majestas Dei, 266 A.

PHINEES, filius Aaron, zelo suo, 464 B', sacerdotium meruit, 464 C'. — Quid nos doceat, 468 B.

PILATUS (Pontius), timore humano Christum tradidit, 134 A. — Refertur quædam ejus epistola, 4 in nota.

PISCES nomine reptilium designantur, 441 A. — Quid mystice, 456 D'.

PLATO, quomodo definiat Deum, 112 D', et hominem, 675 A. Astra animata credidit, 686 C. *Adde* 368 D, D'. — Platonici arguuntur, 442 A'.

PLAUSUS. Quomodo manibus plaudant gentes, 18 A, et flumina, 397 C.

PLINIUS (Caius), physicus, allegatur, 441 D.

PLUVIA misericordiam Dei patefacit, 623 C'. — Quid sit pluvia voluntaria Dei, 159 B.

PŒNA præmium est culpæ, 173 D, et paucissimis immerito irrogatur, 110 D. Quatenus filiis pro paternis delictis infligi possit, 490 B. — Mala pœnæ a Deo procedunt effective, 259 A, et magnum reputanda sunt Dei beneficium, 363 C, quia multum expedit animæ in præsenti castigari, 293 C. — Pœna peccati, quotuplex, 466 C, 490 B. Propter hanc odisse peccatum, imperfectorum est, 576 D'. — *Cf.* Adversa, Tribulatio.

PŒNITENTIA est prima hominis justitia, 314 A. Sine humilitate nihil valet, 610 D; ad ipsam conferunt solitudo, 415 C', et nox, 415 D'. Pœnitendi forma describitur, 420 A'. — Anima pœnitens pelecano comparatur, 415 B', nycticoraci, 415 D', et passeri, 305 B', 416 A'. Non nimis peccatorum considerationi insistere debet, 245 C, sed taliter suam perpendere miseriam, 40 B, ut misericordiæ Dei non obliviscatur, 40 C; imo in sola misericordia Dei decet eam confidere, 40 A, D, A'. — Quo sensu Deus pœnitere dicatur, 466 A', 503 C. — *Cf.* Contritio, Peccatum, Psalmi.

PONTIFEX. Unctio pontificum, 620 B, quid significet, 620 A.

POPULUS. Quid sit apponi ad populum suum, 31 B'.

PORTÆ templi, ut introduceretur arca, ultro apertæ sunt, 613 D'. Portæ Sion vel Jerusalem, quo sensu a Deo dilectæ, 325 A, vel confirmatæ, 682 B, 684 C. — Quid portæ mortis, 473 C, portæ justitiæ, 537 C', 539 B', portæ æreæ, 472 D'. — Quomodo portas Domini intremus in confessione, 403 B'.

POTENTIA Dei tanta est, 459 A', 680 A, ut merito accinctus potentia ipse dicatur, 140 C, 144 A; multipliciter ab aliorum potentia distat, 341 D, et a nulla creatura comprehendi valet, 459 B'. In creatione mundi relucet, 341 A'. — Quid potentiæ Dei, 197 D; qualiter in eas ingrediatur anima, 197 D. — Potentes, ut tales, Deus non abjicit, 125 A'.

PRÆCEPTA Decalogi plerumque non excedunt rationem, 570 C. — *Vide* Lex.

PRÆDESTINATIO. In prædestinatione hominum maxime Dei consilia terribilia sunt, 147 C', et inscrutabilia, 369 C; ideo sobrie sunt scrutanda, 148 C. — Præcipua prædestinationis signa sunt : libenter audire verbum Dei, 102 C, vitia, ut talia, abhorrere, 323 B', in præsenti sæculo adversitatibus exerceri, 357 C'. — Prædestinatorum nomina Christus noverat, 641 C. Multi ex revelatione se esse prædestinatos scierunt, 321 C'.

PRÆDICATIO gladio comparatur, 106 C. Induratis non est impertienda, 632 B'. — Prædicatores recte prophetæ dicuntur, 454 A'. Eorum est errantes arguere, 112 B. — Ad orationem primo confugere debent, 601 A, nam nisi Deus adjuvet, frustra loquitur homo, 332 B, 600 B'. Quæ præcipue docere debeant, 218 C. — Prædicator non implens quæ dicit, peccat graviter, 272 A, 432 D; in mortali constitutus, quid agere debeat, 37 B'.

PRÆLATI sunt inter Deum et populum mediatores, 467 D', Ecclesiæ muri, 47 A', arietes gregis, 145 D', fontes Israel, 169 B. —

Digitized by Google

Bonus prælatus est donum Dei, 665 A, sed malo nihil est nocentius, 496 D. Qui præesse digni sint, 169 A', 557 C'. — Prælatos oportet, sicut olivam fructiferam, 60 B', pietate et scientia pollere, 557 A', ceteros antecellere virtute, 169 A, et contemplatione, 670 D'; turpe est ipsos, licet sollicitudinibus discruciatos, 183 A', adversis dejici, 475 C. — Afflictis subditis condolere debent, 601 B, errantibus omni modo subvenire, 468 A, nam bono prælato nihil jucundius est quam gregis profectus, 522 B'. Quandoque seipsos laudare possunt, 445 C'. — Prælatis licita jubentibus, 665 B, et increpantibus, obsequendum est humiliter, 185 A', quia qui eis resistit, Deum repellit, 38 B, et enormiter peccat, 467 B'. — *Cf.* Subditi.

PRÆLIUM, quid sit et quomodo a bello differat, 664 A. — Qualiter Deus manus nostras ad prælium doceat, 663 C', 664 B. — *Cf.* Bellum.

PRIMOGENITI Ægypti a Deo occisi, 624 B, quid significent, 624 C'.

PRINCIPIUM, quo sensu cum Christo esse dicatur, 501 A', in die virtutis, 501 B', in splendoribus Sanctorum, 501 C'. — Christus et ipse principium est, 501 D'.

PROBATIO. Cur et quomodo Deus probet hominem, 149 D, 643 A. — Velle ab eo probari, non nisi perfectorum est, 646 B.

PROPHETIA ad gratias gratis datas pertinet, 67 B, et circa futura contingentia proprie versatur, 43 D'. — Omnes V. L. prophetiæ Christum respiciunt, 66 C, maxime Psalmorum, 74 A.

Prophetæ antiqui ungebantur, 620 B. Eis Deus modo in visione, modo in somno loquebatur, 350 A, ministerio angelorum, 350 B, 682 D'. — Diu ante Christum desierunt, 454 B', et nullus post ipsum apud Judæos invenitur, 222 A, 494 B. — Sæpe præteritum pro futuro ponunt, 140 C', 232 C', 391 B, 589 D'. — Montes dicuntur, 210 D'. — Prophetarum sensum potius quam verba sæpe allegant Apostoli, 162 A.

PROSPERITAS temporalis indifferenter bonis et malis conceditur, 667 C', nec per se saluti obest, 667 D'; imo frequenter justis antiquis promissa est, 452 A, 604 C, etsi non semper dabatur, 604 A'. — Verumtamen insufficiens est virtutis præmium, 451 D', 604 D, nec de ea multum curandum est, 30 D', 706 D, quia adeo non ad salutem confert, 31 A, ut omnis transgressionis sit fomes, 214 D', multoque plures perdat quam adversitas, 362 C; imo, continuata prosperitas certum est reprobationis indicium, et ira Dei maxima, 218 A'. — Impiorum prosperitas Providentiæ non contradicit, 215 A', quia multis de causis eis concedi potest, 668 C, ad tempus, 216 C'; ideo perfecti per eam in bono confirmantur, 215 C, nedum de ea doleant, 213 D, vel scandalizentur, 216 B. — *Cf.* Divitiæ.

PROVIDENTIA e Scriptura evincitur, 35 C', ex auris perfectione, 377 C', legisque concessione, 378 B. — De jumentis curam habet, 438 D. — An ipsi contradicat impiorum prosperitas, 215 A'.

PRUDENTIA non nisi virtuosis inest, 101 B'. — Summa prudentia est Deo servire, 564 C.

PRUINA moros Ægyptiorum occidens, quid significet, 269 C.

PSALLERE. Quid sit psallere, 19 D', 666 D', psallere Deo, 146 D', sapienter, 20 A. — Divinissimum est hujus vitæ exercitium, 122 B', hominem ad vitam deiformem disponens, 411.

PSALMI, cur sic dicti, 156 A'. — Sine labore a David editi sunt, 2 B', omnes, ut videtur, 205 D, 382 A, et metrice, 197 D, 255 C, 298 C'. Cum instrumentis musicis canebantur, 288 C, 367 A'. — Multos de Christo ad litteram scriptos esse e Scriptura constat, 7 C', 73 C, 80 B', 154 B, 171 B, etc., etiamsi nonnulla ipsi minus congruentia contineant, 647 B; imo, omnes Christum intendere certissime credendum est, 66 C', 656 C, alioquin ad prophetica non pertinerent, 67 A; ideo, qui de David litteraliter tractare videntur, 656 B, de eo non sunt semper exponendi, 66 D, sicut male quidam expositores fecerunt, 85 B; sed omnes, quantum fieri potest, ad Christum referendi sunt, 85 B, quia sic dulcius sapiunt, 53 A'. — In eodem psalmo varii reperiuntur affectus, 696, variæ inducuntur personæ, 697, frequens fit mutatio affectuum et personarum, 698 D; ex eodem versu multæ scaturire possunt affectuum species, 703 C'. — Recitandis psalmis assuescamus, 693 B', nam sic ad futuram beatitudinem disponimur, 693 C'. Quomodo sint cantandi, 386 A', 510 B', maxime ps. I, 703 D, XXXIII, 705 D, XXXVI, 706 C, XXXVIII, 706 D'. Qui in persona Christi vel Sanctorum dicuntur, affectuosius sunt depromendi, 699 B. — My-

Digitized by Google

stice quid psalmus, 93 A, C, 146 D', 156 D, B', etc., et vasa psalmi, 199 A, 204 D'.

Psalmi qui ad litteram de Christo exponuntur : xliv, 1 A ; xlv, 12 B ; xlvi, 18 A ; xlix, 32 D ; lvii, 97 B ; lxvii, 154 B ; lxxi, 205 D' ; lxxix, 280 B ; lxxxiv, 309 B ; lxxxviii, 337 A ; xcii, 372 C ; xciv, 381 C ; xcv, 386 A ; xcvi, 392 A ; xcvii, 395 C ; xcviii, 398 A ; cvii, 480 C' ; cviii, 487 A ; cix, 499 B ; cxvii, 534 B ; cxxxviii, 637 A. — De Christo patiente : liii, 67 D ; liv, 74 C ; lv, 85 C' ; lvi, 91 B' ; lviii, 104 D ; lxiii, 133 A ; lxviii, 171 B' ; lxxxv, 315 A ; lxxxvii, 328 C' ; cxxxix, 647 B' ; cxli, 656 A'. — De Ecclesia triumphante : lxxxiii, 303 D ; cxv, 528 B ; cxlvii, 682 A ; cxlix, 689 B ; cl, 691 D. — De Ecclesia militante : xlvii, 21 D ; lxii, 126 D ; lxv, 146 C ; lxxxvi, 324 B ; cx, 505 C. — De Synagoga : lix, 113 D' ; lxiv, 139 D ; lxvi, 152 B ; lxxiii, 219 C ; lxxiv, 230 A ; lxxv, 235 B ; lxxvii, 250 D ; lxxviii, 274 D ; lxxxii, 297 C ; civ, 445 B ; cv, 459 B ; cxiii, 517 D ; cxxi, 586 A ; cxxv, 597 A ; cxxvi, 599 D ; cxxxiv, 622 C ; cxxxv, 627 B ; cxxxvi, 630 D'. — De David : li, 53 B' ; cxxxi, 612 A. — De anima fideli : lxi, 122 D ; lxix, 190 A ; lxx, 193 C ; lxxvi, 243 C ; c, 405 C ; cxiv, 524 D ; cxxii, 591 C ; cxxiii, 592 C' ; cxxxvii, 634 C ; cxl, 653 A ; cxliv, 669 B. — De anima pœnitente : l, 39 D' ; ci, 413 A ; cxxix, 609 B ; cxlii, 659 D'. — Psalmi morales : xlviii, 26 D ; lii, 61 B ; lxxii, 212 D ; lxxx, 288 A ; lxxxi, 294 B ; lxxxix, 353 C ; xc, 358 D' ; xciii, 376 D ; xcix, 402 A ; cii, 427 B ; ciii, 434 A ; cxi, 511 B ; cxii, 515 D ; cxvi, 533 C ; cxix, 580 C ; cxx, 584 A ; cxxiv, 594 D ; cxlv, 675 A ; cxlvi, 678 B ; cxlviii, 685 B.

Psalmus xliv epithalamium vocatur, 1 A ; — l nos docet humilitatem, 48 C, et confidentiam, 48 A' ; — lxix optimum versiculum continet, 191 C', quem David in principio cujuslibet Horæ memorandum prævidit, 189 D' ; — lxxvii compendiose includit quæ in libris Moysis tractantur, 273 B' ; — lxxviii admirandam orandi formam docet, 276 A, D, et quotidie pro recuperatione Terræ sanctæ recitandus est, 279 B' ; — lxxix perfectum orationis modum tradit, 286 C' ; — lxxxiii religiosis commendatur, 308 C' ; — lxxxviii confessoribus aptatur, 352 B' ; — lxxxix efficacissimam orandi formam docet, 357 D ; — xciv in principio Matutinarum juste usurpatur, 382 D' ; — ci perfectæ pœnitentiæ regulas tradit, 420 A' ; — cvii ex duobus aliis compactus est, 483 C ; — cxiv morientibus accommodatur, 526 D', et merito in Officio defunctorum recitatur, 527 A' ; — cxv ad sacerdotes spectat, 532 A ; — cxvi brevissimus, summatim quod in aliis dicitur continet, 533 C' ; — cxvii apte die Paschæ cantatur, 540 C', et a pueris in die Palmarum usurpatus est, 541 A ; — cxix et ceteri graduales totam perfectionis viam demonstrant, 580 A. — Quinam præcipue affectum inflamment, 699 C, D, vel accendant fervorem, 702 D; qui tentatis conveniant, 707 C. — *Adde* Tituli.

PSALTERIUM seu liber Psalmorum, 27 C, ceteris canonicis libris præstat, 51, ac præ illis frequentatur, 696. — Ibi clarius prænuntiatur Christus, 74 A, et quodammodo tota Scriptura continetur, 693 A'. — Per illud David mundum docere pergit, 198 C, quia ex eo totum prope desumitur Officium, 696. Prima pars seu quinquagena incipientibus congruit, 408 B ; secunda proficientibus, 408 B ; tertia perfectis, 408 A'. — Psalterium, instrumentum musicum, 156 A', decem chordis instructum, 367 A', quid significet, 27 D, 93 B, 96 C', 291 C, etc. Quomodo laudemus Deum in psalterio, 690 A, 692 A'.

PUER in Scripturis varie sumitur, 187 C', 515 D. — Non est omnium se Dei filium dicere, 187 D'. — *Cf.* Filii.

PULCHRITUDO duplex est, 387 D', moralis, 3 D, et corporalis, 3 A'. — Quatenus placeat Deo, 387 D', aut in conspectu ejus inveniatur, 387 C' ; quomodo hanc indutus sit, 434 B. — Pulchritudo in Trinitate Verbo appropriatur, 3 B. Christus multipliciter pulcher fuit, 3 A, D, et excellentissime, 3 A', B'. Patiendo amisit ad horam decorem, 3 C' ; sed resurgendo uberius recuperavit, 434 D. — Beatorum pulchritudo perfecta est, 388 A ; viatorum, imperfecta, 388 C.

PUPILLI a Deo peculiariter proteguntur, 677 D, atque vindicantur, 377 D. — Mystice, quid pupillus, 677 B'.

PURGATORIUM sub terra situm est, 323 D. — Animæ ibi diligunt Deum et sciunt se liberandas, 527 A'. — *Cf.* Limbus.

PUTEUS in Scripturis limbum significat, 177 A', vel peccandi consuetudinem, 187 D. — Quid sit puteus interitus, 79 D'.

R

RAHAB, quid ad litteram, 326 B, et mystice, 326 C.

Digitized by Google

RANÆ Ægyptiis immissæ, 450B, loquaces figurant, 268D', 456D'.
REDEMPTIO, quo sensu dicatur copiosa apud Deum, 609C', vel Christum, 610B. — In redemptione humani generis resplendet sapientia Dei, 440C', et misericordia Christi, 540B.
REFUGIUM. Optima refugii loca sunt Deus, 193D', 353D, alæ Dei, 94B', Christus, 353C', vulnera Christi, 94A.
RELIGIOSI omnium peccatorum veniam in professione impetrant, 320D'. Singulariter a Deo proteguntur, 137C. — Pro posse debent sæcularium conversationem vitare, 468C', paci studere, 238D', concordiæ, 619D', et caritati, 620C', quæ de monachis facit angelos, 620D'. — Religiosorum servos, quales esse deceat, 407A'.
RENES sedes sunt luxuriæ, 645B. — Qualiter renes Christi a Patre possideantur, 639A'.
REPROBI non sunt in vanum creati, 348B', quia justitiam Dei commendant, 42B'. — In eorum damnatione misericordia a justitia vincitur, 671A', sed non omnino deletur, 459D, 535A. — Quo sensu nuncupentur hereditas Dei, 261B, populus Christi, 293A. — *Cf.* Damnati, Infernus.
REPTILIA maris, id est pisces, 441A, peccatorum figuram gerunt, 441B.
RESURRECTIO. Quantopere eam optaverit Christus, 130C'. — Resurrectio Christi patres antiquos liberavit, 157D', pignus est resurrectionis nostræ, 617C. Judæi hanc negantes confutantur, 135C'. — Corporum resuscitatorum dotes, 363A. — Nonnulli in peccato defuncti mirabiliter suscitati leguntur, 158C. — Quid « psalmus resurrectionis », 146C.
REVELATIONES divinæ per ministerium angelorum communicantur, 682D'.
REVERENTIA pro verecundia vel confusione sumitur, 190C'. — Quomodo Christo tribuatur, 178B. — Reverentiam nostram Deo præsentare expedit, 188B.
REX. Deo soli competit regnum, ceteris potestas delegata et ministerialis, 383B. — Reges mali non nisi permittente Deo regnant, 150A, et propter peccata populorum exaltantur, 488D. Quatenus liceat resistere eis, 150A. — Rex optime dicitur quilibet Christianus, 121D', 169D', et justus, 129C'. — Per archangelos Deus regna gubernat, 239C', pro exigentiis justitiæ ea deprimens vel suscitans, 233B', ac alia per alia castigans, 234C.
RHAMNUS, quid sit ad litteram, 99B, et mystice, 98D', 103C.
ROMA, caput et domina mundi, 117C', vocatur civitas munita, 482C'; conversio ejus prænuntiatur, 15A'. — Romani, quomodo idola colerent, 520A. Licet a Deo suscitati, 98B', iniqua intentione destruxerunt Jerusalem, 224C, et christianum nomen exstinguere voluerunt, 278B'. — Pro vexillis aquilas et dracones habebant, 221C. — Romanorum Annales citantur, 3D'.
RUBEN tribus, cur a regno exclusa, 261D'.
RUINA sive angelorum sive hominum, quomodo a Christo impleta sit, 504A.
RUTH Moabitis, proavia David, 117B, quo sensu olla spei dicatur, 117C.

S

SABBATUM, cur institutum, 366C, et quotuplex, 381A'. — Quid psalmi in « secunda sabbati », 21C, in « quinta sabbati », 290C.
SABELLIUS, « inimicus S. Trinitatis », confutatur, 3C.
SACERDOS. Ad sacerdotes olim pertinebat causas dubias determinare, 586C'. — Mediatores sunt inter Deum et homines, 502D'; idcirco eos decet firma spes, 524B, magnaque puritas, 617B'. — Indignos sacerdotes quanta pœna maneat, 467C'. In mortali celebraturi vel prædicaturi, quid agere debeant, 37C'. Horas in peccato solventes, non peccant graviter, 37D'. — Ipsis convenit psalmus cxv, 532A. — Quomodo Christus sacerdos dicatur, 502B', in æternum, 502D', secundum ordinem Melchisedech, 503A.
SACRAMENTA sunt vasa gratiæ, 617A', 679A', et quasi seræ Ecclesiæ, 684C.
SACRIFICIA legis, quatenus Deum placare valerent, 46D'. — In Jerusalem dumtaxat poterant offerri, 626D, saltem communi jure, 260D, et partim a Sanctis determinata sunt, 34A'. — Sacrificium vespertinum figura fuit immolationis Christi, 653B'. — Quid sacrificia animæ, 72C'; sacrificium laudis, 35D', 37D, et quantum Deo placeat, 181A'.
SAGITTA in Scripturis varia significat, 361A', 601B'. — Quid sagittæ Dei, 249C', 581B, C, D, 582C', 666D, et Christi, 6D'. Sagittæ impiorum, 92D, quomodo factæ sint sagittæ parvulorum, 135C, 138C.

Digitized by Google

SALIX, arbor infructuosa, 631 A, sæculares exprimit, 632 B'.

SALMANA, dux Madianitarum, a Gedeone occisus, 299 B, instabiles figurat, 302 D'.

SALOMON in quibusdam fuit præstantior David, 346 B. — Jerusalem ornavit, 586 D. — Num psalmos composuerit 205 D. Quid psalmi « in Salomonem », 205 D'. — Allegorice figura fuit Christi, 609 A'; ejus connubium, desponsationis Ecclesiæ, 474 A.

SALUS hominis universa, 70 C, tam essentialis quam accidentalis, 176 C', et dispositiva, 575 C, a Deo procedit, 70 B', 123 B, 333 C'. — Ad salutem opus est ad Ecclesiam pertinere, 160 D', et non tantum vitare mala, 543 A, 575 C, ut negationem Dei, 704 C', linguam dolosam, 705 B, etc., sed etiam facere bona, 704 A', ac mandata servare, 263 C', 548 A'. — Salutem nostram enixe cupiunt Beati, 659 A'; nos alienam zelare debemus, 153 D'. Tot sunt salvandi homines quot sunt angeli, 641 A'. — Deus, an salutem omnium velit, 147 D', 348 A'; quomodo dicatur Deus salvos faciendi, 163 C, B', vocetur Christi salutaris, 126 A, vel sâlvator, 126 A', 328 C'. — Christus duplici modo salvator nuncupatur, 124 D; unica est mundi salus, 280 B. — Quid sit salutare Dei, 197 B, 311 C', D', 312 A', 365 C', etc.; quomodo Deus illud notum fecerit, 396 A; qualiter in illud deficiat anima nostra, 560 C'. — *Cf.* Beatitudo.

SAMUEL. Quomodo Deus ipsi in columna nubis locutus esse dicatur, 400 D'.

SANCTITAS, quid sit, 320 B'. — Perfectissime Deo competit, 401 B', qui est Sanctus Israel, 204 D', 344 C', sanctus in omnibus operibus suis, 673 A, omnis sanctitatis origo, 371 B'; perfecte comprehensoribus, 388 B, qui caritatis præceptum omnino implent, 48 A, 509 D'; imperfecte viatoribus, 321 A', qui sine iniquitate currere nequeunt, 110 A', quorum omnes justitiæ sunt velut pannus menstruatæ, 191 C. — Nullum est excellentius opus quam Deum sanctificare, 388 C'; quomodo sic sanctificetur, 389 A. In sanctificatione Dei qualiter inveniantur sanctimonia et magnificentia, 388 D. — Mons sanctificationis Dei, quid, 259 B', 270 A'.

Sancti totam perfectionem a Deo receperunt, 37 A, et non nisi divina virtute miracula operantur, 211 D'. In eis quam mirabilis Deus olim, 167 B, 170 C, quam mirabilis Christus nunc, 170 A'. — Nonnulli se sanctos esse professi sunt, 320 D', 321 B, ac proprias narraverunt virtutes, 610 D', et quidem non temere, 320 B', C', si recte intelligantur, 321 D; verumtamen, eos vel miraculis ornatos semper pavidos esse decet, 555 A, atque in morte trepidare, 530 B. — Sanctorum exempla carbones desolatorii dicuntur, 581 D, quare, 581 C'. — Quomodo laudetur Deus in ecclesia sanctorum, 339 C', 340 B, 689 D, in consilio sanctorum glorificetur, 340 D'. — Sanctus Dei : sic vocantur Domino deservientes, ut Christus, 635 C, Aaron, 462 B', Israelitæ, 688 A', devoti, 55 B', etc. — Via Dei in sancto, quid, 247 D'. — *Adde* Beati, Justus.

SANGUIS. Quomodo verificetur illud : Quicumque effuderit sanguinem, effundetur sanguis ejus, 72 D. — Qualiter justi manus lavent in sanguine peccatoris, 99 B'. — Sanguis nonnunquam pro peccato sumitur, 46 B'; viri sanguinum, pro peccatoribus, 80 A.

SAPIENTIA, quid sit, 20 B, 603 B; quo sensu prior omnium creata dicatur, 419 A'. — In lege Dei consistit, 569 B', et timore inchoatur, 509 A, ac perficitur, 509 B. — Recte vocatur uxor justi, 603 A, in domo ejus sobolem bonorum operum generans, 603 C; peccatoribus vero non inest, 59 C. — Donum sapientiæ per solem designatur, 628 B'; recte de divinis judicat, 369 B', fidem facit uberem, 603 D. — Sapientia Dei quanta, 680 A. In ordinatione universi resplenduit, 341 A', et in infimis creaturis relucet, 368 B, 440 C; maxime vero in redemptione hominum, 440 C'. — Sapientia increata, quod est Verbum, 2 D, quasi uxor est Sanctorum, 603 C. — In Christo quotuplex fuerit sapientia, 203 A'.

SAUL, primus Hebræorum rex, ad tempus electus erat, 261 C'. Videtur damnatus, 267 D'. — Mystice, typus est malorum principum, 58 C, 70 B, et varia signat, 55 D, 67 B'.

SCANDALUM ad pusillos tantum pertinet, 38 B', 577 B'. — Quid scandalum pharisaicum, et quatenus vitandum, 38 A'. — Judæis scandalum fuit doctrina Christi, 349 A'; paganis, passio, 349 B'.

SCAPULÆ Dei, quomodo obumbrent justo, 360 B'.

SCIENTIA divina a nulla creatura comprehendi valet, 637 C'. — Doctrina prælatis necessaria est, 557 B'. — Scientia fructuosa est, agenda facere, 509 D. — Per donum

Digitized by Google

scientiæ optimus proficiendi modus edocetur, 664 A'.
SCINIFES, quid ad litteram, 450 D, et mystice, 457 A.
SCRIPTURA sacra oleo comparatur, 84 A', lucernæ, 565 A', mensæ, 179 C, scuto, 360 D', sagittæ acutæ, 581 D, B'; vocatur Dei justitia, 197 A, sanctuarium, 216 B, æquitas, 573 A'; maximum est Dei beneficium, 576 D'. — Solet eamdem sententiam aliis verbis repetere, 71 D, 414 B, 578 C', 660 A, ponere singulare pro plurali, 86 B, aut econverso, 223 B', partem pro toto, 104 C', 142 C, præteritum pro futuro, 232 C', 391 B, 589 D'; pronomina non semper cum textu, sed cum sensu concordare facit, 518 B. Sæpe, absque mendacio, modum exaggerat, 101 C'; rerum ordinem invertit, 255 C; loquitur de Deo more humano, 413 A', 666 A, de corpore Christi permixtim, 253 A, de diversis quasi de iisdem, 257 A. Imprecationes ejus, quomodo intelligendæ, 105 B', 179 A'. — Scripturæ absolute credendum est, 576 B, saltem libris canonicis, 446 B. — Probationes e Scriptura non nisi in sensu litterali valent, 154 C, 297 A, 421 B; sed multiplicem sensum litteralem habere potest, 421 B. — Ejus studium commendatur, 543 D', 570 D, D', modo fiat affectuose, 544 B, humiliter, 570 B', et cum relatione ad Deum, 544 C. Ad ejus intelligentiam valde confert cordis munditia, 708 B', sed opus est illuminatione divina, 547 B'; ceterum ex operibus innotescit quantum quisque in ea profecerit, 572 A. Cur obscuritatibus veletur, 680 D'. — Variæ allegantur translationes : Chaldaica, apud Hebræos authentica, 211 B; Romana (prima Hieronymi recensio), 136 D'; translatio Hieronymi juxta Hebræum, 1 A', 139 C, 159 B', etc.
SCUTUM, quid mystice designet, 16 C', 239 D, A'. — Scutum animæ est sacra Scriptura, 360 D'.
SEHON, rex Amorrhæorum, ab Hebræis occisus, 624 D, quid significet, 625 B.
SELEUCUS, rex Asiæ, templo multa contulit, 139 B'.
SELMON, quid ad litteram et mystice, 160 A'.
SEMEN Christi est prædicatio evangelica, 514 C, vel populus christianus, 514 B.
SENECA (Annæus) philosophus, simulationis arguitur, 520 C. — Quantum oderit peccatum, 577 A. — *Adde* 428 B.
SENECTUS est labor continuus, 356 C. Quid senectus animæ, 195 C', 429 B'. — Senes aridi fiunt, 355 C. Ampliori indigent gratia, 195 D'. Sic dicuntur Apostoli, 456 A. — Christus senescebat sicut ceteri, 422 A, imo præ ceteris, 492 C'; unde, licet juvenis obierit, vocatur senex, 201 B', 203 D'. — *Cf.* Juventus.
SENSUS. Appetitus sensitivus fons est discordiæ, 127 C', et peccati, 127 D'; voluntate trahitur, 305 C. — Sensitivæ potentiæ nimia intellectus occupatione obstupescunt, 305 A; unde fit ut magni contemplativi plerumque stolidi appareant, 561 A'.
SEPULCRUM et habitantes in sepulcro, quid, 158 B. — Corpus peccatoris tumulus est animæ, 332 C.
SERAPHIM ceteros angelos illuminant, 435 D'.
SERPENS lingua blanditur ut mordeat, 650 D'. — Ingentes serpentes seu dracones describuntur, 687 B'.
SICHIMA, seu Sichem, urbs Samariæ, 114 A', a David subacta, 485 C', gentilitatem signat, 116 B', 482 A, quare, 482 B.
SIDERA ad illuminandam noctem creata sunt, 628 C. — A nonnullis animata dicuntur, 686 C, velut ad angelorum societatem pertinentia, 686 D; sed communius inanimata creduntur, 686 A'. — Solius Dei ea numerare, 679 B', et regere est, 223 C'. — Incorruptibilia sunt, 687 C, et post judicium in melius commutabuntur, 420 B. — Quomodo Deum laudare dicantur, 686 A'. — Quid mystice, 628 B', 679 C'. — *Cf.* Luna, Sol.
SILO urbs Ephraim, alias tabernaculum Joseph, 261 C', an eadem quæ Ephrata, 613 B, D. — Ibi diu mansit arca, 260 C', 613 A. — Figurat Ecclesiam, 271 D.
SILVA. Quid sint campi silvæ, 613 C, D, 616 C', D', aper de silva, 284 A', 285 B'.
SIMILITUDO causa est amoris, 43 D', 379 A, 677 C. — Creatura Deo similari potest similitudine quadam imitativa, 297 C', 516 A', minime vero perfecta, 198 B', 297 D, 341 B; multo minus ei æquari valet, 340 D. — Christus judex nullum similem habere potest, 300 C.
SIMPLICES a nimia credulitate cavere habent, 407 B.
SINAI mons, ubi data est lex, 161 B, A', dicitur locus sanctus Dei, 161 A'. — Quid mystice, 162 C'.
SINGULARITAS vitanda est, maxime claustralibus, 157 B'.
SINISTRA in Scripturis adversa significat, 361 D'. — Quid sinistra Dei, 343 C. — *Cf.* Manus.

Digitized by Google

SION mons in latere Jerusalem, 22 A', 501 A, specialiter a Deo in suum cultum electus, 139 D, 614 A', recte dicitur mons sanctus, 22 C', vel sanctificationis, 259 B'. Ibi peculiariter habitabat Deus, 220 C'; ibi resplenduit species Christi, 33 A, et promulgata est lex evangelica, 501 B. — Spiritualiter, varia signat : Christum, 607 C', B. Virginem, 327 B, Ecclesiam sive triumphantem, 47 D', 182 C, 307 A', etc., sive militantem, 47 A', 142 A, 182 A, etc., Judæos, 23 A, 597 B, fideles, 239 C, 594 D'. Quid Sion filiæ, 218 C, 689 C', portæ, 325 A, lapides, 417 A', captivitas, 597 D', cantica, 633 A. Quomodo circumdemus Sion, 25 D. — *Cf.* Jerusalem.

SISARA, princeps militiæ Chanaan, 298 C', a Jahel occisus, 298 D', quid significet, 302 A'.

SITIS animæ est desiderium, 127 C, 130 B'. — Quomodo ad Deum sitire possint, Christus, 130 D, C', anima, 127 C, caro, 127 D. — Judæi, eo quod Christus felle potaverint, siti afflicti sunt, 179 A.

SOCRATES philosophus, astra animata reputavit, 686 C.

SOL, cur creatus sit, 628 C. — A nonnullis animatus dicitur, 686 C, et intellectualis naturæ particeps, 439 A', 686 D; communius tamen inanimatus creditur, 686 A'. — Incorruptibilis est, 207 D', et post judicium multo clarius lucebit, 420 B. — Solis statio vere miraculum est, 627 D'; eclipsis vero minime, 627 C', si eam excipias quæ accidit patiente Christo, 268 B'. — Allegorice, Christum exprimit, 98 C', 103 A, 439 B', etc. Quo sensu Christus cum sole permanere dicatur, 207 C'.

SOLITUDO contemplationi favet, 82 A', et pœnitentiæ, 415 C'; ideo hanc dilexit Christus, 422 D'. Sic dici potest mundus, 469 D'. — Solitarius aut deus est aut bestia, 619 D'. — *Cf.* Desertum.

SOMNUS operationem mentis in Christo non impediebat, 423 B. — Magna est gratia parco indigere somno, 416 B. — Mystice, quid somnus, 236 B', C', 240 A, somnus impiorum et justorum, 240 B; quo sensu dormire vel dormitare dicantur, anima, 550 A', Deus, angeli, 584 C'.

SPES, quid sit, 199 D', 514 C', 568 B. Sæpe pro exspectatione sumitur, 58 B'. — Duplex habet objectum, Deum principaliter, 124 B', gratiam et virtutem secundario, 676 A; duplici innititur fundamento, 193 C'; duplici modo ad aliquem respicit, 675 C'. — Beatis non congruit, 611 B'; quatenus Christo competierit, 58 B, 80 A', 199 D', 315 B', etc. — Spes in Deum commendatur, 12 B', 308 B', 559 A', in omni eventu, 31 A', 678 A, sacerdotibus maxime, 524 B. In tribulatione enim sustentat, 554 A', ac fiduciam præstat, 13 A; orationi vim adjicit, 525 A, quia pro rata fiduciæ recipimus, 94 A'; sperantes in Domino ab eo liberantur, 365 B, servantur a peccato, 363 B; nec adversis dejecti, nec prosperis inflati, 362 A, unquam confunduntur, 359 C. Quid sit sperare vere in Deo, 359 A'. Quomodo oculi omnium in eum sperent, 673 C. — Quo sensu spes animæ dicatur Deus, 121 D, et B. Virgo, 675 D'. — Quatenus in creaturis sperare liceat, 675 C'.

SPINÆ, quomodo rhamnum intelligere dicantur, 98 D', 103 C.

SPIRITUS Dei in Scripturis varia designat, 442 D', 683 D. — Spiritus Sanctus cur Dei digitus vocetur, 132 A, 198 B, 350 C'; quantopere ejus indigeamus gratia, 442 C, D', et illuminatione, 460 C'. — Dona ejus virtutes perficiunt et movent, 664 D; per solem et stellas figurantur, 628 B'. — Blasphemia in S. Spiritum, quid, 175 B'.

SPONSA Christi triplex, 11 A.

STELLÆ. *Vide* Sidera.

STRATUS. Quomodo in strato meditari debeamus, 129 C.

SUBDITI collium nomine designantur, 207 D. — Prælatis licita jubentibus, 665 B, et increpantibus, obsequi humiliter debent, 185 A', ne Dei ordinationi resistentes, 38 B, enormiter peccent, 467 B'. — Humilis subditorum obedientia donum Dei est, 665 A. — *Cf.* Prælati.

SUPERBIA summopere displicet Deo, 167 D', 233 B, et Spiritui Sancto, 558 A', et in Scriptura reprobatur, 233 C, 234 C'. — Peccati fons et origo, 558 B, universa corrumpit, 269 A, omnem mentis virorem exurit, 457 C, ascendit semper, 225 A. Per eam perditi sunt angeli, 548 C, et primi parentes, 548 D. — In oculis apparere solet, 611 A.

Superbi per montes designantur, 13 C, 666 B. — Divina indigni illuminatione, 197 C', et protectione, 271 A', nulla pace fruuntur, 14 A, et sæpe a Deo humiliantur, 293 A', ac dejiciuntur, 342 C. — Sunt fures, 38 C, et filii diaboli, 558 D. — An cum eis expediat epulari, 407 C.

Digitized by Google

SUSCEPTIO. Quo sensu dicatur Deus susceptor Christi, 107 B', vel animæ, 123 C.

SYNAGOGA, quondam uxor Dei, nunc repudiata, 517 C, dicitur congregatio Dei, 220 D. virga hereditatis, 220 A', vinea Domini, 280 B, 283 A, cujus umbra montes operuit, 283 D, C', et arbusta, cedros Dei, 283 D'. — Typus est Ecclesiæ, 262 D, 325 C. — *Cf.* Hebræi, Psalmi.

T

TABERNACULUM Dei est B. Maria, 15 A, aut Ecclesia, sive militans, 14 A', 119 C, sive triumphans, 119 D, 121 B'. Tabernacula Domini virtutum, id est cœlum empyreum, 304 B, Beatorum sedem, 303 C', altaria, 305 D', et nidum, 306 A, C, nunquam satis concupiscere valemus, 303 C', 304 D, 306 C, 308 C'. — Quid tabernacula Jacob, 325 A, Joseph, 261 C', Cham, 259 D, Silo, 260 C'. — Tabernaculorum convallis, quid ad litteram, 114 A', 485 C', et mystice, 116 B', 482 A, B.

TANIS, regia Ægyptiorum civitas, 253 A', gravius ceteris afflicta fuit, 253 B'. — Quid significet, 264 C'.

TAURUS in Scriptura superbos signat, 37 B. — Quid congregatio taurorum in vaccis populorum, 165 D'. — *Cf.* Bos, Vaccæ, Vitulus.

TEMPESTAS mystice varia exprimit, 76 A', 172 D, 183 C, A', 299 C. — Quid sit absconditum tempestatis, 289 A.

TEMPLUM Jerusalem, apud gentes celeberrimum, 139 A', quomodo dicatur mirabile in æquitate, 140 A. — Ibi Deus specialiter habitare censebatur, 614 D. Illuc cum feminis aut equis intrare nefas erat, 221 B'. — Allegorice, figurat Ecclesiam militantem, 278 D, 385 D', quæ est templum vivum a Christo constructum, 175 B; aut Ecclesiam triumphantem, 143 B', 634 D', vel justos, 143 C, vel animam rationalem, 402 D'. — Templum primum triplex habebat atrium, 586 C, et quindecim gradus, 580 A; portæ ejus, ut introduceretur arca, ultro apertæ sunt, 613 D'. Quantopere illud restaurari optaverint Judæi, 701 A. — Templum secundum, licet priori inferius, 24 B', ipsi prælatum est, 24 A', nam ibi resplenduit majestas Christi, 22 A, 24 C. Quomodo ab Antiocho sit pollutum, 274 A'. — An sit templum in Jerusalem cœlesti, 635 A. — In templis facilius exaudiuntur preces, 402 C'.

TEMPUS motu primi mobilis causatur, 224 B; non erat ante creationem, 354 A, in Deo, 354 B, et post judicium non erit, 293 C', 419 B'. — Solius Dei est regere tempus, 223 C'; quomodo illud plasmasse dicatur, 224 B, 540 A'. — Tempori tribui solent quæ in eo geruntur, 585 A, et hoc modo dicitur benedictum, 141 B. — Lex evangelica recte nuncupatur tempus gratiæ, 144 D', aut beneplaciti, 176 B'. — *Cf.* Annus, Dies.

TENEBRÆ, quo sensu a Deo positæ dicantur, 439 C'. In tenebris amplius dominatur diabolus, 361 B'. — Spiritualiter, varia signant: adversitates, 75 D', 82 B, errorem, 295 C. infidelitatem, 331 D', 439 C', ignorantiam, 472 A, B', 512 A, mortem, 638 D', 639 A'. — Tenebræ Ægypti, 449 C', quid significent, 456 C'. — *Cf.* Nox.

TENTATIO. Quo fine tentet Deus, 643 A, qua astutia diabolus, 549 B. — Quatuor tentationibus exercentur homines, 471 C', et affliguntur, 470 A', per totam vitam, 336 C, 475 B', 594 A; nunquam tamen supra vires, 150 B, 342 B, quia Deus tentatis adest, 595 D'. — Tentatio vocatur procella, 474 C, 475 B'. Quomodo repellatur, 549 C; qualiter in tentatione orare oporteat, 70 C, 155 C', 183 A, 707 C.

TERRA in medio universi fundata est, 562 B', velut centrum mundi, 373 B', 419 D. — Quomodo super nihilum appensa, 443 D, aut super aquas fundata dicatur, 628 B, D; cur partim ex aqua emergat, 436 D. — Immobilis est, 373 B', nec unquam tota movetur, 443 C, aut inclinatur, quia omnes ejus partes ad centrum tendunt, 436 B, licet non æqualiter, 436 B'. Quo sensu dicatur coram Deo commoveri aut conturbari, 16 A, 114 A, 116 A, 158 B', D'; fluere, 393 B, vel liquefieri, 230 D, 232 B'; tremere, 248 C', 249 D', 443 B, 518 D', 522 D', seu quiescere, 237 B, 241 B'. — Peritura est, non substantialiter, sed quoad modum essendi, 419 A', nam post judicium, igne purgata, 232 B', complanabitur, 393 B, et in melius conversa, 442 C', fulgebit ut aurum, 241 C'. — Universa Dei est, 35 C', 342 D, et Christo subditur, 209 B. Qualiter sit hominibus data, 521 B. — Qualiter a Deo benedicatur, 309 C', visitetur, 140 C', 144 A', inebrietur, 140 C', 144 B', locupletetur, 140 D', 144 D'; quomodo de fructu operum Dei satietur, 438 C, impleatur Dei possessione, 440 B', et misericordia, 557 A. — Quid sit

Digitized by Google

terra viventium, 54 C', 56 C', 657 A', B', terra recta, 662 D', deserta, 128 A, 130 D', oblivionis, 331 D'; quid terræ abyssi, 198 C', 204 B', columnæ, 230 A', 232 D', crassitudo, 654 D', dii, 20 C', fines, 118 D, 153 B', 383 A', fundamenta, 295 C, 296 B', inferiora, 129 C', 132 B, 640 C, termini, 229 C, 396 B'; quid sit a finibus terræ clamare, 121 A, terram lingere, 209 A', reverti ad terram suam, 676 B', in terra aliena cantare canticum, 631 B, 633 B. — Allegorice, optima terra est B. Maria, 313 C, quæ benignitate Dei perfusa, 313 D, veritatem protulit, 313 B, deditque fructum suum, 153 D, 313 A'; aut Ecclesia, 116 A, quæ a Christo firmata, 373 C', stabilita, 436 C, correctaque, 390 C, in æternum non commovebitur, 373 D', 562 C'. Moraliter, varia significat, 13 B, D, 144 A', 158 D', 443 A', etc.

Terra sancta exundationibus Jordanis fecundata, 141 A, et uberrima, 140 C', merito dicta est terra desiderabilis, 463 B'. — Inter tribus Israel partita, 259 D', quid exprimat, 270 C'. — Ob pessimam vitam, Christiani inde expulsi sunt, 278 B. Pro ejus recuperatione quotidie orandum est, 279 B', quomodo, 277 C. — Typus est regni cœlorum, 385 B.

TESTAMENTUM utrumque a Deo collatum est, 307 D. — T. V. alias tabernacula Jacob, 325 A, figura erat novi, 66 C', 452 B. — T. N. multo sublimius priore, 202 C', tempus gratiæ dicitur, 144 D, 352 D, annus benignitatis, 145 A', tempus beneplaciti, 176 B', canticum novum, 386 C, dies, 540 B', quia in eo major est gratia et justitia, 208 A'. Inter legem et statum Beatorum medium tenet, 283 B'; usque in finem permanens, 508 D', nullum secundum habebit, 453 B'. — Quid sit testamentum ordinare super sacrificia, 34 A'.

TESTIMONIUM, quomodo a lege differat, 252 D, a præcepto, 260 A, 375 B, et a mandato, 543 C'. — Testimonia fidei rationem prorsus excedunt, 570 D, nec probari possunt, 375 B, nisi per miracula Christi, 375 C, et Sanctorum, 375 A'. Ad contemplationem spectant, 543 C'. — Testimonium Dei est S. Scriptura, 563 D, 577 D'.

THABOR mons in Judæa nominatus, 342 D', quid significet, 343 A.

THOMAS (S.) Aquinas, omnes Psalmos a David conscriptos arbitratur, 356 A'. — Quanta devotione versiculum quemdam frequentaverit, 196 A. — Passim allegatur, 38 C', 194 A', 242 D, 414 A', etc.

THRONI angeli, cur sic vocati, 432 B'. — Thronus Dei, quid, 374 B. — Thronus David, quo sensu sicut sol permansurus prædicetur, 346 C'.

TIMOR, quid sit, 602 C; quo sensu Christo tribuatur, 70 A, 86 D', angelis, 60 A, et Beatis, 509 A. — Ex amore procedit, 286 C, et causa est omnis boni et mali, 286 B. Rationis actum nimius timor impedit, 356 D', moderatus acuit, 357 A. — Viatoribus congruit, 82 B, quantumlibet sanctis, 555 A. — Timor nocturnus magnæ indicium est imperfectionis, 361 B; quomodo excutiatur, 361 C. — Timor humanus omnino abjiciendus est, 62 B', 137 A, 535 D', maxime a judicibus, 101 A. — Timor Domini, quid sit, 602 C. Omnibus necessarius est, 322 B', quia peccatum arcet, 312 A', causa est omnis boni, 286 B, 511 C, 603 B', omnis sapientiæ initium, 509 A, et plenitudo, 509 B. — Triplex est, videlicet : 1° servilis, 257 C, 509 A, 602 B, qui non est meritorius, 511 B, 566 C', licet ad sapientiam disponat, 509 A, et gratiam, 576 D'; hic ad impios pertinet, 509 A, et a Christo abfuit, 638 B. — 2° initialis, 509 B, qui ad imperfectos pertinet, 322 C', et tantum meretur, quantum participat amorem, 566 C'; — 3° filialis, ex amore procedens, 322 A', qui peccata fugat, 511 A', 578 C, fons est lætitiæ, 511 B', ac perseverantiæ, 511 C', maxime Deo placet, 566 D'. Hic ad perfectos pertinet, 322 C', et nonus est perfectionis gradus, 602 B.

TITULI Psalmorum ex divina inspiratione formati sunt, 359 A, 372 A. — Quid significent tituli : Ad Assyrios, 235 C, 238 B; Ad intellectum, 1 A'; Alleluia, 445 A; Ante sabbatum, 372 B; Canticum Aggæi, 139 A, 141 D; Canticum graduum, 580 A; Filiis Core, 1 B, 12 B, 21 C, etc.; Filiorum Jonadab, 192 D; In carminibus, 67 C', 74 C, 80 D, etc.; In confessione, 402 A; In die sabbati, 366 C; In finem, 1 B, 12 B, 26 D, etc.; In hymnis, 118 B; In laudibus, 235 C, 238 A; In Salomonem, 205 D; Intellectus Asaph, 219 B; Intellectus David, 53 B', 58 C, 61 B, etc.; Intellectus Eman, 328 C; Intellectus Ethan, 336 D; In tituli inscriptione, 85 D, 88 C, 91 C, etc.; Ipsi David, 85 C, 88 C, 115 C, etc.; Laudatio ipsi David, 669 A; Laus cantici, 381 C; Ne corrumpas, 230 A, 231 B; Ne disperdas David, 91 C, 104 B; Oratio David, 315 A; Oratio Moysis, 353 B; Pro Amalec, 61 C, 64 C; Pro

Digitized by Google

arcanis, 12B; Pro dilecto, 1B; Pro his qui commutabuntur, 1B, 113C', 115C, etc.; Pro Idithun, 122D, 243A; Pro Maheleth, 328C, D; Propter Jeremiam, 630D; Pro torcularibus, 287D, 290C, 303C; Psalmus Asaph, 32C, 212C', 290C, etc.; Psalmus cantici, 21C, 152B; Psalmus David, 487A; Psalmus resurrectionis, 146C; Quarta sabbati, 376C; Quinta sabbati, 290C; Secunda sabbati, 21C.

TITUS (Flavius) imperator injuste Jerusalem evertit, 221B. — Dicitur aper et singularis ferus, 284A'.

TONITRUUM. Vox tonitrui, cur in rota dicatur, 248B', 249C'.

TOPAZION, lapis pretiosissimus, describitur, 569C'.

TORCULAR. Psalmi « pro torcularibus », quomodo intelligendi, 287D, 290C, 303C.

TORRENS in Scripturis magnam tribulationem designat, 504D, 593C. — Quomodo torrentes Deus diruperit, 223D, 228C'. — *Adde* 597A'.

TRIBULATIO in Scripturis vocatur ignis, 98C', tempestas, 172D, 183C, tenebræ, 75D', 82B, torrens, 504D, 593C. — Tribulatione probatur anima, 196D, 292C, exercetur, 585D, purgatur, 116C, 293C, aliis in exemplum datur, 334B', ampliorem meretur gratiam in præsenti, 334B', gloriam in futuro, 138B', 706B'; ideo tribulationes justorum multæ, 116B, et quasi continuæ, 188A. — Perfecti tribulati tanto magis gaudent, 323C', quanto magis exercentur, 706B'; imperfecti, succumbere solent, 475B: quod turpe est, maxime prælatis, 475D. — In tribulatione oportet servare patientiam, 84D', 539D, qua consolationem meremur, 475D'; vana abjicere solatia, 244D, a proposito non deflectere, 562B, spe animam sustentare, 554A', 563A, divinamque laudare justitiam, 367C, maxime vero ad Deum erigere oculos, 591C', 592B, et preces, 121B, 292A, 495C', 535C', 580C, qui afflictis semper succurrere pronus, 12D', 188A, eis familiarius adest, 292B, 580B', liberalius benedicit, 498C'. — Varii psalmi tribulatis accommodantur, 70C, 80D, 88C', 94B, 109D, 136D, 183A, 190A, 193C, 333D, 495A, 591C, 650C, 658B. — *Cf.* Adversa, Pœna.

TRINITAS SS. a David et Isaia innuitur, 45C', 153A', C'. — Operationes SS. Trinitatis sunt indivisæ, 503B', 504A', quia Patris, Filii et S. Spiritus una est essentia, potentia, actio, 424B'. — Qui uni Personæ derogat, aliis derogat, 175A'.

TRISTITIA alia est bona, 74D', alia inordinata et nociva, 75A. — Unde potissimum contristentur justi, 81A.

TUBÆ ductiles et corneæ, quid, 396D', 397A. — Quomodo in voce tubæ ascenderit Christus, 19C'; qualiter in sono tubæ Deum laudemus, 692A'. — Tubarum festum, quando et cur celebratum, 288D.

TURBATIO alia est bona, 75B, ad perfectos pertinens, 81D; alia mala, 81C, quæ est pusillorum, 81A'. Utram Christus passus sit, 75B, 492A. — Quo sensu a facie Domini conturbati sint montes, 13C', aut terra, 13A, B, C, maris profundum, 140D, 144B, aquæ, 13C', abyssi, 248A', 249A'.

TURTUR avis, quid significet, 305A', B', C'. — *Cf.* Columba.

TYMPANUM tropologice carnis mortificationem designat, 291B, 690A. Quid sit laudare Deum in tympano, 692B'. — Tympanistriæ, quid allegorice, 164C', et moraliter, 168D'.

TYRUS et filiæ Tyri, quid, 9B', 326D. — Tyrii Hebræis modo faventes modo infensi, 298B', invidorum figuram gerunt, 302B.

U

ULTIO. Deus diversimode peccata ulciscitur, 401B. Quænam sit ultio ejus maxima, 77A', 293A; quomodo Deus ultionum vocetur, 376C'. — *Cf.* Vindicta.

UMBRA, quid significet, 283A', B'. — Umbra Synagogæ, quomodo operuerit montes, 283D. Umbra mortis est vita maligna, 472A, B', vel carcer, 478D'.

UNCTIO. In V. L. ungebantur sacerdotes, reges et prophetæ, 620B. — David triplicem suscepit unctionem, 345C. — Quid unctio Christi, 7D', 350A'.

UNGUENTUM pontificis rori Hermon comparatur, 620C. — Caritatem figurabat, 620A.

UNICORNIS, animal fortissimum, 370D. — Ipsi comparatus est Deus, 262A', Synagoga, 262B, Ecclesia, 272A', justus, 370A'.

USURA sub gravi Christianis prohibetur, 210C. — Quo sensu animas pauperum ex ea redemerit Christus, 210D.

UTER. Cur utri comparentur contemplativi, 561D. — Quomodo aquas Deus quasi in utre statuerit, 253B', 265B.

Digitized by Google

UTERUS. Christus in utero B. Virginis instantanee formatus, 637B', et mirabiliter, 208C, mirabiliter inde exivit, 639B'. — Infanti in utero matris datur angelus custos, 194A', 363C'. — Quo sensu peccatores ab utero errare dicantur, 97C', 101D'. — Quid uterus Dei, 502B, et Ecclesiæ, 194C'. — *Cf.* Vulva.

V

VACCÆ populorum, quid, 165D'.

VALERIUS Maximus, historiographus, allegatur, 520A.

VALLES terræ Chanaan fructiferæ, 141A'. — Quomodo repleantur frumento, 146A ; qualiter in convallibus emittantur fontes, 437C'. — Quid vallis lacrimarum, 307A.

VASA psalmi, quid, 199A, 204D'.

VELLUS Gedeonis figura fuit B. Virginis, 208B.

VENTER Christi est cor ipsius, 617D' ; venter Ecclesiæ, Baptisma, 194C'. — Christus dicitur fructus ventris B. Virginis, 600B, 601A', et David, 614A. — *Cf.* Uterus.

VENTUS animam quandoque exprimit, 435B'. — Quomodo Deus de thesauris suis ventos producat, 623D', 624C', et super pennas eorum ambulet, 435C, A'.

VER, quomodo a Deo plasmatum dicatur, 224B. — Quid mystice, 229C, D. — *Cf.* Æstas.

VERBUM ab intellectu procedit et est cogitationis signum, 5B'. In Scripturis sæpe pro facto sumitur, 142A'. — Verbum Dei, quomodo ignitum dicatur, 572C', et dignosci possit, 312C. Illud libenter audiunt prædestinati, 102C, timere debent omnes, 576B', plene comprehendere valet nemo, 561C ; an et quatenus illud abscondere fas sit, 546B'. Qualiter Deus in cunctis verbis suis fidelis dicatur, 672D'. — Verbum æternum, Patris imago, 502D, dextera, 132A, et brachium, 198B, 350B', paternæ sapientiæ plena expressio, 2B, et exemplar omnis creaturæ, 502D, quomodo a Patre generetur, 1B', 2D, 502C, et doceatur, 2A, 500A'. Ipsi in Trinitate appropriatur pulchritudo, 3B. Cur incarnatum sit, 135B, 175B, 281A'. Simul erat in sinu Patris et in utero Matris, 562A'. — *Cf.* Christus Deus, Deus Pater.

VERECUNDIA, quid sit et quatenus Christo congruat, 178C.

VERITAS, quotuplex, 508B, 528C'. Cur tantopere placeat Deo, 43C'. — Omnino a Deo procedit, 371B', 676D' ; quomodo de terra orta dicatur, 313B. In cœlo non invocatur, 120C ; ab inferno abest, 331D'. — Quo sensu veritas vocentur mandata Dei, 562A, 573C, viæ Domini, 574A', principium verborum Dei, 576A. — Misericordia et veritas præcipue Deo placent, 308D ; quomodo præcedant faciem ejus, 343C', in Christo sibi obviaverint, 312C', 314B', et manserint, 351D. Quo sensu nuncupentur opera Christi veritas et judicium, 507D'. — Veritas Dei multipliciter sumitur, 95D, 338A, 340B, 360D' ; qualiter sit in circuitu ejus, 341A', usque ad nubes magnificetur, 93B', 481A', 484B', maneat in æternum, 404B, 533B', 562B' ; quomodo Christo missa sit, 92B, et a nobis in generationem et generationem possit annuntiari, 337C'. — Quid sit via veritatis, 550D', in veritate Dei ingredi, 322D, invocare Dominum in veritate, 673D'.

VESPERE. Quid significet vespere, 84A, 106A, 440C, et exitus vesperi, 140B', 144C, A'. — Sacrificium vespertinum immolationem Christi figurabat, 653B'.

VESTIGIA Dei et Christi investigabilia sunt, 249A, 250A.

VESTIS Christi est natura humana, 8A'. — Quid vestitus Ecclesiæ deauratus, 8D', 9C, vestes animæ, 175C'.

VIA. Quid significent viæ et semitæ, 643C', via recta, 470C', immaculata, 405D', æterna, 646A' ; quid sit in via gressus ponere, 313C'. — Viatorum imperfecta est confessio, 388B, et pulchritudo, 388C ; impiorum viæ tenebrosæ sunt et obliquæ, 544A'. — Via aut viæ Dei, quid, 430B, 544D. Misericordia et veritas recte dicitur, 574B'. Sollicite quærenda est, 470B. Quomodo Christus in ea deduci petierit, 317A'. Qualiter Deus in omnibus viis suis justus prædicetur, 673B'.

VIDUÆ a Deo peculiariter proteguntur, 677D, et vindicantur, 377D, si tamen vere sint viduæ, 677A'. — Quid mystice, 677B'.

VIGILIÆ Sanctis usitatæ, 245A, commendantur, 416A, sed discrete, 416C. — Parco indigere somno magna est gratia, 416B. — *Cf.* Somnus.

VINDICTA Deo reservatur, 430A. — *Adde* Ultio.

VINEA Domini, quid, 280B, 283A, 284D' ; quomodo operuerit umbra ejus montes, 283D, 285C, et arbusta ejus, cedros, 283D', 285C ;

Digitized by Google

quæ ejus radices, 283 C, 285 B. — Vinea hominis est anima ejus, 269 C. — Quando vindemietur vinea in Palæstina, 287 D'. — Vinum ad jucunditatem hominis creatum est, 438 A'. Quid significet, 438 B'.
VIRGA in Scripturis varia significat, 220 B'. — Quid virga hereditatis Dei, 220 A', 226 C, virga Christi, 7 A', 500 D', virga Jesse, 220 B'.
VIRGO. B. Maria virginitatem vovisse creditur, 616 B. — Virgines sacræ tympanistriæ vocantur, 164 C'. Admirabile Christo testimonium reddiderunt, 553 D'.
VIRTUS ex integra causa est et in medio consistit, 553 B'. Et Dei est et nostra, 8 B'. — Ex se delectabilis, 214 D, nam agentis delectatio signum est virtutis, 322 A', multo tamen est difficilior peccato, 553 C'. — Omnes virtutes ex caritate procedunt, 563 B', et ad ipsam referuntur, 563 C'; omnes connexæ sunt, 635 A'. Recte ossa dici possunt animæ, 655 B, cujus potentias perficiunt, 664 D. — Virtus hominem prudentem facit, 101 B', stabilem, 123 D, Deo acceptabilem, 8 C', ac proximum, 688 B', perducitque ad regnum cœlorum, 307 D. — Per peccatum enecatur vel debilitatur, 655 A; in hac non proficere deficere est, 571 D. Cur potissimum virtuti studere oporteat, 578 B. — Non semper stultum est proprias enarrare virtutes, 405 A, 560 A'; imo, eas in oratione exponere sæpe expedit, 319 D'. — Virtus Dei est vel divina potentia, 128 C, 140 B, 143 D', 680 A, ejusque effectus, 131 C, 537 B, 539 A, B, vel divina justitia, 67 D', 70 C', vel angelica potestas, 165 D, 169 B'; quomodo eam in gentibus notam fecerit, 248 B, 249 C. Quid sit virtus terribilium Dei, 670 B'. Quo sensu Dominus dicatur : Deus virtutum, 24 B, 105 D, 159 D', etc., virtus salutis, 649 A, 651 A', gloria virtutis, 344 B', virtus nostra, 12 C. Quid sit Deum laudare in virtutibus ejus, 692 B, in firmamento virtutis ejus, 692 A. — Quo sensu Christus virtutem in nubibus ostenderit, 166 C', 170 C, voci suæ dederit vocem virtutis, 166 B', 170 B; quid virtutis ejus virga, 500 D', et dies, 501 B', 502 A; quid virtus operum ejus, 506 D'. — Virtus Ecclesiæ collata, quanta, 167 D. Quid sit corda in virtute ejus ponere, 25 C'. — Virtutes, modo chorum specialem designant, 685 C', modo angelicas substantias, 159 D', 165 D, 304 B, 433 D, quare, 685 D'.
VISIO Dei finis ultimus esse debet operum nostrorum, 128 D, sicut est Beatorum finis, 682 B', et cibus, 682 C'.
VISITATIO Dei modo in bono, modo in malo sumitur, 105 D, 460 D.
VITA præsens via est ad futuram, 28 D. — Quantumvis longa, brevissima est, 414 B', 417 B, 431 B', ut custodia noctis, 354 C', et nihil reputatur, 354 D, 355 A, respectu æternitatis, 245 B', 354 A'. — Optimum hujus vitæ exercitium est Deum laudare, 195 B', Deo jubilare et exsultare, 290 C', et in miseriis quæ nos circumdant, 526 D', spretis vanis solatiis, 244 D, æterna meditari, 245 D. — Vita socialis commendatur, 619 D. — Quæ sint spiritualis vitæ regulæ, 411. — Quid liber vitæ, 180 B'; quomodo quis in eo scribi possit, 180 C', vel ex eo deleri, 180 D'. Nemo hic de novo inscribi potest, 181 A. — Quid sit viventium lumen, 88 A', et terra, 657 A'; quid vivorum regio, 526 C'.
VITIA quædam fuga superantur, 664 B, discussione quædam, 664 C. — Nemo secura mente in vitia invehitur nisi justus, 381 B. — *Cf.* Virtus.
VITULUS, animal sacrificiis aptum, 47 D, quid significet, 36 D, 47 C', 48 B. — Vitulus aureus, 463 A, cur dicatur sculptile, 463 B. Cogitationes vanas exprimit, 467 D'. – *Cf.* Bos, Taurus, Vaccæ.
VOLATILIA pennata, quid, 267 B. — Quid cœli volatilia, 36 B', seu volucres, 438 B.
VOLUNTAS super proprios actus reflecti potest, 548 A, et de imperfecto ad perfectum procedit, 548 B. — An sint in Deo plures voluntates, 506 B.
VOTUM est actus latriæ, 616 B, bonum opus perficiens, 242 D, et duplici dignum mercede, 242 A'. Magis obligat quam juramentum, 242 D. — Vota quædam ad præcepta, alia ad consilia pertinent, 242 A'. — Sedulo reddenda sunt, 150 B', saltem vota licita, 150 C', quia votum implere est Deum laudare, 90 B'. Quid sit Deo vota reddere, 150 B', 529 A'. — An quidquam Christus voverit, 616 A. — B. Maria virginitatem vovisse creditur, 616 B.
VOX. Quomodo Christus voci suæ vocem dederit virtutis, 166 B', 170 B. — Quid sit voce sua clamare ad Dominum, 243 C, 658 B. — Vox tonitrui, cur in rota dicatur, 248 B'.
VULNERA Christi tutissimum sunt refugium nostrum, 94 A. — Ea pro nobis Patri indesinenter ostendit, 642 B'.

Digitized by Google

VULPES, quid mystice, 129 C', 132 C.

VULTUS. Quomodo Deus illuminet vultum suum super nos, 152 C, 355 C'. — Qualiter in lumine vultus Dei ambulemus, 344 B, cum vultu Dei habitemus, 652 B'. — Quid divini vultus ira, 79 A, 84 D, aut increpatio, 286 B. — Quo sensu divites plebis vultum Ecclesiæ deprecentur, 9 D'. — *Cf.* Facies.

VULVA. Quomodo peccatores a vulva alienati dicantur, 101 D'. — *Cf.* Venter, Uterus.

Z

ZABULON. Ex ea tribu fuerunt nonnulli Apostoli, 165 C. — Quid principes Zabulon, 169 D.

ZEB, dux Madianitarum, ab Hebræis occisus, 299 A, rapaces signat, 302 D'.

ZEBEE, dux Madianitarum, a Gedeone interfectus, 299 B, quid figuret, 302 D'.

ZELUS, quid sit et quotuplex, 186 B. — Acceptissimum est animæ sacrificium, 186 D. — Omnibus necessarius est, 468 B, maxime sacerdotibus, 468 D, eoque ardentior quo Deus plus diligitur, 572 C'. — Zelus amarus abjiciendus est, 626 B'. — Zelus Christi, quantus, 175 A. — Zelus quandoque pro invidia sumitur, 213 D, vel pro indignatione, 275 C.

ZIPHÆI in David ingrati, 67 A', Judæos signant, 67 B', vel sæculi amatores, 70 B.

ZONA. Maledictione Dei quasi zona ligantur impii, 497 B'.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

COMMENTARIA IN PRIMAM QUINQUAGENAM PSALTERII.

Articulus LXXXVII. Expositio psalmi quadragesimi quarti : Eructavit cor meum. 1
Articulus LXXXVIII. Expositio psalmi quadragesimi quinti : Deus noster refugium et virtus. 12
Articulus LXXXIX. Expositio psalmi quadragesimi sexti : Omnes gentes, plaudite manibus. 18
Articulus XC. Expositio psalmi quadragesimi septimi : Magnus Dominus et laudabilis nimis. 21
Articulus XCI. Expositio psalmi quadragesimi octavi : Audite hæc, omnes gentes 26
Articulus XCII. Expositio psalmi quadragesimi noni : Deus deorum Dominus locutus est 32
Articulus XCIII. Expositio psalmi quinquagesimi : Miserere mei, Deus, secundum, etc.. 39

COMMENTARIA IN SECUNDAM QUINQUAGENAM PSALTERII.

Procemium 51
Articulus I. Expositio litteralis psalmi quinquagesimi primi : Quid gloriaris in malitia? etc. 53
Articulus II. Expositio allegorica, videlicet de Christo, ejusdem psalmi quinquagesimi primi 55
Articulus III. Expositio ejusdem psalmi quinquagesimi primi tropologica seu moralis. 58
Articulus IV. Expositio psalmi quinquagesimi secundi : Dixit insipiens in corde suo 61
Articulus V. Expositio allegorica ejusdem psalmi quinquagesimi secundi, per relationem ad Christum. 64
Articulus VI. Expositio de Christo psalmi quinquagesimi tertii : Deus, in nomine tuo salvum me fac. 66
Articulus VII. Explanatio ejusdem psalmi quinquagesimi tertii moralis simul et litteralis 70
Articulus VIII. Expositio de Christo psalmi quinquagesimi quarti : Exaudi, Deus, orationem meam, et ne, etc. 73
Articulus IX. Explanatio ejusdem psalmi quinquagesimi quarti tropologica sive moralis, de Ecclesia seu unoquoque fideli. 80
Articulus X. Explanatio de Christo psalmi quinquagesimi quinti : Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit, etc. . . . 85
Articulus XI. Elucidatio moralis ejusdem psalmi quinquagesimi quinti 88
Articulus XII. Explanatio de Christo psalmi quinquagesimi sexti : Miserere mei, Deus, miserere mei 91
Articulus XIII. Explanatio tropologica seu moralis ejusdem psalmi quinquagesimi sexti. 94
Articulus XIV. Expositio psalmi quinquagesimi septimi, in persona Christi ad infideles Judæos : Si vere utique justitiam loquimini. 97
Articulus XV. Declaratio tropologica ejusdem psalmi quinquagesimi septimi, in persona Ecclesiæ ad quoslibet peccatores impœnitentes 100
Articulus XVI. Expositio de Christo psalmi quinquagesimi octavi : Eripe me de inimicis meis 103
Articulus XVII. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi quinquagesimi octavi 109
Articulus XVIII. Expositio litteralis psalmi quinquagesimi noni : Deus, repulisti nos 113

Digitized by Google

Articulus XIX. Elucidatio psalmi ejusdem quinquagesimi noni tropologica seu moralis 115
Articulus XX. Declaratio de Christo psalmi sexagesimi : Exaudi, Deus, deprecationem meam. 118
Articulus XXI. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi sexagesimi. . 120
Articulus XXII. Expositio psalmi sexagesimi primi : Nonne Deo subjecta erit anima mea ?. 122
Articulus XXIII. Expositio psalmi sexagesimi secundi : Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo 126
Articulus XXIV. Declaratio allegorica ejusdem psalmi sexagesimi secundi de Christo 130
Articulus XXV. Expositio de Christo psalmi sexagesimi tertii : Exaudi, Deus, orationem meam quum deprecor. . . . 133
Articulus XXVI. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi sexagesimi tertii 136
Articulus XXVII. Expositio litteralis psalmi sexagesimi quarti : Te decet hymnus, etc. 139
Articulus XXVIII. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi sexagesimi quarti. 141
Articulus XXIX. Elucidatio psalmi sexagesimi quinti : Jubilate Deo, omnis terra ; psalmum dicite 146
Articulus XXX. Expositio psalmi sexagesimi sexti : Deus misereatur nostri. . 152
Articulus XXXI. Explanatio psalmi sexagesimi septimi : Exsurgat Deus . . . 154
Articulus XXXII. Prosecutio explanationis psalmi præsentis 163
Articulus XXXIII. Expositio litteralis psalmi sexagesimi octavi : Salvum me fac, Deus. 171
Articulus XXXIV. Prosecutio expositionis litteralis psalmi sexagesimi octavi . . 177
Articulus XXXV. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi sexagesimi octavi 182
Articulus XXXVI. Elucidatio psalmi sexagesimi noni : Deus, in adjutorium, etc. ; et de admirabili virtute primi versus psalmi præsentis 189
Articulus XXXVII. Declaratio psalmi septuagesimi : In te, Domine, speravi, etc. 192
Articulus XXXVIII. Explanatio allegorica ejusdem psalmi septuagesimi de Christo. 199
Articulus XXXIX. Expositio litteralis psalmi septuagesimi primi : Deus, judicium tuum regi da 205
Articulus XL. Elucidatio psalmi septuagesimi secundi : Quam bonus Israel Deus 212
Articulus XLI. Expositio litteralis psalmi septuagesimi tertii : Ut quid, Deus, repulisti in finem ? 219
Articulus XLII. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi septuagesimi tertii 225
Articulus XLIII. Declaratio psalmi septuagesimi quarti : Confitebimur tibi, Deus, confitebimur. 230
Articulus XLIV. Expositio tropologica sive moralis ejusdem psalmi septuagesimi quarti 231
Articulus XLV. Explanatio litteralis psalmi septuagesimi quinti : Notus in Judæa Deus. 235
Articulus XLVI. Expositio moralis ejusdem psalmi septuagesimi quinti . . . 238
Articulus XLVII. Explanatio psalmi septuagesimi sexti : Voce mea ad Dominum clamavi 243
Articulus XLVIII. Elucidatio psalmi septuagesimi septimi : Attendite, popule meus, legem meam 250
Articulus XLIX. Expositio psalmi ejusdem septuagesimi septimi mystica 262
Articulus L. Elucidatio litteralis psalmi septuagesimi octavi : Deus, venerunt gentes 273
Articulus LI. Explanatio tropologica ejusdem psalmi septuagesimi octavi . . . 277
Articulus LII. Expositio litteralis psalmi septuagesimi noni : Qui regis Israel, intende. 279
Articulus LIII. Expositio psalmi octogesimi : Exsultate Deo adjutori nostro. . 287
Articulus LIV. Explanatio ejusdem psalmi octogesimi tropologica sive moralis. . 290
Articulus LV. Elucidatio psalmi octogesimi primi : Deus stetit in synagoga deorum. 294
Articulus LVI. Expositio psalmi octogesimi secundi : Deus, quis similis erit tibi ? 297
Articulus LVII. Expositio moralis ejusdem psalmi octogesimi secundi . . . 300
Articulus LVIII. Explanatio psalmi octogesimi tertii : Quam dilecta tabernacula tua ! 303

Digitized by Google

Articulus LIX. Elucidatio psalmi octogesimi quarti : Benedixisti, Domine, terram tuam. 309
Articulus LX. Elucidatio de Christo psalmi octogesimi quinti : Inclina, Domine, aurem tuam. 315
Articulus LXI. Explanatio moralis ejusdem psalmi octogesimi quinti de quolibet vere fideli. 319
Articulus LXII. Expositio psalmi octogesimi sexti : Fundamenta ejus 324
Articulus LXIII. Expositio litteralis psalmi octogesimi septimi : Domine, Deus salutis meæ 328
Articulus LXIV. Declaratio moralis ejusdem psalmi octogesimi septimi . . . 333
Articulus LXV. Elucidatio psalmi octogesimi octavi : Misericordias Domini . . 336
Articulus LXVI. Prosecutio expositionis ejusdem psalmi octogesimi octavi . . 345
Articulus LXVII. Explanatio eorumdem verborum de Christo et membris ejus. 349
Articulus LXVIII. Elucidatio psalmi octogesimi noni : Domine, refugium factus es nobis 353
Articulus LXIX. Expositio psalmi nonagesimi : Qui habitat in adjutorio Altissimi. 358
Articulus LXX. Explanatio psalmi nonagesimi primi : Bonum est confiteri Domino. 366
Articulus LXXI. Explanatio psalmi nonagesimi secundi : Dominus regnavit, decorem indutus est 372
Articulus LXXII. Elucidatio psalmi nonagesimi tertii : Deus ultionum Dominus. 376
Articulus LXXIII. Expositio psalmi nonagesimi quarti : Venite, exsultemus Domino 381
Articulus LXXIV. Elucidatio psalmi nonagesimi quinti : Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, etc. . . 385
Articulus LXXV. Explanatio psalmi nonagesimi sexti : Dominus regnavit, exsultet terra 391
Articulus LXXVI. Declaratio psalmi nonagesimi septimi : Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit . . 395
Articulus LXXVII. Expositio psalmi nonagesimi octavi : Dominus regnavit, irascantur populi 398
Articulus LXXVIII. Elucidatio psalmi nonagesimi noni : Jubilate Domino, omnis terra 402
Articulus LXXIX. Expositio psalmi centesimi : Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine 404

COMMENTARIA IN TERTIAM QUINQUAGENAM PSALTERII.

Præfatio 411
Articulus I. Expositio in persona pœnitentis, psalmi centesimi primi : Domine, exaudi orationem meam 413
Articulus II. Explanatio allegorica ejusdem psalmi centesimi primi de Christo. 421
Articulus III. Qualiter aliqui exponant hunc psalmum centesimum primum ad litteram 424
Articulus IV. Explanatio psalmi centesimi secundi : Benedic, anima mea, Domino. 427
Articulus V. Explanatio psalmi centesimi tertii : Benedic, anima mea, Domino ; Domine Deus meus 434
Articulus VI. Prosecutio explanationis hujus psalmi centesimi tertii 441
Articulus VII. Elucidatio psalmi centesimi quarti : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. 445
Articulus VIII. Explanatio moralis ejusdem psalmi centesimi quarti 452
Articulus IX. Declaratio psalmi centesimi quinti : Confitemini Domino... Quis loquetur, etc. 459
Articulus X. Prosecutio expositionis psalmi centesimi quinti, et expositio mystica quorumdam quæ in psalmo isto contenta sunt 464
Articulus XI. Elucidatio psalmi centesimi sexti : Confitemini Domino... Dicant qui, etc. 469
Articulus XII. Expositio litteralis ejusdem psalmi centesimi sexti 478
Articulus XIII. Expositio de Christo psalmi centesimi septimi : Paratum cor meum, Deus. 480
Articulus XIV. Expositio ejusdem psalmi centesimi septimi tropologica, in qua breviter tangitur litteralis expositio ejus. 483
Articulus XV. Explanatio litteralis psalmi centesimi octavi : Deus, laudem meam ne tacueris 487
Articulus XVI. Expositio moralis seu tropologica ejusdem psalmi centesimi octavi 495

Digitized by Google

Articulus XVII. Elucidatio litteralis psalmi centesimi noni : Dixit Dominus Domino meo. 499
Articulus XVIII. Declaratio psalmi centesimi decimi : Confitebor tibi, Domine. 505
Articulus XIX. Declaratio psalmi centesimi undecimi : Beatus vir qui timet Dominum. 511
Articulus XX. Explanatio allegorica ejusdem psalmi centesimi undecimi de Christo. 513
Articulus XXI. Elucidatio psalmi centesimi duodecimi : Laudate, pueri, Dominum. 515
Articulus XXII. Expositio litteralis psalmi centesimi tertiidecimi : In exitu Israel. 517
Articulus XXIII. Expositio tropologica seu moralis ejusdem psalmi centesimi tertiidecimi 521
Articulus XXIV. Elucidatio psalmi centesimi quartidecimi : Dilexi, quoniam exaudiet Dominus. 524
Articulus XXV. Elucidatio psalmi centesimi quintidecimi : Credidi, propter quod. 527
Articulus XXVI. Expositio ejusdem psalmi centesimi quintidecimi de Christo, et quomodo a sacerdote celebraturo dicendus sit. 530
Articulus XXVII. Declaratio psalmi centesimi sextidecimi : Laudate Dominum, omnes gentes 533
Articulus XXVIII. Elucidatio psalmi centesimi septimidecimi : Confitemini Domino quoniam bonus. 534
Articulus XXIX. Explanatio psalmi centesimi octavidecimi : Beati immaculati. 542
Articulus XXX. Explanatio psalmi centesimi nonidecimi : Ad Dominum, quum tribularer, etc. 580
Articulus XXXI. Explanatio allegorica psalmi ejusdem centesimi nonidecimi de Christo. 582
Articulus XXXII. Declaratio psalmi centesimi vicesimi : Levavi oculos meos in montes. 584
Articulus XXXIII. Explanatio psalmi centesimi vicesimi primi : Lætatus sum in his, etc. 586
Articulus XXXIV. Expositio ejusdem psalmi centesimi vicesimi primi anagogica, et quomodo allegorice possit exponi. . 587
Articulus XXXV. Explanatio psalmi centesimi vicesimi secundi : Ad te levavi oculos meos 591
Articulus XXXVI. Expositio psalmi centesimi vicesimi tertii : Nisi quia Dominus erat in nobis. 592
Articulus XXXVII. Expositio psalmi centesimi vicesimi quarti : Qui confidunt in Domino 594
Articulus XXXVIII. Expositio litteralis ac mystica psalmi centesimi vicesimi quinti : In convertendo Dominus 596
Articulus XXXIX. Elucidatio psalmi centesimi vicesimi sexti : Nisi Dominus ædificaverit domum 599
Articulus XL. Declaratio psalmi centesimi vicesimi septimi : Beati omnes qui timent Dominum. 602
Articulus XLI. Expositio tropologica psalmi centesimi vicesimi octavi : Sæpe expugnaverunt me. 605
Articulus XLII. Expositio allegorica et litteralis ejusdem psalmi centesimi vicesimi octavi 607
Articulus XLIII. Expositio psalmi centesimi vicesimi noni : De profundis clamavi 609
Articulus XLIV. Expositio psalmi centesimi tricesimi : Domine, non est exaltatum cor meum 610
Articulus XLV. Declaratio psalmi centesimi tricesimi primi : Memento, Domine, David. 612
Articulus XLVI. Elucidatio ejusdem psalmi centesimi tricesimi primi de Christo. 615
Articulus XLVII. Expositio psalmi centesimi tricesimi secundi : Ecce quam bonum. 619
Articulus XLVIII. Declaratio psalmi centesimi tricesimi tertii : Ecce nunc benedicite Domino 621
Articulus XLIX. Elucidatio psalmi centesimi tricesimi quarti : Laudate nomen Domini. 622
Articulus L. Expositio psalmi centesimi tricesimi quinti : Confitemini Domino quoniam bonus. 627
Articulus LI. Declaratio litteralis psalmi centesimi tricesimi sexti : Super flumina Babylonis. 630
Articulus LII. Expositio tropologica ejusdem psalmi centesimi tricesimi sexti. 632
Articulus LIII. Elucidatio psalmi centesimi tricesimi septimi : Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. 634
Articulus LIV. Expositio de Christo, psal-

Digitized by Google

mi centesimi tricesimi octavi : Domine, probasti me 636
Articulus LV. Expositio ejusdem psalmi centesimi tricesimi octavi, de membris Christi seu quocumque fideli 643
Articulus LVI. Expositio de Christo, psalmi centesimi tricesimi noni : Eripe me, Domine, ab homine malo 647
Articulus LVII. Expositio ejusdem psalmi centesimi tricesimi noni, de Ecclesia, seu quolibet fideli 650
Articulus LVIII. Expositio psalmi centesimi quadragesimi : Domine, clamavi ad te. 653
Articulus LIX. Expositio litteralis, tropologica et allegorica psalmi centesimi quadragesimi primi : Voce mea ad Dominum clamavi. 656
Articulus LX. Expositio psalmi centesimi quadragesimi secundi : Domine, exaudi orationem meam 659
Articulus LXI. Elucidatio psalmi centesimi quadragesimi tertii : Benedictus Dominus Deus meus 663
Articulus LXII. Elucidatio psalmi centesimi quadragesimi quarti : Exaltabo te, Deus meus rex 669
Articulus LXIII. Expositio psalmi centesimi quadragesimi quinti : Lauda, anima mea, Dominum 675
Articulus LXIV. Declaratio psalmi centesimi quadragesimi sexti : Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus. 678
Articulus LXV. Explanatio psalmi centesimi quadragesimi septimi : Lauda, Jerusalem, Dominum. 681
Articulus LXVI. Elucidatio psalmi centesimi quadragesimi octavi : Laudate Dominum de cœlis 685
Articulus LXVII. Expositio psalmi centesimi quadragesimi noni : Cantate Domino canticum novum 689
Articulus LXVIII. Expositio psalmi centesimi quinquagesimi : Laudate Dominum in Sanctis ejus 691

TRACTATULUS DE MODO DEVOTE PSALLENDI.

Prooemium 695
Articulus I. Quid sit compunctio, et de multiplici specie compunctionis in psalmodia 697
Articulus II. De psalmis versibusque psalmorum in quibus affectus divini amoris specialiter fragrat ac flagrat . . . 698
Articulus III. Prosecutio de ignitis affectibus caritatis prætactorum psalmorum. 701
Articulus IV. De aliis multis psalmis ad istum caritatis affectum spectantibus . 702
Articulus V. Qualiter primum psalmum ex diversis virtutibus ac variis considerationibus poterimus pronuntiare . . 703
Articulus VI. De aliquibus psalmis moralibus, et optimis documentis plenis, qui mente compuncta, devota, grata, jucunda, alacriter sunt cantandi 705
Articulus VII. De psalmis in persona justi conscriptis, qui ex affectu congratulationis, et invitationis, ac ædificationis, gratiarumque actionis sunt proferendi. 707
Index locorum S. Scripturæ 711
Index analyticus 719

EMENDANDA. Pag. 676C, lin. 12 : veloces, *lege* velociores ; — 687D, lin. 1 : *in sæculum*, addendum videtur *et in sæculum*.

DUBIA. Pag. 387D', lin. 7 : delirus, *forsan* derisus.

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

JAN 8 '52 H

FEB 1 '54 H

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 105 205 967